Universidad de Deusto
Biblioteca

Bibliothèque Nationale de France

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARS QVINTA SIVE

CLAVDIVS

TOMVS PRIOR

AVTORE

FRANCISCO SACCHINO
EIVSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

Res extra Europam geſtas, & alia quædam ſuppleuit

PETRVS POSSINVS
EX EADEM SOCIETATE.



ROMAE, Ex Typographia Vareſij. MDCLXI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE
SOCIETATIS
IESV
PARS QVINTA
SIVE
CLAVDIVS
TOMVS PRIOR
AVTORE
FRANCISCO SACCHINO
EIVSDEM SOCIETATIS SACERDOTE
Res extra Europam gestas, & alia quaedam complexus.
PETRVS POSSINVS
EX EADEM SOCIETATE.
ROMAE, Ex Typographia Varesij. MDCLXI.
SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDIS PATRIBVS ET CARISSIMIS FRATRIBVS SOCIETATIS IESV

PETRVS POSSINVS EX EADEM SOCIET. Salutem in Christo veram.

IN hoc primo aditu expectati expetitique diu Vobis Operis, & desiderijs vestris, & officio meo debere me sentio distinctam exactamque operæ à me in hac eius Editione positæ rationem. Franciscus Sacchinus, quem Historiæ nostræ iure Patrem nominauerim, præter ea quæ hactenus eius ingenio de rebus nostris composita legitis, viginti quoque primos Annales Præfecturæ Quinti Generalis Claudij Aquauiuæ, stylo comprehensos moriens reliquit. non illos quidem *vltima politos manu, aut suis finitos* numeris. nam & Lacunæ aliquot locis hiabant, & Transmarinæ res omnes Africanæ, Iaponicæ, Sinicæ, Brasilicæ, & vtriusque Indiæ, haud contemnenda vtique Historiæ pars, exclusæ omni mentione, silebantur. Has Ego iussu Maiorum acri diligentia complexus Schedas, cum vniuersas attentione summa recensui; tum hiatibus vbi oportuit expletis, Insularum extra Europam, Africanorum etiam, Indicorum, Iaponicorum, Sinensium, Brasilicorum, Mexicanorum, Perunensiumque Actorum ad singulos Annales Narrationibus adiunctis, in hanc formam atque ordinem digessi; Libriſque Viginti Priorem huius Partis absolui Tomum (quem ipsum, ne intractabili mole turgesceret, in duas partiri Decadas oportuit). Neque enim Claudiana Nostri Ordinis Tempora, quatuor Priores simul iunctas Præfecturas annorum propè numero æquantia; multiplicatione vero Personarum, & Prouinciarum; præterea magnitudine ac varietate successuum; nec non intricatissima perplexitate litium certaminumque variorum, facilè in duplum excedentia, vno volumine coarctari potuerunt. Ac ne omnia quidem his annis viginti gesta prior hic Tomus exhibebit. Sed quæ hic & quibus de causis omittantur, vel potius differantur,

1 Scripta P. Sacchini quæ nunc eduntur, quo statu ab illo relicta.

2 Quid in ijs suppletum.

3 Cur tota pars Quinta vno volumine comprehendi nequiuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opportunior erit in fronte alterius voluminis profitendi locus. nunc enim nihil præuertendum arbitramur ei officio, quod ab Editoribus Posthumorum Operum, bono & passim probato more, Autorum memoriæ solet reddi. Franciscus Sacchinus qui primum Historiæ Societatis Volumen ab Alio scriptum edidit, eique alia quatuor sua diligentia collecta, suo stylo expressa, continuauit, Vir fuit doctrina, eloquentia, &, quod caput est, insigni virtute ac religione commemorabilis in paucis. Ortus in Castro Paciani, Diœcesis Perusinæ,

4 Francisci Sacchini ortus.

circiter annum superioris sæculi septuagesimum, à puero ingenuas disciplinas magnis profectibus arripuit. Adolescens duodeuiginti annorum

Ingressus in Societatem.

Societati nomen dedit, mense Octobri Anni 1588, ac consuetis experimentis ritè probatus, rudimentum docendi posuit in Florentina Rhetorica, haud vulgari argumento, quanta iam tum eius ingenij ac facultatis opinio esset. Mox ad decus Romani Collegij pertinere visum, vt eò Sacchinus ad Humanitatis professionem euocaretur: qua splendidè perfunctus, Philosophiæ ibidem ac Theologiæ spatia pari studij ac profectus felicitate decurrit; idoneus etiam iudicatus illis tractandis ex professo disciplinis, nisi aliquantò micantior ad politiores literas indoles incitamento Moderatoribus fuisset, vt eum Romanæ potius

Prima ministeria & studia.

5 Is Rhetoricam Romæ docet.

Rhetorum Cathedræ præficerent. Theatrum hoc diu nobile ingenij atque industriæ Sacchino fuit, vbi studio, stylo, crebra & ornata dictione, quotidianis Prælectionum eruditarum Scholis, frequenti cultissimorum panegyri Carminum, cæteraque loci eius ac muneris varia & semper felici functione, tum quos non quærebat Admirantium plausus, tum quos vnicè consectabatur Audientium profectus in omni genere laudis adeptus insignes est: consumpturus in spisso & actuoso Ministerio ætatem ac vitam perlibenter; nisi quos nutu Maiorum & alacriter adierat, & constanter exercebat labores, abrumpere mutatis imperijs iuberetur. Sublato videlicet acerba morte Nicolao Orlandino,

6 Præficitur scribendæ Historiæ Societatis.

cui Societatis Historiæ scribendæ cura demandata fuerat, non alius aptior reperiebatur qui succederet. Translatus ergo in Domum Probationis S. Andreæ, in eo secessu totis annis duodeuiginti continuis, hæc quæ leguntur commentatus volumina est, acri conquisitionis diligentia, nitida concinnitate dispositionis, eleganti sermonis vbertate. Inde Anno huius sæculi vndeuicesimo à Mutio Vitelleschi Generali

Mense Maio Anni 1619.

admouetur intimè Gubernationi Societatis, in omnium consortium curarum Secretarij nomine ac munere assumptus. Septem ibi fuit annis & mensibus totidem, vsque ad mortem, præmaturam si tempus

7 Fit Secretarius Societatis,

numeres, quippe anno ætatis quinto ferè supra quinquagesimum repræsentatam; si virtutum ac rectè factorum ineatur ratio, planè tempestiuam; & longis assiduisque fesso laboribus, quietis opportunæ gremium pandentem. Palam & sæpe de illo professus idem est Mutius

8 Iudicium de eo Mutij Vitelleschi.

Vitelleschus Præpositus Societatis, vir & pro notissima peritia pernoscendorum animorum, & pro intima cum Sacchino consuetudine

octo

octo ferme annorum, in primis idoneus cui credatur, professus inquam est: videri sibi Franciscum Sacchinum omnium quidem virtutum exemplar perfectum esse, eminere tamen in eo sui demissionem & amabilissimam modestiam. Huius eximiæ Laudis quæ cæterarum fundamentum habetur, exempla hìc quædam ponam paucissima de plurimis. Fateri humilitatem generis adeo nunquam erubuit, vt ostentare vltrò gauderet. vti cum Patrem aliquando è rure patrio profectum ad Vrbem, & sibi cum apud cœtum illustrem, pro more, cum plausu diceret, forte occurrentem, statim coram omnibus, exquisitis honoribus excepit: moxque vestitum, vt erat, parum lautè, totaque specie ac cultu magis indicantibus vnde veniret, quam vbi tum esset, decentibus, per atrium multa nobilitate frequens, ac per Romani Collegij ambulacra circumduxit, notis omnibus nostris aut Externis, vt cuique occurrerat, profitens, hunc suum parentem esse: nemine non eximiam viri pietatem, pari sui contemptu coniunctam, prædicante. Sub studij Theologici finem proficiscens Roma Neapolim, per totum id iter vbi ad hospitia diuerterat vespere, ocreas Socio, vt id fineret arte multa persuaso, flexis ante ipsum genibus manu sua detraxit. Nunquam contendebat: nihil siniſtrè interpretabatur: culpabat neminem. honore præueniebat etiam infimos, liberalissima humanitate. Secretarius Societatis dum aliquando mandata Generalis accipit, parum aduertit præterijsse adiutorem Laicum, humilis domi curatorem ministerij, quem ideo salutantem non resalutauit. Hoc postmodum comperto, adit hominem, & ei diligenter excusat attentionem ad negotium suam, rusticitatique (sic enim aiebat) vt ignoscat suæ, petit. Per annos octodecim quibus in D. Andreæ diuersatus est, exercitationes Tyronum, eas præsertim quæ ad sui demissionem assequendam faciunt, tanquam vnus ex ipsis frequentauit. Itaque cum ijs itato tempore in cœtum congregatis, errata cuiusque proferrentur, inserebat se quoque turbæ, ac suos etiam defectus pandi magnoperè optabat. Iam cultu vestituque illius nihil pauperius. Zona erat è veteri Lacinia vilis panni multis locis rupta, & totidem nodis resarcita. inde corona pendebat globulorum decolorium è ligno vulgari. Atqui aliæ exquisiti pretij passim ac certatim offerebantur, vti & icones sacræ, reliquiariæ pyxides, Ecclesiasticarum precum libri, Tabellæ, ac cætera id genus artis aut materiæ raritate pretiosa; qualium nihil vmquam adhibere ad proprium vsum voluit. Quid illa parua dictu, significatu non leuia, memorem? vnis calceis decem annos vsum: calamos duos quos in secretarij cubiculo, munus istud iniens, repererat, post continuatos scriptione assidua dies totos cum parte noctium, à moriente post octennium adhuc vtiles relictos. Rarò cubiculo, multò rariùs domo prodibat; nec vmquam nisi necessarijs de causis: ac tunc semper mirabiliter collectus in sese, defixis in terram oculis, tenaciùs etiam quam honestæ Virgines soleant: vultu tamen vel sic

9 Demissionis ipsius exempla.

10 Paupertas eiusdem.

11 Custodia sensuũ mira.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRAEFATIO

amœnam gratiam, interioris lætitiæ indicem, ſpirante, vnde quiuis prudens intelligeret; ijs illum in arcano frui gaudijs, quæ facile ſpectaculorum quorumuis ſpeciem ſplendoremque compenſarent. Faciam fidem vix alioqui credibili aſſerto, referendo dictum P. Stephani de Bubalis Collegij tunc Pœnitentiariæ Rectoris, quod ab aurito teſte comperi. Is Sacchinum ad ſe negotij cauſa profectum, cum officiosè deduxiſſet vſque ad Limen domus, ſitæ in Platea Vaticana, è regione vberrimi pulcherrimique Fontis; ibi familiari arriſu frontem exporrigens: queritur hic de te, inquit, P. Sacchine, ac iampridem murmurat fons, quod cum à Peregrinis cupidiſſimè viſatur; Ciuium quoque numquam ſatiatos oculos teneat, tu ne vno quidem ſuſpectu digneris ſpecioſiſſimam iſtam ſuam eiaculatarum Siphonibus, & cum altè ſalientium, tum ſonorè recidentium pompam aquarum. Ad ea Sacchinus ſuauiter renidens: vtinam, Pater Rector, illius tantò potioris, cuius Chriſtus meminit, fontis aquæ ſalientis in vitam æternam conſpectu dignemur. Fuit cum accerſitus è Domo Profeſſa in Domum S. Andreæ à Generali tum ibi agente, producto longiùs neceſſario ſermone, non niſi hora noctis prima ſe reciperet domum; ac feſtos in triuijs miratus ignes, è Socio requireret, quid id rei foret? cui ille: nempe hodierna, de qua audiſti, Pater, Cardinalium promotio, hiſce lætitiæ ſignis, more Vrbis antiquo, celebratur. Itane ſic ſolet fieri? reſpondit Pater: equidem qui triginta propè annis Romæ fuerim, ad hanc diem id numquam aduerteram. Nullam relaxationem, nullum otij momentum indulgebat ſibi; ſemper vel Orationi, vel Lectioni, vel Scriptioni affixus; mirante ac non ſemel prædicante Mutio Vitelleſcho Generali, contentionis indefeſſæ perſeuerantiam humana prope vi maiorem. Audiui à quodam qui aſſiduus illi atque intimus multis annis vixit, cum ſanctè teſtaretur: nullum ſe vmquam in eo mœſtitiæ, metus, iræ, exultantioris gaudij, aut cuiuſuis omnino perturbationis indicium notaſſe, adeo pax Dei beata ipſius complens animum, ſenſuum motus ſemper omnes exuperans, cœleſti cunctos tranquillitate componebat. vnde fit credibile, quod ipſe Amico cuidam, qui mihi retulit, aliquando faſſus eſt: Se nunquam, quoad in Societate fuit, præſcriptas domeſtica diſciplina quotidianarum actionum ſtatas vices, atque horas ſolitas, mutaſſe; hoc eſt, numquam non ſuo tempore Orationes, Examina conſcientiæ, cæteras religioſas, aut quoquo modo Regula imperatas functiones obiuiſſe: quod in homine curis acribus implicito, multiplicibuſque ac magnis negotijs diſtricto, haud leue compoſitiſſimæ mentis indicium eſt. His ille rebus aſſequebatur, vt vel ijs qui occurſu primo ac ſuperficie dumtaxat tenus noſſent, maximè Venerabilis cariſſimuſque eſſet: ij porro qui prudentiores æſtimatores Dei donorum eum attentiùs obſeruabant, diuitias mentis introſpiciebant & admirabantur in eo maximas. Ex his P. Ioannes Baptiſta Carminata, qui religionis, eloquentiæ, doctrinæ, gubernatricis prudentiæ

12 Otij fuga & labor aſſiduus.

13 Tranquillitas mentis excellens.

14 Conſtans obſeruatio diſciplinæ domeſticæ.

dentiæ experimentis inſignibus, diu & vbicumque fuit, præbitis, illuſtrem omni laude vitam ſancto fine coronauit: Mutio Vitelleſcho Societatis Præpoſito aſſeueranter confirmauit: Multos ſe præclaros in Societate nouiſſe homines: neminem tamen vidiſſe qui ſibi ad Conſtitutionum noſtrarum normam ita exactè formatus, ac quaſi elimatus, vt Sacchinus, videretur. Hæc ille: quibus hoc nos addere res cogit: Siquidem alios Sacchinus alijs vicit laudibus, ſeipſum profecto, ſuaſque virtutes reliquas, religione in Deum ac Caritate ſuperauit. Horam quotidianæ Meditationis iniunctam omnibus, poſitis ſemper humi genibus, in medio cubiculo, ſine fulcro, nudo capite, iunctis ac ſublatis manibus explebat. eodem ferè habitu imperatum Sacerdotibus Sacrarum precum penſum exoluebat. Sic Examina Conſcientiæ, ſic priuatas publicaſque cæteras orationes exercebat, ſumma ſemper attentione ac reuerentia, quin ſibi latum reputans Apoſtoli præceptum, ſine intermiſſione orandi, nullo loco ac tempore, quidquid meditaretur aut ageret; intermittebat Deum intueri præſentem ſemper, eique humili veneratione ſubmiſſus apparere. Multos Cœlitum cultu præcipuo venerabatur: ſed inter eos peculiari affectu propendebat in venerationem ac laudem B. Franciſci Borgiæ, cuius cum virtutes cæteras plurimum mirabatur, tum præſertim ſtudium paupertatis ſuique demiſſionem conabatur imitari. Contendebat idem præcipuè tamen omnes neruos pietatis atque induſtriæ, cum quotidiano Miſſæ Sacrificio ſe accingeret. vbi vero ad aram acceſſerat, angelica deuotione totus ardere cernebatur. Sacro peracto flexis genibus per mediam fermè horam Chriſtum ſui pectoris hoſpitem venerans gratulanſque alloquebatur, nec ipſum ſemper tacentem. Nam haud vanè creditur ab eo Mortis ſuæ diem, arcanum Mortalibus celatiſſimum, Sacchinum tali potiſſimùm tempore, didiciſſe. Obtulerat is confeceratque incruentam hoſtiam Idibus Decembris anni ſexcenteſimi viceſimi quinti ſupra milleſimum; conſuetamque gratiarum actionem, ſed inſolito, quod ex vultu conſtaret, feruore peregerat; cum inde ſurgens, obuio forte Huberto Fornario Patris tunc Generalis familiari Miniſtro, Abi, Frater, inquit: & nuncia Patri noſtro, ire me in valetudinarium, ibi, quando ſic Deo viſum eſt, breui moriturum. In mox decumbente lenta deprehenſa eſt febris; quæ tamen biduò ſic exarſit, vt vitæ diſcrimen appareret. Tertiam noctem inſolitis grauem ærumnis habuit. quare Miniſtri Confeſſarium accerſendum putabant: quem æger tamen vetuit ſua cauſa vexari intempeſta hora. Communi ſurgendi ſigno cunctis dato, ei ad ſe vocato peccata exponit: mox Sacrum viaticum expetit & percipit: ac ſtatim dimiſſis adſtantibus, horas ſolus duas tenerrimis cum præſente IESV colloquijs abſumit. Vnctione dein ſacra præparatus ad extremam luctam, Patribus magno numero, nec ſine lacrymis, circumſtantibus lectum, & ſupremas quibus moribundos proſequitur Eccleſia, comprecationes recitantibus, præſenti ſemper animo

15 P. Carminatæ de Sacchino teſtimonium.

16 Conjunctio eius cum Deo & ſtudium orationis.

17 Deuotio eius in Sacrificio quotidiano.

18 Prædictio mortis. 13. Dec. 1625

19 Morbus eius ſupremus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 Obitus,

mo & clara reſpondit voce, donec ſubitò deficiens & IESVM inuocans placidiſſimè animam efflauit: finem vitæ mortalis ac miſeræ, cum melioris, vt iure ſperamus, & æternæ principio continuans. 26 Dec. 1625 Obijt circiter meridiem, quarto morbi die, qui numerabatur XVII. Kal. Ianuarias. Forma corporis. Statura fuit procera & recta. vultu pleno dignitatis, quamquam colore ſubpallido & fuſco, acribus oculis, longis præter modum manibus. Valetudine firma, niſi eam contentione irremiſſa frangeret. In Bibliotheca Soc. Catalogum Editorum eius operum alibi deſcriptum noui retexo. Scripta. contentus hìc indicare: ipſius quoque fœtum eſſe Vitam S. Paulini Epiſcopi Nolani, ex eius Sancti Patris Operibus & antiquis alijs ſcriptis ſummo iudicio collectam, quam Heribertus Roſvveidus noſter ſine nomine Autoris, quod ipſe id prodi vetaſſet, edidit. Sunt quibus prolixior, & dictu minutarum auidus congeſtor rerum in Hiſtoria noſtra videatur. Poteram equidem hoc ab eo crimen plauſibili, ni fallor, defenſione depellere: niſi longam excuſationem longitudinis minus hoc loco tempeſtiuam ducerem: & præterea vererer; ne patrocinio prolixitatis, præſtruere mihi licentiam crederer in iſto genere peccandi: cum contra deliberatiſſimum habeam, quoniam ſic placere multis video, ſeueriori delectu dicendarum rerum, & quoad licebit, contractiori ſtylo, noſtras quæ ſcribendæ reſtant, Hiſtorias conſtringere.

21 Inanis accuſatio prolixitatis.

GOSVVINVS NICKEL
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVm Priorem Tomum Partis Quintæ Hiſtoriarum Noſtræ Societatis à bo. mem. P. Franciſco Sacchino conſcriptum, & à P. Petro Poſſino ſupplẽtum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, Poteſtatem facimus vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos ſpectat, ita videbitur: cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus Romæ 14. Aprilis 1661.

Goſvvinus Nickel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij

O. Ep. Patracen. Viceſg.

Librum cui titulus eſt: Hiſtoriæ Societatis Ieſu Pars quinta, &c. Iuſſu Reuerendiſſimi P. Raimundi Capiſucchi S. P. A. Magiſtri accuratè luſtraui. Nihil in eo bonis moribus, Summorum Pontificum decretis, & orthodoxæ Fidei contrarium reperi: imo illuſtria tantæ Societatis geſta, omni Eruditione ac pietate exarata. Quamobrem ad publicam vtilitatem & Maiorem Dei Gloriam prælo dignum cenſeo. Ex Aedibus S. Andreæ de Valle Almæ Vrbis die 2. Decembris 1660.

D. Franciſcus Biſcia Cl. Reg. S. T. P.

Imprimatur cum Proteſtationibus,

Fr. Raimundus Capiſucchi Ord. Præd. Sac. Ap. Pal. Magiſter.

PROTESTATIO AVTORIS.

CVm Sanctiſs. Dominus noſter Vrbanus VIII. die 13. Martij 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634, quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitatis, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt nullo modo vult cenſeri approbata. idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631: ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit autoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes autorem: huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi, obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt inſiſtendo: profiteor me haud alio ſenſu quidquid in hoc tomo primo quintæ partis refero accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat autoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, nituntur: ijs dumtaxat exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS QVINTAE TOMVS PRIOR

A.C.1581. **Liber Primus.** Soc.42.

FESSVM me pro mearum tenuitate virium satis arduo, & longo opere, grauiorique manus admouentem, opportunum excipit leuamentum, describenda ætas in ætatem meam incurrens: vt de quibus enarrandum maxime erit, eorum plerosque datum sit vel familiariter nosse. Ceterum Vigor ille cælestis, qui procreat vniuersa, fouet, ac renouat, præsens adsit necesse est. frustra eo absente sunt reliqua. Illum igitur principio veneror, conatus vt meos aspiciat, imbuatque & ad diuinam gloriam, cui vni deuoui, quoad ipsi visum fuerit, sustentet. Subsidio etiam aliquanto erunt literæ Annales de rebus per totum orbem à Societate gestis ex hoc anno typis excusæ. Nam cum principio ex institutis Beati Fundatoris Ignatij quarto quoque mense ab singulis domicilijs vtrocitroque id genus literarum daretur, vnde Quadrimestribus erat nomen, consequutis temporibus ad leuandam scribendi occupationem in immensum crescentem, sub Lainio semestres, sub Borgia Annuæ successêre. Tum res ita sub Euerardo contracta est, vt ex omnibus cuiusque Prouinciæ Collegijs vna conficeretur epistola, eaque compluribus exemplis mitteretur. Verùm, cum id quoque multum haberet negotij, denique generalis quartus conuentus eam viam probauit, vt missâ Romam è Prouincijs sylua rerum, vnum inde volumen diligenter, magnoque delectu confectum, & ad communicationem, & ad diuturnitatem typis excuderetur: cuius scriptionis initium anno insequenti Ioannes Antonius Valtrinus magna cum laude fecit. Hæ igitur literæ, quanquam maximo laborant incommodo, quod vt plurimum nomina personarum, ac fere intima quæque narrationi historicæ obtegent, tamen operi meo subsidium multiplex ferent: neque illud equidem numerarim in vltimis, quod rerum ferme tenuiorum, quas intercidere non oportebat, consignatâ ibi memoriâ, ea veluti mora perpetuæ huius, & vniuersalis scripturæ cursus absoluitur. Societatem IESV cum annis paulo plus quindecim Fundator Ignatius: ac deinceps Iacobus Lainius, Franciscus Borgia, Euerardus Mercurianus Generales Præpositi circiter septenis rexissent, anno M.D.LXXXI. Claudius Aquauiua in curam accepit, etiam num, dum hæc scribebantur, vndetrigesimo sui magistratus anno superstes: & superiorum omnium, vti spes est, æuum Præpositorum adæquaturus. Adeo profixum huius Præsidis fructum singulari indulgentia Numen concessit huic Ordini, vt esset, qui vehementer auctum, iamque velut iuuentæ in æstu non nihil fluctuantem, ad ætatem quasi constantem produceret: legumque, ac morum certo, ac stabili vsu per longam consuetudinem ad æternitatem disciplinæ firmaret. Hac tempestate capitum numerabat Societas non multo amplius quinque millia in vna & viginti Prouincijs. Quorum extra Europam quatuor erant: vna in India, eademque latissime patens, vsque in Moluccas, Sinas, Iaponiamque diffusa. Nouo in Orbe, cui nomen Occidentales Indiæ vulgus fecit, Brasilia, Peruuia, Mexicum. Reliquæ in Europa septendecim. In Italia quinque, Romana, Sicula, Neapolitana, Veneta, Mediolanensis. Tum Lusitania, & in reliqua Hispania qua-

1 Ingressus operis viribus maioris ex fiducia diuini auxilij.

2 Annuarum In Societate Origo.

Earum vsus.

3 Successio V. Generalis, Eiusque lõgævitas Societati vtilis

4 Numerus Sociorum & Prouinciarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatuor, Castella, Toletum, Aragonia, Baetica. In Regno Galliæ duæ, Francia, Aquitania. In Belgio, & Polonia singulæ. In Germania tres, Austria, Rhenus, Germania superior. E singulis hisce Europæ Prouincijs (nam ex alijs propter longinquitatem non expectantur) terni de more lecturi Præpositum conuenere Romam ad constitutam diem. Idque inter alia habuit insigne conuentus ille, quod desideratus ex ijs nullus est, quibus per Ordinis leges suffragij latio esset. Quanquam in locum Toletani, Polonicique Prouincialium demortuorum, Ludouicus Guismanus, & Laurentius Magius: itemque in Austriaci, Belgici, & Aragonensis, quos causæ publicæ iusti ponderis remoratæ sunt, Nicolaus Lantius, Eleutherius Pontanus, & Hieronymus Domeneccus sufecti. Iucundissimus fuit cum inuicem electoribus, tum ceteris socijs tot grauissimorum virorum conspectus. Septem, & quinquaginta numero erant, plerique S.Ignatio familiariter vsi: quorum duo, Alfonsus Salmeron, ac Nicolaus Bobadilla, è primis decem. Ceterum hostis bonorum æternus, osorque pacis diabolus nullis ab dolis artibusque cessabat, vt comitiorum turbaret concordiam, studijsque partium rectam cuiusque mentem corrumperet. Mali semina non pigebit euoluere, quo clarius palam fiat in quantam demum perniciem pullulet, si magnarum personarum in animis perturbationis immodicæ vel fibra resideat. Euerardus Mercurianus vbi creatus est Generalis, quod comitia, vt in loco demonstratum est, satis quieta non fuerant, quo facilius cuncta componeret, multum Benedicto Palmio vti cœpit. Erat hic vir eloquentiæ, virtutisque præstantis, acer, ac strenuus, summa domi, forisque autoritate, iam secundùm Italicarum Prouinciarum Assistens, omnino ad conficiendas res peridoneus administer. Dum igitur eius opera Euerardus libenter vtitur, multo etiam plura, quàm gerebat, cœpit vulgo videri per illum gerere. Quod cum & per sese (qua erat ille vir sagacitate) & alieno quoque admonitu cognouisset rectæ administrationi obesse, ac locum offerre sermonibus, cœpit paulatim parciùs Benedicto vti, & multa in Oliuerium Manareum deriuare Borealium Prouinciarum Assistentem, morum optimorum, & Societatis disciplinæ cum primis scientem. Pronum erat (vt homines sumus) eâ re Benedictum commoueri. Quod si nascentis filicis statim germina crucis baculo decussisset, haud dubiè exaruissent, & ex humana illa tentatione lucrum ipse non modicum reportasset. Verùm, dum incautius fouet animi dolorem, in Oliuerium quoque suspicionem quasi aduersantem sibi, cœpit intendere: inter quos occasionem etiam querelarum seuit Collegiorum Germanici, Anglicique procuratio, dum in eam se alter infert, quod ea Collegia in Vrbe, alter quod gentium Borealium essent. Quæ prope pudet referre: sed necesse est virtutis amantium ad omnem custodiam excitare vigilantiam. Interim moritur Euerardus: fit Vicarius Oliuerius haud admodum læto Palmio. Subinde aduersi per vrbem sermones gliscere tanquam Oliuerius Generalatum ambiret: nec quisquam ijs sermonibus contraire: quin etiam autor celebrari Assistentium vnus. Quæ Claudius Aquauiua Prouincialis Romanus indigne ferens & iniuria lædi existimationem Vicarij, & totum Ordinem inter Aulicos fabulam fieri, tum ipsummet Oliuerium admonendum curauit; tum, quoniam is, cum ipsemet peteretur, non multum in ea re poterat, omni ope per se se obuiam iuit, non sine aliquo dolore eorum, qui partis aduersæ ferebantur. Vnde & ad ipsum Aquauiuam diuersa linguarum procacia. Ergo Oliuerius, ne per impunitatem corroborari, ac serpere malum sineret, Iulio Fatio Secretario, & Fabio de Fabijs integerrimis viris negotium dedit, vt in sermonum, ac partium autores inquirerent, secreto conuentis, qui insimulabantur, & respondere ad interrogata pro potestate iussis. Quæ cura haud leuiter fabularum æstum coërcuit. Trahebant in ambitionis argumentum res planè leuissimas. inter loquendum cum Antonio Ioannis laico fratre, fabro mutario, excidisse Oliuerio, si Deus sua vota compleret, quædam se facturum: & Francisco Toleto Concionatori Pontificio vitulæ caput dono misisse. Quæ aiebat Claudius si generalatus cupidine Oliuerius faceret, non eum ambitiosum magis, quam dementem habendum. Nam Toletus non admittebatur ad comitia. Fabri vero

5 Felicitas cõuentus nullo ex Electoribus defiderato,

6 Turbarum in Congregatione origo.

7 Aemulatio Palmij aduersus Manareum.

8 Rumor per vrbem sparsus Manareũ ambire generalatũ.

9 A Claudio Prouinciali Romano & eius admonitu à Manareo ipse cohibitus.

10 Argumenta criminantiũ Manareum futilia.

vero murarij quid opus vel consilio erat, vel studio? Et plane Oliuerio viro bono ea verba per simplicitatem exciderant nihil minus quam de Generalatu cogitanti: Toleti autem gratiam non sibi, sed vniuersæ Societati conseruare studuerat. Rebus ita tumentibus conuenere ex Prouincijs Patres, qui memores exceptionis per Pontificem in proximis Comitijs factæ, ne quid tale in præsentia eueniret, supplices ad Gregorium ab Principibus literas protulere, vt plane comitia vellet libera, & è legibus Societatis esse. Has quoque literas qui studebant Palmio, per ambitionem ab Oliuerio narrabant expressas, metuente, ne ipse excluderetur. Cuius generis literæ cum Neapoli quoque venissent, quod per eos forte dies Iacobus Paëz Theologiæ in Romano Collegio Professor, & Ludouicus Ciappius Laicus frater (qui Generalium Lainij, & Euerardi comes fuerat) Religiosæ peregrinationis & valetudinis causa contenderant, interpretabantur per nomen peregrinationis missos, qui eas à Prorege literas exorarent. Quod plane nunquam cuiquam in mentem venerat. Sed vbi locus suspicionibus datur, nihil ita sincerum est, quin eius videatur coloris, quo imbutus est animus suspicantis. Ex vitio quippe suo morbosus oculus speciem rebus affundit. Procul ab sacris cœtibus, procul ab humana gente tale venenum cuncta corrumpens bona, communis vitæ neruos elidens, ipsam sensim caritatis medullam depascens; Septimo idus Februarij conuentus primùm est habitus. In eo, vbi congregatio frequens, ac iusta visa est, quique acta ad creatum vsque Generalem exciperet, lectus Laurentius Magius; decretum est additum: vti postridie Vicarius cum Salmerone, Bobadilla, Assistentibus, & quibus præterea videretur, benedictionem à Summo Pontifice ad fausta comitiorum auspicia, totius conuentus nomine, quemadmodum Societati moris est, postularent. Qui cum Pontificem adijssent, dum Vicarius mandata exponit, Gregorius plane paterno, vt erga hunc Ordinem afficiebatur, sensu, principio percunctatur, certam ne formulam haberent, vnde & existimari de legitimo conuentu posset, & quam postea in omni comitiorum ratione pro regula sequerentur. Deinde, cum responsum esset in Societatis institutis vtriusque rei certas extare leges, in hanc plane sententiam, ac verbis prope totidem subiecit. *Congregatio vestra legitima est, quod vti affirmatis, nemo desideratur, ac nullum vitium interuenit: ceterum legitima tum vere censenda erit, si leges, & instituta vestra, quæ recta omnia, & sancta sunt, obseruaueritis. Nam si ad sanctiones vestras rite omnia exigetis, haud dubiè Præpositum eligetis idoneum: ille postea idoneos leget administros: hi singulas domos, & Collegia recte temperabunt: atque ita Societas vniuersa ordine, bellèque procedet. Id ipsum & nos experimur. Vbi administros nacti sumus commodos, & prosperè eunt res, & nobis licet securis esse. Sanctus hic vester Ordo, ac vere, inquam, sanctus toto iam terrarum Orbe propagatus est. Vbique Collegia, & domicilia habetis: Regna, & Prouincias, & Orbem totum vos regitis. In summa nihil fere in præsentia melius est, quam vester hic Ordo sanctus, qui est à Deo aduersus hæreses institutus. Et quidem sub illud tempus venit in lucem, quo errores hi noui spargi cœpti sunt. Refert ergo plurimum ad Principum, ac populorum adiumentum (& certe nos ita cupimus) vt in dies augeatur, atque proficiat: & ante omnia, vt Moderatoribus, ac Præsidibus aptis instruatur. Ad id temporis domos vestras, & collegia, & prouincias bene, ac sapienter administrastis: ac speramus, si Generalem nunc qualem oportet, creaueritis, etiam præclarè administraturos inposterum. Cauete ne sint inter vos dissensiones, & schismata. Tota mens vestra in Dei honorem intendatur. Deus vobis duntaxat propositus sit: & ante mentis oculos obuersetur. Absint à vestris comitijs priuata necessitudinum studia. Nihil amicitijs, nihil humanis affectibus, nihil prensationi permittite. Dei gloriam, sanctæque eius Ecclesiæ vtilitatem sincerè spectate. Mementote negotium habere vos in manibus omnium grauissimum, & rationem Deo reddituros: quin adeo nunquam fore tempus, quo causam tanti ponderis, ac momenti, & de qua seuerius in supremo iudicio reposcenda ex vobis ratio sit, tractetis.* Hæc elocutus finem dicendi fecit: dumque de paterna cohortatione Vicarius ei, & Bobadilla gratias agunt, adiecit. *Nescij profecto non sumus vobis quidem opus exhortatione nostra non esse, quia sanctus hic vester Ordo*

11 Suspicionũ pernicies.

12 Initium Cõgregationis.

13 Gregorij Põtificis ad Patres verba.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordo Prouincias, & Regna, & totum, vt diximus, Orbem regit: vosque cunctis gentibus prædicatis. Denique cum Oliuerius benedictionem rursus permodestè ad tantum negotium feliciter obeundum rogaret, Sanctissimus Pater coniunctis in modum orandi, sublatisque magno studio manibus, *Benedicat*, inquit, *vos Deus, & dirigat gressus vestros in beneplacito suo, vt electionem sanctam faciatis ad gloriam Dei, & Ecclesiæ suæ vtilitatem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hæc summa Gregorij benignitas in conuentu exposita recreauit vehementer animos Patrum, & in acta visa est referenda ad solatium, & incitamentum posterorum, ne se vnquam degeneres, eoque iudicio quod tanti viri de familiæ huius sanctitate olim facere, indignos præbeant. Non enim Pontifex dixit per sanctum hunc Ordinem totum regi Orbem terrarum, nisi quòd omni hominum generi, omnibusque nationibus sedulo conati sunt maiores nostri summa cum humilitate, & caritate ex nostrarum præscripto legum opitulari: piosque labores eorum compleuit fauor cælestis, ornauitque præclaro successu. Postero die, qui cum Vicario, Assistentibus, Salmeroneque, ac Bobadilla cognoscerent num qua in re detrimentum passa, vel pastura Societas videretur, vt ex ijs pro rerum statu præsenti maxime idoneus Præpositus existimari posset, lecti sunt quinque ex nationibus diuersis ita distributis, Claudius Matthæus pro Gallia, cui Anglia, Scotia, Hibernia contributæ. Pro Germania, ac Polonia Paulus Hoffæus. Pro Italia, & Sicilia Alfonsus Sgariglia. Pro Lusitania, Brasilia, & India Orientis Sebastianus Morales. Pro Hispania, & Occidentis Indijs Iacobus Acosta. Quatriduum huic cognitioni tributum. Tum Salmerone, qui suffragiorum custos (Assistens in legibus nostris vocatur) comitijs adesset, designato, in diem Ianuarij duodeuigesimum comitia Præposito Generali creando indicuntur. Preces, & Sacrificia de more præscripta: imperatumque Præsidibus Vrbanis, ne cui Sociorum per eos dies extra septa domestica efferendi pedem, causa nisi grauissima potestatem facerent, quo intentiores propitiando vacarent numini, & omnis vndique turbis aditus, quoad fieri posset, præcluderetur. Magna erat domi, magna foris expectatio, ac frequens opinio Oliuerium fore Generalem, cum is repente apud vetustissimos Professorum ambitûs accusatur. Autores proditi non sunt. Iudices Constitutionum è formula item ex Professis antiquissimis dati quatuor. Sed cum Bobadilla sine dubio absolueret, de eo tanquam præiudicatâ causâ pro reo faceret, reijciendo magnum certamen exoritur. Obstinatè accusatores, in eo totam vim iudicij constitutam rati, vt reijceretur, tendebant. Repugnabat constantissimè Bobadilla: iusque sibi suum per summam iniuriam eripi querebatur. Alij dubitabant fas ne esset hominem reijci: indignabantur plerique cum Oliuerio, tum Bobadillæ negotium sine causa facessi: alij tales altercationes prorsus stomachabantur: fuitque qui indignitatem non ferens è consessu discessurus exurgeret, nisi proxime assidentes, ne res eo foras egresso pariter emanaret, inuitum retinuissent. Cum finis certamini nullus reperiretur, Claudius Aquauiua, Aegidius Consaluius, & cupidissimi quique pacis suadere Bobadillæ vehementer insistunt, vt sponte sua iudicandi se abdicet iure. Det hoc tranquillitati publicæ: præeat hoc modestiæ, & caritatis exemplo: nihil hinc reo fraudis, plurimum vero ipsi gloriæ venturum. Quæ boni viri suadebant, eo fidentius, quod conspectis accusationis capitibus plane friuolis (erant ea quæ supra tetigimus, & similia ijs) nihil dubitabant, quin quicumque dati essent iudices, tam futilem criminationem consensu protinus explosuri essent. Cum igitur persuaderi tandem sibi Bobadilla siuisset, vt iure suo concederet, Alfonsus Salmeron, Hieronymus Domeneccus, Nicolaus Lanoius, & Antonius Cordesius in consilium eunt: cognitaque causa cæteri, præter Lanoium, qui aliter sensit, pronuntiant, cuius culpæ Oliuerius insimuletur, ei culpæ affinem videri. Ea sententia in conuentu vulgata perculit omnium propè animos. Videbant apertam calumniam: fremere, præter aduersarios, vniuersi, & nouum postulare iudicium, præsertim Boreales Patres, in suarum nationum ignominiam interpretantes, quæ Oliuerio irrogaretur infamia. Clamare Bobadilla se quoque per fraudem

14 Deputati pro cognitione detrimentorum.

15 Salmeron Assistens Congregationis.

16 P. Oliuerius Manareus Vicarius Gen. Ambitionis Accusatur.

17 Bobadillæ vnius è iudicibus Electis, ab Accusatoribus reiectio tentatur.

18 Ægrè persuadetur Bobadillæ, vt iure suo cedat.

19 Sententia in Oliuerium fertur.

20 Omnes indignantur.

dem inductum, vt cederet: idque reliquum fuisse eius iudicij fatuæ simplicitati; vt, qui innocentiæ faueret, quasi corruptus, aut demens fieret consors infamiæ. Nisi iniquissimè se de loco suo deiecissent, violandarumque legum in se vno è decem primis potestate spôliando initium factum esset, tantam indignitatem haud committendam fuisse. Re vera paria esse suffragia: se, & Lanoium absoluere; nec Oliuerium pro damnato, nec se pro reiecto haberi posse. Apparebat magna imminere dissidia: nam & qui iudicarant, quanquam constabat bonis viris minime assuetis iudiciorum argutijs, dum vel vmbram ambitus reformidant, accusatorum coloribus fucum factum, eius tamen erant autoritatis, vt dirimi magnis sine motibus eorum acta non possent: & Bobadilla suum ius acriter repetebat: nec ferendum videbatur, vt grauissima infamia Vicario Generali tantæ claritatis personæ, per causam leuissimam imponeretur, & adhæresceret. Haud facile dixerim num vspiam clarius solida virtus optimatum huius disciplinæ perspecta sit, quàm in comitiorum procellis, quæ recto magis studio, quàm vero consilio excitatæ, vt proximè virtutem Ioannis Polanci claram fecerant, ita nunc Oliuerij constantiam illustrarunt. Is, in tanta rerum perturbatione communia priuatis anteferens, in conuentum progressus: *Multarum*, inquit, *Patres conscius equidem mihi culparum sum, propter quas non modo honore, sed nec sancta quidem hac Societate dignum me agnosco, atque profiteor: cæterum cuius criminis reus agor, ab eo me abesse longissimè testis est mihi conscientia mea, & qui intuetur omnia, viuosque, ac mortuos iudicaturus est, Christus Iesus: testes, vt opinor, è vobis plurimi, qui me nostis. Infamia tamen omni sum dignus multis nominibus, neque eam, neque pœnam vllam recuso, aut deprecor, dummodo Societatis dignitas, & tranquillitas salua sit. Agite igitur, create Præpositum Generalem huic oneri parem. Ab ea me procuratione satis nostræ leges dum Præpositi personam informant, excludunt. Verumtamen, vt rite fiant omnia, quicquid iuris per eas mihi leges tanquam Professo dabatur, eo omni pacis causa hoc ipso loco prudens, volensque quam optima ratione cedo, abdicoque me, ac spolio.* Respirarunt ad hæc Patres, remque ita composuere, vt causam de integro Præpositus, qui creatus esset, cognosceret: interim Oliuerius præesset quidem cum Vicarij, & suffragij iure comitijs ad dicendum Generalem, verum creari ipsum non liceret. Dilatis ob hasce turbas vnum diem comitijs, Vndecimo Kalendas Martij solennibus prægressis, ad congregatos ferendis suffragijs Patres Ioannes Maldonatus, ad id votis communibus de more lectus, orationem habuit, quâ primum ostendit, quam non sine causâ tanto sumptu, periculo, labore è cunctis conuocata terris Societatis ipsa capita, ipsa lumina essent. Infiniti nimirum momenti rem esse lectionem supremi Rectoris in omni Religioso coetu: præsertim autem in Societate: tum propter numerum, & dispersionem personarum, varietatemque, ac grauitatem functionum: tum etiam ob peculiarem instituti nostri formam, ac rationem, totam ex vnius nutu arbitrioque aptam. Quamobrem enumeratis dotibus quas in Præposito Generali Constitutiones requirunt, exemplisque illorum qui eatenus eum Magistratum gesserant, ob oculos positis, magnoperè incumbebat ad adhortandos Patres, vt eam animi perspicaciam studij rectitudine, ac propositi constantiâ coniunctam, in istâ inquisitione, ac suffragatione adhiberent, quam Dei Maior gloria, Societatis necessitas, hominum expectatio flagitabant. Hæc vbi Maldonatus perorauit, & ad Deum precatio de more facta, itum est in suffragia. Vnum, aut alterum Palmius: nonnulla Magius tulit: iusta Claudius Aquauiua confecit. Qui vt primum nominari se audiuit, non valde commotus est, ratus vnicuipiam, vt ipsum diceret, excidisse: sed vt frequentari nomen sensit, grauissime perturbatus, ægre imperauit sibi, vt quiesceret, donec cuncta renuntiarentur. Vbi vero repente à Vicario Generalis Præpositus declaratus ipse est, toto vt erat animo, vultuque confusus exurgit, rogatque potestatem sibi fieri pauca dicendi. Reclamatur vndique vno animo, & voce vna, Sileat, pareat, ad Præpositi sedem accedat. Denique coactus ex legum domesticarum præscripto est in potestate

21 Boba dilla deluſum ſe queritur.

22 Intricatiſſimæ turbæ.

23 Oliuerij sapiens consilium ad res pacandas.

24 Confirmatur Oliuerius in Officio Vicarij & iure suffragij actiui non passiui cui sponte renunciauit.

25 Summa orationis Maldonati ante Electionem habitæ.

26 Claudius Aquauiua creatur Generalis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtate eſſe conuentús. Editur ſtatim ære campano ſignum creati Præpoſiti, protinuſque non Socij modo, qui perſeuerabant in precibus, ſed populus, qui tum forte in templo dabat aures concionanti Ioanni Dominico Bonacurſio inclitæ facundiæ viro, Comitium verſus accurrit. Omnia gratulantium multitudine complentur: magnoque cum Sociorum, tum Exterorum, ſtipante agmine nouus Generalis ad gratias de more Numini agendas in templum deducitur.

27 Iudicia hominum de eius Electione.

Accidit priuatim, ac publice comitiorum hic exitus eo lætior, quo minus ſperatus. Nam tametſi nemo erat, quin dignum eo loco Claudium duceret, ad eumque tandem aliquando euehendum auguraretur; vulgo tamen haud multi ſuſpicabantur fore, vt cui religioſæ diſciplinæ quartus decimus, ætatis vix trigeſimus octauus volueretur annus, ei totius Ordinis gubernacula in perpetuum traderentur. Nec defuere è minus rerum peritis, qui, niſi fuiſſet exceptus, præferendum fuiſſe Oliuerium dictitarent. Sed Electorum haud pauci profeſſi ſunt, etiamſi cuncta fuiſſent integra, nihilo ſe minus, quod fecerant, fuiſſe facturos. Nam cui cætera, quæ Præpoſiti perſonam explerent, ab animo cumulatè afforent, eius ætatem robuſtam, & integram in beneficio reponi debere; quod & diutius publico fungi munere, & plenius, ac neruoſius poſſet. Faceret igitur Deus, vt quot ad extremam vſque ſenectam ei deeſſent anni, tot vitæ vſuræ, tot regenda Societate perfungeretur. Quantum eo interuallo eius curæ, ac prudentiæ virum experiendo profecturum? Quantum euitatum iri turbarum, quas nimium iam ſit compertum Satanam his conuentibus, atque deliberationibus omni ope obtrudere? Denique, qnæ Ignatium perpulere cauſæ, cur Generalis Præpoſiti officium non certo annorum, ſed vitæ ſpatio definiret, earum pleraſque ſuadere (vbi cætera paria ſint) præoptandum, qui æuo meliore præſtet. Confirmauit hanc ſententiam Gregorius Pontifex, qui primo quidem

28 Sensus Gregorij Pontificis.

adeuntem ad ſe cum vniuerſo Patrum conuentu Claudium perbenigne excipiens, iuuenem publice, vt videbatur, admirabundus appellauit. Mox vero maturitate eiuſdem in rebus gerendis, vique perſpecta, Cardinali Carafæ. Enimuero multum vidiſſe Patres, dixit, in deligendo Præſide illibatæ ætatis: quod ſenibus fere cum robore corporis pariter vigor animi defloruerit, & elanguerit, quo minus res, & aggredi magnas audeant, & perficere queant. Claudius vero Pontifici quidem miranti iuuentutem reſpondit, talia ſe ſperare à Societate ſubſidia, vt nihil inde caperet detrimenti: aliis vero, qui item maiorem ætatis maturitatem requirebant, ingenioſe ſolebat, vrbaneque reſpondere, ſi nihil præterea in ſe deſideraretur, præclare ſecum agi: nam ei malo fieri vel dormiendo medicinam. Diuina vero in his ſuffragijs prærogatiua non ordinarijs modo coniecturis iuſtiſque indicijs, ſed etiam certis præter ordinem ſignificationibus, à multis eſt cognita. Ipſo in Comitio Claudius Matthæus Franciæ Prouincialis dum ſecum ipſe preces de more ante ſuffragij lationem facit, videre ſibi viſus eſt Aquauiuam hinc Diuo Bernardo, hinc Beato Ignatio cingentibus latera, à B. Virgine Deo Patri, Chriſtoque filio commendari, eique Societatem à Domino in manus tradi. Camilla Cardia Florentiæ magna in opinione ſanctitatis Matrona, cui multa feruntur demonſtrata diuinitus, appetente iam comitiorum die, ex Rectore Collegij Florentini Petro Blanca, quo confeſſario vtebatur, quæſiuit quibus nam maxime inter Patres communis opinio Generalatum deſtinaret, cumque ille Salmeronem nominaſſet, Benedictum Palmium, Oliuerium Manareum, & Laurentium Magium, Quid ita, inquit, Claudium Aquauiuam prætermittis? Et ille. Quod peridoneus licet Claudius ſit, tamen cum tam multi ſuppetant viri rerum Societatis longiſſimo vſu peritiſſimi, nequaquam crediderim fore, vt is hoc quidem tempore, hiſque comitijs, tam & ætate, & Societate recens vetuſtiſſimis illis anteferatur. Tum Camilla: Pater mi, Deus annos non reſpicit. Ne multa. Ille creabitur. Mira Rectori affirmatio viſa eſt: cumque Gregorio Maſtrillo, qui ea tempeſtate Florentiæ conciones habebat, rem totam (ex quo ad literam ipſe accepi) communicauit. Quo igitur alienior videbatur denuntiatio, hoc ambo ſuſpenſis magis animis exitum expectabant, cum diebus circi-

29 Iuuentutem ſuam mirantibus, quid reſponderet Claudius.

30 Euectio Claudij diuinis ſuffragijs confirmata.

circiter viginti intermiſſis, à Magno Duce Franciſco, ad quem extraordinarij nuntij pertulerant, admonentur Claudium creatum Generalem. Rogauit tum Rector Camillam, ediſſerere ne grauaretur vnde rem tanto ante prænoſſet. Cui illa reſpondit. Dum preces ad Deum facit, viſam ſibi inter Sanctos Auguſtinum, atque Bernardum, quos præcipuo cultu venerabatur Claudius, eorumque nuper excuſas ære formas (per Societatem magno numero ſparſerat) videre medium Claudium, atque in conſpectu B. Virginis Chriſtum Dominum ei Societatem commendaſſe. Inde cœpit res euulgari. Cumque Gregorius ad Fratrem ſuum Carolum Romam perſcripſiſſet, ille reſpondit perſimile viſum vni Patrum ex ipſo conuentu oblatum: id ſcilicet quod retulimus de Claudio Matthæo. Richardus Flaminius Hibernus de Societate præclaræ virtutis Sacerdos Pariſijs degebat hoc tempore: is pridie quam Generalis Præpoſitus renunciaretur, Iacobum Tirium item è Societate, virum doctrina & religione præſtantem, qui deinde Aſſiſtens Romæ deceſſit, ita ſecretò compellauit. Noſti ne Pater, Claudium Aquauiuam? (nam ipſe Richardus nec de facie norat, neque, vt aiunt, de nomine) Noui, inquit, Tirius, ſed quorſum hæc quæris? Fabor, inquit, ad Dei gloriam, vti res habet, Hac nocte cum ad orandum tantiſper ſurrexiſſem Comitiorum ſucceſſum Deo commendaturus, viſus mihi ſum à B. Virgine introduci ipſam in aulam, vbi Patres laturi ſuffragia conſidebant: ibique dum adſto, Sanctiſſima Dei Mater Patrem quendam ætate iuuenem humeris apprehenſum in medio conſeſſu ſtatuit, & ad Electores conuerſa, Claudium, inquit, Aquauiuam Generalem dicite. Patres cum annuiſſent, viſio euanuit. Romæ erat Syluester Blancodius Secularis Sacerdos eximiæ innocentiæ, nec indoctus, quem deinde Clemens Octauus Pontifex Montis Murani fecit Epiſcopum: Is ferebatur multa prædixiſſe: & quanquam non defuere qui fidem hominis ob ſimplicitatem eleuarent, tamen conſtat permulta non potuiſſe fidelius certiuſque prædici. Tale eſt quod ſubijcimus. Dum pernoctat in precibus vt Societati, quam plurimùm amabat, Deus creationem Præpoſiti ſecundaret, videre ſibi viſus eſt: Beatum Ignatium, qui ſtringens paterno amplexu Claudium, eum fore Generalem aiebat: Oliuerio autem, quem Blancodius opinione ſua ei muneri deſtinabat, grauiſſimam impendere tempeſtatem. Tum bonus vir, ne diuinaſſe poſt exactam rem, vt non nemini ſolenne eſt, videretur, in ſchedula Claudij nomen exarat, eamque obſignatam tradit ſecreto lectiſſimæ, & clariſſimæ fœminæ Ioannæ Caietanæ; præfatus, qui ſcriptus inibi eſſet, eum Præpoſitum Societatis fore. Caueret tamen ne priuſquam in Comitium Patres includerentur, ſchedulam aperiret: ita vetare Beatum Ignatium. Ioanna patienter vſque in eam noctem expectauit, quæ Comitiorum diem præceſſit. Ea vero nocte cum iam nihil ex reſignatione libelli formidaret periculi, curioſius reſignauit, nomenque Claudij Aquauiuæ, vt ipſamet poſtea enarrare ſolebat, reperit, pauciſque poſt horis prædictionem exitus affirmauit. At Iulio Mancinello de Societate, magnæ vulgo exiſtimationis Sacerdoti, hæc eadem, & alia multa ſub anni 1578. exitum Romæ apud Profeſſos Deus oſtendit. Cum enim de Societatis progreſſu ſolicitus (quod res in præſentia non erant ſatis tranquillæ) quem ea ſtatum habitura eſſet inpoſterum, ad animi ſui profectum, ac ſolatium aueret cognoſcere, ac Deum precaretur, vt edoceret, primum demonſtrata ei mors eſt imminens Bernardino ædituo, qui tum decumbebat: tum Euerardi quoque finis oſtenſus. Sub ea cunctam Societatem in magna agri planitie videre viſus eſt. Statutum erat in medio ſuggeſtum, ex quo Claudius ad omnes pro poteſtate, velut Præpoſitus, ac Moderator verba faciebat. Quam rem ægre multi, inuitique videbantur ferre, doloremque animorum nubili vultus, & mœſta ora prodebant. Alij contra, tertia ferme pars, pronis auribus, animiſque excipiebant dicta, & comprobabant. Porro lux ingens in concionantem, eique fauentes labebatur è Cælo: cæteros vero denſæ circumfuderant tenebræ, vt non niſi ex reſiliente ab lucidis fulgore conſpicui fierent. Ad eam ſpeciem cum Iulius vehementer admiraretur, eoque grauius perturbaretur, quod iam

31 Viſio Camillæ Cardiæ oblata.

32 Ricardi Flaminij prædictio.

33 Alia item Syluestri Blancodij.

34 Iulij Mancinelli viſum infigue.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam murmur quoddam inter tenebricosos, & tumultuum initia exaudiebantur, vidit paulatim se se lucem per totam concionem diffundere, ac demum communi cum gaudio, & gratulatione illustratis omnibus rei finem imponi. Illa dubites ex humana coniectura duntaxat, an etiam præstantiore ex origine emanarint. Leo Henricius in Lusitaniam ab Euerardi Præpositi creatione reuersus, sermone vt fit Romanis de rebus in corona sociorum illato, iam tum insignem Præpositum in Comitia proxima paratum esse dixit: Claudium autem describebat. Per tempus eorum Comitiorum ad Patres de conuentu in Romanum Collegium inuitatos habuerat Claudius super mensam pereruditam concionem eximijs sanctorum Patrũ testimoniis, ac locis illuminatam: secundum quam factus obuiam illi Hieronymus Natalis, mitte, inquit, mitte istos libros. Tuus liber Claudi Constitutiones sunt. Et sane vir ille sic animo semper, ac sermone interdum administrationem Societatis Claudio augurabatur; vt ipsemet postea Claudius profiteretur, credere se, ei maxime, si vlli, certius quam humana coniectura præcognitam rem fuisse. Creato Præposito, Germani continuo, Hispanique Patres insistunt, vt nouum de Oliuerii causa iudicium constituatur. Res erat periculosæ plena aleæ. Nam viri, vti diximus cum sanctitate, tum literis, & aliis clari laudibus iudicarant, iidemque ex Constitutionum lecti præscripto, quorum condemnari iudicia duri & ancipitis exempli res erat. Deinde noui Iudices quinam, & quo pacto erant legendi, vt parti vtrique fieret satis? an publicis suffragiis? vt odiosæ reiectiones amplificarent diffidia? an priuatis? vt suspicio vsque resideret ab vtraque parte, lectos qui sibi fauerent: nullusque contentionum finis, nullus appellationum fieret? ex altera parte ferendum non erat, vt Oliuerio infame crimen per iniuriam adhæresceret, cum is quidem paratissimum se ad id subeundum offerret, modò ne sua causa Societatis pax turbaretur. In hac difficultate præsto fuit Pontificis summi clementia, ad quem Oliuerius cum videret in Congregatione haud satis remedii esse, de tranquillitate magis publica, quam de dignitate sua solicitus, haud ignaro Claudio, causam detulit. Accersiuit Pontifex protinus Claudium, seque ipsum (adeo quieti Societatis nominique consulebat) velle iudicem esse denuntians, cuncta iudicii acta, & quicquid literarum ad eam rem pertineret, ad se se iubet afferri. Quæ cum allata sedulo expendisset, Claudio rursus accito. *Renuntia, inquit, Congregationi me causam hanc cognouisse diligenter, & scripta illa incendisse. Porro Oliuerium mihi virum plane bonum videri, istos vero Patres vltra quã Constitutiones permitterent longè progressos.* Profert Claudius stylum, ac pugillares, exceptisque dictis Pontificis, summa verecundia, rogo, inquit, ne grauetur vestra Sanctitas audire, num quæ iubet referri verba plene assequutus sim, ac fideliter adnotarim, quo omnis nouæ controuersiæ, & suspicionibus, & interpretationibus locus obstruatur. Audiit, probauitque cuncta Gregorius: & Claudius mox in conuentu, præfatus quemadmodum excepisset ex ore Pontificis, de scripto exposuit: nec fuit quisquam vnus è Patribus, qui verbum ea de re postea faceret. Dissensionum tamen autores non absque metu erant. Itaque eorum, vt verosimile est rogatu, Generalem Pontifex ne eos vexaret, admonuit. Vbi Claudius, cuperem, Beatissime Pater, planius nosse quid Sanctitas Vestra, cum vexare vetat, intelligat. Nolim, inquit, quicquid egero vexationem ipsi interpretentur. Nam Roma quidem eos emittere consultum mihi videtur, ne dissidiorum hic seges resideat: neque partis huius magis, quam alterius, sed æque omnes, nisi Sanctitati Vestræ aliter videtur, mihi in animo est semouere. Istud vero (excepit Pontifex) vexare non est, sed prudenter communi bono consulere. Vti commodum est, in nomine Domini mitte. Ita omnes absoluta Congregatione, quanquam non absque commotiuncula aliqua infirmitatis humanæ, tamen suum dolorem communi bono, & obedientiæ posthabentes ad varia loca translati, in quibus & Societati operam, & Dei Ecclesiæ, fidelem ac strenuam nauauere. Nec pauci aduersariorum, postquam resederat immodicus feruor, tranquilliore animo retortis ad præteritam iam causam oculis, professi sunt innocentiam Oliuerii, seque vehementer erasse: quod quidem de se Robertus Bellarminus ingenuè profitebatur. Supererant scripta Fa-

35 Leonis Henricij præsagitio de Claudio.

36 Præsensio de eodem Hieronymi Natalis.

37 Difficultas noui Iudicij de Oliuerio instituendi.

38 Sublata per recursum ad Pontificem.

39 Qui causa plenè cognita Oliuerium absoluit: Iudices vltra constitutionum, metas progressos pronunciat.

40 Aduersariorum Oliuerij silentium & metus.

41 Pontifex vexari eos vetat, emitti ex vrbe probat.

42 Multi eorũ, inter eos Bellarmin⁹, erasse se Oliuerio persequẽdo, postea agnouerunt & professi sũt.

Fabii de Fabiis, & Iulii Fatii de his, quæ pro imposita sibi ab Oliuerio procuratione in æstu sermonum cognorant: supererant & libelli quidam aduersum ipsummet Claudium, tanquam Oliuerii studentem partibus, ad Congregationem delati. De his Magius, cum quid fieri placeret, percunctaretur ex Claudio, modeste submonebat, non esse cur viderentur: cui Claudius, nullo inquit, modo consilium est videre: lacera & exure. Nam & si (quæ Dei est gratia) sperarem nihil me inde commotum iri, aut charitatem aduersus quempiam imminuturum, tamen autores eorum qui scirent à me perspectos, perturbari possent, & alere inde suspiciones, minusque confidere. Permolesta finita causa, Congregatio alacrius quæ post renuntiatum Præpositum restabant, prosequuta, tertio Nonas Martii Assistentes rite creauit, Laurentium Magium Italiæ, Garziam Alarconium Hispaniæ, Paulum Hoffæum Germaniæ, Georgium Serranum Lusitaniæ: sed huius in locum quem absentem nominauerant, cum valetudinis excusationem probasset, consensu deinde Prouincialium à Generali Emmanuel Rodericius cooptatus est. Multis deinceps salubriter constitutis, interque cætera haud paucis quæ ad arcendum ambitum pertinebant, decretis, & explicatis, Decimo Kalendas Maii, cum Claudius ad consensionem præcipuè animorum adhortatus esset Patres, professus se nec Apollo, nec Cephæ, nec Pauli, sed æque omnium fore, communi gratulatione, solennique charitatis complexu conuentui finis impositus. In causis quæ superioribus in conuentibus difficiliores inciderant, è primis erat Romanum Collegium, quod pro numero capitum, quæ necesse erat alere, vix vllo censu præditum, opprimebatur ære alieno. Nec sane diu poterat sustineri, nedum adolescere: præter querelarum materiam, quæ subsidiis conquirendis, vt susius in loco narratum est, multis non magis externorum, quam domesticorum offerebatur. Eadem causa ad hunc quoque conuentum relata, censuere Patres, quandoquidem tantum aperiebat aditum, tantumque spei faciebat singularis Gregorii benignitas, enixe illi communi Congregationis nomine supplicandum, vt id Collegium munificentiæ suæ largitate complexus certo vectigali firmaret. Consueuerat subinde Gregorius opportunis præsto esse adiumentis, nunc quingenos, nunc millenos suggerens, & eo amplius, aureos nummos: neque Collegii modo, sed Domus etiam Professorum, & Probationis necessitatibus munificè succurrebat. Quæ cum frequenter necessitates inciderent, admonebat modestia Patres, vt quanto promptior Pontificia erat benignitas, tanto illi ea parcius vterentur. Id autem intelligens Gregorius tum per se se illis, tum per suum cubiculi Magistrum (is erat Ludouicus Blanchettus Laurentii qui dein fuit Cardinalis frater) animum faciebat, fidenter accederent, liberè quidquid opus esset exponerent, postularent, nihil veriti ne ipsum defatigarent, neue molesti, aut onerosi fierent. Vsque eo inexplebilis erat beneficentia Sanctissimi Patris, tum aduersus omnes, tum proprie aduersus hunc cœtum. Verum de Romano Collegio perpetuis instruendo reditibus eo cogitationem leuius admittebat in animum: quod persuasum haberet, nec raro sermonibus vsurparet, tantas in publicum ex eo Collegio proficisci commoditates, tamque manifestas, vt minime esset defuturus Pontifex, qui muniendum sibi illud, & ornandum assumeret. Idcirco Borealium velle se aliarumque nationum seminariis excitandis insistere; quod curam hanc successores haud perinde confideret suscepturos. Ita animato Gregorio perstudiose supplicant Patres, videret etiam atque etiam quanti opus illud momenti esset, non vrbis modo causa, & Italiæ, sed externarum quoque nationum. Quanti referret sub oculis Præpositi Generalis, itemque Summi Pontificis sociorum educari magnum numerum ex vniuersis fere christianis gentibus, vt ipso quodammodo in fonte cum sanctæ fidei catholicæ, tum Societatis hausto spiritu, in omnes terras Christi fidem sanctosque mores tanto sincerius, ac maiore cum autoritate proferrent: ipsique inter se, suoque præposito noti & ad consensionem facilius conspirarent, & commodiorem in regenda societate, religioneque catholica excolenda, nauare operam possent. Quæ & alia in eandem sententiam cum exposuissent, eo demum venit Pontifex vt rem sibi curæ fore ostenderet. Inclinatum

43 Scripta quæ supererant de illa causa iussu Claudij abolita.

44 Creatio Assistentium.

45 Congregationis clausula.

46 Romani Collegij difficultates.

47 Opportunis à Pontifice subsidijs sæpe subleuatæ.

48 Benignissima Gregorij Pont. in societatem liberalitas.

49 Inuitat Patres Congregationis IV. ad petẽdam ab eo fundationẽ Collegij Romani:

Universidad de Deusto
Biblioteca

per seque iam in eam partem euntem Cardinalis Sancti Stephani Matthæus Contarellus apte dicitur impulisse. Qui cum & Societatis percupidus, & Pontificis perfamiliaris esset, idemque Datarius, obseruato tempore dum de Collegiis à Pontifice institutis familiariter sermo miscetur, præclaram sibi dixit videri statuam ab eo factam, sed ei similem, quam in quiete Nabuchdonosor vidit. Quæ-
50 Matthæi Contarelli Cardinalis officiosissimus pro col. Romano ad Pontificem sermo. tenteque Gregorio cur ita censeret. Quia, inquit, Collegiorum quæ Vestra Sanctitas condidit, Vrbanum hoc Germanicum tam affluenter instructum caput aureum potest videri: Anglicanum nondum ita ornatum, pectus argenteum: eademque ratione è reliquis sunt aliis alia melius ab re domestica constituta, quæ statuæ femoribus tibiisque respondeant. Ceterum omnia pedibus nituntur quasi terrenis, fundamento ægre cohærenti, ac nisi fulciatur tandem lapsuro. Expectante Pontifice vt edissereret quosnam diceret eiusmodi pedes, addidit. Nam pedes quibus hæc præclara moles insistit, Romanum ego Societatis Iesu Collegium dixerim. Id nimirum ceterorum alumnos Collegiorum cum moribus informet, ac literis, omnia si recte existimamus, sustinet. Sed vt nunc quidem se habet, ita angusto, ruinosoque tecto continetur, ita arcto censu fulcitur, tam multo premitur ære alieno, vt stare diu non possit. Hic vero exhilaratus, renidensque Gregorius, Recte, inquit, narras. Ergo fulciamus istos pedes. Ex eoque tempore eam animo curam fouens, vt primum se obtulit occasio, Abba-
51 Abbatia Rom. Coll. vltro à Pontifice donata. tiam Clarauallensem in Agro Piceno, Alexandri Sfortiæ Cardinalis morte vacuam, quæ senis millibus aureorum nummum in annos singulos locabatur, vltro, ac nemine admonente in alimenta Collegii attribuit. Ad amplificandam vero sedem duas proximas insulas adiecit, quarum in pretium septem & quadraginta aureorum millia donauit, & luculentas pensiones in annos viginti ad ædificationis impensam decreuit. Fuit in vrbe querelarum aliquantum ab iis, qui
52 Aedium vicinarum coëmptio sub pœna Pontificis quorundam murmurationibus frustra turbata. pelli se auitis tectis dolebant, aliisque qui deformari vrbem inædificatis viis duabus iactabant. His adnitentibus è consilii publici sententia expostulatio delata ad Pontificem. Ille admiratus nec opinatam querimoniam: esse romanis non dolendi materiam, sed gratulandi respondit, quod nulla ipsorum impensa fieret id, quod magno ipsis emendum fuerat, vrbem ornari, & magnifico ædificio quod moliebatur, & nobili Academia. Nec solum Romæ, sed exterarum quoque gentium ea re commodum agi. Nam se Collegium illud velle omnibus esse commune nationibus. Itaque præsentem dolorem suum æternis, & suorum, & exterorum fructibus haud grauate donarent. Ita sedati aduersi conatus, & ex parte etiam restincti sermones, dolore migrantium pecunia etiam delinito. Quippe supra iustum tectorum pretium, dedere Patres operam vt aliqua fieret accessio
53 Modestia Pontificis in recusando Fundatoris titulo. gnari sat bene impendi, quo pax caritasque redimeretur. Gregorii vero non solum apparuit in extruendo Collegio instruendoque benignitas, sed etiam singularis modestia, cum priorum magis qui opus inchoauerant, quam sui rationem haberi volens, multum rogandus fuerit vt titulos Fundatoris acciperet. volebat nimirum non videri, sed esse beneficus: & satis habens Patri cælesti, qui videt in abscondito suum probari officium: de cetero non consulebat memoriæ suæ tanta beniguitate, sed commodis posterorum. Interim vero haud minus liberaliter operarum societatis exercebat industriam; magno etiam iuniorum bono, qui & admonebantur quo studia sua referre, quas in curas adolescere deberent: simulque seniorum excitabantur exemplis, & paratam sibi quoque segetem laborum videbant. Igitur præter eos, quos anno superiore ad Maronitas, in Salutios, & in Angliam missos narraui, alii hoc anno in Illyricum, in Moscouiam & alia in loca missi, vt infra suo ordine referetur. At Claudius in onus sibi impositum toto illo
54 Claudius Prouincijs Moderatores præficit. animi, toto ætatis robore connitens, delecto sibi à secretis Iacobo Ximenio, administrationis summam ante omnia ordinauit, partim creatis prouincialibus nouis, partim officio veteribus confirmato. Romanæ Prouinciæ Ioannem Nicolaum de Notarijs: Neapolitanæ Ludouicum Masellum: Toletanæ Aegidium Consaluium: Bœticæ Iacobum Acostam. Peruuiæ Ioannem Cannam: Aquitaniæ Petrum Lohierum: Poloniæ Ioannem Paulum Campanum præfecit. Siculam Ioannes Bapti-

Baptista Carminata, Venetam Marius Beringuccius: Lusitanam Sebastianus Morales; Aragoniam Antonius Ioannis, atque extra Europam Brasiliam Iosephus Ancieta. Mexicanam Ioannes Plaza: Indicam Rodericus Vincentius, qui prius habebant iussi obtinere. Eodem modo Borealium administratio Prouincialibus veteribus prorogata, Franciæ Claudio Matthæo: Belgij Balduino ab Angelo: Austriæ Henrico Blissemio. Mediolanensi, & Germaniæ superiori nullus hoc anno Prouincialis: sed illi Vicarius Prosper Malauolta; huic Oliuerius Manareus Visitator præfuit. Iussus & Palmius Venetam recognoscere, & Carminata Polonicam, cuius interim loco Siculam Iulius Fatius procurauit: & Alexandro Valignano Indiæ Visitatori labor productus. Super hæc intelligens Claudius rei
55 Epistolæ P. Claudij Generalis ad superiores summa. summam, vt Gregorius monuerat, ex Præsidibus maximam partem pendere, vt hosce non legeret modo, sed etiam quantum consequi posset formaret Idoneos, Epistolam ad Prouinciales, cœterosque Moderatores plenam singulari pietate, ac prudentia dedit, quâ ingressus à deploratione mutationis in ipso factæ, & significando desiderio priuatæ vitæ, adiungit: quando aliter Deo visum sit, confirmandum tamen animum, & eius auxilij fiduciâ nitendum: cum eo vt industriæ contentio, & curæ vigilia non desit. Huius admonitu quæ compererit summæ rerum vtilia, consulentem in commune proponere se velle. Primum caput ponit in informatione Officij Superiorum, quos conueniri ait illo sapientis monito: *Fili mi si fisponderis pro amico tuo &c.* Hinc patêre quam solicitè ipsis attendendum, & satagendum sit. Esse enim regendum ipsis datum exercitum Filiorum Dei. Exercitus mentio vigiliæ admonet, Filiorum vero Dei qualitas & nomen amorem ab ipsis & reuerentiam erga sibi commissos exigit. Insistit inde rationibus & sacrarum litterarum ac sanctorum Patrum autoritatibus in commendandâ suauitate gubernationis, quæ mentes at voluntates subiectorum amore deuinciat: alliciatque potius volentes, quam renitentes trahat. Alterum deinde attexit caput de cura Orationis, & rerum spiritualium vero accuratoque in omnibus studio promouendo: multisque docet in eâ spem omnem vniuersi successûs vnicè sitam. Cui mox tertium subiungit, de exigendâ efficaciter obseruatione Regularum, in quo monet extrema duo vitanda: alterum nimium timentium displicere subditis: alterum inflexibili duritie ac sæuâ seueritate disciplinam extorquentium. aduersus quod vtrumque malum multa sapienter differit. Proponens subinde Gubernationum genera duo. Prius humanæ prudentiæ dictatis insistens; quod Politicum vocat; & procul, vt alienum reijcit. Alterum supernaturalibus principijs & diuino lumine ex Euangelicâ doctrinâ Constitutionumque intimo spiritu directum; quod omnino vnicè vsurpandum rationibus exemplisque vincit. Sicque ab omnibus auxilia precum implorans, omnibusque vicissim dona cœlestia imprecans finem Epistolæ imponit hoc anno 28. Iunij Româ datæ quæ extat edita hoc titulo: de fœlici progressu Societatis. Mirum quantum hę litteræ omnibus Prępositis & lucis & animi addidere, non solum eo quod iam didicerant, sed etiam eo quod intelligebant, sibi de prudentia, ac virtute Præpositi in futurum posse promittere. Dum vero Societas adolescit in terris, suos etiam in cælo auctus accepit. Tres hoc anno præstantes Viri feliciter Romæ compositi, Ioannes Couillonius, Ioannes Ricasulus, & Nicolaus Lanoius. Couillonius anno 1544. Societatem amplexus,
56 Couillonij Ricasuli & Lanoij mortes & laudes. & vndequinquagesimo quatuor professus vota, multis annis explicandæ Theologiæ diuinisque literis operatus, religiose, vti decebat ex tam longa disciplina abeuntem, decessit in Collegio Romano XVI. Kalend. Septembris. Candidissimæ animæ erat Ricasulus, nec minus sapientis: religiosumque curriculum memorabili exemplo constantiæ anno 1554. ingressus, consentaneo progressu, & fine confecit; magna cum laude humanas, diuinasque disciplinas & ipse diu interpretatus. Apud Professos XVI. Kal. Aprilis in robore ætatis occubuit. Ibidem & Lanoius octauo Idus Septembris, strenuus operarius, & in regenda Societate, cui anno 1548. nomen dederat, propemodum semper, cumque approbatione versatus, Rector primum, deinde Prouincialis, ac Visitator. Hic & Couillonius Belgæ: Florentinus erat nobili domo Ricasulus. Multo tamen insignior

Universidad de Deusto
Biblioteca

57 Iacobi Philippi Trâsemanni Conictoris in Seminario Romano felix obitus.

candidati mors fuit adolescentis nondum domum recepti: qui dum conuictor in seminario idoneis se literis instruit, pestilentis vi febris quinto die consumptus per compendia Societatem cælestem iniuit. Iacobus Philippus Transemannus ei nomen erat, Spoletum Patria, honesti natales, ætas annorum septemdecim. Suprema in ægritudine multa illi præter ordinem clementia diuina concessit: in primis vsum mentis, quem mali diritas ad reliqua sic abstulerat, vt prorsus deliraret, integrum ad pietatis officia, vegetumque ad extremum vsque halitum conseruauit: deinde agenti iam animam tantum cælestis voluptatis, ac splendoris infudit, vt omnes quiaderant, exultantem eum lætitia, & faciem quæ alioqui fœda macie inhorruerat, insolita luce fulgentem cum admiratione intuerentur: nec obscura beatæ vitæ initia in fine huius mortalis agnoscerent. Hæc palam perspecta, fidem alijs, quæ non ita sub oculos, sensumque corporis cecidere, haud dubiam conciliarunt. Narrauit Ioannes Baptista Alexander adolescentis confessarius, sacerdos de Societate; virtutis prudentiæque notissimæ, qui his rebus cunctis interfuit, cum æger oppugnaretur à Dæmonibus vehementer, ac videretur sibi corripi ab ijs, superque cratem ferream oblongis igneisque obsitam clauis conijci, iam iam in voraginem vastissimam, vnde flammarum vis immensa erumpebat, præcipitandus; apparuisse B. Virginem, eiusque interuentu præsenti periculo liberatum; atque ita aspectu, præsidioque patronæ amantissimæ recreatum vt ipsum vltro hostem lacesseret, mendacem illum, mendacijque parentem identidem vocans, minaciter etiam Cruce obiectanda, quam manu tenebat, insultans. Paulo verò post cum per se se solennem Christianæ fidei professionem rite enuntiasset, ac diuinissimum Christi corpus in Viaticum magna pietate suscepisset dum ad os abluendum, vt moris est, aqua porrigitur, Cœli Reginam sanguinis filij plenum calicem visam tradere, ac subinde etiam de suis sanctissimis mammis gustandam dulcedinem præbuisse. Denique cum instaret ab ea Iacobus Philippus, vt quam primum de corporis custodia euocaretur, iussisse bono animo esse, mox profecturum in Cœlum. Quam in promissionem tota ille mente defixus, cum suaderet confessarius vt paululum quietis caperet; venisse tempus respondit, non vt iam de somno, sed vt de Dei laudibus cogitaret: continuoque aggressus intermortuis vocibus psalmum quinquagesimum pronuntiare, in ea diuinarum laudum prædicatione, quam æternum erat in beata vita continuaturus, spiritum Deo reddidit XVII. Kal. Octobris; Admonet locus ne prætermittam quod contigit Dominico Fabro murario, qui in Societate magno exemplo vixerat, ac Florentiæ in noui templi constructione egregiè laborarat, cum ex longo morbo prope extremum vitæ curriculum accessisset, eleganti facie adstitisse iuuenem, qui se venisse dicebat, vt illi supremo tempore adesset. Adeo est in suis famulis Deus tum protegendis, quos euocat, tum ijs, quos etiamnum in acie relinquit confirmandis, incitandisque prouidus, & indulgens. Addatur his geminum exactæ virtutis specimen, Christophorus Rodericius Hispanus ex Hita diœceseos Toletanæ, qui Neapoli pridie idus Februarij, & Hieronymus Otellus Italus ex Bassano Oppido, qui Veronæ nonis Februarij, post annos religiosi laboris hic triginta, ille viginti & septem, sanctissime in Domino quieuere. Ambo veri Apostolorum imitatores, ambo sibi, suoque corpori implacabiles: par vtrique obedientiæ humilitatis, & probrorum Crucis ambitio, atque inexplebilis euangelicæ paupertatis auaritia, & fames animarum. Rodericius cum sesquiannum in Collegio Gandensi thelogiam docuisset, mox alterum tantum eidem, ac deinceps triennium Vallisoletano præfuisset, ad Mariam Maximiliani tum Regis Romanorum coniugem in Germaniam missus, nec multo post Memphim in Aegyptum ad Patriarcham Cophtorum, tum sæpius in Regnum Neapolitanum ad quædam Hæreticorum extirpanda zizania, sæpius in regias classes, siue contra Turcas, siue contra Africanos, siue contra Mauros Rebelles, & in Belgium demum cum regio exercitu, saluberrimam suæ caritatis industriam latissime sparsit. Præfuit & Romanæ Prouinciæ, ac prostremo iam fractus laboribus Lauretano Collegio: vnde propter cæli eius gratitatem translatus Neapolim, hanc habuit melioris vitæ natalem.

58 Oppugnatus à malis dæmonibus.

59 A sanctissima Dei matre protegitur & recreatur.

60 Dominicus Coadiutor temporalis, Angeli conspectu in morte dignatur.

61 Hieronymi Otelli pia mors.

62 Christophori Rodericij labores.

lem. Fuit vbique sui similis, tenax recti, seuero propior vitæ genere, exigendoque ab se se, & ab cæteris officio; at humilitate, modestiaque non absimilis verecundo. Inter aulicos: inter milites, in peregrinationibus, in classe in castris idem qui in otij domestici disciplina. Nullum prætermisit diem, quo se non acriter flagello cæderet: Sique præuidisset in Hospitijs, ac diuersorijs defuturam, sibi eius rei facultatem, interdiu vbi in syluæ, sepis, diuerticuli, aut id genus latebræ opportunum secretum inciderat, per speciem necessitatis à comitatu secedens, suum corpori quotidianum dimensum verberum dependebat. Numquam occupationum seu mole, seu multitudine opprimi se, distrahique ita sinebat, quin decerperet excutiendæ conscientiæ, ac meditationi quotidiana tempora: cum diceret hæc esse nutrimenta animi, nec vnquam prætermittenda, quemadmodum vel ex occupatissimo die ad corporis pastum particula tamen rapitur. Frequens vtebatur forma quadam orandi, quam ipsemet sententijs è literis sacris vndique collectis composuerat, mirabilis sane grauitatis, ac pietatis: in ea primum considerans quę ad abijciendum se coram Deo, pudoremq; & dolorem peccatorum concipiendum facerent, tum quæ incitarent ad opus salutis suæ, diuinique obsequij serio capessendum, exardescebat in vehementissimam caritatem, totusque complebatur sancto ardore perfecte Deo, & proximis, ex Societatis instituto deseruiendi. Inde inuocans Beatorum omnium per choros singulos opem, sanctissimæ Trinitati tum se se, & sua, tum omnia vota, & recte facta triumphantis ac militantis Ecclesiæ, ac præcipue Christum Iesum offerebat. Demum pro se, & vniuersis mortalibus preces adijciebat: sed pro se prius, vt validiores inde pro aliis essent preces. Precabatur autem sibi nominatim, vt dignus haberetur qui particeps fieret Crucis Christi, hoc est, vt eius causa, nulla sua culpa, multa pateretur; cumque virtutes cæteras, tum has quindecim ordine deposcebat, ex quibus aiebat tamquam è gradibus effici scalam: quas libenter hic adijcio, vt documento sint quo ex genere eius viri religio esset: quo in opere & curæ eius habitarent, & verterentur labores. Prima erat interior, exteriorque compositio, atque Modestia: tum deinceps Prudentia, & attentio, vt omnia ex rectæ rationis præscripto fierent: frænum, & gubernaculum linguæ: Rigor, & asperitas aduersum se: Obedientia perfecta: Mortificatio assidua; Fortitudo, & constantia ad peruincendas omnes difficultates: sanctum odium sui & contemptio: Humilitas interior, & exterior: Paupertas spiritus, & corporis: Patientia in rebus quibusuis aduersis: Puritas, vt omnia sincere pro Deo fierent, Fides solida: Spes secura: Amor Dei, & proximi, qui ardeat in corde, & opere. His adijciebat Timorem perpetuum augustissimæ Dei Maiestatis, eiusque iustitiæ, ac profundorum iudiciorum, quem Timorem scalæ ianitorem vocabat. Porro cum pro alijs precaretur, à Summo Pontifice per omnes Ecclesiæ delabens Ordines, ad Societatem cum venisset, nominatim Romanas domos, deinde singillatim omnes Prouincias, & sociorum gradus, quique externorum seu bene, seu male meriti de ea forent, memorabat. Adiungebat dein orationis pabulo panis vitæ quotidianum epulum. Et quidem in perpetuo illo, varioque, & impedito discursu pœne est supra fidem quantum studij, curæque intenderit, ne quem absque diuino sacrificio prætermitteret diem: nec vnquam erat imparatus, quia ad id se assidue, quicquid ageret, comparabat. Ac nominatim ad excitandam in se se humilitatem, ac sanctam verecundiam, multa collegerat, quæ meditando extra sacrificij tempus ad eum vsum perduxerat, vt ipso in tempore præsto essent absque labore, ac perturbatione rerum earum, quibus inter sacrificandum toto corpore, & animo attendendum est. Primum omnium memor Christum Dominum Apostolis antequam hoc diuinissimum Sacramentum porrigeret, abluisse pedes, quia qui mundus est non indiget nisi vt pedes lauet: existimabat se non pedes tantum immundos habere verum etiam manus, & caput: ideoque enitendum, vt priusquam accessurus ad sacra indumenta manus de more aqua lauaret, conscientiam vel vna ablueret lacryma, deplorans peccata, inardescens amore ex beneficij magnitudine, quod in mysterio illo sacrosancto recipitur, timorem simul in se se, & ruborem excitans

ex

63 Virtutes eiusdem insignes.

Pœnitentiæ rigor.

Orationis assiduitas.

Et forma.

64 Amor Crucis Christi.

65 Scala virtutum quindecim.

66 Ianitor scalæ Timor Dei.

67 Orandi pro alijs studiũ & diligẽtia.

68 Assiduitas quotidie sacrificandi.

69 Præparatio ad Missam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex consideratione rerum quæ sequuntur. Cum, inquit, incipio indui sacris vestibus confundar considerans me esse lupum, qui vestitum ouis assumam, ac dæmones, qui mea peccata norunt, cum irriſu obiectare, Ecce Saul inter prophetas; & alios, Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Item confundar considerans Christum Dominum fuisse vestitum habitu contumeliæ, me ornatu sacerdotali sacro, atque perhonorifico decorari: ille catena vinctus est, ego astringor cingulo serico: illi Crux imposita lignea ponderosa, mihi casula superijcitur leuis, & iucunda. Considerans etiam Christi indumenta, petam deuotionem illius sanctæ mulieris, quæ dixit si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero. Cum ad altare conscendam, oculos demittam humiliter, reminiscens in veteri lege edictum fuisse, qui tetigerit montem morte moriatur &c. sacerdotes autem & populus ne transeat terminos, ne ascendat ad culmen, ne forte interficiat eos. Quomodo igitur accedam ego ad montem, qui Christus est? quibus manibus, quo ore, quibus oculis? Hisce cogitationibus ingrediar, dicens in corde meo, Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Cum deinde pronuntiabo Gloria in excelsis Deo, considerabo id esse canticum Angelorum, mecumque plorabo memoria repetens versiculum psalmi, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Deinde confundar, quod lingua quæ Domini creaturis maledixit, patiatur sibi ipse Dominus benedici. Cum pronunciabo orationem, confundar quod interpretis, & internuncij munere Deum inter, & populum fungar, qui meis consilijs pessimis autor fui, vt tot animæ ad inferos deijcerentur. In Epistola admirabor quod liceat Magistro cathedræ pestilentiæ volumen sapientiæ legere. In Euangelio item confundar quod liceat legere id quod sum persequutus. In offertorio sit maior confusio cum Patri filium suum offeram, quem ego ipse interfeci. Cum oratio secreta recitatur, recordabor canticum quod nemo poterat dicere, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. Et considerans conditiones, quæ requiruntur in ijs, qui canunt hæc cantica laudis, confundar quod eadem in ore meo polluto versentur, Cum appropinquat tempus consecrationis, incipiam audire verba Christi, Filius hominis tradetur in manus peccatorum: idque etiamnum fieri propter meam improbitatem, qui tanto sum peior, quanto minus id sentio. Post consecrationem quotiescumque contingendum est diuinissimum Sacramentum. Primum petam à Sanctissima Virgine, vt ipsa doceat me humilitatem, & deuotionem, quibus accedendum est ad Christum Dominum, & quibus ipsa eum contingebat, Deinde admirabor qui fiat, vt non moriar illum attingens: cum Oza qui Arcam olim contigit, statim exanimatus sit. Præterea recordabor omnes qui tangebant Dominum, quandiu erat in carne mortali, saluos redijsse: petens cognitionem, ac veniam meorum peccatorum Postremo dicam Domino, En tu Agnus Dei permittis te lupi manibus, & dubitabit lupus manibus Agni se se credere? In commemoratione defunctorum, confundar quod liceat mihi esse adminiculo, ad liberandas ex Purgatorio animas, qui fui causa illuc deijciendi. Oratio Dominica tota cedit in confusionem meam. In sumptione diuinissimi Sacramenti dicam mente, Pater venit hora, accipe spiritum meum, ita præparatus ac si tum ipsum essem expiraturus. Hac præparatione humillimus hic Christi sacerdos ad fontem cœlestium donorum accedens vberrimas inde in suum, alienumque profectum diuitias reportabat. Præcipuo autem sensu nuper Laureti Sacrosanctum illud mysterium tractabat: impetrarat enim potestatem vt in Cella Beatissimę Virginis facere sacrum sibi quotidie liceret, idque ante auroram, tum ne peregrinis sacerdotibus locum eriperet, tum vt ad curam diuinarum rerum, humanarum silentio iuuaretur. Porro constantia, & æqualitate cognitæ virtutis id egregie præstitit, vt ædificaret vbicumque plurimum, nihil vspiam destrueret, ac domesticis æque, & externis summis, & infimis carus esset, ac venerandus. Pius Quartus Pontifex, multoque magis qui huic successit Vir sanctissimus Pius Quintus, tum Marcus Antonius Columna, Ludouicus Requesensis Commendatarius Maximus, & Ioannes Austria-

70 Deuotio in celebrando.

71 Virorum magnorũ de Rodericio iudicium.

Austriacus eius & sanctimoniam probauere, & amauere consuetudinem, & operam in grauissimis rebus adhibuere. Et erat Rodericius magnis quoque personis cum eo, quo dixi temperamento verecundæ seueritatis, monitor haud acerbus ille quidem, nec leuis, apertus tamen, atque sincerus: cui stabat vel millies quamuis subire offensam, atque adeo necem, quam diuinam, vbi officij ratio posceret, dissimulare iniuriam. Quod cum palam, semperque tenore eodem profiteretur, rem difficillimam impetrauit, vt neque cæleste Numen, nec Principes mortales offenderet. Quam etiam ad rem proderat, quod nullam omnino, nisi muneris sui causam attingebat. Itaque Neapoli cum Proregis audiret confessiones, domi, forisque singulari erat exemplo illa eius ab administratione publica, & qualibet re abstinentia; cum ne in Aula quidem nisi summa necessitas cogeret, & raro admodum appareret. Inde item factum est, vt & Romæ, & in Belgio, & Neapoli, & vbicumque egit apud Principes, familijs eorum, & aulicis omnibus venerationi esset. Eminebat enim sanctitas vitæ: apparebat Aulam si quando adiret, nequaquam Aulæ adire studio. Nec se Aulicos inter iactabat, sed summa cum modestia de rebus diuinis protinus ingerebat sermones; neque oculos ipsos eorum defatigabat, cum adeo rarus, adeoque modestus accederet. Tantæ autem aqud summos rerum publicarum Præsides vir autoritatis, omnino aduersus moderatores suos in obediendi cura, simplicitate, alacritate vel tyronum primos anteibat ardores, Volebat liquere Præpositis ipsum plane tanquam molle lutum in eorum esse manibus, tanquam destitutum sensu, ac voluntate, atque anima corpus: denique baculi instar, quo senex quispiam pro arbitratu, vbi, quoque modo: & quandiu libuit vtitur. Paupertatis multa possent referri documenta; sed vnum instar sit omnium. Cum ex Belgio in Italiam redijt, abeunti Ioannes Austriacus magnam vim auri, viatici nomine, obtrusit: nunquam tamen potuit adducere, vt nisi quod parce satis esset, acciperet. Tum Ioannes Syngrapham impegit, per quam iubebat ei mille nummum Mediolani dependi: quam Rodericius, ne altercaretur pertinacius, cum accepisset, Mediolano ad eundem remisit, gratias agens, ac pecuniam Belgicam sibi affatim suppeditauisse significans. Quin etiam ipso in Belgio cum ei eleemosynæ nomine certa pecunia in certum spatium numeraretur, quod perinde atque sua militibus stipendia, videbatur decreta, eodem modo exigenda, maluit emendicare aliunde victum, quam videri contra Societatis instituta feciſſe, quæ vetant quicquam pro ministerijs accipi. Talis vita congruentem sibi clausulam habuit: ad quam se vt cumulatius præpararet, diutinus nec ita grauis morbus spatium dedit. Conuenit cum Petro Antonio Spinello, qui tum Philosophiam docebat, vt vbi articulus sibi decedendi instaret, nomine suo ex formula illa, quam supra dixi, faceret preces, addens se, vbi tempestiuum foret admoniturum. Dominica prima ieiunij magni post meridiem nihil tale cogitantem accersit, tempusque ait adesse eas preces faciendi: qui statim prope lectulum decumbentis flexo genu per vnius ferme horæ spatium peregit. Inde abijt ad sodalitium Beatissimæ Virginis, quod curabat, ad quod pomeridianis horis conuenire quidam lecti solebant. Moxque ad eum misit Rodericius, qui moneret, vt vna cum sodalibus acceleratione sibi, si Deo placeret, transitus precarentur. Missis sodalibus Petrus Antonius recta ad Rodericium redit. Atque is totum corpus in morituri habitum componit, ac subinde tanquam videret aduenientem mortem, ac volens reciperet, iam dudum diuinis omnibus præmunitus mysterijs spiritum placide exhalauit. Otellus, vt quidam Patrum de eo pronunciarunt, quantus quantus erat, totus erat bonitas, humilis, recti in omnibus exempli, consuetudine affabilis, diligens, & assiduus in studijs, qua cura nullo magistro græcas dicitur, & hebraicas literas didicisse: parcissimus temporis, qui etiam vt significaret superuacuas consuetudines rescindendas, solebat dicere, Amici fures temporis. Ad hæc laboris ad miraculum patiens. Multos annos egit Messanæ: quo tempore cum ante meridiem sacris diebus in Societatis templo concionem haberet, ibidem vix absoluto prandio, doctrinam Christianam explicabat, mox in Basilica Bea-

72 Libertas eius apud sũ mates.

73 Vt in aula se gereret.

74 Obedientia eius erga Præpositos Societatis.

75 Paupertatis amor.

76 Præuisam mortem piè obit.

77 Otellus exiſtimè bonus, humilis & affabilis.

78 Diligentia eius in ſtudio literarũ.

79 Laborũ patientia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Beatissimæ Virginis, quæ in ea vrbe primaria est: Epistolas S. Pauli interpretabatur: inde sub vesperam eodem die in cœnobio Virginum sacrarum rursus verba faciebat: operarijs vero diebus & sacerdotibus domesticis, & interdum Clero, casus conscientiæ explicabat: & præter domesticas adhortationes alias habebat publicas diebus veneris. Idem institutioni Tyronum, & domesticorum confessionibus, & templi procurationi præerat. Super hæc nobilissimi cuiusque ciuium excipiebat confessiones; magnaque frequentia assiduè consulebatur non solum à Mamertinis, sed etiam vicinis ex Vrbibus: quodque Prædicator Sancti Nicolai (sic enim appellabant) responderat, Pythagoricæ autoritatis modo ratum, ac fixum erat, eo maxime, quòd ille responderat. Tot inter labores nullam omninò patiebatur secum fieri religiosæ disciplinæ exceptionem, quamuis sæpe valetudinis Præfectus contra niteretur. Porro ad eum audiendum, vbicumque verba faceret, miri erant concursus. Genus vero eius eloquentiæ nihil habebat profani artificij, quin potius cantum quendam non admodum suauem, ac pæne ridiculum. Sed tanta erat cum sanctitatis opinio, tùm diuinæ opis præsentia, quæ voci eius vocem virtutis dabat, tanta finceri animi ingenuitas, & affluentia spiritus, qui in eo loquebatur, vt non raro cum ad audiendum aliqui conuenissent captandi risus causa, darent pro risu lacrymas, compunctique corde plane in alteros commutati viros, feliciter ipsi quodammodo capti, derisique discederent. Nec facile est existimare quantos vbique pietatis fructus retulerit, vt plane liceat intelligere christianam eloquentiam in virtute, coniunctioneque cum Deo sitam, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; quantoque enixius ijs, qui apte fructuoseque volunt dicere, diuina illa adiumenta curanda sint, quam oratoriæ facultatis ornamenta. Collegia hoc anno per Italiam suscepta ex multis quæ offerebantur, quatuor. Sed Castrienſe in Neapolitana Prouincia non processit: In Romana Anconitanum obiectis ab Episcopo difficultatibus dilatum est. Duo itaque tantum inchoata, Placentinum, ac Vercellense: illud in Veneta, hoc in Mediolanensi Prouincia. Octauius Farnesius Dux cum initam aduersus se coniurationem Placentiæ deprehendisset, maximo liberatus periculo, simul gratias Deo acturus, simul etiam sperans hoc sibi fore imposterum magis fidos populares, quò fideliores Deo redderentur, ex Parmensi Collegio publicæ vtilitatis documentum expertus, ei quoque Ciuitati compar auxilium afferre decreuit. Rem Palmius Visitator coram cum Duce tractauit, ac domicilium ab eo assignatum accepit: vbi prima initia posita, paucique de Societate morati vsque ad annum 1584. cum ad curiam Sancti Petri migratum est: quam Philippus Sega Placentinus Episcopus, qui post fuit Cardinalis, animarum procuratione liberatam autoritate Apostolica attribuit. Ibi anno insequenti duæ scholæ latinitatis institutæ. & mox addita tertia: proque priori ruinoso amplum excitatum est templum, atque magnificum; ac postea etiam domicilium, vt suo loco fusius dicetur, in paucis laudatum accessit. In Vercellensi excitando Io: Franciscus Bonhomius eius vrbis Antistes studio ac sedulitate cum Guidone Ferrerio Cardinali Vercellensi certauit. Sed is opibus superauit, qui fundum Præposituræ Sancti Stephani, quam ipse commendatam habebat, in eam rem à Gregorio Pontifice impetrauit. Addidit tamen Episcopus annui subsidij aliquantum, & tantumdem Dux Sabaudiæ Emanuel Filibertus, cuius in ditione Vercellæ sunt. Attributa est initio Sancti Petri ædes vna cum domo adiuncta, & Lælius Bisciola missus Mediolano, qui & concionibus populum erudiret, & res noui domicilij præpararet. Anno insequenti Iulius Coccapanus nominatus nouæ familiæ Rector Socios ex Episcopali domo, in qua vsque ad eam diem degerant, ad S. Petrum traduxit: & humaniorum literarum Magister, qui Clericos Seminarij doceret, accitus est. Verum non nisi anno 1588. cum ad Templum Sanctissimæ Trinitatis translatum, ac gemina ibi latinitatis classis instituta est, suam Collegium speciem ac formam accepit. Singulari Dei tutela Nouellarienſe Tyrocinium à suprema calamitate seruatum est. Dudum grassatores Mantuanum, Regiensemque agrum & alias circa oras stupris, rapinis, & stragibus per-

80 Eiusdemque autoritas merito parta. Exactio disciplinę religiosæ.

Eloquentiæ Diuina vis.

81 Fructus insignes.

82 Castrienſis & Anconitani Collegiorum designationes irritæ.

83 Placentinũ Collegiũ ab Octauio Duce fundatum.

84 Eius translatio.

85 Vercellenſis Collegij fundatio.

permiscebant, cum demum ad arcem Nouellarienſem spe prædæ animum adijciunt. Placuit (quo consilio incertum) ab Tyrocinij nostri domo rem exordiri iniectoque per noctem in tectum cui multa superstabat materia, igne, iam flamma inualuerat, cum deprehensum forte periculum est. Accurritur à domesticis, à vicinis, ab Arcis quoque custodibus, frustra erant remedia: flamma victrix quicquid obijceretur, in nutrimentum vertebat. Diuina igitur, humanis adeo victis, præsidia Valentinus Rector cum suis Tyronibus in genua prouolutus implorat, postque aliquantum precum magna concepta spe, reliquiariam thecam sacculo serico inclusam, quam ferebat è collo pendentem in medios debacchantis incendij vortices mittit. Vix in flammas sacra descenderant pignora, cum repente, turba omni spectantium stupore defixa, violenta illa pestis extinguitur, ac mox theca ipsa cum reliquijs adeo reperitur innoxia, vt ne vittam quidem vnde sacculus pendebat, ausus videretur ignis attingere. Nec tamen abstitere nefarij homines ab incendio iterum tertioque tentando: sed antequam præualescerent, Deo scilicet tutante, deprehensi sacrilegi conatus & oppressi sunt. Cœpta superiore anno expeditio in Salutios, cum eos haberet progressus, vt legendo fructui paucitas operarum obstaret, iussit Pontifex noua mitti subsidia. Missus quoque & Ioannes Baptista Velatus, qui socijs per ea loca præesset, vbi referre ad Iacobum Crucium Taurinensem Rectorem minus commodum foret. Ea se non modo sedulitate verum etiam dexteritate Velatus gessit, vt hominibus etiam probaretur errore infectis. Ardentior erat, & contemptor periculorum Ioannes Baptista Vanninus, qui Lucernæ in magno ieiunio concionatus; cum prouocasset ad disputationem Ministros Vgonottorum, quippe quos deprehenderat sola stare inani quadam opinione sapientiæ: atque ipsi quo certamen detrectarent, agendum scripto potius dicerent, in Pagum cui nomen Villar Bobiorum, eos ipsemet audacter conuenit, itaque vrsit, vt cum salua existimatione nullum esset effugium, auderent conserere manus. Verum is exitus fuit congressus, vt ordine relatus in scripta magnum catholicæ religioni momentum vbicumque lectus est, fecerit. Posthæc Bricherassum profectus, dum consuetis instat laboribus, venerationi Christi corporis anniuersaria dies illuxit. Instituitur supplicatio non infrequens illa quidem, sed partim temporum licentia, partim Vgonottorum instinctu sordidissimis ludicrarum rerum spectaculis inquinata. Quæ cum Vanninus cerneret, impetum animi tenere non potuit. Infert se se in turbas, & indigna machinamenta partim orationis grauitate, & spiritus feruore summouit, partim ipsemet adnisus euertit, disiecitque; partim ipsi autores, antequam adipsos illa quasi tempestas peruenirent, verecundia subducunt. Id demum quod armatorum vix attentasset manus, vnius fiducia sacerdotis effecit. Carmaniolæ Ioannes Antonius Grassus sodalitatem Perseuerantiæ (sic enim appellauit) superiore anno ad frequentem restituendum vsum sacramentorum inchoatam, valde amplificauit: multaque nobilia capita nomen in eam dedere. Viglianæ, quod oppidum inter prima eius regionis, nobilitate, ac specie numeratur, quamquam nullus erat palam sectator erroris; tamen non pauci erant occulti. Nec obscure intelligeres ægram pietatem, quod diuinissimi sacrificij obsolescebat passim reuerentia. Sodalitas quæ olim floruerat se se flagellantium, plane conciderat. Gliscebant de religione secreti sermones, adeò vt feminæ quoque haberent inter se de fidei dogmatis conuenticula, vna Euangelium explicante. Hic Cæsar Casullus opportunè labentibus rebus dexteram porrigens, appositis concionibus de ijs rebus, quas locus maxime postulabat, sustulit feminarum concilia, restituit sodalitium se se verberantium, Missæ frequentiam ac pietatem redintegrauit, libros Hæreticorum multos è populi manibus excussit, data opera, vt earum seminator pestium comprehenderetur, aliaque id genus egregiè præstitit; dum eius socius euentu maxime optabili pueros catechismum ita edocuit, vt nihil esset tam commune in teneræ ætatis ore, vijsque ac domibus, quam Christianæ sapientiæ rudimenta. Similia his, parique studio alios alij percursantes pagos, & oppida conabantur, non sine magnis inter-

87 Incendium Nouellarienſis domus iniecta innoxie in flammas theca reliquiaria restinctum.

88 Io.Bap.Vanninus Ministros Hugonottorum ad disputationem Lucernæ prouocat: Et vincit.

89 Idem Briquerasi spectacula profana pompæ Sanctissimi Corporis Christi ab Hæreticis oppositа disijcit.

90 Sodalitas perseuerantiæ Carmaniolæ instituta.

91 Res à Cæsare Casullo Viglianæ feliciter gestæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum vitæ periculis, verum maioribus cælestis tutelæ experimentis. Expeditio in Moschouiam ingentem concitauit expectationem. In eam Antonius Posseuinus Gregorij Pontificis missu profectus, comitem Ioannem Paulum Campanum duxit, qui Brunensi Collegio præerat: de quo mox in rebus Polonicis agam. Ad Illyrios Epidaurum (iubente item Pontifice, ex quo Archiepiscopus Hieronymus Matthæuccius postulauerat) missi cum fratre adiutore Ioanne Meo Philippus de Philippis, & Simon Bonnicus, natione ille Sardus, hic Melitensis, sacerdotes probi, nauique. Excepti sunt ab Republica perbenigne, præcipuoque studio à Sodalibus Sancti Rocchi, quorum & diuersorio, & sacra æde vtebantur. Ex collata in diem stipe cum victitarent, adeo præueniebat eorum necessitates liberalitas ciuium, vt vix vnquam, emendicationi locum relinqueret. Præter vtilitates solennes ex concionibus magni ieiunij in Templo principe à Philippo habitis, ex catechesi, ex doctrina quæstionum conscientiæ, & id genus pietatis priuatæ ac publicæ instrumentis, memorabile ante omnia fuit dissidium Rempublicam inter Præsulemque coërcitum. Magnam id offensionem præbebat populo, maioris impendebat metus calamitatis, cum Deus pacis vtrorumque animos, conciliantibus Patribus, adeo permouit, vt Antistes in vrbem, vnde abnauigaturus exierat, placide reuersus, publica gratulatione, & honorifico omnim plausu receptus sit. Eidem cum Diœcesim viseret, fidelem Patres operam, & salutarem nauarunt. Sed interim euentu lætissimo in Monte-Libano Ioannes Baptista Elianus, & Ioannes Brunus Maronitarum culturam vrgebant. Postquam Pagos circumomnes cursarunt, præcipuo studio recognoscendis eorum libris, notandisque ac refutandis insistunt erroribus, qui siue per hæreticorum fraudes, siue per simplicitatem gentis irrepserant. Quod vbi valde promotum est opus, Ioannes Brunus firmam eorum, aptamque genti confutationem conscripsit, testimonijs è diuinis literis, sacrisque concilijs, item Pontificum decretis, & sanctorum Patrum momentis corroboratam. Tum admonent Patriarcham vt, si placeat, Episcopos, & qui præterea fore vsui videantur, in vnum cogat, deque notatis ab se capitibus, eorumque confutatione disquirant. Interesse enim talia à multis cognosci, & audiri: si qui qua in re contra vel opinarentur, vel aliquid afferrent. Probauit consilium Patriarcha. Patres, quo liberius sententiæ dicerentur, tradito suarum animaduersionum libello, de quo disceptandum erat, suam tantisper à conuentu præsentiam remouerunt. Illi cum diligenter singula perpendissent, accitis Patribus, cetera sibi vehementer probari aiunt; in vna repudij causa nonnihil restare difficultatis. Nam præterquamquod per eas circa oras cunctæ gentes ac sectæ morem frequentent, priore superstite coniuge nouas nuptias ineundi, videri admodum graue, vt innocens vir, qui ob adulterium coniugem dimiserit, aliena culpa Matrimonij fructu in perpetuum careat. Contra ea Patres docere: Rem esse plane catholica fide sancitam, sacrisque Concilijs, & grauissimis Doctoribus comprobatam, neque posse aliter fieri, nisi cum graui diuinæ Maiestatis iniuria. Ita demum tradere veritatis interpretem, Ecclesiarumque omnium magistram Romanam Ecclesiam. Quæ cum enucleate, prolatisque sacrorum autorum testimoniis expromerent, Patriarcha magno animo, & asseueratione constanti pronuntiauit, nullo vnquam modo permissurum se post hac, quandiu vita coniugum alteri superesset, vt alter nouo se matrimonio implicaret: & hac re ostensurum quanti autoritatem Pontificis Romani faceret. Antistitis autoritatem omnes incunctanter sequuti, eoque promptius, quod (vt sæpe monui) non prauitate mentis, sed per insciitiam, ac simplicitatem interdum ab orthodoxis moribus dissidebant. Itaque reperta in suis libris errata, quo facilius quiuis per se se deinceps agnoscere, & abolere posset, multis exemplis vulganda curarunt. Statu rerum iam plane composito, nihil fiebat reliquum, nisi vt vigil, & acer Præsul retineret præclara cœpta, atque proueheret, cum Michaël Patriarcha, qui magnum ad id animum gerebat, in morbum prolapsus xij. Kal. Octobris è vita concessit. Adfuit illi supremo tempore Ioannes Baptista, & Extremam vnctionem, rem ijs terris antea incognitam, adhibuit. Ille vero nihil habuit, quod grauius commendaret:

92 Posseuinus in Moschouiam mittitur.

93 Missio Epidaurensis.

Eiusque fructus.

94 Labores Societatis in monte-Libano.

95 Recogniti libri Maroritarum notatis & refutatis erroribus.

96 Concilium Episcoporũ accitu Patriarchæ Maronitarũ celebratum.

97 Hæsitatio Maronitarũ in causa repudij.

98 Acquiescũt tamen & Romanæ Ecclesiæ parent.

99 Errata librorum multis exemplis vulgata ad monitionem cautelæ.

100 Patriarchæ Michaëlis pia mors.

ret supremis verbis, quam vt Romanam fidem tueri omnes omni ope conarentur: Eoque præcipue lætus decessit, quod Nuntios Apostolicos in sua Diœcesi videret, interque manus eorum efflaret spiritum. Octauo post die ad nouum Patriarcham dicendum gens conuenit: summoque Episcoporum, Cleri, & populi consensu liberæ vocis suffragijs (hic ibi mos tenet) declaratur Patriarcha Sergius (Sarchis ipsis dicitur) Archiepiscopus, demortui Patriarchæ frater. Is inde vsque à prima ætate in Cœnobio vixerat, longe ab hominum, ac præsertim feminarum conspectu alienus. Nam situm erat in Valle cœnobium, in quam feminis ab longo æuo anathemate interdictus erat accessus: nec quopiam prodire ipse, vbi feminarum occursus foret, solebat: Virgo habebatur: nihilo virtutum aliarum laudibus minor. Cæterum comitijs impendentibus adeo verebatur ne ad Patriarchale onus adigeretur, adeoque persuaserat sibi periclitaturum se de æterna salute si ei sarcinæ colla supponeret; vt apponenda custodia fuerit, ne se fuga subduceret. Vbi autem promulgatus est Patriarcha, flens vberrime, orat, obtestaturque per Deum, vt sibi parcant. Se vmbræ, ac solitudini assuetum, gerendarum rerum rudem ne cogant id subire onus, cui cum & sua, & ipsorum pernicie demum succumbat. Cum omnes perstarent in sententia (sciebant enim optimum virum, & prudentiæ documenta multa perspexerant, quod multa per eum supremo maxime tempore valetudinarius frater administrarat) denuntiat libere nunquam cessurum se, nisi Episcopi, quod statim præstitere, in certa quædam disciplinæ capita fidem suam obligarent. Sub hæc antequam diuinissimum Sacramentum in solenni missa susciperet, formulam catholicæ fidei Patrum monitu, è synodi paulo ante editæ decreto pronuntiauit. Postero die cum totum clerum coëgisset, omnia ea proposuit, quæ Patres decreuerant, adhortans vt diligenter exequerentur: quod omnes solenni sibi voluntatum ad Romanam Ecclesiam inclinatione alacriter recepere. Valuit plurimum ad effectum rerum huius creatio Patriarchæ. Namque priotem cum ætas, ac valetudo in Cœnobio, aut in lectulo plerumque detineret, is Diœcesim per se se lustrauit, omnia vbiq; recognouit, sacrum chrisma ætatibus idoneis impertijt, & pleraque alia ad catholicæ Ecclesiæ vsum reuocauit. Vt iam nec differretur baptismus recens natis, nec eisdem continuo chrisma adhiberetur, nec præberetur Eucharistia ante compotem rationis ætatem: nec diuortia, ac nouæ nuptiæ superstite altero coniugum fierent; Item chrisma renouatum est solenni die maioris hebdomadæ è balsamo duntaxat, oleoque; vetusque combustum: quod multos annos intermitti mos erat. Inducta consuetudo ex azymo pane diuinæ Eucharistiæ conficiendæ Romano more, quem natio sequitur, & alia hoc genus magno cum incremento publicæ pietatis, tantumque erga Gregorium Pontificem veneratione aucta, vulgataque, vt (quod summi honoris habent insigne) ad eius nomen nemo esset, quin assurgeret, & capitis tegmen detraheret. Atque hunc finem sortita est prosperrimum cultura Maronitarum in Libano-monte. Quorum qui aberant Cyprij, Damasceni, Hieropolitani, alijque, edocti per literas, atque etiam per Episcopos eorum, qui conuentibus interfuerant: quidam etiam aditi coram, vt in sequenti anno referetur. Dignus est præcipua ad posteritatem commendatione Ioseph Obnebeis nobilis Maronita, qui apud Emir (is gentis est pro Turcarum Imperatore Præfectus) gratia multum valens, totum id negotium singulari studio, & caritate prouexit. Nam quantum sit virium ad incrementa publicæ pietatis in cura Principum, aperte licebat hoc tempore cum alibi, tum maxime in Polonia cernere, vbi res ad pristinam sanctitatem intento in hanc curam optimo, ac fortissimo Rege Stephano, meliore in dies cursu redibant. Numquam is desistebat Societatem, quoniam ad eam rem vtilem experiebatur, nouis augere ornamentis. Vilnensis Collegij vectigalia, quod & ad emolumentum, & quietem religiosam pertinebat, cum alijs opportunis commutauit, admiratus diuinam in ea re prouidentiam, quod Senatus ipse Hæreticus eam illi causam commendasset. Sed minus est mirum, cum tam pronum inferioribus sit studia induere, vel simulare superiorum. Res Transyluanicas qua cura promouerit infra narrabo. Periculum vide-

101 Sergius eligitur in Patriarcham.

Eius virtutes.

102 Recusat quantum potest Patriarchatũ.

103 Acta eius in Patriarchatu præclara.

104 Ritus Romani in Maronitarum vsũ inducti.

105 Veneratio eorum erga Romanum Pontificem.

106 Iosephi nobilis Maronitæ zelus pro Ecclesia

107 Stephani Regis Poloniæ amor in Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

videbatur ne legationis Moscouiticæ causa, quam Posseuinus gerebat, offenderetur. Sed ille omnia optimo, vt gerebantur, animo excipiens, dixit se ob reuerentiam Sanctissimi Domini (his enim verbis vsus est) & Sedis Apostolicæ, siue pax conficeretur, siue perstaret bellum, iter legato velle in Moschouiam aperire, quamuis de Duce Moscho, vtique homine tyrannicis peccatis obruto, vix quicquam spei crederet ad conuersionem relictum. Tertiam Rex hoc tempore aduersus Moschos expeditionem obibat, grauiterque premens ad consilia pacis adegerat. Ioannes Basilij rerum potiebatur, qui paci honestius, & æquius impetrandæ, tametsi religione Ruthenus, hoc est ferme è schismate græco, legatum in Vrbem Thomam Seuerigenum ad Gregorium Pontificem misit, orans, vt is pro suo in christianos Principes autoritate auerteret eos à fundendo christiano sanguine, & ad coniungenda aduersus Tyrannum Turcicum hostem communem arma cohortaretur. Gregorius cum pridem optasset religioni catholicæ aditum in Moschouiam aperiri, idque frustra tentasset, occasionem libenter arripuit. Et sane magna res agebatur, non solum vastissimæ eius regionis causa, sed etiam aliarum longius remotarum. Quippe Moscouitæ siue à Mosco flumine, siue à Moscua Vrbe Imperij sede, ei impositæ flumini, nomen adepti, olim partim Scythæ Europæi, partim Asiatici Sarmatæ dicti, in ipsis Europæ Asiæque finibus latissimo dominatu, ab mari concreto ad vsque Caspium degunt: vt per eos si commercia iungerentur, maximo virum, discriminumque compendio ad Tartaros, & in Persidem, & ipsam in Indiam penetrari posset. Hoc igitur maiore voluntate Pontifex, quanquam Moscus nihil agitaret nisi mortalia, etiam cælestia offerenda illi censuit. Peropportunus huic procurationi visus est Posseuinus, qui nuper reuersus ex Suecia Stephano Regi notus erat, & regionum, hominumque mores, atque adeo ipsas Principum illorum causas non ignorabat: cum Sueciæ ad Austrum Liuonia, de qua certabatur, ad Orientem Moscouiticæ pars ditionis adiaceat. Is conciliato multa prece numine, acceptis à Pontifice non solum ad Stephanum Regem, & Magnum Moscorum Ducem, sed etiam ad Christianos alios ex itinere Principes, ad Senatum Venetum, Archiducem Carolum (cuius coniugi Rosam auream item à Pontifice deferebat) ad Archiducem Ernestum, & ad Rodulfum Cæsarem literis, vij. Kal. Aprilis cum legato Mosco magnum animum gerens, discessit. Quacumque iter fecere, id Pontifice in Moscouitæ delinimentum exoptante, magnis excepti honoribus per Italiam. Inde Seuerigenus rectum tenens cursum per mare Balthicum festinauit in Patriam. Posseuinus post aditum Græcium, Viennam, Pragam, non absque religionis fructu, literis ab Cæsare ad Magnum Ducem Moscorum ornatus, dein Varsauiæ Annam Poloniæ Reginam de Sueticis rebus ex mandato Pontificis alloquutus, Vilnam ad xviij. Kal. Iulias cum deductis ex Austria socijs Ioanne Paulo Campano, ac Stephano Drenoczio sacerdotibus, & laicis Andrea Modestino, ac Michaële Morieno peruenit. Stephanus Rex totus in luctu ex Christophori fratris sui Vaiuodæ Transyluaniæ acerbo funere: totus in bellico apparatu contra Moscum erat: auditoque Posseuino, quæ ante solebat dicere, adfirmauit, eam legationem superuacuam prope videri. Nam quod ad pacem pertineret iam Moscum Liuonia paratum cedere vniuersa, ac solum ad eximendam bello idoneam tempestatem ab callido hoste quæsitas eas legationum moras. Religionis vero negotium nequicquam tentari. Pro sua tamen perpetua Apostolicæ Sedis veneratione nihil passurum ad exitum legationis optimum ab se se desiderari. Intellexit non absimilia vero Posseuinus sapientissimum Regem afferre. Sedenim incœpta grandia factorum in numero ducens, neque parcendum ærumnis, neque ob pericula, quæ item multa intentabantur, despondendum animum ratus, tendentem aduersus Moscouiam Regem sequutus est Disnam, quo plura interim ex Regis congressu, & Magni Cancellarij Ioannis Zamoscij viri sapientissimi, & optimi, aliorumque peritorum de Moscouiticis rebus cognosceret. Oppidum, & arx Disna est in Alba Russia ad Danam & Disnam fluuios, non ita pridem ex captæ à Moscho Polociæ reliquijs condita, quinque dierum iter à Vilna. Hic ad Regem Pos-

108 Iudicium eius de Legatione Moscouitica ad Pontifice de creta.

109 Eius occasio

110 Posseuinus Pontificis Legatus cum Legato Mosco reuertente discedit.

111 Eius iter per Germania.

Et Poloniã.

Posseuinus latine iussus habere concionem, tractans quemadmodum prælia Domini præliaretur, docensque id præstiturum ante omnia, si (id quod faciebat) præiret exemplo. Tum si multis è sectis constatum exercitum ad catholica traduci signa curaret, quo deinde ad suas quisque digressi oras, veluti totidem veritatis prætones spargerentur. Postremo si quos subigebat populos, item protinus imbui recta fide iuberet, captiuos præsertim è Nobilitate Moscorum, vt mox corporis, & animi vinculis expediti, promulgatores & Regis victoriarum, & incorruptæ fidei reuerterentur ad suos. Hæc, aliaque ex animo modesta cum libertate differens, lacrymas pio Regi excussit: addiditque eos currenti stimulos, vt statim curam ad Concionatores conquirendos in Hungarorum militum doctrinam adiecerit. Polociam deinde profecti explicari non potest quandiu, quam impense, accito Vilna Petro Scarga, cum eo, & Consiliarijs suis in Collegij eius conquirendis, firmandisque censibus totus animo versatus sit, tanquam nihil præterea curarum haberet. Interim adsunt ab Moscouia ad Regem legati per quos Dux, quia fortasse cognito ex Seuerigeno Pontificij Internuncii aduentu, sperabat per eum aliquid se impetraturum, conditiones pacis alias à prius oblatis, easque multò minus tolerabiles, proponebat. Quod Rex stomachatus, legatos postero die dimisit, contestans iam se ne Liuonia quidem fore contentum. Hoc iam necessaria magis videri Moschis Pontificiæ autoritatis interpositio, & vulgò acceptius Posseuini officium. Quem Rex tradito viæ ductore Horsam vsque Basilio nobili viro voluntariorum militum, quos Cosacos vocant, Præfecto, literisque commendatitijs ad Præfectos Arcium Horsæ, ac Dorobounæ prosequutus, summâ cum humanitate dimisit. Præclarè Basilio cessit hoc iter, quem ab Ruthenica fide ad catholicam comiter tractans, & sapienter edocens, Posseuinus traduxit. Ab Horsa superato Boristene, cuius illa citeriorem ripam insidet, Dorobounam ventum, postremam ditionis regiæ arcem. Hinc equitum non multo accepto præsidio perrectum ad vtriusque fines imperij Lituanici, ac Moschi per ingentia sane pericula. Namque Dorobounenses equites ad syluarum inexplicabilium ingressum metu latronum, lateque omnia infesta habentium Moscorum, retro vnde venerant abiere. Plena itaque formidine erant omnia. Exaudiebantur truces vndique vlulatus prædonum: pernoctabatur sub dio: augebant syluæ, solitudo, militaris impunitas, excursionum licentiam. Nullum pauculis religiosis, & quibusdam comitibus telum erat, aut tegmen, nisi diuina tutela, quæ sane non defuit. Sed intellectum est, certos Horsæ, aut Dorobounæ expectandos fuisse nuncios de aduentu præsidij Moscouitici, quod ad ipsa confinia Dux ipse præsto futurum spoponderat. Vbi primum Moscouiticam pressere tellurem, fixo tentorio sacris operantur Sacerdotes, Deoque omnes gratulati, quod ad id loci detulisset sospites, atque impense earum gentium precati salutem sanctissimæ eius voluntati totos sese in omnem casum permittunt. Nec multo post à Duce Magno fidei publicæ literæ afferuntur, & Pristauus cum sexaginta equitibus adfuit Theodorus Pochionlein qui deduceret tutos, commeatumque suppeditaret. Pristauos enim gens appellat, quos Princeps excipiendis, habendisque hospitaliter legatis nobiles destinat. Huius ductu tertio die ad Smolencium ventum est, vlteriori Boristenis ripæ impositam Vrbem. Hic à quadringentis primo obuiam egressis equitibus, holoserico auroque fulgentibus; deinde ab mille ducentis peditibus perpetua serie dispositis, tum ab vi populi magna inter festas explosiones tormentorum, & fausta omnium acclamationes excipiuntur. Sed in tanta humanitate, ita arcta, assiduaque custodia septi sunt, quasi hostium, non hospitum loco haberentur. Neque enim Moschouitis Magni sui Ducis iniussu Regna adire aliena, neque alienigenis in Moschouia absque indigenarum custodia versari fas est. In Arce Staricia quadringentis à Smolencio passuum millibus per id tempus Ioannes Magnus Dux agebat. Ea ad flumen Volgam est Arx: Volga amnis Moscouitici Imperij facile princeps: qui post multas ambages longissimo tractu in Orientem lapsus, flexo dehinc in meridiem cursu, duobus ac septuaginta, vt aiunt, ostijs in mare Caspium euoluitur

112 Concio Posseuini coram Rege Stephano Disnę habita, magno fructu.

113 Stephani Regis pro Collegio Polociensi cura.

114 Iter Posseuini à Polocia.

115 Ducem viæ Basilium conuertit ad fidem.

116 Pericula viarum ingētia.

117 Sacrificium catholicum in terra Moschouitica.

118 Præsidium à Magno Duce obuiam Posseuino missum.

119 Excipitur magnificè Smolencij.

120 Volgę annis descriptio. Edel Tartaris, Rha Ptolemęo dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

121 Quibus officijs & salutationibus exceptus Staritiæ Posseuinus vbi erat Aula Ducis Magni.

luitur, Edel Tartari vocant: Rhà Ptolemæo est. Per eum in Moschouiam merces ex Persida, ac præsertim pretiosiora vestium subuehuntur. Nostris Smolencio vix digressis alter Pristauus, & Equites quindecim: deinde sub Staritiam alij Pristaui tres cum splendido comitatu equitum trecentorum occurrunt. Hi protinus ex equis delapsi Posseuinum seorsim singuli salutant Principis sui nomine: quem Mosci tantum non pro Numine colentes, nunquam nisi longam titulorum præfati seriem, appellant. Itaque vt paucula ad extremum, quæ ad rem faciunt, verba colligas, solenne illud honorarium carmen sæpius audiendum est. Secundum eam præfationem primus ex tribus hisce Pristauis quærit ex Posseuino quemadmodum Gregorius Papa valeat, deinde satis ne ipse recte equitarit. Id ipsum eadem formula percunctatus alter, addidit, Magnus noster Dominus Gregorio papæ Romano in te reuerentiam defert. Postremus vero ipsos tres, & singulos nominauit, ab Magno Domino missos, qui Posseuino, ac socijs quicquid vsus foret, prospicerent. Post hæc è prima nobilitate vir equum magnificè instratum admouens, Antoni, inquit, hoc equo Magnus Dominus gratiam tibi suam declarat: quæ item solennia verba sunt in muneribus Principis. Reddita salutatione ad morem gentis, atque equo, ne abstinentia intempestiua summæ rei obesset, accepto, quinque pauperes Dei serui inter Purpuratorum agmina, & omnium Ordinum celebritatem xv. Kal. Septembris Staritiam intrant, & ad hospitium pro regionum vsu magnificum deducuntur. Eo die excepti conuiuio publico: cui præter nominatos Pristauos quinque, & alios circiter sexaginta, prænobilis adolescens missus à Principe, tamquam Vicarius officij eius, interfuit. Hic assidens Posseuino, vbi ferculum quodpiam inferebatur in mensam, assurgens, & caput aperiens, ceterisque pariter idem conuiuis facientibus, Ioannis Basilij exordiens semper à capite, & exequens illum titulorum Magni Ducis aceruum, addebat, hoc tibi pisce (vel aliud) vt res erat, nominans, gratiam suam ostendit. At vbi summum illatum est ferculum, hilariter *Cleb da Sol* pronuntiat, ideſt panis & sal, quam habent Mosci superstitiosam omnium mensarum clausulam, rati valere ad pestem omnem auertendam: quod quidam olim Sergius Monachus, quem pro sancto venerantur, prandente apud se Demetrio Magno Duce, eorum prolatione verborum dæmonem ab cella fugarit. Biduo post maiore quam vellent pompa ad conspectum Serenorum Magni Domini oculorum (ita gens loquitur) admittuntur. In solio gradibus duobus ab terra sublimi aurea spectandus chlamyde ad talos vsque demissa, interlucentibus picta vnionibus, ac gemmis, Dux magnus sedebat: Ex eodem opere humeris iniectum breue palliolum, quale Præsulibus nostris gestare mos est: geminus ab ceruice torques labebatur, aureis globulis alternatim, grandibusque gemmis vterque consertus: quorum maior ad pectus vsque alludebat imum; ex breuiore aurea crux palmum longa, pollices duos lata, pendebat. Quippe religiosum est Moscis infra pectus sacra demittere, ne videantur propius inhonestis partibus admouere. Digitos singulos annuli distinguebant bini, terniue, gemmis illuminati clarissimis. Pro sceptro gestamen argenteum auro tectum Episcopali lituo simile, gemmis, Margaritisque artificiosè conspersum: Nec absimile Pontificis Maximi thiaræ, nisi quod paulo amplius, capitis erat insigne, multo id quoque auro, multo ardens honore gemmarum. Neque parum in ocreis (nam calcei Moscis inusitati) operis, & ingenij: quas rostratas, recuruasque discolores internitentibus gemmis magni pretij superne lapilli tegebant. Ad læuam Ioannes filius natu maximus ornatu eodem sedebat humiliore in solio. Multi circa purpuratis referti subselliorum ordines: ita posterioribus sensim assurgentibus, vt spectare omnes, spectarique possent. Vbi in conspectum magni Ducis ventum est, Senator primarius surgens vsitato Genti obseruantiæ verbo, Maxime Princeps, inquit, Antonius Posseuinus, & comites humum tibi fronte feriunt. Tum continuo Dux, vt valeat Gregorius Papa interrogat: & Pater, ita Deus Serenitatem tuam perdiù seruet incolumen. Dein iussus mandata exequi, vt magnificentiorem & ipse Pontificis Maximi appellationem faceret, *Sanctissimus*, inquit,

122 Ingressus Posseuini Staritiam.

123 Conuiuium solemne Moschouitico ritu.

124 Superstitiosa epularum clausula.

125 Descriptio Ducis Magni Legatos admittentis.

Domi-

126 Prima salutatio Legati ad Magnum Ducem.

127 Ad nomen Pontificis assurgit Dux.

128 Modestia Moschorum in vitando aspectu nudorum corporum.

129 Dux Magnus Posseuinum conuiuio excipit,

Dominus Noster Papa Gregorius XIII. Vniuersalis Ecclesiæ Pastor, Christi in terris Vicarius, Sancti Petri Successor, multarum regionum, terrarumque Dominus, Seruus seruorum Dei amantissime Serenitatem tuam salutat, eique benedictionem precatur. Surrexit Dux ad Pontificis nomen, tamdiuque stetit, dum gratias egit. Tum assidens, Tu vero inquit Antoni recte-ne equitasti? Recte, inquit ille, Deo gratia, quodque in Serenitatis tuæ obsequium cedat. Inde Ducis, ac eius filij dexteram osculatus: tradere iubetur secretario literas, & munera quæ deferebat exponere. Quo loco gentis modestiam inde velim intelligi. Ferebatur inter cetera dona picta Deiparæ effigies, raræ opus subtilitatis, ebeno, argento, auroque inclusa, ea tamen tradita non est, quia cognitum erat gratam Principi non fore, quod in genu Parentis Iesus infans sedebat nudus; & hunc puellus alter Ioannes Baptista item nudus adorabat, Quæ cum Pictores nostrates in artis ostentationem elaborent, ceterique mirentur, Moschi multo sapientius ferre non possunt. Tantum absunt ij (quod sane cultiorum nationum probrum est) ab simulacris obscœnis perferendis. Exposita dona cum Princeps singula contemplatus probasset, Posseuinum quę ad negotia spectarent cum Senatoribus & consiliarijs iubet seorsim agere: in eumque ipsum diem solenni ad conuiuium vocantium formula, ad panem & sal inuitat. Narrabant deinde Aulici omnium quæ longo tempore vidissent, sumptuosissimum id fuisse conuiuium. Discumbentes centum numerati: stragulum in mensa nullum præter mantile: tum panis, salinum, vrceoli duo, in quorum altero acetum, in altero piper: quibus rebus ex auita superstitione mensas omnes instruunt, præterea nihil. Non mappæ ad tergendas manus, non lances pani subiectæ, nullæ furcillæ, ne cultri quidem. In mensa sepositа supra quam Imago Dei Matris perelegans cernebatur, Dux cum Ioanne filio consedit, nominatimque nostros appellans, collocauit in proxima. Epulæ tum illatæ, non illæ quidem ad exquisitas citeriorum Prouinciarum conditæ delicias, haud tamen lautitiæ expertes. Dux seduli Patris familiæ quodammodo partes agere, attentus esse, circumspectare ne quid vsquam deesset. Nunc nostris de sua mensa, nunc alijs vel remotissimis missitare. Nam & mensæ quo remotiores, eo celsiores sunt, vt conuiuas, qui præter pauciſſimos, promiscue consident, videre singulos Princeps, ab ijsque vicissim queat videri. Ea vero sedulitatis benignitate ceteros quoque egregie occupatos habebat: Nam cum mittente quid Principe, conuiuæ assurgant omnes, stentque quandiu lator dicat, Magnus Dominus hoc tibi dono gratiam suam declarat, alterque respondeat: Ferio humum fronte, plus sexagies spatio duarum horarum, quibus conuiuium tenuit, assurrectum est. Si cui vero Dux propinaret, quo is cumque loco esset procedebat in medium, salutatoque Principe, arbitratu suo, nulla lege scyphum exhauriendi, bibebat. Sed hac in re simplicius agendum sibi nostri duxerunt, nec aliquo prodeundum. Sub medium ferme conuiuium, cubitis Dux mensæ innixus, facto ab omnibus silentio, his verbis Posseuinum alloquitur, *Antoni comede, ac bibe: nam iter haud modicum ex Vrbe Roma hucusque confeciſti missus à Sancto Patre omnium supremo Gregorio XIII. Ecclesiæ Romanæ Christianæ Pastore constituto à Deo quem nos quidem veneramur, ac Vicarium Christi agnoscimus, tibique propter ipsum omnem reuerentiam exhibemus.* Tum addidit de Superiorum Ducum Moscouiæ ad Romanos Pontifices legationibus, & ad Romanos Imperatores, ab hisque vicissim ad illos. Quæ cum stantibus cunctis, & attentè audientibus dixisset (quamquam exitus docuit oratione vel pro tempore ficta vsum, vel certe non qualem debuit primatum Romano Pontifici tribuisse) valuere tamen ad maiorem existimationem ingenerandam Moschæ nobilitati, quod vel ex obseruantia aduersus Legatum, ac socios deinceps maiore perspectum est. Insequutis deinceps diebus in negotia legationis incumbitur. Postulabat Pontifex vt Ioannes, quod per Legatum suum spoponderat, si Polonico expediretur bello, arma cum ceteris christianis Principibus aduersus communem hostem conuerteret: commeandi facultatem per suas terras Pontificijs legatis, si qui vnqam ad Persas: aut Tartaros mitterentur, daret: catholicis negotiatoribus commercia

130 Verba Ducis Magni ad Posseuinum super mensam.

131 Ex ijs veneratio Legati aucta.

132 Postulata Pontificis à Moscho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia in Moscouia essent: ac templa, ritusque catholici. Ad hæc paterno studio Ducem ad catholica sacra, & Romanæ Ecclesiæ communionem exhortabatur. Multum super his actum; nec cetera ægrè impetrata. De religione cum penitus abnueretur, adeo vt quæ ad eam spectarent, prohiberet etiam Dux ab interpretibus Ruthenicè verti; illud demum expressum, vt integra res ad reditum ab Rege Stephano Possevini, pacemque confectam reseruaretur. Polonus quippe inter hæc armis intra Moscouiæ fines illatis, Plescouiam nobilem vrbem obsidione vehementer vrgebat. Itaque si ea in hostium potestatem veniret, pacis compositionem sibi Ioannes haud paulo duriorem fore prospiciens, rem ita composuit, vt Possevinus profectionem ad Stephanum maturaret, vnaque Ioannes Paulus Campanus iret porro cum literis ipsius Magni Ducis ad Cæsarem Venetosque, iungendi commercij causa, & Romam ad Pontificem perrecturus: tertius vero sacerdos Stephanus Drenoczius, qui Slauus natione nonnihil Moschouitice intelligebat, cum socio apud ipsum Ioannem maneret, Quos etsi apparebat ad pacis modo effectum velut obsides retineri; dedere tamen Patres non illibenter, sperantes nonnullum religionis momentum, vel si solum in ijs oris religiosi cernerentur, spectandisque catholicis, præsertim à summo Pontifice missis, Schismaticorum oculi consuescerent. Rebus in hunc modum comparatis, postridie Iduum Septembris die Sanctissimæ Crucis exaltationi sacro, post multas ad Deum fusas preces, dulcissimumque inuicem complexum, pusillus ille Christi manipulus distrahitur, Drenoczio, ac Morieno Moscuam; Campano, Possevino, Andreæ, Plescouiam versus ab Staricia iter ingressis. In itinere Plescouiensi longo, ac permolesto illud solatium fuit, quod Magni Ducis vna missus interpres à Rutheno schismate ad legitima sacra traductus est. Tertio Nonas Octobris ventum ad regia castra, mirum quanta voluptate & gratulatione vniuersi exercitus. Nam dulce omnibus nomen pacis, optatius faciebat asperitas ingruentis hyemis, quæ erat toleranda sub pellibus: cum Plescouiæ non nisi post multum incommodorum, ac temporis, multumque sanguinis sperari expugnatio posset. Rex Possevino confestim accito, priuatimque & in senatu auditis quas afferebat à Ioanne conditionibus pacis, suas & ipse protulit prope easdem quas Moschus paulo ante respuerat, verum eo iam proniores, quod quas nuper Polono pernegabat, Naruam aliasque Liuoniæ maritimas Arces, Ioannes Suecus Rex hoc ipso rerum articulo expugnarat. Misso igitur cum his conditionibus, suisque literis ad Ducem Magnum Andrea Apollonio, quo vtebatur interprete, iuuene fideli ac sedulo, Possevinus, laborum partem ad æternas vtilitates militum deriuauit. Martinus Laterna hoc proprie vrgebat opus: prohibendis vitijs, tollendis dissidijs, subleuandis decumbentium, ac morientium animis, itemque corporibus, expugnandis hæresibus. idem ad Regem, ac Proceres; idem ad promiscuas copias gemina concione, latina, atque vernacula, diebus sacris verba faciens, gratus vulgo, ac salutaris. Campani Romam profectio multum Regi quoque Stephano probabatur, præsertim vt noua religiosorum auxilia à Claudio Generali impetraret, nominatimque ad Transyluaniam, quam videbatur Rex in oculis ferre, tum etiam si pax succederet, ad Liuoniam fidei sanctę restituendam. Literis igitur, mandatisque à Stephano etiam acceptis Campanus iam iam se daturus in viam, à Carminatâ Visitatore Vilnam accitur Polonicæ vt Prouinciæ administrationem suscipiat. Anceps negotium videbatur. Censebat Rex dum Visitator in Prouincia esset, sine rerum incommodo posse Campanum Romam excurrere: Idem in Moschouiticis, & Regis ipsius nominabatur literis: idem mandata coram exceperat; vtique eo commodius peracturus, quod rerum omnium fuerat, & spectator, & particeps. Hæc vna ex parte cum afferrentur, assensum tamen Campanus obediendi amore sustinens, Vilnam aduolans totum se Carminatæ potestati permittit. Is re coram Deo diligenter inspecta, magis è re christiana publica censuit, si Campanus per Tabellarios transmissis Principum literis, additisque suis, quibus quæ coram exponenda habebat perscriberet, ipse cognoscendæ Prouinciæ, ordinandæque interesset, quo instructior Visi-

133 Rex Polonię Plescho-uiam intra Moschouiæ fines obsidet

134 Ad eũ Pos-seuinũ Mos-chus mittit: Campanum ad Cæsarem

135 Drenoczius cum Socio retinetur à Moschis.

136 Conuersio Interpretis Rutheni.

137 Posseuinus in Castris ad Plescouiam de Pace agit.

138 Eius condi-tiones ad Moschum mittit. Operam po nit in curã-dis militum animis.

139 Martini La-ternæ Pij la-bores.

140 Campanus Romam de-stinatur.

141 Sed in Po-lonia retine-tur ad Prou-incialatũ.

Visitatore mox abeunte, totam molem subiret. Ad eam vocem Pater tanquam à Deo prolatam, tametsi vel ad deprecandum onus, vel defugiendum, vel certe (si hoc vocabulo iuuat humilitatis ministeria profanare) ad delatum iam Prouincialatus honorem cum videretur gerendum, autoritate Principum, nomineque legationis grauissimæ posset abuti; simplicis tamen obedientiæ, humilitatisque fructum præoptans: Absit à me, inquit, (sic enim scripsit ad Generalem) vt polluam institutum meum nihil petendi, nihil detrectandi. Facessat à me longissime Principum autoritas, quæ maiorum meorum derogat voluntati; & oneri ceruicem suppositi tertio Kalend. Nouembris. Ad domesticam disciplinam ingens momentum attulit Carminatæ Visitatoris sedula, & prudens caritas: qui inter cetera instituit, vt christianæ fidei rudimenta etiam in compitis traderentur, rem haud dum in Polonia visitatam. In Transyluania quò duobus ante annis pauci è Societate intrarant, hoc demum anno Collegium est suis numeris absolutum. Ad hanc diem in Abbatia Colosmonostra prope Claudiopolim Iacobo Vangrouitio præfecto pauci commorabantur, & docere etiam literas cœperant. Sed cum fructus speraretur amplior, si ipsam in Vrbem scholæ inducerentur, ad Collegij sedem Christophorus Bathoreus, Vaiuoda Regis Polonorum Stephani frater, pro singulari sua in catholicam religionem voluntate templum, & cœnobium, quod olim fuerat Franciscanorum, tum erat plane desertum, attribuit. locus in proximo dum idoneus instituendo gymnasio quæritur, Cancellarius Principis & P. Stephanus Arator in cœnobium Monialium item vacuum, vna duntaxat vetula superstite, eaque iam pridem cœca, locum exploraturi venere. Quos vt adesse vetula sensit, causamque cognouit; narrabo, inquit, vobis somnium meùm, Videbar cum sororibus meis in sacello nostro præsens interesse dum canonicæ preces decantarentur. Quibus absolutis ita me quædam è sororibus compellare visa est, Mater noueris hoc in loco scholas catholicas excitatum iri: statimque his dictis visio omnis euanuit. Nunc igitur lætor plurimum, quod & religiosorum in potestatem ædes hæ veniant, & instituendæ iuuentuti dedicentur. Haud multis post diebus defuncta est vetula, & in Collegij templo sepulta. Aedes & ad docendum, & ad incolendum properè concinnatæ, *in easque Aprili mense ex Colosmonostra migratum.* Kalendis dehinc Maij Comitia generalia Princeps Claudiopoli habuit, in quibus Nobilitas successorem ei iurauit Sigismundum filium ætate ferme octennem: itemque decretum, vt si quæ Ciuitas, aut frequens populus catholicos cuperet sacerdotes, fraudi ne esset Principi eos concedere. Existimarunt Patres per eam Comitiorum celebritatem, præsertim quod Hæretici Ministri sparserant, eos formidare disputandi certamen, catholicæ causæ fiduciam, ac bonitatem aperiendam. Itaque Theses de verbo Dei Cracouiæ typis excusas, publice disputandas proponunt, & plerisque Ministrorum, qui amplius quinquaginta conuenerant, tradunt: qui initio cunctantes, nobilium compulsi prope conuicio, recepere tandem se disputationi adfuturos, & quidem ita acriter conferturos manus, vt Iesuitis etiam præ terrore capillus inhorresceret. Hoc paratiores nostri dictam certamini diem expectabant. Commouit hæc fiducia Antesignanos erroris: diuque conceptum erga veritatis præcones odium grauiter irritauit. Itaque Arrianorum Præfectus, quem Episcopum Euangelicum ipsi appellant, in ipsis Comitijs cum exposuisset magno cum animi sui dolore quam facile Iesuitæ intra biennium multos Pagos, vrbesque duas occupassent; cœpit implorare fidem, & auxilium Nobilitatis ne se, & verbum Dei à Iesuitis opprimi paterentur: ac proferens quas ad eum quoque Patres miserant Theses, & palam ostentans cum clamore miserabili, & querula voce, Videte, inquit, Domini Magnifici, quemadmodum & thesibus, & disputationibus aduersus Regni tranquillitatem lacessere nos haud dubitant. Vix quatuor, aut quinque numero sunt; & iam quietis per illos in Regno nobis esse non licet: quod nisi mature prouideritis, & primo quoque tempore exterminaueritis, haud dubium est, quin breui iterum abominanda Idololatria Papæ, Missa, Imagines, & Sanctorum tam-

142 Eius obe-dientia & modestia,

143 Christianæ fidei rudimẽ-ta in compi-tis tradi cẽ-pta:

144 Coll. Clau-diopolitani in Transyl-uania funda tio.

145 Comitia gene-r. Transyl-uaniæ Claudiopoli ha-bita.

146 Earum oc-casione pro-positæ The-ses:

147 Concitãt in nostros A-rianum Mi-nistrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamquam multorum Deorum adoratio in omnes ciuitates introducatur, ex quibus cum ingenti labore ante paucos annos extirpauimus. Hic cum aliquandiu Nobilitas tacuisset, assurgens vnus, Audi, inquit, Demetri, (hoc erat Arriano Archimystæ nomen) num ignoras decretum esse Regni, vt cuiuis nobilium fas sit eius fidei præconem in suis præsidijs habere, quam ipse profiteri velit? cur igitur nostro clarissimo Principi succenses, quod suæ religionis homines in Ciuitates suas, & Pagos induxerit? An æquum est priuato Nobili autoritate, & conditione postferri Principem? Esto igitur, Demetri, sorte tua contentus, ne dum nimis multa complecti vis, amittas etiam ea, quæ possides. Nihil reliquum fuit Demetrio, aut cuiquam aduersariorum, quod contra blateraret: Sed addidit quidam Nobilium catholicorum, Numquam legimus Apostolos, contra eos, qui cum ipsis disputare voluissent, sæcularem potestatem imploraſſe, quemadmodum isti faciunt: qui tamen Apostolici viri haberi volunt. Hæc cum Catholici facerent, quia tamen Hæretici longe numero superabant, inter cetera capita proposuere Principi, ne Romanæ fidei Doctores (ita appellabant homines Societatis) quos Claudiopoli collocasset, & quibus Albæ quoque Iuliæ cœnobium tradidisset, in alia loca posthac introduceret, nisi maior pars Pagi, aut Ciuitatis, quæ eos doctores petat, religionis eiusdem sit. Adeo suis prædis Satan pertimescebat. Aderat iam dicta disputationi dies: venit cuncta Nobilitas in Collegium: venit Princeps cum filio: ingens numerus Hominum confluxit. Nullus aderat Ministrorum, quorum erat contra pugnare: conquiruntur; nullus apparet: omnes videlicet euanuerant. Adeo vt inter sese Patres exercitationis gratia, & ad illustrandam veritatem disceptare cogerentur. A meridie Transyluani Adolescentes fabellam Principe item proceribusque spectantibus edidere: quibus ita illud liberalis institutionis specimeu arrisit; vt certatim nobiles, quamquam Hæretici, suos liberos Collegij disciplinæ committerent. Omnino spes erat rei bene gerendæ optima: nam & paulo ante vxor Vaiuodæ asylum Hæreticorum, & columen mortem oppetiuerat: & nobilitas per scholarum vtilitatem sensim deliniebatur; & Sigismundus destinatus Patri successor egregiam præ se ferebat indolem, cum Princeps ipse Christophorus, quo cuncta hæc nitebantur, occubuit. Comitijs Claudiopoli peractis Albam Iuliam regressus, morbo corripitur, sextoque Kalendas Iunij decedit. Nunquam supremo tempore Lelesium abesse permisit: tantaque Optimus Princeps cura ad nouissimum illud æternitatis negotium se se comparauit; vt nulla de re aliquot dies sermones voluerit audire, nisi de Deo, vitaque beata. Versiculis multum delectabatur è psalmis Dauidicis, eoque præcipuè. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: quem iussit sibi etiam postquam sensus corporis vis mali obstupefecisset, identidem in auriculam insusurrari. Hoc intempestiuum funus curam iniecit Patribus, qui tanquam orbi, & inermes inter hostes, & arma relinquebantur: Nec dubium fuit, quin nisi vxorem Principis hæreticam paulo ante (vti dixi) Deus de medio sustulisset, ea continuo Patres, antequam Stephanus Rex edoceretur, aut succurreret, Transyluania fuerit eiectura. Iam vero Hæreticos Proceres sublata femina duce, vt pote destitutos capite, Stephani Regis facile metus compescuit. Deinde perspecta in eo est Dei clementia, quod paucis ante diebus, vti retuli, Sigismundum puerum Successorem Patri Nobilitas declararat: cui cum subinde vexillum quoque Turcarum Imperator misisset, argumentum probatorum ab eo comitiorum, perpetuandique fœderis pignus; ea quoque res valuit ad seditiosorum, ne quid moliri audeient, animos inhibendos. Stephanus autem vbi certior factus est de Fratris excessu, non destitit grauissimis verbis tum consolari Patres, ac suum ipsis patrocinium deferre, tum causam eorum per literas commendare Proceribus, ac separatim Claudiopolitano Prætori: affirmans existimaturum præstitum sibi, quicquid ijs caritatis, humanitatisque præstaret. Idem Rex, quippe Sigismundi Tutor, administratione susceptæ, idoneum se missurum Præfectum dixit. Interim quemadmodum Princeps Christophorus decreuerat, Sigismundum in Lelesij disciplina voluit permanere: idem Claudiopolitani Collegij institutionem comprobauit, sua manu quibusdam interiectis, mutatisue quæ magis ad dignitatem, munimentumq; Collegij pertinerent. Inter hæc catholica res sensim, & pacate reparabatur, eo maxime emolumento, quod baptismi vsus magna ex parte restitutus est, insigni Catholicarum feminarum solertia, quæ Hæreticas per Maritorum absentiam alloquentes sagaciter ipsas ad conuersionem, & filiorum baptismum pelliciebant. Rex Stephanus generalem meditabatur Claudiopoli instituere Academiam: eoque vt numerosa ali posset familia, Collegio, quod ante Pagos tres possidebat, tot dem, qui ad Abbatiæ eiusdem iura spectabant, id quod etiam Princeps Christophorus destinarat, ære suo redemptos adiecit. Iam nomen Iesuitarum toto regno celebrabatur, & multi ad se eos accersebant. Itaque duo Sacerdotes Varadinum vnus, alter profectus ad Siculos (qui populi sunt Orientalis Transyluaniæ, Valachiæque, & Moldauiæ adiacent) tanquam Dei Angeli excepti, quanquam Nouitij, & in transcursu, pietatis fructus supra spem atque operam retulere. Interiecta est Poloniæ, ac Germaniæ Silesia, cuius Metropolis Vratislauia frequens, & nobilis Vrbs ab annis fere quinquaginta Lutheranismo premebatur: & tamen populum pro ingenita indole, in tanta prauitate doctrinæ plerumque recte moratum habebat, & cupidum religionis antiquæ. Sed duo inter se infelices lanistæ digladiantes impie distrahebant, illo vt Luthero penitus assereret, hoc vt Caluino subijceret, contendente. Præsul Martinus nomine, idemque supremus per vtramque Silesiam Capitaneus, catholicus erat, ac pius, qui misere deludi ac laniari Christi gregem dolens, auxilium & ipse Societatis expetijt, Matthæus Crablerus, & Stephanus Coruinus sacerdotes concessi. Hi diuinas res in æde Principe exorsi, Crablerus verbis ad populum faciendis, Coruinus mysterijs præcipue diuinis distribuendis occupati, non solum veteres excoluere catholicos, sed etiam multos ab erroribus extraxere, multo plures abducturi; nisi edicto Senatus cauisset, ne quis ad Iesuitarum conciones accederet. Christianus Franchen, quem supra ab Societate, ac religione catholica retuli desciuisse, ab longa erratione huc reuersus in Patrum colloquium venit: Deique gratia veritatis luce respecta, & propius cognitam Hæreticorum stomachatus insaniam, ad Ecclesiam redijt; palinodiamque eorum, quæ in Societatem effuderat, recantauit: nec tamen receptus est domum: sed consultius visum est, vt votorum, quæ nondum solemnia nuncuparat, nexu liber, suas extra Societatem res ageret. Sed vt grauius mox corruerit, rursusque per Dei inexsuperabilem clementiam resurrexerit, infra narrabo. Adnectam hic Simonis Simonij ad Orthodoxos regressum. Clarissimus is erat Medicus permultis voluminibus notus, in Academia Lipsiensi professor, qui Pragæ cum Societatis concionatore multum luctatus, tandem victor erroris gloriosè veritati succubuit, publiceque in honestissima Procerum corona hæresim abiecit: quanquam postea homo miserrimus in profundum impietatis omnium religionum contemptor se se præcipitauit, Et tamen nunquam desistit ad se inuitare diuina clementia, & interdum compellere, vt cuidam Saxoniæ Ducis Symphoniaco vsu venit: qui cum Viennam à parentibus mitteretur, multum monitus ne Praga transiret, vbi cognatos habebat catholicos: prope Pragam à latronibus ita spoliatus est, vt eo cogeretur diuertere. Tum quod Parentes timuerant, ad Collegium à cognatis deductus, fideique stolam, quam olim tartarei prædones multo dirius rapuerant, magno lucro recuperat. Quem exitum comes eius itineris item hæreticus considerans, Numinisque consilia admiranda cognoscens, & ipse piorum ad gregem accessit. Lithomislium Boëmiæ oppidum in ditione erat viri clarissimi, ac religiosissimi Vratilai à Pernestain, quo tertio ante anno profectus de Societate sacerdos, cum hæresi ab longo tempore omnia corrupta inueniisset, adhuc perseuerabat mirifico progressu in oppidoque ipso, pagisque cuncta in pristinam restituere sanctitatem. Clara est item Boëmiæ ciuitas Pisna, quæ cum incorruptam religionem acriter tueretur, Senatus, & Antistitis accitu in vitijs expurgandis morum, augendo erga mysteria diuina cultu, eorumque vsu frequen-

148 Qui tamen nihil impetrat à Comitijs.

149 Hæretici cõtra quã pro miserãt disputationes vitant.

150 Drama cum successu datum.

151 Christophori Transyluaniæ Principis mors pia.

152 Sed religioni & Societati perincommoda.

153 Succedit ei Sigismundus puer,

154 Stephanus Rex Poloniæ Societatem in Trãsyluania tuetur.

155 Catholicarum feminarum zelus in restituendo Baptismi vsu.

156 Claudiopolitanum Collegium augetur à Stephano Rege.

157 Vratislauiẽsis Missionis occasio,

Et fructus.

158 Christiani Franchen Apostatæ reditus ad fidem.

159 Simonis itẽ Simonij.

160 Pragæ Symphoniacus Ducis Saxoniæ miro casu conuersus cum comite.

161 Lithomislij vtiliter laborat Sacerdos Soc.

162 Duo item alij Pisnæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

163 Conuentus Principum in Styria Græcij habitus.

quenti inducendo, alterum iam annum aliud sociorum par ita desudabat, vt plane obstructum eorum laboribus omnem peruersæ doctrinæ in eam ciuitatem aditum Senatores ipsi contestarentur. Græcij sub initium anni Prouincialis Henricus Blissenius præclaram nauauit operam dum conuentum Styriæ Principes haberent: eam ob rem ab Societatis generalibus Comitijs abfuerat. Insignem Carolus Archidux in eo conuentu constantiam præstitit aduersus Dynastas nouæ, hoc est, vanæ religionis. In superiore Germania res Societatis domesticæ non erant plane tranquillæ. Dominicus Menginus Guilielmo Duci à confessionibus, & intime carus erat, sed ijs moribus, vt quemuis Aulicorum, quam Religiosorum magis referrent. Is optimum Ducem, quia conati erant Præsides ipsum in officio continere, ab Societate non mediocriter auocarat: se eius causa vexari insusurrans: sibi inuideri, insidias tendi, & alia quæ solent isti ab Christi claustris ad Principum aulas transfugæ obtendere contumaciæ suæ. Super hæc vetus controuersia de contractu illo lat in Germania, præsertim Augustæ, vsitato, in quo salua sorte quini ex centenis nummi recipiebantur, prouinciam perturbabat. Post Euerardi comitia Romæ negotium id Theologi cum subtiliter pertractassent, tolerandum responderant. Verum cum in Heyuodi sententiam doctiorum plerique in Bauaria concessissent, qui mordicus tenebat implicitam in eo contractu vsuræ iniquitatem latere, Gregorius Valentia Theologiæ Ingolstadij professor romana cœpit tueri responsa. Hunc magna repente opinio doctrinæ celebrem fecit: itaque Ingolstadiana Academia, & multi de Societate sequuti: duasque in partes distractæ non Doctorum magis sententiæ, quam conscientiæ negotiatorum. Dux qua erat ingenij bonitate tanquam tutiorem non arripuit modo Heyuodi opinionem, sed etiam edicto vetuit aliter quam secundum eam contractus iniri: iamque eam tueri dignitatis suæ rebatur. Eo demum euasit res, vt pertinax sententiæ Heyuodus Apostolicæ Sedis iudicium appellaret. Controuersia igitur Romæ iterum à lectissimis theologis pertractatur ipso præsente Heyuodo, & Gregorio de Valentia: vtque prius, respondetur non suadendam quidem eiusmodi negotiationem propter periculum: verumtamen si certæ conditiones adhibeantur, ab iniquitate defendi: atque in hanc sententiam Duci Pontifex ipse respondit. Hoc Prouinciæ statu Visitator Oliuerius Bauariam ingressus Friburgum primùm excurrit, Collegij, quod ibi parabatur, institutionem Senatu autore ad exitum perducturus: non enim pauci è Senatu clam fauebant Hæreticis per fraudem à Geneuensibus, ac Bernatibus circumuenti. Cæterum ita facile agnouere, & damnauere fallacias hostium, vt summo consensu recepto Collegio, Oliuerium non modo perhonorifice habuerint quandiu Friburgi moratus est; sed etiam digredientem humanitate memoranda prosequerentur. Nam turma equitum ex primis tum secularis, tum Ecclesiastici ordinis ignarum præstolati ad Vrbis portas, non potuere demoueri de sententia, quo minus biduum deducerent: eo nimirum consilio vt ostenderent quam procul abessent ab excipiendis Hæreticorum fraudibus, dum tanto honore Iesuitas, quos illi pessimè oderant, prosequuntur. Idque eo videntur feciſse libentius, quod paulo ante Pontificis Nuntium Bonhomium, & Canisium Berna transeuntes Hæretici contumelijs publice affecerant. Relicto Friburgi Canisio, qui non pietate minus vitæ, quam autoritate sapientiæ, atque operis sedulitate illum Christi Domini inter circumfrementes bestias gregem tuebatur, Oliuerius ad Bauarum Ducem perrexit: ad quem Menginus Visitatoris nomine commotus ita aditum omnem intercluserat, vt primo die repulsus, ægre altero admissus sit. Sed quo impeditiora fuere congressus initia, eo fuit successus optatior. Dedoceri se facillime Guilielmus permisit: totumque Societati plane restituit, de Mengino, vt aiebat, laborans ne funditus periret. Ita enim se res habet: illi ipsi Dynastæ, qui Religiosorum in sua disciplina claudicantium tutelam exercent, eorum agnoscunt, & vulgant errata. Ita miseri dum & Aulas sequi, & cœnobium retinere volunt, neutrobique quod sequuntur, inueniunt. Coloniæ hoc anno primùm Societati ab omni ciuili one-

re

164 Domesticæ turbæ Societatis in Bauaria.

165 Cõtrouersia de tribus cõtractibus in Bauaria feruet.

166 Vocatur Romam ibique profligatur.

167 Institutio Colleg. Friburgensis.

168 Oliuerij visitatoris honestissima deductio.

169 Canisius Friburgi Catholicam fidem tuetur.

170 Guillelmus Bauariæ dux Societati reconciliatus Oliuerij opera. Frustra obstante Mengino.

171 Aulicismi pernicies.

re liberas ædes Ioannes à Suuollincen Decanus Sancti Andreæ, ac totum Ecclesiæ eius Collegium donauit. Herbipoli cum Hæretici nobiles tumultum cierent, & oblatis quibusdam Antistiti capitibus, inter cetera peterent, vt ne ædificaret Iesuitis Collegium, sed vt omnino eos ex Vrbe eijceret, nihil impetrarunt: immissis enim prudenter alijs nobilibus Antistes, qui contraria sentirent, & conarentur, exorientes motus sedauit. Aquisgrani in eum locum adnitente omni ope P. Ioanne Macherentino religio redierat, vt proxime abesset à prima sua specie, cum Hæretici præsertim Caluiniani, ne solum è catholicis, quod Imperator mandarat, Magistratus legerentur, seditionem mouerunt: adeo vt rebus maxime turbulentis statio fuerit Macherentino, & socijs, tantisper deferenda, quo meliori se tempori reseruarent. Iacobus Treuirensis Archiepiscopus, qui Collegium fundarat Treuiris, & Confluentiæ inchoarat, pridie Nonas Iulias pie cessit è vita: quo supremo tempore, quanti hunc Ordinem faceret, quam eius fideret precibus, vel ea re ostendit, quod cum aliquandiu vi morbi sensuum, ac loquelæ vsu caruisset, vbi paululum respirauit, in eam vocem ter ingeminans erupit, O Sancta Societas. Non pauci orbatos patrocinio Principis Patres animaduertentes, vti cupiebant scilicet, iactabant eos Treuiris amandandos. Sed opus suum Deus defendit, creatus enim paulo post nouus Antistes Ioannes à Schonebergs & in cetera religionis tuendæ curâ, & in Societatis tutela egregiè Iacobo succesſit. Huius postulatu Lutzemburgum, quæ ciuitas Diœcesis Treuirensis in ditione Philippi Regis est sita, duo missi sacerdotes & Ciuitati, & Præsuli suam operam probauere. Etiamnum Prouincia Belgica, & bellis, & inopiâ, & pestilentiâ miserum in modum exercebatur: quæ difficultates Balduinum ab Angelo Prouincialem non permiserant ad comitia Romam accedere. Vbi tamen Alexander Princeps Parmensis Tornacum in Sancti Andreæ peruigilio, deditione facta, recepit, eò statim aliquot de Societate regressi sunt. Ioannes Mortagna imprimis, qui & in exercitu fuerat ipsi Duci à confessionibus. Leodij quod multis annis agebatur, tandem Collegium perfectum. Id Cardinalis Episcopus Gerardus à Groisbeeck inchoatum, in Monasterio Hieronymianorum ad gymnasij opportunitatem statuerat collocare; cumque ijs Religiosis de tota re magna caritate conuenerat. Cardinali ante rei finem vita defuncto tertio Kalend. Februarij Ernestus Guilielmi Bauariæ Ducis frater Leodiensis Pastor, ac Princeps creatur, tam præclara sociorum, qui adhuc Leodij egerant, opinione imbutus, vt hæc ipsa verba ad Generalem Claudium scripserit, *cum autem vestræ Societatis Patres in dicta nostra Ciuitate concionibus, & Sacramentorum administratione ab eo, quo ibi cœperunt esse tempore, talem in catholica Ecclesia, & religione profectum per Dei gratiam fecerint, vt omnibus alijs circumuicinis prouincys Belgicis in hæresim, & seditiones varias lapsis, sola Ecclesia, & patria Leodiensis religionem catholicam retineat, nullisque hæreticis locum concedat, omnem adhibere operam tenemur, & desideramus vi id sit perpetuum; Patresque vestri tanti boni autores nullam vnquam è nostra ciuitate, & Prouincia recedendi occasionem habeant, sed ipsis de Ecclesia, & loco professioni ipsorum maxime idoneo, doteque sufficienti prouideatur.* Vrsit rem diligenter Ernesti Vicarius Leuinus Torrentius insignis vir pietate, ac literis. Itaque initio Octobris traditæ Collegio ædes, pauloque post in eas migratum, & initio insequentis anni tres Grammaticæ inchoatæ classes. Collegia item duo sunt cœpta in Gallijs, Diuione alterum, alterum Augi. Et illud quidem præter omnem opinionem subito extitit. Vrbs est Diuio Burgundiæ Metropolis, non procul à clarissimis Diui Bernardi natalibus. Supremæ illic Curiæ Præses vir & doctrinæ, & integritatis opinione inclytus Odinetus Godranius, liberis carens, cum Iacobi Godranij sui parentis monitu, vt dicitur, sociorum Parisiensium, quorum præclaros norat labores, leuare inopiam diu habuisset in animo; tandem ad suæ adiumentum, & ornamentum Patriæ curam applicuit. Hoc igitur anno ineunte testamentum, quod multo ante confecerat, lethali morbo correptus Antonio Monino spectatæ virtutis famulo, post collaudatam eius fidem dudum

172 Coloniæ ædes liberæ ac Collegiũ Societati data.

173 Herbipoli motus in Societatem irriti.

174 Aquisgrano seditionis causa Societas ad tempus cedit.

175 Treuirensis Antistitis pius obitus & in Societatem amor.

176 Eius successor Societati fauet.

177 Duo ex ea missi ab illo Lutzemburgum bene rẽ gerunt.

178 Nostri Tornacum regressi.

179 Leodiense Collegium à Card. Gerardo inchoatum.

180 Principis Ernesti noui Antistitis Leodiensis in Societatẽ fauor.

181 Is vrgente Leuino Torrentio Collegium absoluit.

182 Colleg. Diuionẽsis initia.

183 Odineti Godranij testamentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dudum sibi perspectam, ac Sacramento in id quod imperaturus erat adactam, in manus tradit; quod simul ac ipse expirasset ad Senatum resignandum continuo, atque vulgandum deferret. Hæc quanquam arcanò gesta, non tamen potuere suspicionem Sororis & Propinquorum moribundi prorsus effugere. Et Odinetus quidem, vt Dei prouidentiam agnoscas, vix vno post horæ quadrante moritur. Qui simul animam efflauit, Soror, & Propinqui Antonium aggrediuntur: partim minis, partim pollicitationibus versant omnes in partes, sed frustra: certus ille potius mori, quam obligatam Domino fidem fallere, commissas sibi tabulas diligentissimè conseruauit, posteroque die, vbi primum neffugium nactus est, detulit ad Senatum. Magna interim rerum facta iactura est, quas interuertisse propinqui dicuntur. Senatus præter ordinem ad eam rem coactus testamentum resignat, quod summa cum omnium lætitiâ, & faustâ acclamatione recitatur. Collaudant omnes Odineti erga Patriam pietatem, & Antonio egregiæ fidei monumenta decernunt; fidelis cognomen, iura nobilitatis, & anniuersariam pecuniæ pensionem de publico in eum diem, quo testamentum Senatui reddiderat. Eodem tempore mittunt apparitores, qui vacuas fieri ædes iubeant; & Lutetiam alios, qui homines Societatis ad quorum nec aures, nec animos vlla eius consilij aura peruenerat, quin & ipsum hominem ignorabant, raptim accersant. Denique Ludouico Richeomo Rectore, institutæ Grammaticæ, Humanitatis, Rhetoricæ, Philosophiæ classes; & consueta pietatis quoque studia cœpta, magna totius ciuitatis expectatione, nihilo inferiore successu. Augum in Normandia oppidum est (Euxium alij vocant) ad Oceani littus ex aduerso Angliæ situm, vnde Comitatus nominatur Gentis Guisiæ. Henricus Dux vna cum Catharina Cliuensi coniuge Lotharingum Cardinalem Auunculum Mussipontani Collegij fundatorem imitatus, Collegium hìc attributo vectigali constituit. Templum statim exædificatum est magna ciuium primariorum sedulitate, qui operi cura nobilium, labore prope operariorum instabant. Itaque ad culmen breui perductum; vt in eo die Sancti Martini festo tractari sacra cœperint. Anno insequenti totius Collegij posita fundamenta: Interim scholæ in tectis veteribus concinnatæ Iacobo Manareo nouæ Coloniæ primo Rectore. Felix hic fuit annus Mussipontanæ Ciuitati, quo tota demum catholico cultui restituta est præferoci cuidam Hæretico, qui vnicus restabat, pertinacia erroris excussa. Eo iam studiosius in circumiectas oras licebat Collegio spargere suos labores; quas multi Patrum sedulò peragrarunt. At Metis totum annum cum altero Sacerdote Carolus Sagerius hæsit. Multæ interim multis locis calamitates grassabantur. In agro Viuariensi prope Turnonem tam multi subinde apparuêre ab dæmonibus obsessi, vt terni, quaternique in singulis penè familijs numerarentur, ac serpere quasi contagio malum videretur. Accurrerunt ad nouam calamitatem Turnone Patres, qui populum ad detestanda peccata, & pia sectanda opera inflammarent: ita paulatim inferni hostes, terroresque depulsi. Lugduni, Auenionèque pestilentia debacchante, relictis ad curam, & leuamentum ægrarum ciuitatum subsidijs, alij sociorum ad salubres oras dimissi, longè, latèque salutare Dei verbum sparsere, vt multis in vrbibus de excitandis Collegijs magnoperè agitari cœptum sit. Interim Edmundi Augerij potissimum Lugduni enituit præsens, ac feruida caritas. Autor fuit vt perpetuæ preces ad exposcendam à Deo pacem per omnia templa ederentur: dato insuper publicè signo, quod ad priuatim precandum excitaret, qui adire templa non possent. Receptaculum extra vrbem ex materiâ ad habendos, curandosque lue ictos, & alterum in quo febri, alijsque conflictati malis haud contactu manantibus, curarentur, ædificauit, emendicata vicatim pecuniâ. Idem deinceps ad cibaria, medicamenta, lectos, ac vestes ægrorum emendicare ab locupletioribus stipem: idem coram miserâ turbâ sacra diebus sanctioribus facere, ac plerisque eorum panem vitæ porrigere: idem quotidiè vrbem peruisere, si quos destitutos, abiectosque deprehenderet: per quam occasionem sæpe demissos per funem ex fenestris infantes sacro baptismate expiauit. Neque tot in laboribus curisque ordinariam

ad

184 Antonij Momini egregia fides.

Meritis præmijs affecta.

185 Nostri à Senatu Diuionensi euocati Lutetiæ Collegium inchoant.

186 Augense Collegium ab Henrico Guisiæ Duce fundatú.

187 Mussipontú hæresi purgatum.

188 Energumenorum multitudo in agro Viuariensi à nostris Turnonensibus curata.

189 Pestilentia Lugduni & Auenione occasio Missionum.

190 Edmundi Augerij vtiles labores Lugduni tempore pestis.

ad ciues dictionem vnquam intermittere: ad quam obseruatum est eorum qui accederent, neminem lue contactum esse. Eodem autore, festo omnium Sanctorum die publicum Ciuitas votum Beatæ Virgini Lauretanæ concepit. Ex quo tempore cum cœpisset dira mali vis frangi, idem Edmundus ad exsoluendum votum insequenti anno Lauretum est missus. Feruebat interim in Angliâ immanis in catholicos tempestas: feruebat (vt tali tempore vsu venit) religio. Plurimus vbique sermo de Iesuitis: qui quidem proximo anno, vti supra scriptum est, expeditione illa animo magno suscepta, plura quam pro numero gerebant. Sex duntaxat numero erant, & horum, in carcere tres; Thomas Pondus ex ipsis vinculis Societate petita, & impetrata per literas: Iacobus Bosgrauius ex Polonia valetudinis causa remissus in Patriam: & primo quod per simplicitatem dixerat aditurum se Templa Hæreticorum, nimirum vt inspectaret, permissus liberè agitare: dein, quod cognita interrogantium fraude, suaque simplicitate, explicauerat neutiquam se religionis ergo iturum, comprehensus, & in carcerem datus. Cottamus, qui item sponte se vinciendum præbuerat, ne alius catholicus suâ causâ quicquam detrimenti acciperet. Hi tres, quantum custodiæ permittebant angustiæ, diuinam in ipsis vinculis rem procurabant; nec vulgo de Societate habebantur. Duos fama celebrabat, ijdemque conquirebantur, & commouere omnia dicebantur, Personius, & Campianus: quorum ille Londini fere, seu circa tenebat se, totius negotij rector, & administrator acerrimus; hic cum Rodulfo Emersono laico fratre Insulam percursabat: vnde ab hæretico oratore in Comitijs, circumuolitans, & liberè vagans Iesuita nuncupatus est. Nouæ sub anni exordium in eos conditæ leges, noua in Catholicos, qui ab Templis hæreticis abstinerent, quos Recusantes appellant vulgata edicta, mulctâ impositâ aureorum nummûm in singulos menses sexagenorum. Quas ab aduersarijs iniectas angustias auxit quorumdam Catholicorum ignaua & fallax opinio, fas esse docentium in tantâ rerum difficultate templa Hæreticorum adiri, certè contestatione additâ, id nequaquam religionis causâ, sed ad obediendum Principibus fieri. Quam sententiam cum edito volumine, vti supra demonstratum est Personius infregisset, liber apparuit Clytheroi laici tum hominis, postea Sacerdotis, qui eandem rationibus falsis, & Sanctorum Patrum testimonijs abusus, disseminabat, magno cum rei catholicæ periculo. Quippe prona est fides eorum, quæ profit credidisse: suntque admodum rari, qui, si sperent obtineri cum diuinis simul terrena posse, non id malint. Ad hæc multi, quos haud ita constantiæ amor, vt inconstantiæ pudor tenet, vbi probabilis ad vulgus species obtentui est, protinus ruunt. Itaque pestifero illo, sed in speciem non inhonesto conscientiarum delinimento Clytheroi, nutare Catholicorum multi cœpere, & quidam lapsi; in quibus nonnulli nobilitate, & opibus insignes. Nouæ huic flammæ Personius, vt maturè occurreret, cum vno è vetustissimis Sacerdotibus, ac doctissimis clanculum ad bibliothecam Yongi Doctoris catholici iam demortui, quæ apud eius fratrem Londini erat, se confert. Dum quædam versant volumina, non occurrentibus quæ requirebant, repente, quamuis multum retinente hospite, discedunt; paulòque post lictores ingressi (accepto fortassis à quopiam exploratorum indicio, qui iam multi nihil per vias, domosque Londini relinquebant tutum) domum omnem scrutantur: vt adeo subitum discedendi consilium diuinitus Patri videretur iniectum: qui inde digressus, Tamesi cymbâ traiecto, ad bibliothecam Landgalli in ædibus Vicecomitis Montis acuti pergit; vbi non solum, quæ cupiebat volumina, sed ea ipsa, vt ex notis ad marginem adiectis apparuit, quibus Clytherous vsus erat, inuenit. Deo igitur sic fauente, scribit raptim, accurateque libellum: multisque exemplaribus euulgat, & venenum contrarij voluminis exarmat: grauius hinc Reginâ, & Consiliarijs, id sibi dolentibus telum infractum, offensis. Sed ecce tibi noua ab Ioanne Nicolao procella. Homo, is erat, (veluti res ostendit) leuissimæ, ac nullius mentis: qui in eâ Angliæ parte, quæ Vallia, seu vetus Britannia nominatur, cum hæreticum Ministrum

191 Verbi diuini auditio amuletum cõtra pestem. Voto B. Virgini Lauretanæ publicè facto Lugdunum peste liberatur.

192 Persecutio in Anglia.

193 Bosgrauius, & Cottamus in carcerem dati.

194 Personius, & Campianus ad supplicia quæsiti.

195 Noua edicta in recusantes adire templa Hæreticorum.

196 Dissensio inter Catholicos.

197 Clytheroi libro scandalizantur multi.

198 Quorumdã Apostasia.

199 Personius tantum non interceptus à conquirentibus.

200 Librum Clytheroi feliciter confutat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

201 Ioannes Nicolaus à Catholicis deficit.

ſtrum ageret, Romam anno 1579. profectus, execratuſque apud ſacros Quæſitores, quos vltrò adijt, errores, in Anglicano Collegio recens condito annum, & eo amplius liberalitate Gregorii Pontificis vixit: vnde, quod parum eſſet ad Collegij propoſitum aptus, dimiſſus remeauit in Angliam: ardentemque contra catholicos inſectationem reperiens, redijt ad ingenium, & ad abiuratas hæreſes: contraque Catholicos, ac nominatim contra Ieſuitas, & alios nuperrimè Roma Sacerdotes aduectos ſuam operam perſequutoribus detulit. Hæretici Satrapæ, quo ſpecioſius res gereretur, ipſummet Londinenſem in Turrim (quam in cuſtodiam non niſi nobiles, aut perduelles ducuntur) per ſimulationem includunt. Præerat hìc Odoënus Hoptonus homo teter, ac fraudulentus. non tam praua religione, quam nulla. Quo inſtigante, atque adeò dictante Nicolaus exarat librum, ſe tot annos diſcipulum Papæ fuiſſe, coram Papa, & Cardinalibus orationem habuiſſe: ab ijs, vti cæteros alumnos, in Angliam miſſum, ac proinde conſilia eorum ſibi cognita, mentemque peſtiferam, & alia, quæ Hoptono veniebant in mentem. Additur ad magnificandam rem fama, autorem illum è doctiſſimis Ieſuitarum eſſe, & in fronte libri ſententiæ Hebreâ, Græcâ, Latinâque linguâ præfiguntur, tanquam Nicolaus (re vera inane ac ridiculum caput) ad cæteram ſapientiam eas optimè linguas calleret. Diditur per totum regnum fama Ieſuitæ, diſcipulique Papæ conuerſi. Nobileſque, vt fabulam etiamnum magis ſimplici populo venditarent, cum magno comitatu in equis, ac præcipuè Comes Liceſtriæ Reginæ gratiſſimus, ad Turrim pergebant, vt conuerſi Ieſuitæ, quemadmodum vocabant, concionem audirent. Pudebat, pigebatque ipſos concionatoris ſui Auditores: adeo miſerè, inepteque deblaterabat: tamen eas conciones pro doctiſſimis celebrarunt. Iamque multi per Regnum ex eo errore in periculum trahebantur, niſi & huic fraudi Perſonius celeriter obuiam iſſet, detractâ Monſtro illi perſonâ, vulgatòque volumine, cui titulum fecit, Ioannis Nicolai detectio: quod tantum profuit, vt Ioannes, totaque eius fabula funditus euaneſceret. Itaque primum ab alijs Aulicis, poſtremò ab Hoptono deſertus, atque ex Turri eiectus, haud ſine magno eorum pudore, qui hominem tantùm extulerant, coactus eſt ſibi victum emendicare. Quam calamitatem non ferens, conſilium ſuſcepit deſperatione plenum, abeundi ad Mahometanos, Turcarumque ſuperſtitionis profitendæ: ſed captus in Galliâ, flagitia hæc, aliaque multa confeſſus, veniam à Deo, Societate, alijſque catholicis Sacerdotibus poſtulauit. Antequam tamen ad id miſeriarum redigeretur, operâ eius hoc anno Hoptonus, quoniam pro concionatore non amplius poterat, pro exploratore vſus eſt: eiuſque iudicio reuerſus modo ex vrbe Antonius Tirellus eſt captus. Iam & Sledæus ex occulto proditore Satelles manifeſtus, ac lictor euaſerat, poteſtate à Conſilio regio acceptâ in domos omnium irrumpendi, & latebras quaslibet perſcrutandi; quod præſtabat diligentiſſimè. Acceſſit Laurentius Caddæus, qui ex Collegio Anglorum Romano, vt merebatur, eiectus, vbi Londinum attigit, Pſeudoepiſcopo ſe vltro obtulit paratum renuntiare Catholicis. Arripiunt occaſionem Hæretici, hominem vni Prædicantium tradunt, à quo ad locum Londini celeberrimum, cui S. Pauli Crux eſt nomen, deductus, quæ ipſimet ei contra Pontificem, & Romanam religionem ſubiecerant, euulgaret. Quod Caddæus (vt erat facie inſigniter abnormi, ac totus inconditus) adeo infeliciter, ac turpiter fecit, vt ipſiſmet Hæreticis pro gloriâ ruborem afferret. Tamen bellus transfuga ad Oxonienſem Academiam aſſignato annuo victu recoquendus mittitur, futurus olim Miniſter: quanquam mox, & ipſe reſipuit. Illa quoque Hoptonus vſus eſt fraude. Ad Ioannis Nicolai, & aliorum Miniſtrorum conciones, quos habebat in cuſtodiâ Catholicos vi rapi iuſſit; deinde vulgauit cum multorum iuratorum teſtimonijs, Papiſtas, quotquot ſub ſe tenebantur, vltrò ad Eccleſias, & conciones Proteſtantium itare, vt hac exempli fallacia ſimpliciores circumueniret. Cumque minis, ac tormentis nobilem iuuenem, Ioannem Paſchalem nomine, ad id compuliſſet, vt aditurum ſe, quas iubebatur, Eccle-

202 Et librum in eos horrendis calumnijs plenum vulgat.

Autor Ieſuita fingitur.

203 In turri Londinenſi peſtiferas conciones habet.

204 Perſonius laruam Nicolao detrahit.

Qui ad perfidiam Mahumetanam tranſire cogitat.

205 Laurentij Caddæi ad Hæreticos tranſfugium

Qui mox reſipiſcit.

206 Ioannis Paſchalis lapſus.

ſias

ſias diceret, vi hominum ingenti cum Iudicibus, & Magiſtratibus in publicas Ciuitatis ædes coacta, introduci Ioannem iuſſit, vt in ea celebritate, quod promiſerat, teſtaretur: mirificè eo facto triumphans, & hunc iactans diſcipulum Papæ fuiſſe: deieranſque iterum, ac peierans nullum in ſuis reſtare cuſtodijs, qui Eccleſiam ſponte non frequentaret. Sed fraude non longè poſt deprehenſâ, patefactiſque periurijs, miſerabilis homo non minus ære alieno obrutus, quam peccatis, fide apud omnes cecidit: & Paſchalis de ſua dolens inconſtantiâ magno cum dolore ac rubore Londino ſeceſſit: & Catholicos cæteros talium deprehenſio fallaciarum ſimul ad cautionem, ſimul ad conſtantiam roborauit. Vrebanturinter hæc belli impij Duces, quod nec Campiani potiri, nec Perſonij poterant, quamuis hunc ſcirent in medio verſari Londino. Et quia illud quoque cognouerant agere cum eo frequenter permultos è nobilitate iuuenes, maximeque Georgium Gilbertum, Geruaſium Perpointum, Thomam Fitzherbertum, Philippum, & Carolum Baſſettum fratres, Stephanum Brincleum, Franciſcum Trogmortonum, & huius notæ alios; acutiſſimè obſeruabant, vbi nam plurimum hi nobiles eſſent. Verum ſuper omnes intenderant in Georgium Gilbertum oculos, qui comes Perſonij aſſiduus habebatur. Itaque Henricus Caræus eo tempore Marſchalcus Angliæ, poſtea Baro Vſdenſis, & magnus Reginæ cubicularius, vt eum comprehenderet, quia cætera non procedebant, ita inſtruit dolum. Cum enotuiſſet Georgium velle partem ſuarum poſſeſſionum (quod ad ſuſtinendam rem catholicam faciebat) in Suffolcienſi prouincia vendere, incitauit illiuſmet ditioni ſubiectos homines, vt pretium luculentum offerrent Londini ſoluendum, apud Tabellionem nomine Iggonſum, in Cœmeterio magni Templi S. Pauli: eo conſilio, vt, quoniam ad confirmandas venditionis tabulas, capiendamque pecuniam affuturus eſſet Georgius, repente ipſe cum militum cohorte ſuperueniret, pecuniam raperet, Georgium duceret, Perſonij ex eo indicium extorqueret. Quis ſuſpicetur hic fraudem? Cuncta Hæreticus quam ſimillima bonæ fidei compoſuerat: conuentum erat arcanò: Tabellio erat catholicus, nec proditio ab ſubditis ſperabatur, eoque Georgius credendum, eundumque cenſebat. Verum Dei nec dubio inſtinctu, & continuis periculis ad omnem prouiſionem exercitus, valde diſſenſit Perſonius, perpulitque vt Franciſcum Brunum Vicecomitis Montis acuti fratrem, & Carolum Baſſettum vicarios mitteret. Eunt boni viri. Superuenit ex improuiſo Marſcalcus, comprehenduntur, pecunia rapitur: ſed præproperè inhiantibus bolus excidit. Pecuniam, quod necdum confirmatis rite tabulis inuolarant, redhibere coguntur emptoribus: vnde exaſperata in Georgium ira, tanquam, quia non totam acceperat, feciſſet iniuriam, & conquiſitio acrius intenta; vt, quoniam haud minus in eo ſeruando, quam in ſemet, laborandum Perſonio erat, mittendus extra Inſulam fuerit. Nec multo poſt, vbi liber Brunus à Marſcalco dimiſſus eſt, Carolum quoque Baſſettum emiſit: quem Alfonſo Agazario Anglicani Collegij Rectori cum multis nominibus commendaſſet, atque eo etiam, quod pronepos eſſet illuſtriſſimi Herois Thomæ Mori, addidit poſtremo de eo, atque Gilberto, habere eos virtutem digniſſimam ſancto illo contubernio: *Cuius*, inquit, *hos duos Iuuenes duo luminaria eſſe volui, vt luceant omnibus, qui in illa domo ſunt; ſicut iam Angliæ noſtræ aliquandiu præluxerunt.* Sed laudes vtriuſque, præcipueque Gilberti, alio loco memorabuntur. Interim Campianus Euangelico miniſterio inſtans per boreales Inſulæ partes, maximeque in Lancaſtria Prouincia, ſimul dabat operam Charci, & Anmeri confutandis libris. Sed mox ratus cenſura Perſonij præcipua eorum firmamenta abunde conuulſa atque euerſa, ſtylum ad explicandas rationes tranſtulit, propter quas diſputationem publicam poſtularat: quod aureo, & omni æternitate, omniumque cognitione digniſſimo fecit libello: Decem Rationum, qui extat ſæpius recuſus. Hunc libellum Perſonius vbi recognoſcendum, probandumque, & edendum accepit, exiſtimauit, quoniam tam multa in eo teſtimonia ad marginem notabantur, quæ diligentiſſime collaturi Hæretici eſſent, ipſummet

207 Mendax, & calumnioſa Hoptoni iactatio conuicta.

208 Curæ intentæ ad capiendum Perſonium.

209 Inſidiæ Georgio Gilberto paratæ.

210 Conſilio Perſonij declinatæ.

211 Baſſetus, & Gilbertus ad Collegium Anglicanum miſſi.

212 Libellus decem Rationum à Campiano ſcriptus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

213 Vbi & quomodo editus.

214 Campiani reditus Londinum.

215 Domus vbi diuersabatur Personius direpta.

216 Alexander Briantus.

217 Carcere, & supplicijs vexatus.

218 Campianus capitur.

219 Epistola eius ad Generalem Societatis.

Campianum accersendum tantisper Londinum, vt ea loca ipsemet recognosceret, editionique præesset. Interim diligenter vias omnes explorans typographiæ alicubi statuendæ: cum ea quæ superiori anno vsui fuerat, dissipata esset, demum in Villa lectissimæ Matronæ Viduæ, cui nomen Stoner, viginti Londino passuum millibus in media sylua collocauit: typis, charta, omnibusque ad eam rem vtilibus collatis, haud sine plurimis, maximisque periculis: cum ob libros iam editos ad prohibendas huiusmodi clandestinas impressiones acrius experrecta esset aduersariorum suspicio, circumspectaretque omnia, & odoraretur. Operi Stephanus Brincleus, quem supra appellaui, eximia doctrina, & virtute iuuenis præfectus. Venit Londinum cum suo Rodulfo Campianus sub medium ver. Hic summa cum voluptate, qui octauo iam mense mutuo conspectu caruerant, fortes illi Christi bellatores reuisunt inuicem, & complectuntur, & ad cumulandum gaudium literas Roma accipiunt à Præposito Generali Claudio grauissimæ suauissimæque consolationis plenas, cumque nuntio subsidij propediem affuturi, vti affuit non post multo; Gaspare Heyuodo, & Guilielmo Holto Sacerdotibus doctis, & impigris operarijs feliciter Insulam ingressis. Concedit inde Campianus in syluam: librum excudit: mox & Personius adest, multa is quidem communi de re consultaturus: cæterum haud obscuro diuini Numinis ductu. Biduo postquam Londino exierat, diuersorium quod habebat ad Tamesis ripam arcanis Sacerdotum conuentibus aptum, & in quo sacræ vestes, libri, & quæ occulta maxime vellet, asseruabantur, indicio hominis, qui libros in eo compegerat, proditum cum ingenti turba Satellitum Magistratus de nocte circumsidet, simulque vicinas domos custodia cingit, ratus nunc demum feram, quæ toties eorum artes, & manus eluserat, retibus implicatam. Ipso tamen ne nunc quidem inuento Personio, cubiculum direptum est: quanquam pleraque, & carissima quæque ante discessum, nescio quo instinctu, aliò Pater inde transtulerat. Captus pariter est in vicina domo Alexander Briantus, qui putabatur omnium Personij arcanorum conscius: eoque crudelius fame, siti, equuleo tortus, ac demum, vt infra dicam, supplicio vltimo affectus: nec tamen exprimere quicquam ex viro fortissimo vlla crudelitas potuit. Harum rerum nuntio perlato ad Patres in syluam, gratijs Deo actis, quod famulum suum laqueo Venantium præripuisset, rebus eo maturius consultatis ita conuenere, vt Personius se Londinum referret, Campianus ad Norfolciam Prouinciam, vbi multum expetebatur, iter intenderet, declinatis in itinere, quo tutius, ac celerius iret, ædibus Catholicorum. Eduardi solum Iattæi, qui propter religionem in custodia tenebatur, visum est posse domum consolari, modo non plus vno die subsisteret. Haud aliter factum. Sed inde cum discessisset, tertio post die tam instanter reuocatur, quod vndique multi statim Catholici, præsertim ex Academia Oxoniensi, vt cum concionantem audirent, affluxerant, vt reluctari nequiuerit. Redijt; captus est. Quod mihi quam fortuitò, seu potius quam occulta quadam prouidentia euenerit consideranti, videtur æterna illa mens, quæ tot è periculis Personium explicauit, tamque multos in annos superstitem conseruauit, ex primis hisce duobus religionis Anglicanæ tantis Procuratoribus, maturè alterum transferre in Cælum voluisse, alterum inter homines tandiu relinquere, vt vtrobique Sancta illa adeoque exercita Ecclesia suum patronum haberet, qui coniunctis opibus piam expeditionem aptius, efficaciusque vrgerent. Campianus quidem quo grauius premebatur ab hostibus, hoc plus confidebat: qui in Epistola ad P. Genèralem sexto antequam caperetur die scripta, sic loquitur: *Immaniores, quam nunc sunt, aduersarij nostri nunquam fuere. Res Christiana nunquam loco meliori, nec tutiori. Nullis enim argumentis premimur præterquam ijs, quæ ducuntur ab Equuleo, inedia, maledicto: quæ iam ipsa dignitatem hostium fregere; oculos, et aures omnium in Catholicos conuertere. Porro solum hoc deerat huic causæ, vt nostrorum libris atramento scriptis alij succederent, qui quotidiani nunc sunt, exarati sanguine.* Ad hoc certamen cruen-

220 Georgius Eliottus Apostata, Proditor Campiani.

221 Qua fraude illum comprehenderit.

222 Missa, & concio vltima Campiani.

223 Constantia eius, & magnanimitas.

224 Ignoscit Eliotto proditori, & eum ad pœnitentiam inuitat.

225 Guillelmi Filbii somnium præsagum.

cruentum destinabat iam Deus athletam suum, cum permisit in hostium venire manus nefarij proditoris indicio. Georgius Eliottus is fuit, qui ad hanc diem catholico ritu in Catholicorum famulatu versatus, perpetrata cæde ratus pœnam facinoris grauiori redimendam scelere, in hæretici nobilis clientelam se dedit: cuius vt patrocinium tanto sibi insigniore obsequio obligaret, Edmundum Campianum spondet ei se traditurum in manus. Nihil potuit optatius audiri. Ad rem transigendam fortius, vnus Ministrorum publicorum, qui edicta regia in diuersas Regni partes perferunt, additur ei comes, literæque regiæ de Edmundo capiendo traduntur. Hi cum in Comitatum Barchensem venissent prope ædes Iattæi, quas diximus, decimo octauo Kalendas sextiles in Iattæi ipsius Coquum incidunt: qui nihil de Eliotto suspicatus, quod vna vni hero quondam inseruierant, dum familiariter multa colloquitur, addidit Campianum eo ipso tempore in heri sui domo versari. Lætus ad hæc Eliottus: verum dissimulans nefariæ proditionis consilium, misso raptim publico illo seruo ad loci Præfectum, hominem impense Caluino deditum, vt cum armata manu Campianum ex edicto regio comprehensurus aduolet, ipse interim à Coquo nec dum quippiam suspicante domum introducitur; ac velut alter Iudas primum tremendo missæ Sacrificio, quod pius Pater peregit, deinde sacræ eiusdem concioni, in qua super ijs Christi verbis disseruit, Ierusalem Ierusalem quæ occidis Prophetas, interfuit. Hæc dum geruntur bonus quidam vir domum trepidus intrat, succlamans proditio, cauete, proditio. Submouentur festinanter Sacrificij, & concionis ornamenta: alij aliò: Campianus, Fordus, & Collingtonus Sacerdotes in angulum tenebricosum abduntur. Protinus domus tota armatis cingitur, ac Præfectus cum multis ingreditur: versat, permiscetque, rimatur, ac pertentat omnia semel, atque iterum. Abiturus iam erat desperatâ prædâ, cum siue à Georgio, qui forsitan id quoque ex Coquo sagaciter elicuerat, siue ab alio quopiam admonetur, vt certam latebram in cæco angulo exploret. Hic boni Sacerdotes non cupientes magis, quam timentes effugium, ex nutu cælesti, quando in se quod erat, præstiterant, exitum rei opperiebantur. Voluit Campianus, gnarus se potissimum quæri, vt Fordum & Collingtonum seruaret, prosilire in publicum; sed hi, ne forte Deum tentaret, monentes, negantesque se nisi communem casum pati posse, prohibuerunt. Vicissim igitur per Sacram Confessionem expiant noxas, pœna iniuncta, vt ex Oratione Dominica vnusquisque proferret ter, fiat voluntas tua, & Ioannem Baptistam ter inuocaret, quod Campianus per eius patrocinium cum Dorobernium appulisset, aduersariorum manus effugerat: cum ecce tibi Præfectus irrumpit: & tres pariter capiuntur. Tanta in vultu, verbisque Campiani, vbi deprehensus in lucem processit, conspecta dicitur altitudo animi, atque tranquillitas, vt magnam mœroris partem perculsis eo casu Catholicis detergeret, & vehementer hostium ferociam mitigaret. Eadem constantiâ, & comitate dum Londinum deduceretur non concurrentes modo homines ad eum, vel salutandum, vel videndum, sed ipsos quoque satellites accipiebat. Abingthoniæ cum inter prandium multis, qui Oxonio visendi studio aduenerant, simul accumbentibus, Eliottus proditor vnus è conuiuarum numero sic ausus esset illum affari; Omnes Campiane hilari vultu præter me videris aspicere; nempe ob admissum facinus mihi succenses; benignè Pater, ac iucunde excepit, Tibi vero Eliotte, quod ita temere de me iudices, Deus ignoscat. Ego facinoris eius volens, libensque facio tibi gratiam, & poculum hoc in testimonium pacis propino: Quin etiam si te pœniteat, confiterique mihi de eo velis, absoluam te equidem, verum pœnam paulo grauiorem iniungam. In oppidum Henlæum ex itinere cum venissent, forte ad idem hospitium vbi turba Campianum ducens agebat, diuertit probatæ vitæ Sacerdos Guilielmus Filbius, cui non multo ante secundum quietem obiecta erat talis species. Sentire videbatur sibi ventrem secari, ac viscera auelli, & extrahi; idque adeo acri, ac vehementi imagine, vt in subitum clamorem erumpens

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes in proximo dormientes excitarit. Non inane somnium fuit. Agnoscunt hominem exploratores, comprehensumque Campiani vinculorum, & aliquanto post glorioſæ necis consortem efficiunt. In Syluam non procul à via, qua ducebatur Campianus, vbi eum captum cognouit, dum turbo ille prætervehereturr, Personius ab vrbe secesserat cum famulo suo Roberto Alfieldo, qui demum & ipse factus est proditor. Hic missu Personij (namque ipse quamuis amantissimum fratrem, & vinctum Christi Iesu videre percuperet, tentandum sibi discrimen non censuit) turbæ se inferens aliquandiu simul perrexit: & quanquam verbis non potuit, nutibus tamen ex Campiano cognouit ingenti eum frui lætitia, & ad extrema quæque perpetienda optimè animatum. Ad Londini ingressum, quoniam vrbs tota erecta in expectationem erat, tanquam ad triumphi celebritatem lectus est Sabbati dies, viæque quas Mercatus maxime frequentaret. Magno in equitum comitatu multi nobiles Laici, & quatuor Sacerdotes ducuntur supra nominati, manus reuincti post terga, pedes ad equorum ventres astricti. Præibat Campianus titulo in galero à fronte, & à tergo vncialibus literis affixo (hic illi vni habitus honos) Campianus Iesuita seditiosus. Vndique spectandi studio innumerabilis multitudo concurrebat. Omnium præcipue in Campianum oculi intenti: plurimisque modestiæ amabilissimæ conspectus, & cæterarum lumen virtutum, insignem pariter eloquentiam viri, & doctrinam reputantibus acres ad misericordiam stimulos infigebat. Vnica dicitur restare Crux in Anglia, cui propter operis magnificentiam hæreticus furor pepercerit, in platea Cheasepide Londinensi. Hanc vbi præteriret Campianus non modo inclinatione corporis adorauit, sed etiam quoquo potuit modo nutu capitis salutari se signo muniuit. In arcem demum includitur xi. Kal. Augusti: continuoque bellum in Catholicos truculentius exercetur. Itaque pridie Kal. Augusti Sacerdotem è Seminario Rhemensi Euerardum Hansium, quod professus erat Pontificem id potestatis etiam in Anglia obtinere in causis Ecclesiasticis hoc tempore, quod viginti ante annis habuerat, publico perduellium supplicio interemere. Multos sub idem tempus Catholicorum, qui diuersis in custodijs tenebantur menstrua illa aureorum sexagenorum mulctâ damnarunt: augendoque terrori multas minas sparsere, itemque famosos libellos, & ridicula scommata. Quæ de Monstris immanibus, ac portentis est fabulata antiquitas, ea ferebantur de Iesuitis. Ministri tum maxime procaces, etiam poëtaster Eldertonus libellum vulgauit Carminum, cui fecit titulum, Lepidæ in Iesuitas sagittæ. Agebatur hoc tempore de Matrimonio inter Ducem Alenconium Henrici Regis Galliæ fratrem, & Reginam Angliæ Elisabetham, postque Dominum de Simiers Ioannes Bodinus eam rem legatus Alenconij procurabat; qui multis à Personio per Eduardum Grateleum Sacerdotem rogatus, vt aliquod laxamentum Catholicis ab Regina impetraret, cum id ad Catholicorum simul vtilitatem, simul ad ipsius Principis dignitatem pertineret, se non religionis, sed matrimonij procuratorem missum respondit. Quo hominis politici dicto vehementer offensi Catholici, ominati sunt Deum permissurum, vt neutrum efficeret. Aequum enim est, vt qui diuinis humana præfert, vtrisque excidat. Auxit tamen magnopere spem bonorum Alenconij ipsius in Insulam appulsus. Nam quamquam de abstrusa Reginæ mente, vt quæ alios nuptiarum suarum spe lactauerat Principes, non audebant confidere; tamen cum ferretur ex ipso Alenconio in Gallia auditum in Angliam se transire ad nuptias, & ab Elisabetha exciperetur sane magnifice, & Robertus Dudleus Comes Licestriæ, & Christophorus Hattonus cubicularius, idemque cohortis regiæ Præfectus, magna ambo apud Reginam in gratia mœstissimi spectarentur: ad hæc nobilibus duobus Guillelmo Stubbæo, & Guillelmo Pageo ob editum librum, quem fretum hians inscripserant, significantes ex ijs nuptijs perniciem religioni Protestantium imminere, dexteræ amputatæ essent, nemo erat ferme, quin transactum de Matrimonio crederet. Fuit quidem certe persuasum plerisque, si Dux acriorem se præbuisset,

226 Personius misso famulo de statu Campiani cognoscit.

227 Ingressus Campiani Londinum.

228 Crucem palam adorat.

229 Euerandus Hansius in odium veritatis interfectus.

230 Dicta, & scripta in Iesuitas.

231 Bodinus agere pro Catholicis recusat.

232 Aduentus Ducis Alenconij in Angliam.

233 Ipsi, & Catholicis inutilis.

multa

multa fuisse impetraturum: sed quia languidior visus sit, Ioannis Bodini, vt credebatur, & aliorum Politicorum prauè consilijs institutus, nec matrimonio, nec auxilio ad bellum Belgicum fideliter impetrato, Anglicanæ Aulæ tantum non fuisse ludibrio. Igitur adeo res contra spem cecidit, vt quo tempore laxior fore vexatio credebatur, eo maxime intenderetur. Hæreticis id per immane artificium agentibus, vt penitus afflicti Catholici animum desponderent: dumque cum Gallis vulgo conuiuia, saltationes, personarum ludicra, & alia id genus oblectamenta Caluiniani celebrabant, tum in excruciandis Dei Sacerdotibus, alijsque fidelibus Christo viris in arce Londinensi genus omne crudelitatis expromebatur. Nam etiam qui ante satis humaniter apud Marscalcum habebantur, translati in Turrim erant, tortique, vt Catholicos, cum quibus egerant, indicarent. Campiano crescebat ipsa tormentorum perpessione constantia. Lætus excipiebat nuntium, quo ad cruciatum accersebatur. Ad ostium conclauis, in quo erat torquendus, vbi peruenerat, procumbebat in genua, breuique, verum ardentissima prece diuinam implorabat opem. Tum in equuleum sublatus magna cum pietate, ac lenitate animi Deum, & Sanctissimum nomen Iesu perpetuo inuocabat. Distrahebatur interim corpus, & cuncta suo loco membra, & ossa demouebantur, cum acerbissimo sensu doloris, & ille benigne tortoribus, supplicijque autoribus ignoscebat; nihil vnquam, vel contra caritatem, vel religionem significans. Rincardsonum duntaxat, & Pondum aliquando nominauit, quod sciebat eos notæ fidei viros; illi suum librum dedisse; ad hunc summa eius capita missa confessus. At hæretici, qui omnibus modis non vitam modo, sed etiam famam ei cupiebant ereptam, vt quibus conscientia nihil pensi est, dissiparunt in quæstionibus permulta eum effatum, multos indicasse Catholicos, Nortono quæstionum Præfecto astutè si quid aliorum cuipiam Confessorum excidisset, Campiano attribuente, & vulgante quosdam nobiles ex eius captos indicio. Qui rumor cum gliscceret, quamquam hæretica mentiendi licentia omnino fictum Pondus existimaret, tamen tenere non potuit se, quin Campiano per literas significaret, non nihil se eo commotum. Quibus literis cum respondisset Pater, neque fidiculas, neque vllum præterea tormenti genus effecturum aliquando, vt quicquam Ecclesiæ Dei perniciosum eloqueretur, permouere hæc aduersarios, qui literas vtrasque prodita ab internuncio fide, præuiderant, vt rati aliquid ab eo pressum quod ad rempublicam pertineret, quid illud esset exprimere conarentur. De earum igitur sensu literarum, de auxilio Hibernis tumultuantibus misso, de coniuratione in Reginam, & Regnum inita interrogabant. Sed nihil profecere, nisi vt noua lumina in victoris coronam inserent, qui ter in equuleo, & crudelissime tortus omni iam destitutus vsu membrorum manuum præsertim, ac pedum, Elephanto se, qui in terram prostratus non potest exurgere, comparabat. Deinde vbi tantum receperat virium, vt vtraque connitens manu sustinere ad os panem posset, iam comparabat Simio. Tantum redundabat animi ad extrema illa malorum non pacatè modo, sed etiam comiter perferenda. At Hæretici, vt gloriam quoque doctrinæ eius, si fieri posset, infuscarent, homini tormentis exhausto, ac semiuiuo, quam toties incolumis postularat, disputationem offerunt. Instituitur in quatuor dies concertatio. Pro Hæreticis Decanus Ecclesiæ S. Pauli Londinensis, ac Doctor Dayrus, itemque Vvitackerus, & alius quidam Beëlus cognomento: Campianus, Sheruinus, Bosgrauius pro veritate stant: iniquissima conditione, vt nihil liceret his, nisi ad obiecta respondere. eo etiam indignius, quod cum æquum sit quæ noua sunt reddere sui rationem; & is qui recepta mutat, causas debeat mutationis afferre, contra hîc fiebat: heri prognatum ex Lutheri, Calvinique fatuitate sacrilegium de confirmata suffragijs tot seculorum religione cognitionem sibi, arbitriumque sumebat. Denique inermis statuebatur hinc veritas, error inde cum telo: vt scilicet nec ferire illa posset, nec posset hic feriri. Sed quorsum tot fraudes malæ causæ præiudicia? Ipsa veritatis defensio,

234 Inter pompas, & hilaritates publicas aggrauata persecutio Catholicorum.

235 Campianus diu, & grauissimè equuleo torquetur.

236 Falsi rumores de eo sparsi.

237 Literæ mutuæ Pondi, & Campiani.

238 Suspiciones tortorum, tormenta Campiani augent.

239 Ioci Campiani securitatis eius in tormentis indices.

240 Disputationis certamen ab Hæreticis oblatum nec semimortuus recusat. iniquæ concertationis leges.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sio, si sentire miseri velint, iugulatio est erroris. Et sane ita Deus suis propugnatoribus adfuit, vt homines excarnificati, imparati à libris, hebetati ærumnis, validos integrosque aduersarios, audacia & mendacijs instructissimos aperte, non Catholicorum modo, qui pauci ex custodijs adducti aderant, sed etiam Hæreticorum iudicio refutarint, planeque deuicerint. Præclarè dimicauit Sheruinus vir doctus, idemque acerrimus, quem Ministri quoque hæretici laudabant: sed per malignam benignitatem ad eum religionis defensæ palmam, vt Campiano detraherent, deferebant; Frustra tormentis, frustra captionibus, vel sapientia Confessorum, vel fides tentata, obstinatum est tamen Hæreticis eos occidere. Sed excogitandum erat nomen infame, quod & Martyrij decus interciperet, & crudelitatem faceret popularem. Ergo proditionis nomen excogitant. Principiò contra regiam Maiestatem missa in Hiberniam Sandero criminantur ad nonaginta millia Coronatorum gallicorum. Verum cum nulla quantauis impudentiâ posset confingi vnde tantum pecuniæ, vbi collectum, quis recepisset, quis in Hiberniam transportasset, eo vertuntur, vt insimulent Romæ, ac Rhemis in Reginæ perniciem conspirasse, Principes exteros ad occupandum Angliæ regnum inuitasse, ipsa demum in Anglia rebellionem populi molitos. Hoc Rei crimine postridie Idus Nouembris in Aulam nomine Vestomonasterium ad tribunal sistuntur cum Orthono nobili Laico Sacerdotes septem Edmundus Campianus, Rodulfus Sheruinus, Lucas Chirbeus, Iacobus Bosgrauius, Thomas Cottamus, Robertus Ionsonus, Eduardus Richthonus: quorum tres Campianus, Bosgrauius, Cottamus de Societate erant. Hic recitato accusationis libello iubentur ad se se purgandos pro iudiciorum talium in eo regno consuetudine manum sustollere: quod cum brachijs tormentorum vi dissolutis Campianus nequiret, vnus de Socijs accessit, & reuerenter exosculatus modicè extulit. Protinusque Campianus coram Deo profiteor, inquit, & Angelis eius, Cælo, Terra, Mundo testibus, & hoc, cui adsto, Tribunali, quod aliquam mihi horribilis illius iudicij speciem, quod omnes post mortem manet, repræsentat, me nec crimine læsæ Maiestatis, nec perduellionis, nec vllius in Patriam coniurationis reum esse; nec planè quicquam eorum, quæ publica denuntiauit actio, à me esse commissum; nec fieri vllo modo posse, vt rationibus ex præsenti accusatione petitis conuincar, & iudicio, vel falso opprimar. Tum voce contenta vehementius, Est ne in hac ampliffima Vrbe, inquit, vel florentissimo hoc regno viros inuenire duodecim tam iniquos, & profligatæ conscientiæ, qui nos omnes simul huiusce criminis reos esse iudicent, cum vitæ nulla consuetudo, aut familiaritas, priusquam in hunc locum adducti essemus, inter nos intercesserit? Interrogantur dehinc omnes, cuius iudicio stare velint, respondit Sheruinus Dei præpotentis, totiusque Patriæ se stare velle iudicio; idque profiteri omnibus fretum testimonijs, quæ siue in Cælo, siue in terra à diuino, vel humano ingenio excogitari possent: & addidit libera voce, Causa Religionis re vera hoc ad Tribunal stamus: crimen læsæ Maiestatis obtenditur. Postridie ad Tribunal idem septem alij Sacerdotes adducti Ioannes Collingthonus, Laurentius Richardsonus, Ioannes Hartus, Thomas Fordus, Guillelmus Filbius, Alexander Briantus, Ioannes Shertus, qui eorumdem, ac superiores insimulati criminum cum suam haud segnius innocentiam contestati essent, remittuntur in carcerem. XIII. Kal. Decembris, qui dies ferendæ sententiæ destinatus erat, simul vniuersi ad Tribunal rursus ducuntur, eminente Alexandri Brianti feruore, qui Crucem, quam ex reperto forte ligno in carcere, fabricarat, manu gestans, veluti signifer præcedebat; & ab Hæretico audaciæ incusatus, ac iussus eam abijcere, Neutiquam, inquit, id faciam; miles Crucifixi sum: vexillum ad mortem vsque non deseram. Altero dein inimicorum Crucis illam ei per vim eripiente, Potes, inquit, Crucem mihi extorquere de manibus, de corde non potes. Moriar etiam pro eo, qui mea causa prior est mortuus. Ea deinde Crux magna cura ab Catholicis redempta, Romamque transmissa, religiose

241 Felix Catholicis certaminis successus.

242 Sherinus ab Hæreticis verè sed artificiosè laudatus.

243 Prætextus improbabiles proditionis impingendæ.

244 Splendidè à Campiano refutati.

245 Sheruini libera vox.

246 Alexandri Brianti feruor Crucis constanti gestatione declaratus.

247 Verba eius fortia cum ei Crux extorqueretur

248 Crux ea redempta, & Romam missa ibi asseruatur.

sè in Seminario Anglicano seruatur. Lata lex erat, ne quis ad spectandum iudicium accederet; vis tamen hominum etiam autoritate, prudentia, ac dignitate præstantium tanta accurrit; vt par in nullo vnquam iudicio memoraretur. Omnibus expectatione suspensis, nihil pro grauitate causæ, nihil pro veteri integritate iudiciorum Anglicorum fit. Testes producti ijdem, qui proditores erant, infimæ sortis, venalisque animæ capita, Eliottus, Crodochus, Sleddæus, Mundæus, & Illæus. Nihil nisi inane ac friuolum, & absurde etiam fictum protulere: adeo vt Collingthonus, cum vociferaretur quo die Rhemis dicebatur coniurationis interfuisse consilijs, eo die se Londini fuisse, & cum Lancastrio quodam nobili egisse in domicilio, cuius nomen adijciebat, & Lancastrius, qui forte tum in spectatoribus aderat, progressus in medium eadem omnia confirmaret, puduerit Iudices hominem condemnare. Verum cum id videns Guilielmus Nicolsonus Sacerdos, & ipse plane innocentiam in eo genere Fordi compertam haberet, stimulante conscientia idem testificari cœpisset, non modo auditus non est, sed tanquam criminis particeps comprehendi iussus, ac primum in communem carcerem, dein in Turrim inclusus est. Hoc modo cum gereretur iudicium, & cæteri pro se quisque calumniam satis superque diluerent, Campianus ab se adeo euidenter reiecit; vt prædicarent viri doctissimi quicquid in cæteros fingi ex aliqua consecutione posset, in eum certe nulla iuris vllius imagine fas esse capite animaduerti, cuius re vera caput maximè petebatur. Cum tamen duodecim Iudices haud dubie condemnarent, fertur Iudex supremus reos interrogasse numquid præterea ad sui defensionem haberent, ac respondisse Campianus, nihil aliud quam vt Deum precarentur, vt tum ipse, tum accusatores, cæterique omnes aduersarij in seueriſſimo Magni Iudicij die mitiorem sententiam audirent. Tum demum in omnes, quos supra scripsi, præter Collingthonum, quatuordecim numero, dirum carmen pronunciatur, Ad locum supplicij pertrahuntor, viscera viritim eruuntor, & in partes, prout fraudi imminutæ Maiestatis par est, dissecantor. Vix ea intonuerat Iudex, cum excepit hilari vultu clara voce Campianus, Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Sheruinus. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. At Briantus iniquitatem Iudicij reputans, ac Deum appellans, Iudica me Deus (inquit) & discerne causam meam de gente non sancta. Alij alia: cum Campianus conuersus ad populum, Audistis, inquit, latam in nos Maiestatis imminutæ sententiam: id quam merito factum sit, vos ipsi cogitate. Nam si ego tot modis Reginæ Maiestatem violassem, nequaquam illa, & Senatus regius mihi non modo vitam, sed & libertatem, & rerum omnium affluentiam largissime obtulissent, si modò eis in rebus religionis non adeo magnis obtemperassem. Immo hic ipse Arcis Præfectus, qui mihi adstat ad latus, hæc eadem, & maiora promisit, si vel semel duntaxat cum Hæreticis templum inissem. An rogo is ausus esset tam magnifica polliceri, idque Angliæ Principes permisissent, si, quod criminantur, molitum me exitium Patriæ comperissent? Itaque viri optimi, non perduellionis culpa, sed religionis zelus nobis capitalis est. Haud sine assensu populi hæc audita. Reducuntur damnati in carcerem; & catenis, ac compedibus vinciuntur. Varius inde rumor per vrbem serpere: alij Ducem Alenconium salutem reis ab Regina exorasse: alij malitiosè iactare; Campianum sibimet manus attulisse: cuius interim fidem regij administri magnis propositis præmijs vehementer solicitare non desistebant. Quæ vbi non procedunt Concilio malignantium visum est, nequaquam pariter fortissimam Confessorum manum totam contrucidare, sed à capitibus exordiri, vt minus offenderet populum pauciorum carnificina, ac reliqui forte interim terrore succumberent. Tres igitur, vt tria præcipua religionis Anglicanæ propugnacula simul cohonestarentur, beatissima sorte leguntur, Campianus de Societate Iesu, Sheruinus ex Anglicano vrbis Romæ Collegio, Briantus ex Rhemensi, quem haud dum palam erat Societati se tradidisse. Placuit enim paternæ Dei clementiæ sub extremum tempus, & inclyto huic pugili religiosæ

249 Accusationes Confessorum friuolæ.

250 Testimoniorum falsitas conuicta in Collingthono, qui propterea damnationi eripitur.

251 Nicolsonus pro Fordo testificans custodiæ traditur.

252 Campianus manifestè se purgat.

253 Quatuordecim Confessores neci addicuntur.

Eorum gratulationes.

254 Campianus palam demonstrat se Religionis causa necari.

255 Idem promissis tentatur.

256 Electi tres è quatuordecim qui primi morte afficerentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

257 Briantus Societati dat nomen in carcere.

258 Eius literæ.

sæ decus militiæ, & nostro Ordini palmam certaminis eius adiungere. Per disputationum, quas retuli occasionem, nactus cui traderet literas, quæ editæ extant ad Societatis Patres, qui erant in Anglia, in hanc sententiam scripsit: secum diu considerasset quantum Deo deberet, & quantoperè ei seruiendum sit, vidisset que in religiosis familijs optime id præstari, duobus ante annis deliberatum habuisse Societati se se permittere, deinde in carcere cum primum esset torquendus, id ipsum voto pollicitum: *Eodem die*, inquit, *cum primum tormentis cruciabar, antequam ad ea ducerer, orationibus vacans, & Domino Deo me, meaque omnia commendans, superna quadam spiritus dulcedine replebar, dum inuocarem Sanctissimum IESV nomen, & Beatæ Virginis Mariæ (dicebam enim Rosarium) hilaris erat animus, bene confortatus, ac promptus ad perferenda tormenta, quæ tum certissime expectabam. Tandem in mentem venit prædictum propositum, & simul occurrebat, vt nunc voto firmarem, quod antea statueram. Peractis precibus hæc eadem animo reuolui, ratione qua potui discussi, bona iudicaui, desiderium compleui, votum prædicta conditione liberè emisi. Quod factum Deus mihi videtur statim probasse. Nam in omnibus angustijs, & cruciatibus meis infinita sua bonitate misericorditer mihi affuit, confortans me in necessitate, & liberans animam meam à labijs iniquis, à lingua dolosa, & à rugientibus paratis ad prædam. An, quod dicam, mirabile sit, nescio, Deus scit: testis est coram Deo conscientia mea. Hoc dico me in vltima tortura cum crudelius in corpus sæuirent aduersarij, manibus, pedibusque violenter extensis omni tandem fere doloris sensu caruisse; nec hoc solum, sed etiam quasi refocillatum à præcedentis torturæ doloribus, sensibus integris, mente quieta, & corde tranquillo perstitisse. Quod videntes Commissarij exeuntes iusserunt me eodem modo iterum in diem posterum cruciari: quod audiens credebam equidem, & sperabam diuino auxilio me patienter laturum: interea meditabar, vt poteram Saluatoris Nostri acerbissimam Passionem innumeris doloribus plenam. Quæ dum agerentur vulneratam putaram sinistram manum in medio palmæ, & sanguinem effluxisse existimaram; sed re vera nil tale fuit, nec alius tunc dolor, præter illum manus, grauabat.* Singularem fuisse Dei opem in cruciatibus absque sensu perpetiendis, fama quoque inde vulgauit, quod Nortonus gloriatus in aula ferebatur Briantum se ita produxisse, vt longiorem quam fuerat à Deo formatus, haud minus pede fecisset, cum tamen in medijs tormentis nihil ille sentiret; dubium vt minime fuerit (quemadmodum impius loquebatur more Iudæorum Christi hostium, quod erat Dei, satanæ tribuens) quin dæmonem habuerit. At Briantus Dei iuuante gratia tormentis Nortoni multò quam ipse posset intelligere, maior effectus, tantò iucundius mortis consors Campiano fuit, quantò in eiusdem vitæ Societatem, & ipse voto se dederat, ac receptum se à Deo diuina illa significatione intelligebat. Die S. Andreæ sacro admonentur, postridie morituros; acriusque Sanctissimi Apostoli amor ille flagrantissimus erga Crucem ardentia ipsorum pectora inflammauit. Vbi optatus dies illuxit, summo mane simul erant Sheruinus, & Briantus; ad quos cum Edmundus quoque perductus esset, ingenti gaudio mutuos in amplexus effusi, diu se sanctis collocutionibus recrearunt. Tum de more crati viminea (Sledam appellat gens) Campianus impositus, alteri Sheruinus, ac Briantus, ad cosque supini alligati ad Tybornum (carnificinæ est locus) equis trahuntur. Nec defuere, qui interim ad Campianum accederent, alij vt de dubijs conscientiæ, religionisque negotijs interrogarent, alij vt cœnum, quo eius facies inter trahendum aspergebatur, venerabundi detergerent. Ad patibulum Consiliarij regij, & è prima nobilitate complures, & ex populo vis innumera expectabat. Quo vbi ventum est, solutus ex crate Campianus in subiectum patibulo carrum traducitur: vnde circumspiciens leniter multitudinem, compresso aliquantum strepitu, graui, ac sonora voce, Spectaculum, inquit, facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus, vt ait Apostolus, quod in me optime quadrat, qui hodierno die non solum Deo, diuinisque illis spiritibus, verum etiam vobis, & vniuersis hominibus

259 Emisso Societatis voto dolorem non sentit in tormentis.

260 Id etiam Hæretici confirmant.

261 Sheruinus Campianus, & Briantus ad supplicium trahuntur.

bus spectaculum factus sum. Cætera exequuturus silere iussus est. Venia solum facta de obiecta perduellione respondendi. Professus se catholicum Sacerdotem esse, catholiceque hactenus vixisse, & pro eiusdem fidei defensione mortem quam libentissimè oppetere, grauissime contestatus est ab omni proditionis scelere, & quauis conspiratione in publicam tranquillitatem plane se alienum, liberum, atque innocentem esse; etiam, atque etiam rogans, obtestansque, vt suprema illa verba indubitata haberent: si falleret se nec mortem corporis acerbissimam, nec æternum animæ exitium recusare: omnibus tamen omnem iniuriam ex animo condonare. Tum literarum, quas ad Pondum dederat sententiam explicans, ne suspicionem aliò aduersarij traherent, per arcana quæ se negarat proditurum, nil nisi Sacerdotalia munera per Insulam obita se intellexisse graui Sacramento confirmat. Inde vrgentibus aduersarijs, vt de Pij Quinti intentato in Elisabetham anathemate sententiam suam proferret, cum negaret id necesse esse; rursum quærentibus num renuntiare Pontifici vellet? se Catholicis sacris initiatum, respondit. Atqui vnus è Caluinianis, istud nomen, inquit, omne læsæ Maiestatis crimen amplectitur. Institit subinde Minister Hæreticus, vt secum Deum oraret; quod bonus Pater commercium recusans, precatur Catholicos, vt pro se Apostolicum Symbolum in supremo agone recitarent, quo scilicet eorum omnium linguis, cum sua amplius nequiret, Catholicam religionem contestaretur. Cum iussus veniam à Regina petere, negasset eam ab se læsam, & pro salute animæ eius fundere preces non abnuisset, plaustro repente subducto ex trabe pendulus cecidit tanto vniuersæ multitudinis motu, tantisque lacrymis, vt postea editis libris Hæretici eam rem partim minuere, partim excusare conati sint. Volentes quoque carnifices restem vnde Christi Athleta pendebat, incidere, vt ei etiamnum semiuiuo, quemadmodum solent, ventre dissecto viscera extraherent, Carolus Haiuardus homo nobilis, quamuis perditè hæreticus, è primis aulicorum pro potestate abegit, minitans mortem, si antequam expiraret, contingerent: quod & duobus reliquis humanitatis officium præstitit. Caput tamen, postea quam animus ad triumphum excesserat, resectum, & venerandum corpus in quatuor partes diuisum est. Ex qua laniena stillantibus sanguine manibus ad Sheruinum conuersus carnifex barbaro fremitu, Veni Sheruine, inquit, accipe & tu mercedem tuam, & ille lætus, & quantum consumptæ tormentis, inediaque & vigilijs permittebant vires, exiliens hominem arctè complectitur, & impiarum manuum pium cruorem exosculatur. Quæ res populum valde commouit. Ille vbi parumper in curru clausis luminibus, manibus in Cælum erectis Deum tacitus precatus est, clara voce incæpit singillatim Sanctissimæ Trinitatis Personis agere gratias, quod creatus, redemptus, Christianæ Sanctitatis particeps effectus esset. De sua religione volentem addere, regij Præfecti vetuere quicquam extra perduellionis crimen loqui, cuius criminis plane se expertem, purumque contestatus: cæterum si Catholicis imbutum esse sacris, & perfectum esse Catholicum Maiestas imminuta conferetur, id in se ingenue agnoscens: cum & ipse de Pij Quinti in Elisabetham diplomate abnuisset respondere, ac pro Regina pie Deum orasset, carnifice iam laqueum collo eius nectente, populus contenta voce exclamauit, Bone Sheruine Dominus Deus recipiat bonam animam tuam: & ille magna pietate rursus animo ad orandum collecto, ingeminansque Iesu, Iesu, Iesu, esto mihi Iesus, subtracto curru suspensus, tum sectus, intestinisque euulsis in frusta concisus immaculatum spiritum Procreatori restituit. Vir eximiæ virtutis, quique singulari cibi parsimonia, assidua oratione, diuturnis vigilijs, & acerba corporis sui vexatione non alios modo ante Catholicos, sed etiam ipsum carceris custodem in admirationem adegit, vt semper virum Dei optimum, ac religiosissimum Sacerdotem appellaret, nec similem sibi vnquam visum profiteretur. Iam reliquus erat ex inuicto triumuiratu Briantus, qui incurrum illum non funestum, sed potius triumphalem sublatus, vultu plane innocentiæ, ac prope angelico apparuit, vt erat specie liberali, & in flore iuuentutis

262 Campianus crimen proditionis de nouo refellit.

263 Literarum suarum ad Pondum sententiam explicat.

264 Orare cum Hæretico recusat.

265 Motus, & lacrymæ populi in eius morte.

266 Caroli Haiuardi licet hæretici in eum, & socios humanitas.

267 Sheruini generositas, & alacritas morituri.

268 Crimine perduellionis se purgat.

269 Populi acclamatio mira.

270 Vltima Sheuini verba.

271 Virtutes ei.

272 Brianti morituri oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutis duodetrigesimum nondum egressus annum. Cum suam in religione educationem exponeret, & quam vitæ rationem Oxonij tenuisset; vnus tortorum interpellans, Quid tibi cum Oxonio, inquit, ad rem accede, ac te Proditorem fatere. Procul à me, inquit, hoc nefas: neque hoc nomine plecti capite iure possum. Nunquam Romæ fui, neque Rhemis eo tempore, quo Sanderus in Hiberniam abijt: id coram Deo testor, testaborque. Cumque sub hæc acrius, quam duo priores vrgeretur, vt suam de Pij Quinti Bulla sententiam aperiret, de illa se, quod omnes Catholici credunt, & Ecclesia credendum docet, sentire dixit. Tum professus se Catholicum mori, & psalmum quinquagesimum Miserere mei Deus, &c. exorsus, eodem, quo prægressi Socij modo, sed carnificum socordia longiore cruciatu, glorioſum certamen expleuit. Et sane singularibus huic ornamentis coronam illuminare cælestis Imperator voluit. Cum datus in carcerem est, longa fame prope est enectus, sitique adeo excruciatus, vt guttas è summo tecto decidentes, porrecto ex fenestra pileo conaretur excipere, nec tamen pertingere eo vsque posset. Postridie Ascensionis in Turrim traductus, dum recusat fateri, vbinam Personium vidisset, quis ad victum sibi suppeditasset, vbi rem diuinam peregisset, quorum excepisset confessiones, acus sub vnguibus eius infigi iusserunt; cum interim ille nihil de constantia animi, cruciatu acerbissimo demotus, psalmum quinquagesimum recitans, preces pro se, suisque tortoribus faceret. In equuleo quoque tortus grauissime nunquam adigi potuit, vt vbi locorum Personius, vbi prælum esset, quos libros sparsisset, vel tenui significaret indicio. Postridie vero cum iam diuulsa suis membra sedibus vix hærerent, & ad idem tormentum repeteretur, dum se discerpendum plane putat, id euenit, quod supra narrauimus, religiosi voti vim Deo ostendente, vt tormenta ne sentiret quidem. Omnes valde commoti ex eo spectaculo repetiere domos, ac fertur Haiuardus quem modo nominaui, interrogante Regina vnde veniret, respondisse à morte trium Papistarum: & illa subijciente, quid ipsi videretur de ijs? addidisse, videri viros perdoctos, & constantes, & innocentes, orabant enim, inquit, Deum pro vestra Maiestate, condonabant omnibus, & contestati sunt sub æterna animarum suarum perditione, nunquam se, vel cogitasse quicquam mali in rempublicam, aut in vestram Maiestatem. Ad quæ Elisabetha, similiter atque olim Sacerdotes Hebræi Iudæ, Ita ne? Nihil ad nos: Viderint, qui condemnarunt. Cæterum ex beato horum Christi Athletarum fine Ecclesia Catholica, quod omnibus temporibus vbique locorum, id ipsum in præsens consequuta in Anglia est, vt velut ex generoso semine lætior, fœcundiorque succresceret. Tantum breui Campiani morte profectum scripsit Guilielmus Alanus, quantum multorum annorum intenta cura, assiduisque laboribus promoueri nunquam potuisset. Excitata in crudelitatem torquentium odia: oborta innocentiæ, & constantiæ seruorum Dei admiratio: explicata bonitas causæ Catholicæ: incitati adolescentes non solum ad religionis veræ complexum, sed ad glorioſæ mortis æmulationem; vt iam passim optarent transmittere Oceanum, erudiri in Seminarijs, remigrare in Patriam, conserere cum errore manus, torqueri, laniari, vitam, ac spiritum fundere. Idem ardor, qui extra Prouinciam versabantur, atque adeo externos quoque incessit, vt haud parua cohors fuerit aduolatura; si potestas fieret. Additum postremo nostro seculo nouum Athletarum Christi decus scripsit Bernardinus Mendoza tum Philippi Regis legatus in Anglia, horum, ac nominatim Campiani glorioſum certamen nil vetustis concedere. Scripsit deinde Ludouicus Granatensis duplicem hos videri palmam consequutos, charitatis alteram, ne proderent Catholicos, alteram religionis. Addidit Cæsar Baronius de his, alijsque, qui postea sequuti sunt dum de Sancto Thoma Cantuariensi agit, dignum sancta ipsius doctrina, & hoc dignum loco elogium: *Videre meruit seculum nostrum ex hac parte felicissimum, quamplurimos Thomas Sanctissimos Sacerdotes, aliosque nobilissimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos duplicisque tituli coronis auctos: cum non solum, vt Tho-*

Inhumaniter interpellata.

273 Proditionis crimen manifestè purgat.

274 Magnitudo, & grauitas laborum eius.

275 Acuum sub vnguibus infixione perfert.

276 Fides eius mira in celando arcano.

277 Voto emisso vim tormentorum non sentit.

278 Haiuardi ad Reginam oratio.

279 Reginæ responsio.

280 Profectus Ecclesiæ ex Campiani, & Sociorum morte.

281 Bernardini Mendozæ. Ludouici Granatensis. Cæsaris Card. Baronij de ijs iudicia.

Thomas, pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda, ac conseruanda nobilissimo martyrio occubuerint: vt inter alios quos nuper Sancta Societas IESV velut agnos innoxios in sacris septis, sanctis eruditionibus ad Martyrium acceptissimas Deo Hostias saginauit; quos Romanum, quos Rhemense sacra Collegia, quæ dixerim celsas turres à facie Aquilonis, & fortissima propugnacula fidei, emiserunt ad triumphos, prouexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute Anglicana iuuentus, quæ tam illustri militiæ nomen dedisti, ac Sacramento sanguinem spopondisti. Æmulor sane vos Dei æmulatione; cum vos Martyrij candidatos, ac nobilissimæ purpuræ Martyres designatos aspicio. Compellor, & dicere: moriatur anima mea morte Iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Agebat Campianus vbi coronatus est, annum alterum & quadragesimum, Londini ortus, idemque sortitus æternæ vitæ natale, quemadmodum die S. Edmundo Regi Anglorum, & martyri sacro, cuius gerebat nomen, fuerat condemnatus. Primum Oxonij, deinde Duaci disciplinis humanis, ac diuinis excultus: mox in Societatem ingressus, & in Germaniam missus, quem se Pragæ vbi fere semper egit, præbuerit, potest ex clausula literarum Ioannis Pauli Campani, quas Poloniæ iam Prouincialis accepto Socij glorioso fine ad Generalem Præpositum dedit, intelligi: *O Edmunde Sancte*, inquit, *vtinam tunc in mea ipse veste fuissem, qua me exui, vt discedentem à me vestirem; forsan vnus laqueus ambos reuinxisset, & post octennium conuictus intimi in terris ad sempiternum conuictum vna traducti fuissemus. Quomodo factus est discipulus supra magistrum loco, dignitate, & gloria, vt semper fuit virtute, merito, & gratia? Quem mecum viuentem sic semper humiliabam exercendi illius talenti, & meriti augendi gratia, vt tamen me indignum agnoscerem, qui sub illius pedibus essem. Ex tunc enim in illo præter eloquentiam, & doctrinam, suspiciebam Virginitatem omnimodo intactam, demirabar humilitatem, & obedientiam, zelum, & caritatem in proximos diffuauiabar, & grande aliquid ex huiusmodi virtutibus expectabam.* Vnicus iam è Societate reliquus erat Sacerdos in Anglia extra custodiam Gaspar Heyuodus, nam Guilielmum Holtum cum Rodulfo, qui fuerat Campiani comes, Personius in Scotiam miserat, & ipsemet in Galliam Rothomagum traiecerat magna agitans: de quo supremis literis Campianus hæc scripsit: *Ille vir est, de quo Maronianum carmen verius, quam de Hectore caneretur: si duo præterea tales Idæa tulisset terra viros. Incredibile dictu est, quæ præstiterit, ac moliatur, re, calamo, &c.* De eodem Alanus idem sub tempus: *Illius hominis industria, prudentia, zelus, in scribendo, & agendo dexteritas superant omnem fidem.* Is igitur tot Dei donis fideliter, ac strenùe vtens sub ipsum in Angliam ingressum obseruatis regionibus, quæ maxime Sacerdotum auxilio indigerent, cum ipse, & Campianus haud possent tam late patenti Regno pares esse, è Seminarianis Sacerdotibus alios in Valliam, alios in Prouinciam Cantabrigiensem misit, optatissimo euentu; alios in eas Regni partes, quæ finitimæ Scotiæ sunt, non solum quia gens eius oræ magni est ac nobilis animi, sed etiam, vt inde pateret ingressus in Scotiam. Præuidebat enim inde pendere totius Insulæ religionem, cum regnum tandem ad Regem Scotiæ, ad quem iure pertinebat, venturum haud dubia coniectura esset. Eam ob rem Personius inter cæteros Sacerdotes Guilielmum Vatsium prudentia, & pietate excellentem cum mandatis misit, vt penetrare ad ipsum Regem, & cognoscere conaretur, quæ spes restituendæ religionis in Scotia affulgeret: qui profectus, & perscrutatus omnia, retulit esse paratissimam messem. Et sane magna haud dubie porta aperiebatur. Nam obtruncato nuper Iacobo Mortono Comite Regni eius Gubernatore, eodemque Hæreticarum perstudioso partium, & Catholicis infestissimo, eiusque in locum Dobenio Duce Lenoxiense suffecto, qui clanculum religioni studebat, Maria ipsa Regina Scotiæ, quæ in Anglia asseruabatur, vehementer optabat homines mitti, qui apud Dobenium, & alios sibi fauentes, religionem promouerent: cum & filius eius Iacobus circiter annorum quindecim adolescens, facile posset ad

282 Ætas ortus, & summa vitæ Campiani.

283 Vt se Pragæ cum esset, gesserit testimonium Ioan. Pauli Campani Magistri eius.

284 Dotes virtutesque Campiani.

285 Vnus Sacerdos in Anglia liber.

286 Testimonia Campiani, & Alani de Personio.

287 Qui trajiciens in Galliam operarios inde opportuna in loca mittit.

288 Guillelmus Vatsius ab eo missus in Scotiam.

289 Maria Regina Scotiæ optat mitti Religionis promotores ad aulam filij quindennis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

290 Docilitas, & placida indoles Iacobi Regis.

meliora traduci; quod quanquam hæreticè institutus, tamen & ingenium docile, & eximium erga Parentem præseferebat obsequium, & administratio prope omnis penes Catholicos esset. Eam igitur ob causam in Scotiam missus est Holtus, qui donec Catholici aliquid potuere, operam in eo regno haud pœnitendam posuit. Ad Claudium quoque Aquauiuam Reginæ Mariæ postulatu literas dedit Personius, regni statum exponens, & rogans, vt Scoti Patres eò aliqui mitterentur. Quam rem cum Claudius ad Pontificem detulisset, isque probasset, in eam expeditionem Edmundum Hayum, & Guilielmum Crittonium designauit. Sed Crittonium placuit ad rerum statum cominus spectandum præire, iussum, quantum conniti posset, conuenire Personium, vt ex eo quoque quid facto opus esset, coram cognosceret: quod facilius quam sperari potuerat sub huius anni finem consequutus est Rhotomagi, quò Personius vti significaui, iamque explicabo, concesserat. Nam captis ab Regina tam

Duo in Scotiam à Claudio Gen. missi.

multis, acerrimam in se conquisitionem haberi intelligens, & proditorum plena omnia, senescente iam anno excedendum Londino tantisper ratus, neque satis sciens, quo se potissimum reciperet, (adeo cuncta vbique perturbata Campiani erant vinculis) Prouinciam Sussexiam petijt. Hic forte ad Shellæi viri Principis, qui pro religione. in custodia tenebatur, ædes non procul à mari diuertit, vbi paululum detumuisset tempestatis atrocitas Londinum remeaturus; cum secretò admonetur proxima nocte clanculum quosdam Sacerdotes traiecturos in Galliam; si occasione vti & ipse velit, gratum ijs comitem futurum: Quæ res grauem illi curarum fluctuationem iniecit. Intelligebat si pedem extra Angliam poneret, regressum multò plus difficultatis, & discriminis habiturum: deinde profectionem id temporis posse Catholicis admirationem afferre, & commouere animos Sacerdotum, qui medijs in flammis relinquebantur: triumphaturos Hæreticos tanquam metu cessisset: denique quod commouebat maxime, ex optatæ pro religione mortis elapsuram è manibus occasionem. Ex altera parte multa, & grauia offerebantur, quæ breuem absentiam ab Insula, eo præsertim tempore, quo rebus adeo turbatis perparum in ea speraretur, multiplici fructu compensarent. Multa in Gallia, portubusque Britanniæ vicinis curanda esse ad totius negotij diuturnitatem, ac firmamentum; cum vsus ipse demonstrasset; non posse expeditionem à Societate susceptam perpetuari in Anglia, nisi transmarinis in partibus adesset consentiens Procurator peritus ac sedulus. Ex negotijs vrgebat, vel maxime librorum Catholicorum impressio, quæ amplius intra Insulam fieri non poterat, cum recens quoque prælum in Sylua Sthoner proditum esset, typographique capti, & omnes libri vna cum Stephano Brincleo, qui opus id procurabat. Itaque cum opuscula tria haberet in manibus, vnum pro censura Charci, & Anmeri: alterum de rebus, quas ipse in toto persequutionis cursu obseruarat: tertium, quod inscripsit: animi inductio ad erigendos Catholicos, cohortandosque, vt animum magnum assumerent, planeque inducerent instanti procellæ non cedere; ea videbat nec facile absolui, nec vllo pacto typis excudi posse in Anglia: quod vtrumque Rhotomagi nullo negotio præstitit, & inde initium factum, vt in alijs quoque Galliæ, & Belgij vrbibus libri Anglice ederentur, præsidium Catholicorum inæstimabile. Præter hæc multa habebat cum Alano communicandâ, & inter cætera, vt Testamenti noui, quod ipse Alanus Anglice verterat, editionem maturaret. Ad hæc Georgius Gilbertus Rhotomagi de vitæ ratione in posterum instituendæ nutum eius opperiebatur, quæ deliberatio coram multò commodius habebatur. Præterea multum intererat cum Archiepiscopo Glasconensi Legato Reginæ Scotiæ, cumque Hayo, & Crittonio congredi ad vias Scotiæ iuuandæ ineundas. Nec pauca Romam scribenda erant ad Generalem Præpositum, quæ propter interceptionis periculum ex Anglia non satis explicabantur. Quæ & alia eius generis cum se offerrent, & oblata præter opinionem nauigationis tanta opportunitas, Dei videretur inuitamentum, aliquid ex eo recessu in religionis commodum ordientis, demum

291 Fuga Personij Londino quam necessaria.

292 An Anglia excedat data nauis occasione deliberat.

293 Decernit in Galliam proficisci.

294 Edendorum præcipuè librorum causâ.

295 Et cum Alano, Georgio, Gilberto, aliisque tractandi.

Scribendique tutius Romam.

post

post multam precem, occasione, quam forte mox frustra requireret, vti constituit. Hæc vbi stetit sententia, sub mediam noctem admonetur iam iam nauigandum. At vbi ad mare peruenit iam exasperatum, nec nauigationi aptum, & nauim in altum summotam offendit. Itaque cum illucescceret, neque ad Sylluæ domum tutus esset recessus, cum perpetua solicitudine abdidit se se in Mapali, biduoque post prosperè Rothomagum aduectus: inde per literas Heyuodo rebus in Anglia præfecto, quæ destinarat ita peregit, vt euentus quoque ostenderet eum recessum ab consilio æterno fuisse. Apud Michaëlem de Monchy Archidiaconum, & Consiliarium Senatus Rothomagensis, virtute, ac religionis studio præstantem virum, diuersatus est, non secus atque amantissimus Frater acceptus, nemine fere siue Anglorum, siue exterorum eius absentiæ conscio: induxitque mercatorem pium Georgium Flinctonum nomine, vt totum se libris de religione edendis addiceret, quod sane, quoad vixit, egregiè præstitit: tumque Stephanus Brincleus, quem captum memorauimus, amicorum præsidio liberatus, Insulaque relicta saluberrimæ illi procurationi, eodem Personio, cui se tradiderat, addicente, successit: quam vir optimus, Societatique fidissimus, aliquot etiam religiosis opusculis in Anglicanum sermonem conuersis, ad mortem vsque administrauit; idem & edendos curans libros, & transmittendos in Angliam. Prospere Christiana res per Hispaniam gesta. Ex hoc anno potest censeri Gerundensis natale Collegij. Michaël de Agullana Canonicus huius vrbis, vir apprime religiosus ac doctus, ad Collegij institutionem quoddam Sacerdotium Gregorio Pontifici resignauit: idque Pontifex literis quoque Benedicti à Toco Episcopi, & Iuratorum, rogatus in eam rem transtulit: & Cæsarauguſta Petrus Domenechus eò profectus nomine Societatis possessionem inijt, dum Laurentius à S. Ioanne, & Franciscus Castellus rerum diuinarum ministeria ordiuntur. Excursiones perfrequentes, saluberrimæque susceptæ. Duæ inter cæteras insignes per Seguntinum, & Caurienſem Episcopatus rogatu Antistitum. Maxime vero vtiliter posita opera cum Batuecis, hoc nomine populos gens Montanos appellat in Caurienſi Diœcesi, Lusitanæ ditioni finitimos; qui cultura plurimùm egebant. Penetrauit ad hos Venatorum Christi caritas per auia, & montes: quantoque erat Pastorum maior inopia, tanto labor fuit latius explicandus. A multis passuum millibus aditi ægroti, recreati Sacramentis, inuncti moribundi, mox & mortui sepulturæ mandati. Quæ magna auditu faceret Indiæ nomen, ea demum hic gesta omnia. Similia his in Archiepiscopatu Burgensi per inculta item, & inhospita loca, montesque ipsos asperrimos syluis, ac feris horridos, omni humanæ vitæ consueto victu destitutos. Tamen tanta vbique ad verbum Dei fame simplices animæ currebant, vt ea alacritas omnem laborum asperitatem Euangelij Nuntijs leuaret, & ciborum duritiem quouis iucundiùs obsonio condiret. Magdalena Vlloa, & Burgensis Antistes, sua caritate maxime huiusmodi peregrinationes vrgebant, & collatis sustentabant subsidijs, vi insuper ingenti Rosariorum, quæ distribuerentur inter agrestes, donata. Ipsi vrbi Burgensi Iacobus Acosta Bæticæ Prouincialis ex itinere opportunissimum subsidium attulit. Cessatio à diuinis ex dissidijs inter Archiepiscopi, Prætorisque ministros indicta, perturbauerat, & impleuerat omnia scrupulis. Ad Iacobum publice, vt rogatus erat, dicturum, pro insigni de eius doctrina ac virtute iudicio, plurimi confluxere, & ipse Archiepiscopus. Adfuit differenti diuina vis, vt ineundæ concordiæ, explicandatumque conscientiarum viam ostenderet, vnde pax, & tranquillitas paulò post penitus restituta. Latinitatis Scholæ Vallisoletanæ Academiæ, quæ quarto ante anno Societatis fuerant curæ permissæ; cum solum eas Euerardus veluti in experimentum recepisset, hoc anno Madritano Regis consilio, atque ipso Rege autore, omnino sunt traditæ. Villaregij cœpta templi ædificatio Ioannis Pacecchi fundatoris liberalitate. Gaditani Collegij conditor declaratus Ioannes ab Ocha Termineli. Segouiæ collatum Seminarium trium linguarum ad Socios totius Castellanæ Prouinciæ erudiendos. Ludoui-

296 Latebrę eius periculosæ. Et felix Rhotomagum nauigatio.

297 Quibus vsus sit administris in Editione librorum.

298 Initia Gerundensis Collegij.

299 Missiones vtiles.

Præsertim ad Batuecos Montanos.

Et ad Rusticos Archiepiscopatus Burgensis.

300 Fructus concionum Burgis habitarum à Iacobo à Costa.

301 Scholę Valli soletanę constitutæ.

302 Villaregienſis, & Gaditani Collegiorum Fundatores.

303 Seminarium trium Linguarum Segouiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

douicus Santanderus Collegij Rector tota vrbe carus insignes hic afferebat priuatim, ac publicè vtilitates. Ludouicus Tellus Maldonatus Vrbis Episcopus dum Sacrum Chrisma per singulas Parœcias impertiret, adhibuit comitem Santanderum, qui animos populi ad Sanctum illud mysterium concione præpararet: eidem mox lethali morbo captus totum se se permisit: ab eo & supremis voluit mysterijs communiri; allatoque Sacrosancto Viatico, ad horæ quadrantem nixus genibus perstitit, partim adorans ac venerans Dominum, partim circumstantes ad pietatem exhortans. Verum Archiepiscopi Compostellani Francisci Blanci multo æquius hisce literis inserenda memoria est. Malacense Collegium, mox Compostellanum fundarat; Salmanticense, & alia quædam insigniter iuuerat: ad vltimum quicquid habebat volens in pauperum vsus concedere, hæredes instituit pauperes Compostellanos, & ab se ante condita Nosocomium, & Collegium Societatis: & suum insuper corpus Collegio tradidit, donum profecto haud vllo, quæ alioqui dedisset, inferius: Magnum non per Compostellanam modo Diœcesim, sed late per Hispaniam sui desiderium, magnum rarę virtutis nomen reliquit. Memorandi è Socijs mortalitatem exuêre Iacobus Castellus Metinnæ Campi è primis eius domicilij colonis, impigerque, & experiens operarius. Itaque & sedulitate, & longo vsu notus erat populo vniuerso, carusque, ac venerabilis perinde, ac publicus quidam omnium parens. Diem Principibus Apostolorum Sacrum, cui templum domus Metinnensis dicatum est, habuit supremum in terris, cum in Societatem iam Pontificij, & Cæsarei iuris doctor à Francisco Villanoua anno 1550. nonis Nouembris fuisset adlectus. In Collegio Legionensi Ignatius Salsedus decessit post annos religiosæ militiæ vndeuiginti, optimi exempli, plurimi laboris, ardentissimæ caritatis. In expiandis conscientijs, adeundisque decumbentium pauperum casis, numquam fessus, ac ne sui quidem curandi corporis memor. Inde factum est, vt vbi spiritum exhalauit, rumore per vrbem dicto, breui populus in Collegij Templum tantus affluxerit, vt Ioannes Ramirius ibi tum agens opportunam exhortationi concionem ratus, in suggestum conscenderit. Sed pauca verba fecit ne immodicos in ploratus vniuersi erumperent. Tantum ipso initio, & lacrymarum, & gemituum exundabat. Inter cætera memoratur Salsedus exquisitæ in rebus sacris fuisse munditiæ, totamque supellectilem sacram per id tempus Collegij Legionensis fuisse eiusdem partum industriæ. Obijt Seguræ septimo Idus Augusti Martinus Agorreta innocentiæ singularis vir, quam Dei beneficio, quantum ipse nosset, nullo vnquam lethali crimine inquinatam idem ipse solitus erat conscientiæ suæ Magistris ingenuè referre. Ortus in Oppido Caualegui Pompeiopolitanæ Diœceseos; annoque 1567. Societate Compluti inita, aliquot deinde annos Villaregij Fontium vixit: quo in Oppido, & circumiectis, alijsque compluribus longius positis, difficile dictu est quantum piarum frugum collegerit; quanta eum magni, & pij viri fama sequuta sit. Villaregij cum degeret intempesta nocte dormientem repentina vox excitauit, iubens festine surgere, Deoque commendare Paulum de Iesu Fratrem de Societate ipsi præcipua caritate coniunctum. Paruit continuo, certus ex ea re nihil posse nisi emolumentum existere: paucisque post diebus cognoscit eadem omnino hora Paulum compluti expirasse. Obijt Carauacæ Consaluus Gomius, ex Carrione Diœceseos Toletanæ Oppido, vbi Collegio iam prope triennium, miro omnium virtutum exemplo præfuerat: annis in Societate vndeuiginti exactis in magna infirmitate corporis, ea seueritate animi, vt singulos hebdomadæ dies in certa afflictationum genera distributos haberet. Binis flagello se verberabat, totidem induebatur cilicio; duabus noctibus vestitus cubabat duro super scamno, duabus vero nudus super cilicino stragulo. Inediam cum misericordia coniungens detractum sibi cibum indigentibus largiebatur, facultate domesticis idem factitandi permissa. Quare, vt fit, præeunte Rectore passim cæteri sequebantur. Quacumque de re consilium ex eo quæreretur, antequam responsum ederet, sublata ad Deum mente decies Sanctissima Iesu, & Mariæ nomina taci-

304 Santanderus bonam operam nauat Segouiensi Episcopo. huius sancta mors.

305 Francisci Blanci Archiepiscopi Compostellani vita, & mors pia.

306 Iacobi Castelli virtus, & felix obitus.

307 Ignatius Salsedus moritur ingenti sui desiderio relicto.

308 Innocentia Martini Agorretæ.

309 Admonetur diuinitus de morte fratris.

310 Consaluij Gomij studium mortificandi sui.

311 Eiusdem misericordia.

312 Vsus orationis, & assiduæ Dei præsentiæ.

tus

tus ingeminabat; toties cum diuinam psalmodiam inchoaret. Quaternas quotidie contemplationi impendebat horas, ac reliquo tempore non secus, ac si oraret, staretque in Dei conspectu se se gerebat. Viri diligentiam in obseruando pietatis suæ profectu ostendêre duo reperti postquam obijt libelli; quorum in altero animi sui sensa, & recepta in oratione lumina descripserat; in altero ex præceptis spiritualium Exercitiorum conscientiæ examina singulorum dierum adnotauerat, tam assidua intentaque cura; vt non maiore attentus quiuis Pater familiàs accepti, datique tabulas conficiat. Triduo ante morbum supremum dum Christi corpus inter sacrificandum mox communicaturus, manu sustinet, incensus vehementi cupiditate quamplurima eius causa patiendi, qui mortem acerbissimam causa nostra pertulerat, in omnem se pœnam, & cruciatum paratum obtulit. Cumque statim cogitationi occurreret angor, quem cruciatuum omnium grauissimum percipiebat ex consueto morbo, quo sanguinem ex ore eiectabat, ad eum quoque se se nominatim angorem obtulit; ac subinde adfuit paratæ patientiæ luculenta materies. Nouem dies inter febrium ardores acerrimos, & stomachi tormenta grauissima frequenti eiectione sanguinis vexatus est tanto impetu erumpentis, vt pœne præfocaretur: Quas ille pœnas quanta concupierat animi magnitudine, tanta æquitate tolerabat; quamuis insueta quoque (quæ solet molestissima Dei famulis exercitatio esse) ariditas spiritus accederet. Paucis ante mensibus Maria Diazia nomine pietatis inclyta Carauacæ fœmina, prædixerat ei anno illo ipsum mortem oppetiturum. Quo ex monitu siue ex cætera diligentia, qua res animi sui habebat compositas, iam sibi ipse totam rationem accurate descripserat, qua vellet extremo tempore ad mortem componi: notatos in ea ratione, ac formula ex Sancto Euangelio, & psalmis locos recitari sibi iubebat: iamque & dulcedo redierat pietatis, & diuinissimo accepto Viatico prope aberat ab exitu, cum Sanctam Vnctionem cœpit abnuere; quadam veluti iniecta diuinitus cogitatione repente occupatus, nequaquam se in præsentia moriturum, sed magnas ad res à Deo reseruari. Nimirum vt tota vita hominum militia est, ita acerrimus est in occasu vltimus hostis incursus, & fallacissimæ artes. Verum permagni interest, quo quisque ante insueuerit modo. Ideoque Consaluus, qui conscientiæ arbitrium suæ Confessario semper magna submissione permiserat, Satanæ fraudes eius monitu haud difficulter elusit: magnaque pietate suscepto supremæ vnctionis mysterio, post suauissima colloquia cum Christo Domino, cuius Crucifixi tenebat, & dulciter amplectebatur effigiem, non luctum, sed gaudium domesticis ex certa spe suæ felicitatis relinquens, lenissime expirauit. Cohonestatus est ab vniuerso Clero, & Fratribus S. Francisci percelebri funere: ciuesque passim ad Collegium per eos dies non, vt mos est, consolandi, sed gratulandi causa venere. Inferatur nobili Sacerdotum manipulo domestici laboris adiutor Iacobus, cui cognomen de Yeuenes ex patria, Diœceseos Toletanæ pago. A puero diuini instinctu spiritus pastor, & agricola in colendo precandoque numine per agrorum, saltuumque libertatem multis, ac frequens, crescente cum annus pietate, ac præsertim misericordia indigentium, omni eos ope, obsequioque, & emendicata insuper stipe iuuare contendit, donec ægrorum vtilitatibus in Granatensi Nosocomio Ioannis Dei operam suam omnem addixit. Hic vero post exactos in solicito ministerio dies, plerumque noctium in oratione, aliquid somni super humo capiens, ducebat. Augebatur ad labores animus, ipsoque vsu virtutis ad vlteriora porro incitabatur: itaque non operam modo suam, sed se, & libertatem, ac vitam tradere penitus Deo, eiusque famulis cupiens, ac perfectum fieri holocaustum, cum sesquiannum in Nosocomio posuisset, Societati se dedit. Anno redempti orbis 1558., ab ortu suo, sexto & vigesimo, in Granatense Collegium admissus est, totamque inibi ætatem, vel in Albaizinensi domicilio peregit, in ciborum parandorum, & cænaculi cura, toto iam animi impetu in curriculum perfectæ laudis effusus, alacris semper, & promptus, summeque beatus, nisi quod adhuc duriora appetens, Euangelizantium in

313 Diligentia in proprio profectu scriptis eius probata.

314 Offert se ad patiendum aspera.

315 Eaque perfert magno animo.

316 Mariæ Diaziæ vaticinium de eius morte.

317 Satanæ fraus

318 Confessarij monitu detecta.

319 Mors, & funus Consaluij.

320 Vita Iacobi de Yeuenes. Pietas, & caritas eius.

321 Ingreditur Societatem.

Religiosè in ea viuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in India Patrum coquus, & quacumque re posset adiutor esse optabat. Misericordiam illam, quæ cum ipso adoleuerat, perpetuo retinuit, auxitque. Semper habebat, quod mendiculis largiretur, nullo paupertatis domesticæ detrimento, semper quo domesticorum ægrorum leuaret, recrearetque molestiam. Haud secus inueniebat semper vbi, & cæterorum fratrum, & externorum, qui domestico cuipiam inseruirent, labores in se se transferret. Ac Deus famuli sui caritatem sæpius visus est diuinitus comprobare; nam famulorum vni ex obortа in faucibus collectione Sancto iam Oleo iussu Medici inungendo, appositis (forte ad obtegendum miraculum) herbis quibusdam, signoque Crucis impresso, præter omnium spem valetudinem reuocauit. Dum vero in paruo illo, ac paupere Albaizinensi domicilio versabatur, cum sæpe improuisi tot hospites superuenissent, vt duplicaretur vescentium numerus, modicis dapibus, quas pararat domesticis, abunde & hos, & hospites pauit. Promptæ quoque simplicitatem obedientiæ commendauit, aqua in cribro, vt Historia Prouinciæ Bæticæ narrat, ad Rectoris iussum perlata. Alebat hasce virtutes Iacobus suaui familiaritate cum Deo, suique verò neglectu. Semper in eius ore Christus Iesus. Ex rebus quas tractabat vilissimis licet; floseulis, herbis, & id genus, dulcedinem eminentissimæ contemplationis hauriebat. Vbi vacaret ab opere, nunc in Odæo, nunc in templo dulcissimis manantem sine vllo strepitu lacrymis inuenires, interdum ab sensuum vsu abstractum. Idem vt operum humillima, laborum asperrima, sic in victu, vestituque deterrima sibi legebat, tam simplici alacritate, vt triumphare in his ipse videretur; nec cuipiam non suauissimus esset exemplo. Postquam omnes, & quidem (quantum per leges fas erat) indulgentissime refecerat, tum demum frustulo aliquo ex ijs, quæ abijci solent, ieiunium ipse soluebat. Ad extremum vti optauerat, morbo neque domesticis graui, nec sibi ad diuinas res impedimento, supremis pietate maxima Sacramentis munitus, vndecimo Kal. Februarij animum Procreatori suo innocentissimum, & recte factorum ditissimum reddidit. Hispali fœda contagia cum sæuirent, Collegij, Domusque Socij in ægræ Ciuitatis auxilium suas vitas dicarunt. Quatuor è professa Domo distributis inter se regionibus vrbis, in glorioso periculo occupati; vnus etiam in demortui locum Parochi suffectus, ne tum populo subsidia deessent, cum maxime ingrueret necessitas. Enituit hac in re Georgij Aluarij ardor, & industria; enituit & Petri Vasquij, quem placuit Deo præsenti mercede remunerari, translatum à pio labore ad beatam quietem. Duo in pari munere idem præmium adepti, ex Lusitania Prouincia Portuensis Collegij Minister, & Procurator Ioannes Acosta, & Ioannes Petrius; ambo alterum & vigesimum in Societate annum diuino obsequio operati. Mirum quantam hic admirationem exciuit caritas Patrum, dum alijs præcipiti fuga procul ab contactu se se ferentibus, in vltimum discrimen ipsi pro animarum causa decurrunt. Inter hæc Collegium Angrense in Insula Tertia bellicis conflictabatur ærumnis. Ciuitas alioqui Societatis perstudiosa cum de Lusitano Regno certatum est, Antonij partes sequuta, Collegium, quod noluerant Patres se se partibus immiscere, arctissima inclusit custodia, omnibus, & ianuis, & fenestris, quæ in Vrbem spectarent, inædificatis; bis in hebdomada aliquanto commeatu summisso. Itaque fideles Domini serui omni excluſi humano commercio, ablataque rerum agendarum materia, colligendis modo patientiæ fructibus, consuetudinique Cælestium vacabant. Magnum dedere Lusitani Patres inter eas temporum difficultates suæ prudentiæ, religiosæque disciplinæ experimentum, vehementerque eorum modestiam Philippus Rex probauit: & tamen auidus fabularum rumor sparsit in quibusdam insidijs Regi moliendis participes de Societate multos fuisse: quod vt prorsus à vero aberat figmentum, ita breui euanuit. Philippus vicissim Rex perbenignum se Societati præbuit. Aduectum ex India Maldiuarum Insularum Regulum apud S. Rocchum haberi voluit. Ad P. Claudium Generalem (quamquam, & is ad eum literas dederat) tamen prior scripsit, prolixe suum patrocinium deferens. In Indiam qua-

Cura pauperum.

Et sedulitas laboris.

Curatio infirmi mira.

Multiplicatio ciborum.

Obedientia.

322 Eius studium orationis.

Temperantia eiusdem.

Mors pie obita.

323 Hispali nostri peste affectis inseruiunt.

Tres in pio labore mortui.

Duorum aliorum simi lis sors.

324 Collegij Angrensis difficultates.

325 Modestia, & Prudentia Lusitanorum Patrum Philippo Regi laudata.

326 Amor Philippi Regis in Societatem.

quatuordecim discessere lecta capita. In tres modo conscenderant naues, cum quartæ simul euntis, cui nomen Boni IESV, Præfectus, nobilesque, negant se posse sine eo solatio, ac præsidio tam longum, ac periculosum cursum inire. Adeunt frequentes Alfonsum Pacecchum, orant non precibus modo, sed lacrymis, autoritatem regiam interponunt; denique Sacerdotes duos impetrant. Valerium Parandam, & Ludouicum Fernandum ad suosque lætissimi propè humeris transferunt: Et quibus nihil ante prouisum erat, benignitate summa, & diuersorium, & commeatum certatim comparant. In Prætoria cum Prorege Alfonsus Pacecchus, qui venerat Romam ex India Procurator, Franciscus Martinus, & Hieronymus Xauerius Sacerdotes cum Iacobo Ferrera Laico. In altera cui nomen Saluator, Simon Paëzius, Antonius Rodericius, Antonius Franciscus, & Franciscus Viera. In Tertia, quæ Regum Magorum vocabatur, Hieronymus Rebellus, Emmanuel Caruallius, Marcus Antonius, & Ioannes Nicolaus, vtrobique Sacerdotes bini, ac Laici totidem profecti.

327 Nauis in Indiam soluens, vectores è Societate ambit:

328 Quatuordecim è nostris soluunt in Indiam.

Angolæ Regnum in ora extima occidentalis Aethiopiæ, cui proprium Guineæ nomen est, benignam hoc anno tribus è nostris, qui Christianam ibi rem curabant laborum non inutilium materiam suffecit. Loanda est in eo tractu Insula ditionis Lusitanorum, vbi nostrorum domicilium est. Præfectus eius Præsidij consilio habito de ratione belli, quod dudum ibi Lusitana gens cum Indigenis Ethnicis gerit, putauit opportunum factu expeditionem ad Cambambes ducere: Populi ij sunt Regionem obtinentes interioris Angolæ, in qua Montes Argenti Fodinis nobiles dicuntur esse: quos Regni Lusitanici ditioni adiungi quæstuosum ad multa, nec pro præsenti copia nimis arduum tentatu videbatur. Delectu habito copiarum euntium comitem, & Sacrarum rerum curatorem, assumi placuit vnum è nostris. Necessarium erat iter ad Cambambes tendentibus per Ambundos eiusdem societatis, ac ritus populos: Ij consternati ad arma primo indicio Consilij nostrorum, ingenti multitudine se se obuiam effundunt: sed facile victi prælijs aliquot fusique viam liberam cedere victoribus coguntur, quâ illi strenuè progressi, ad Coansam flumen peruenerunt. Amnis hic est illarum Regionum facile maximus, Nilique adeo æmulus etiam in Originis, ac capitis incerto: sed quam ortu obscurus tam decursu conspicuus, vasta mole aquarum per Congi Angolæque regna labitur, crebris, & celebribus vtraque ripa diues oppidis, latitudine aluei quâ mari miscetur non minus sex & triginta passuum millibus patens. Nec spatio tanto vanescit impetus ruentis. Vim proprij fluxus perfert impermixtam marinis vndis ad octoginta millia passuum fluctus Oceani propellens, & dulces aquas adhuc incorruptas contagio æquoreæ salsuginis, illic tanto à littore interuallo Nautis hauriendas præbens. Huius opportunitate fluminis, cuius secundum ripam iter copijs commodum erat, vtendum Præfectus ratus, naues impedimentis oneratas legere oram iubet, quâ ipse in conspectu expeditum ductabat militem: quadam tenus feliciter. Sed tales amnem aëremque tempestates concitarunt, tantaque corporibus cœli grauis insalubritas incubuit, vt deligendus statiuis locus ibidem ad ripam Coansæ fuerit, viæque consilium intermittendum. Fœda hinc facies castrorum procumbentibus passim morbo militibus, neque ad curationem languentium sufficientibus sanis. Noster plusquam pro virili contendere: discurrere per omnes, consolari, hortari, ministrare, animis corporibusque necessaria suggerere, vnus plurimorum, quoniam ita res poscebat, munia explere: nec die nec nocte partem quietis aliquam capere: quoad ipse aliorum curator sternitur grassanti lue; nec sic tamen ab officio desistit: circumlatus manibus seruorum, tentoria languentium obire pergit, & qua potest ope miseros recreat. Haud saniores animi Valentium, quam corpora ægrorum erant. Vt querula calamitas est, & irritabiles infelicium mentes, atroces exarserunt inter milites iræ, factionibusque corroboratis, condictum in diem posterum mutua prouocatione certamen fero indicio ad Patrem ægrotantem noctu defertur. Sine mora Mancipiorum Aethiopum ministerio portari se se iubet ad sedi-

329 Tres è Societate in Regno Angolæ.

330 Expeditio in Cambambes à Lusitanis suscepta.

331 Ambundi victi.

332 Coansæ amenis natura.

333 Pestilentia ex graui cœlo.

In ea labor fortis, & vtilis Sacerdotis nostri.

334 Ciuile prælium inter Lusitanos impeditum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis duces, tantumque Deo iuuante auctoritate, ac precibus potuit, vt gratia pro tempore inter discordes resarcita, nefas exitiale ciuilis prælij præuerteret. Nihil horum circumquaque intentos latebat hostes. Ergo exhausta mortibus, discissa odijs castra vndecumque oppugnaturi concurrunt, spe verisimili, haud quaquam pares resistendo futuros, quos paucos pestilentiæ superstites, rixæ inmutuum exitium armarent. Inter hæc continuis dierum quindecim imbribus itineris aliquam facultatem opportuna cessatione præbentibus, salubriore in montibus loco Lusitani Duces castra sunt metati: quindecim non plus millibus à priori Sede noua statiua distabant, situ cum ad munitionem apto, tum commeatibus opportuno, quod sinui amnis imminebat Nauium capaci. Eo translatos

335 Castra Lusitana oppugnata à Barbaris.

numerosi circumsistunt Barbarorum exercitus, ex cunctis Angolæ populis, quos abundante fortitudine, acrium bellatorum ipsæ illæ reliquiæ facile summouebant, crebris eruptionibus concisos, nisi militans efficacius Barbaris lues recrudescente vi nouam quoque stationem infestaret, frequentioribus etiam quam antea quotidie funeribus sæuiens. Cum ergo, & præsidia minuerentur intestino malo, & externa, oppugnatione recentium continuo accessu inualescente copiarum, pericula crescerent, tenui filo spes vltima pendebat promissorum auxiliorum fœderati Lusitanis Regis Congi. Et procedere iam cœperant

336 Congenses Lusitanorũ fœderati fusi fugatique.

Congensium Sociorum Septuaginta millia: numerus non soluendæ solum obsidioni Valli, sed ad debellandum cum Angolanis par abundè futurus. Verum tristis breui Nuncius adfuit, tantum exercitum temerè in insidias prolapsum, partim cæsum, partim fusum, ac dissipatum esse. Hoc misero statu rerum, cum non plus centum armis idonei tractandis in castris Lusitani supererent, priuato aliqui consilio desperatâ re publicâ clam fugerunt. Horum quidam in Loandam Insulam delati, extremi non Lusitanæ magis quam Christianæ rei discriminis indicium fecerunt. Ingenti desperatione torpebant Duces in Nuncio tam trepido, nec consilium auxilij ferendi expedituri videbantur, nisi qui res ibi Sacras curabat Noster, singulos adiens obtestaretur, ne vltimo suorum periculo deessent. Dei enim opem audentibus adfuturam. Sic conflata manus quanta potuit in illis rerum & temporis angustijs maximâ, Patre ipso expeditionis autore comitante, feliciter in obsessa castra penetrauit incolumis, tanta vtrimque gratulatione, vt conceptâ vincendi fiduciâ fortiter erumpentes magnâ hostium strage factâ, reliquos in fugam verterent. Aliquid humano

337 Mirabilis victoria Lusitanorum ope S Ioan. Bapt.

maius in ea Victoria fuit: creditumque meritò est S. Ioannem Baptistam (nam eius natali die felix eruptio facta est) equitibus Lusitanis peculiari sibi deuotione clientibus, cœleste patrocinium præstitisse. Itaque ab Diuo nomen nouum loco factum est. Nec silendum, visam esse pietatem Militum tam duræ obsidionis tempore, Cœlum in sui misericordiam, egregiâ religiosorum operum perseuerantiâ, mouisse. Quotidie Missæ Sacrificio à Nostro Sacerdote celebrato frequentes intererant. Ijsdem idem volentibus, & enixè obsequentibus, edixerat, vt quinquies quot diebus in Tabernaculum diuinis Ministerijs dicatum,

338 Pietas Lusitanorum in extrema calamitate.

Dei pacis exposcendæ causa conuenirent. Nec vero ij vnquam pugnaturi prodibant, nisi Sacramentis Confessionis, & Eucharistiæ rite præmuniti. Victoriam primam secundæ aliquot pugnæ consecutæ, Angolanorum animos, & ferociam fregerunt: adeo vt tertia fermè nobilitatis pars, abiectâ spe armorum, pacem veniamque poscceret. Illud in his gratulationis maioris fuit, quod Banzæ Regulus Regis Socer, Songa nomine, præcipuæ vir autoritatis, & prudentiæ, vna cum filio natu minore, alijsque nonnullis Regni proceribus, Christi Religioni nomen dedit. Prætor Songæ Lustricus Pater, Christiano more, in baptismo factus, Pauli nomen indidit. Additus Neophyto Regij arcus honos, gentis ritu Ducis Aethiopum insigne: concessumque, fauore nemini eatenus ibi tributo, vt coram Prætoribus Sella tapetibus ornata vti semper posset, quæ

339 Conuersio Reguli potentis.

340 Eius exẽplo multi alij permoti.

Aethiopum opinione dignitas summa est. Incredibile dictu est quantum hic splendor Angolanorum oculos perstrinxerit. Pleroscque passim cupido incessit Christiana Sacra cognoscendi; nec pauci amplecterentur si operariorum copia esset,

esset, quæ dare operam doceri cupientibus posset. Messorum penuriâ, magna pars Segetis maturæ in aruo relinquitur. Tamen Coansæ ripis vtrimque imposita oppida noster Sacerdos docendo concursauit: eoque itinere ad Gentem miseram in ipso fluminis alueo in concauis arborum inter cancros habitantem. Nam hæc ibi animalia copia ingenti sobolescunt, familiariter, & sine vllis, vel horrore, vel nauseâ per cibos, vestes, membra hominum sic natorum, sicque educatorum nundinantia. Ista excursione quadringenti probè instructi Ecclesiæ adiuncti per baptismum sunt, præter horum infantes item ablutos Sacris vndis. Multis in locis deleta Idolorum fana, Crucisque trophæum erectum. Loci Dynasta in quo Lusitana castra sunt, Christianam Doctrinam cupidè audiebat. Denique ipse Cambambium Regulus cuius in ditione sunt mon-

341 Ostium ingens Euangelio apertum.

tes illi quos diximus argenti feraces, legatis vltro missis Lusitanos ad se inuitat, fideique prædicationi ostium aperit. In Congi Regnum Angolæ finitimum excurrit è nostris vnus & quinquaginta septem supra mille quingentos baptizauit. Ante nonaginta fere annos hoc regnum Lusitanorum opera Christi fidem susceperat. Sed cum in oppidis triginta millibus Sacerdotes non plus duodecim degant, culturæ defectu Gens siluescit. Plerique quam religionem colant interrogati vnum id respondent: se sal comedisse: hoc verbo

342 Regni Angolæ miser status penuria Sacerdotum.

baptismum adumbrant, quod Ecclesiæ ritu sal ori baptizatorum inseratur. Viget ergo passim Idolorum cultus. Sed eius pertinax non est natio, si autor meliorum præsto sit. Sacerdos è nostris paulum extra fines Angolæ progressus, vno in pago quadringentis baptizatis idola plurima comminuit. Crucesque loco eorum erexit. Christianus alterius pagi princeps euocandæ satis exustis pluuiæ miram artem factitabat, Idolis demoliendis. Eius campi largo imbre rigabantur, interim dum finitimorum statuas impias stare sinentium eidem subiecta Cœlo prædia siti squallebant. Infestas habent regio-

343 Christianus Princeps idolis demoliendis diuina beneficia promeretur

nes istas Hippopotami, ferum genus amphibiæ bestiæ. Mole pares Elephantis, cum lintres in aquis dentibus, ac calcibus euertunt, tum in terram erumpentes in Viatores irruunt. Nec multitudinem verentur. Pagos ipsos audent ingredi: magnasque in ijs strages edunt. Itaque pro miraculo celebratum ab Ethnicis quoque est, quod vna ex his belluis in eius quem dixi Principis pagum Christianis frequentem incursans, sine vllius hominis cæde aut vulnere, quod fieri non solet, occisa est. Admiratio hinc vulgo, & desiderium Christianæ Religionis increbescit. Sed deest, qui paruulis petentibus panem frangat.

Abassinorum Regnum Aethiopiæ Orientalis tres adhuc reliquos habebat ex Magni Patriarchæ Ouiedi Socijs quinque, quos in eas terras secum duxerat, duobus ante Patriarcham mortuis. Andreâ videlicet siue Gualdario siue Gualdanio, vel etiam, vt optima monumenta nouissimè allata satis diuersè scribunt, Gonzaluo Gualdamez, iam ab anno 1562. in Insulâ Mazuâ odio Christianæ Religionis à Turcis occiso. Is vir fuit caritate, ac tolerantiâ singulari. Anno post hunc duodecimo, nempe æræ Christianæ 1574. Gonzalus Cardosus missus in longinquum pagum itinere dierum quindecim, ad Catholicos Incolas loci Sacramentis, & Sacra Doctrina consolandos, alacri obedientia statim procinctus Patri mittenti, lætus & renidens in digressu dixit. Promptissimè, quo iubes pergo. Non perueniam tamen Dambeam (id pago nomen erat) neque te amplius videbo. His dictis abiens aliquot dierum itinere facto, repente in via consistens Franciscum Lupium comitem admonet, adesse sibi fatalem horam, ipsum quoque de vita periclitaturum: curaret tamen se, necique subtraheret, miserans Ecclesiam Abassinorum tantâ Sacerdotum inopia pressam. Inde ipsos in sanctis affectibus, & sermonibus cepto itinere pergentes, syluis egressi armati latrones adoriuntur. Cardosus lethali vulnere confossus repentè concidit XI. Kal. Iunij, Lupius leuiori plagâ ictus, fuga euasit, diuina prouidentiâ seruatus, vt Sociorum Ouiedi superstes omnium, reliquias miseras afflictæ illarum partium Ecclesiæ tueretur, de quo suis inferius dicetur locis. Fuit Cardosus cuius memoriam suo loco prætermissam defe-

Æthiopia.

344 Sociorum Patriarchæ Ouiedi pia vita, & obitus felices.

22. Maij 1574.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctu literarum, ijs tandem perlatis hîc supplere visum est, fuit, inquam Operarius Euangelij frugifer in paucis, inexhaustæ diligentiæ in Hæreticis solicitandis ad fidem, Catholicis in ea confirmandis, in quo dies noctesque indefesso labore continuabat. Magna illi autoritas ad omnes, & comitate innocentiâque parta gratia, quæ claues animorum, & quemuis, quo vellet inflectendi facultatem dabat. Non alius eo dexterior, & felicior conciliator pacis inter dissidentes: vt idoneæ sint augurandi causæ cœlestis eum hæreditatis morte compotem factum, qui verum filiorum Dei Pacificorum characterem iam in vita prætulerit. Reliqui tres Patriarchæ superstites Patres Emmanuel Fernandius, Antonius Fernandes, & Franciscus Lopez, siue vt alij vocant Lupius, è præclara cohorte reliqui gregem pusillum assiduis, & acribus Barbarorum vndique, ac Schismaticorum insultibus periclitantem egregia fide, ac caritate tuiti adhuc sunt per annos plures; singulorum exitus suo tempore reddemus. Reuerentia Lusitani Imperij nuper Sebastiani Regis nece perturbati exolescens è feris Indigenarum animis opportuniores in dies impiorum iniurijs Catholicos reddebat. Ad hæc Rex Aethiopum secundis aliquot prælijs in Turcos factis insolenter ferox, quod minus se deinceps ope Lusitanorum egere iudicaret, animo suo in Catholicos prauo sæuoque liberius indulgebat.

345 Catholicorũ in Æthiopia persecutio ingraescit.

Naues quatuor quas è Lusitaniâ soluisse diximus cursum omnes in Indiam Dei benignitate tenuerunt. Tres in quibus Franciscus Mascarenas Prorex Goam, quarta XVI. Kalendas Nouembres Cocinum appulit. Morbi classem in cursu infestarant. Benigna hinc materia caritati Nostrorum: qui sibi non pepercerunt: haud paruo, vt creditum est, animorum fructu corporumque. Ipsi omnes lue obsequijs contracta exerciti, Dei beneficio conualuerunt, præter vnum Franciscum Martinium, qui Roma Procurator rediens mandata ibi accepta perferre in Prouinciam non potuit, meliorem quam quem petebat, in ipsa, vt speratur, nauigatione Portum ingressus. Duo Goæ hoc anno Baptismi celebrati sunt, apparatu & pompa magnificis. Prior in nostro Collegij Goani templo ipso die conuersionis S. Pauli loci Patroni, capitum quadringentorum. Alter in Oppido S. Laurentij, tribus ab Vrbe milliaribus, die item Sancti eius Martyris natali, paulo numerosior, sexcentorum quinquaginta. Candidati omnes ordinati sub signis vtrobique processere specioso agmine, nitido vestitu, cuius singulis copiam ex eleemonsynis nostri curauerant, palmarum ramos prætendentes manibus. Adhibitus tibiarum tubarumque cantus, Baptizatis Sponsores è nobilissimis quibusque adfuere, qui sua honoris causa lustratis nomina dederunt. Priuatis baptismis alij præterea ducenti Ecclesiæ aggregati sunt. Valet illa species ad commendandam mysteriorum nostrorum dignitatem ambitiosæ non minus quam superstitiosæ Genti. Neophytis, prout cuiusque captus, ac fortuna tulit, honores additi. Duos ipsorum ex Indica nobilitate Rex Philippus Commendatores creauit, quam rem ingenti plausu Ethnici quoque ipsi celebrarunt. Horum alteri, viro probatæ strenuitatis, Præfectura quinque Nauium bellicarum credita. His delinimentis non parum alliciuntur Indi ad cogitationem Christianæ legis amplectendæ, cuius humilitas superbos eorum animos solebat offendere. Initium hoc anno Domui Professæ Goanæ factum, Duodecim è nostris mense Februario in ædes Rosarij dictas piorum liberalitate in nostros vsus concinnatas, immigrantibus. Sitæ illæ sunt in solo amæno, cœlo salubriori quam Collegium, opportunus ideo receptus fessorum laboribus, & fractam ærumnis Missionum valetudinem trahentium. In Castro Rachol agri Salsetani Templum elegantioris operis, & solidioris materiæ quam hactenus in his partibus consueuisset, hoc anno perfectum, & dedicatum est. Non alia illic prius quam lignea visebantur, hoc primum lapide, ac cæmento structum. Cathecumenorum ingens vbique numerus. Vno in pago S. Laurentij præter quos diximus sexcentos quinquaginta baptizatos, alij non minus sexcentis candidati Christianæ Religionis ad fidem cura Nostrorum instituebantur. Multa omitto vulgaria dictu, non tamen siluerim experimen-

346 Appulsus in Indiam nauium quatuor.

347 Martinius Procurator Indicæ Prouinciæ inter nauigandum moritur.

348 Mille Goæ baptizati solemni pompa.

349 Neophyti honorati.

350 Principis domus Professæ Goanę

351 Progressus Religionis in Salsettis.

menta quædam mira benignissimæ Dei prouidentiæ in salutem aliquorum. Anus nonagenaria vltro instinctu inopinato venit ad nostros baptismum postulans. Edocta raptim, & baptizata biduo est mortua. Differentem de rebus salutis Gentilis quidam in agro Sacerdotem nostrum audiens vehementer institit, vt continuo baptizaretur. impetrat, moritur. Idem Sacerdos iter faciens in vetulam incidit sedere præ lassitudine coactam. Vnde & quo interroganti: respondit mulier. Ego tanto natu nunc primum ex oppido pedem extuli. Causa prodeundi fuit desiderium impatientissimè pungens Ecclesiæ Christianorum adeundæ, sed iam vires conantem deficiunt. Pater his auditis mysteria Christianæ fidei explicat pendenti ab eius ore, & mira voluptate gestienti. Quid multa? baptismum efflagitanti morem gerit, baptizatæ mors tamquam hoc solum expectasset statim adfuit. Hæc satis ad specimen sint. Obseruata enim sunt ijsdem locis, ac temporibus similia non pauca. Cocini Christiana res à Socijs septendecim impigrè feliciterque curabatur. Eorum vnus duram prouinciam sortitus conciliandæ pacis inter duos inuicem capitaliter infensos, potuit, quæ vis diuini Verbi est, excutere ferrum de manu militi grauissima iniuria læso, & inde in vltionem inflammato. Is vero non solum ignouit inimico, sed eum vltro prior supplex adire sustinuit, & illam osculari manum à qua sibi digitum in rixa crudeliter amputatum meminisset. Baptismi hic quoque frequentes, & clari, & Ethnicorum Nobilium conuersiones fuere; præsertim in Residentiâ S. Iacobi Cocinensi Collegio subiectâ, vbi è multis Cathecumenis centum & quinquaginta satis visi præparati, solemni baptismo die S. Iacobi Apostoli simul in nostro templo lustrati sunt. Memoratu dignum est Ethnicum nobilem vehementer institisse apud nostros, vt filiolam suam infantem baptizarent. Nata erat cæca, locis oculorum gemina sed informi, ac tetra visu caruncula occupatis, consternatus Pater vouit curaturum se baptizari si ei Deus videndi facultatem daret. Mira res. Subiti nascuntur puellulæ oculi, ijque clari, ac viuaces. At homo infidelis in promisso exoluendo cunctabatur. Ecce autem ardente febri correpta infantula faucibus plane lethi admouetur. Mœstus iterum Pater votum instaurat, nec patiens, & misericors abnuit Dominus, conualescens mox infantula in templum nostrum à Parente portata, publica ibi gratulatione Sacris aquis abluta est. Rex eius oræ licet Ethnicus Christianæ religioni fauet. Permittit enim palam ædificari Christo templa suscipique baptismum à suis subditis, quos etiam vbi baptizati sunt subiacere disciplinæ Ecclesiasticæ coërcerique è Sacris Ministris opportuno supplicio æquum censet. Regis exemplo Magnates honori ducunt extare sui erga Christianam Religionem, etsi hanc nondum amplectuntur, amoris exempla. Itaque ad templi Sancto Andreæ dicati sumptuosam elegantemque constructionem non Christiani ferè plures quam Idololatræ pecunias contulerunt. Excursum è Vaipiccottanâ Cocinensi quoque annexa Collegio Residentiâ, in Angamale. Regionis id nomen ab Hæreticis Nestorianis habitatæ. Prædicatum vbique cum fructu est, Cassanaris (sic sectæ Magistros vocant) nequidquam ringentibus, qui cum sparsis improbissimè mendacijs plebem in nos concitassent, detecta veritate res in maiorem ipsorum ignominiam vertit. Coulani duæ familiæ nobiles plus triginta capitum fidem palam susceperunt, & coram calumniosè iactantibus eas vi à cæpto defecisse, constanter, & gloriosè testatæ sunt. Trauancori Religio Crucis haud silendo exemplo sancita est. Mos ibi est in controuersijs, quæ dirimi testimonio non possunt, coram Sacra Cruce in propatulo erecta iurari. Huc adducta quædam Ancilla non dubitauit imprecari sibi certum morbum si falleret: re vera fallebat, nec diu inultum periurium tulit. Postero die illo ipso morbo percussa est, ac metu contagionis domini ædibus præceps eiecta. Ab omnibus miserrimè desertam Iudex ipse, qui quæstioni præfuerat, misericordia motus ad Crucem deducit, autorque ipsi est, vt periurium fassa veniam roget. Simul collectum è vicinia Crucis puluerem amuleti loco gestandum in sinu tradit. His mulier factis triduo

352 Miræ conuersiones multorum sub mortem.

353 Exemplum memorabile vltionis omissæ Christi causa.

354 Miraculum duplex in Infantula baptizata.

355 Ethnicorum procerum mirum studium in Religionem Christianam

356 Nestoriani Hæretici cõfuſi.

357 Periurij memorabilis vltio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

358 Labores fructuosi nostrorum in ora Piscatiæ

duo conualuit. In ora Piscaria sedecim hoc anno Nostrorum occupatissimam, nec successuum inopem animarum procurationem habuerunt. Præter dies festos quinis ferè per hebdomadam diebus ad conciones generatim discretas dicebant: bis ad viros: ad Scholasticos, ad Mulieres, ad Seruitia separatim semel. Fructus ex hoc abundans. Confessiones Generales ad nongentas numeratæ. Crux anno superiori eminenti erecta loco, magno etiam Gentilium concursu, visitur. Celebritatem facit fama miraculorum ibi precibus impetrari solitorum. Eleemosynæ hoc anno à Crucem illam adeuntibus collatæ trecentorum aureorum summam æquarunt, quæ in pauperes regionis familias distributa est.

Iaponia.

Iaponicarum rerum paulo altius repetenda nobis narratio est, quod earum pleræque in duobus proximè præcedentibus Annalibus omissæ sunt. Appulit ad eas Insulas Alexander Valignanus anni 1579. mense Iulio, vt ibi dictum a est, Is vt quam gerebat Visitatoris potestatem melius vtiliusque exercere posset, omnium Nostrorum, qui variè dispersi per eas partes erant conuentum in Cochinozuensem portum indixit. Præstò ibi fuerunt ad dictam diem, quotquot in Ximo degebant. Meacenses tumultibus bellorum impliciti eo proficisci nequiuerunt. Quatuor in eo cœtu decreta sunt in rem Christianitatis, & Societatis opportuna. Primùm, Nostrorum in Iaponia degentium Regimen, vniuersum in tres quasi Prouincias diuisum est. Prima fuit Meacensis, circumiacentes quoque illi vrbi Iaponis primariæ regiones amplectens. Altera erat Figenensium Regnorum Arimæ, Omuræ, Firandi, & Goti. Tertia Bungensis. Hunc vsum ea res habebat, vt qui varijs in Missionibus Operarij versabantur, in promptu haberent cui parerent, & ad quem in dubijs aut necessitatibus recurrerent. Ei nimirum, qui Diœcesibus hisce Sociorum curandis præficeretur arbitrio Visitatoris. Constitutum secundò est, vt è Nostris, quæ tunc erant domibus quædam velut Collegia designarentur, in quibus Iuniores Nostri linguæ Iaponicæ alijsque necessarijs studijs vacarent. Tertiò, vt quoniam Messis multa Operarij pauci ad manum essent, Non enim tum numerabantur in vniuersa Iaponia plures vigintinouem, è quibus tres, & viginti Sacerdotes erant, Domus Probationis excitaretur in quam admitti possent è Lusitanis ibi peregrinantibus, aut etiam è Christianis Iaponijs, si qui apti nostro instituto à Deo in Societatem vocarentur. Denique visum est optimum fore, si omni ratione procuraretur, vt erudiendæ, ac formandæ iuuentuti curâ operaque Nostrorum, idoneis locis Seminaria fierent. His stabilitis dimissi sunt Patres in stationes vnde venerant: nisi quod P. Gregorius de Cespedes Meacum proficisci cum Socio iussus. Visitator in Regnum Arimæ se contulit, vt Regis conuersioni, dudum sui Patrui Bartholomæi Regis Omuræ suasu de Christiana Religione amplectendâ deliberantis, manum vltimam imponeret. Reperit ibi Valignanus vacillantem in Conuersionis proposito Regis animum, quem Auia Idolis addicta cum Auunculis eiusdem sectæ, & qui eum assiduè circumstabant Bonzijs, vehementer à Sancta cogitatione retraxerant. Perfecit tamen Pater Deo adiuuante, vt differentibus de Doctrina Christiana Rex operam daret. Fructus is breui fuit, vt Rex cum vno è suis Patruis, & Iuuene patrüele, diem locumque baptismo condicerent, quem in Portu Cochinozuensi se suscepturos promiserunt. Ne id ad constitutum fieret obstitit primo subitus Regis morbus, deinde terror bellicus à Riozogo tunc Regni Chicungi Victore, qui arma repente in Regnum Arimanum verterat. Hæc etsi palam Bonzij streperent, manifesto Camium & Fotoquium se spretos vlciscentium, numine fieri, nihil tamen Regem à fixo semel consilio mouerunt. Quin sapienter iudicans, quò plures ab hominibus formidines instarent, eo maturiùs conciliandum sibi Deum esse, P. Valignanum euocatum iu arcem, quo ad apparatus belli secesserat, magnopere orauit ne moram vllam faceret sui Christi Cultorum albo adscribendi. Sacro igitur ibi lauacro cum aliquot è suis Lustratus Rex Arimæ Protasij nomen accepit. Paucis post diebus vxor quo-

a Part.4.lib. VII.n.317.

359 Conuentus Patrum in Iaponia celebratus.

Quatuor in eo decreta.

360 Alexandri Valignani felix labor in conuersione Regis Arimæ.

quoque eius eodem mysterio initiata Lucia dicta est. Subitò apparuit quam sit salubre consilium quærendi primum Regni Dei, bonis alijs minoribus cum eo sponte affluxuris: Si quidem minax illa tempestas, quæ non dubiam perniciem Regno Arimæ minabatur, Deo auertente in Regnum Fingense ab Idololatris habitatum, vim effudit suam. Valignanus enim missus ad Riozogum à Rege Protasio ad tractandam cum eo pacem, negotium subito confecit: magnâ cunctorum admiratione: qui Dei manum, in quâ corda Regum sunt, in fero Barbari Victoris animo flectendo, haud dubiè operatam intelligebant. Hinc inter gratulationes tranquillitatis publicæ, Arimæ Religionis studia feruebant. Quatuor millia paucis mensibus sacris vndis eluta Ecclesiam auxere. Quæ quo certioribus in futurum profectibus adolesceret, rogatu Valignani Seminarium amplum educandæ in literis, & morum honestate iuuentuti, prolixa Regis liberalitate institutum est ibidem.

361 Baptismus Regis Arimæ Protasij vocati.

In Bungensi Regno Arimæ finitimo contrarijs consilijs contraria euenta responderunt. Rex nouus cui Pater iuueni rerum habenas præmaturè permiserat, magna Christianæ Religionis, Patris instinctu, voluntate conceptâ, propositum non tenuit, Riozogi terroribus, & Bonziorum, in transuersum actus. Concessit infelix seditiosè id flagitantibus Idololatris Sacramentum impium, quo se illis, defectionem ni faceret ad Riozogum minantibus, obstrinxit, redditurum Bonzijs ereptos census, & Sacra Camium, ac Fotoquium non prohibiturum. Tantæ inde perfidiæ sibi conscius Magistrorum fidei congressus occursusque declinabat, nullius maiori quam Patris, Francisci Regis Senioris, dolore pudoreque, ex quibus cum in morbum periculosum Senex incidisset, accedentes ad se officij causa Principem filium, cum nuru ipsius coniuge, admittere in conspectum noluit. Auditusque est cum diceret, id quod euentis deinde comprobatum spiritu prophetico præuisum apparuit, stirpem suam, quæ quingentis iam annis Bungo regnabat, in isto suo aduersus Deum rebelli filio, sic eius peccatis exigentibus, finem habituram. Mox bello inualescente, breui tempore Fungense, Chicungense, ac Buygense Regna, quæ Franciscus Rex Bungensi adiunxerat, amisit. Bungense ipsum vix tenebat, Proceribus plurimis rebellantibus. Interea Rex Senior studijs Religionis se totum abdebat. In domo priuata degens, octauo quoque die ritè confessus Eucharistiam sumebat. Quotidie mane ceras horis mysteria vitæ ac mortis Christi commentabatur. Vesperi cum congregata familia in Sacello domestico flexis ante aram genibus, coronam Deiparæ recitabat. Votis in hoc secessu se tribus deuinxit Castitatis coniugalis, Obedientiæ mandatis Dei, & Moderatorum salutis æternæ suæ, constanter exhibendæ, Postremo bonorum honorumque omnium prius iacturæ subeundæ quam in fide Christi titubaret. Operæ pretium est videre quibus verbis hoc postremum votum expresserit. Promitto tibi IESV Christi Fili Dei, me te vnum verum æternum Deum agniturum, adoraturum, semper, & quæ docuisti crediturum: etiamsi Patres Societatis quos mihi dedisti Magistros à te deficerent: etiamsi, quod fieri non posse arbitror, Vicarius tuus in terris Romanus Pontifex, & tota Christianitas Europæ tuum cultum abijcerent. In his curis, ac cogitationibus versantem circumsistunt rebus iam perditis Regni proceres, & missi à filio, qui enixè precarentur, vt tenuium Imperij reliquiarum regimen, & Patrocinium susciperet. Diu reluctabatur. Sed pietate, ac misericordia victus, tandem annuit. Principio quatuor Principes, qui Regem iuuenem prauis suis consilijs peruerterant, exilio mulctauit. Tum exercitu instructo Chicacuram Factiosorum caput oppugnare orsus, breui tempore transfugio suorum destitutum oppressit, & acie occidit. Sic Regno Bungensi pax reddita. Deo, quam sit ad omnia vtilis pietas, exemplo illustri demonstrante.

362 Valignanus pacem conciliat inter Reges infestos inuicem

363 Iunior Rex Bungi terroribus à religione arcetur.

364 Regis Senioris ex eo dolor. Et prædictio.

365 Rex Iunior tria regna perdit.

366 Egregia religio Regis Bungi Senioris.

367 Is rerum habenas rogatu filij recipit. Et rebelles vincit.

Venit inter hæc Bungum Valignanus tardiùs quam optauerat, & constituerat, propter Arimanos tumultus: quæ mora ei salutaris fuit. Nam ea factum est, ne in præparatas insidias, si destinata die proficisceretur, incideret.

368 Valignanus insidias Dei ope vitat.

Qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quidam Rebellium Bungensium Iothet nomine, vt ægrè Regi faceret, cui non ignorabat quam carus esset Valignanus, Sicariorum manu in itinere dispositâ tollere illum decreuerat. Quod præter quam frustra tentauit, mox etiam luit graui suo supplicio. Nam eadem passus, quæ fecerat, & à suis proditus, qui suum in Regem rebellauerat, à Paganis Fitaensibus est occisus. Francisco Rege præsens Dei numen se agnoscere prædicante, tam in benefica illa erga Valignanum prouidentia, quam in merita pœnâ nefarij latronis. In hac gratulatione Rex optimus Patrem Vozuquij excepit sexto Idus Septembris anni quingentesimi octogesimi supra millesimum, præcipuamque ex eius prudentia, & religione consolationem atque vtilitatem hausit quinque fere mensibus quibus ibi fuit. Nam Kalendis Martij sequentis anni Meacum versus iter inijt. Causis grauibus ad eam profectionem trahebatur. In quibus illa princeps, quod Christianæ rei, vt rectè in Iaponia statueretur, Nobunangæ fauor ibi latè imperantis adiungendus erat. Et affulgebat benigna eius successûs spes. Nam Organtini nostri literæ illic præsentis, mira de Nobunangæ in nos propensione nunciabant. Adiuerat illum Organtinus Anzuquiamæ, & vltro laudes legis Christianæ celebrantem, inuehentem autem acriter in Bonzios in longo & familiari sermone, audierat. Paulo post profectum Anzuquiamâ Meacum Nobunangam Organtinus cum Laurentio Iaponio inuisit. Admissus subito est, multis licet viris principibus expectantibus. Post salutationem vultu benignissimo acceptam, tribus fere ambos horis varijs de Christo, & eius Doctrina, sermonibus detinuit. Libentissimè visus audire Laurentium præsertim, patria elegantia de Christianæ Religionis veritate disserentem. Cui etiam familiariter in aurem insusurrauit. Etsi ego contentius, & irato similis te interrogationibus lacessam, tu tamen audacter loquere. His dictis pandi valuas, & vocari proceres iussit. Tum multa de Laurentio quæsiuit, eiusque responsis, noua quæ occurrebant, dubia subiecit. Eoque omnibus plausibiliter occurrente. Ipse alta voce principes adstantes intuens. Adeste, inquit, auxilio. Nam cogi me sentio ad istam adeo rationi congruam Religionem amplectendam. Quin vos ipsi ad Sacra Christi cum coniugibus, & liberis suscipienda comparate. Hic ad Laurentium conuersus. Age, inquit, ad hunc Nobilem cœtum, quæ mihi de Dei Vnitate, deque eiusdem in bonis remunerandis, malis puniendis, prouidentia narrabas copiosius edissere. Fecit ille pro sua insigni facultate, quod iubebatur eloquenter, admiratione summâ omnium, Nobunangæ vero ipsius, quod ex vultu apparebat, fructu, & gratulatione præcipuis. Nempe quantumuis Atheum eius, & immane quantum superbum animum, vis Diuini Verbi momorderat; nisi ferox, & indomitum arbitrium obstaret, in quo sua obstinatione se inuoluens: *Noluit intelligere, vt bene ageret*. Cyri Persarum Primi Regis liberatoris populi Dei, vt in multis alijs, sic in extrema reprobatione similis; vt in hunc quoque aptè conueniat illa Dei querela apud Isaiam: *Assimilaui te, & non cognouisti me*. Tunc ergo arrogantissimus contemptor Religionis omnis, qui fauorem illum erga Christianos aut merâ libidine animi, aut spe vtilitatis alicuius, aut, quod est verius, instinctu diuinitus immisso, demonstrabat, postquam ea coram omnibus audiuit, quæ aptissimè interse cohærentia, summeque verisimilia nullam humani cauillationi iudicij iustam exceptionem relinquebant, Organtinum subitò cum Laurentio in intimum secum conclaue seduxit: ibique obtestatus exquisitis formulis sibi ne mentirentur, quæsiuit an verè, quæ disseruerant ipsi pro certis haberent? Addebat enim audiuisse se arcani fide data, de multis Bonzijs, postquam mira de vitâ futura deque animæ immortalitate disputauerant, nugas eas se se credere: iactare autem ad populum sibi quæstuosas, & politico regimini vtiles phaleras. Hic Organtinus maximè in serium vultu composito, quam potuit efficacissimis expressionibus certissimam suam mysteriorum, quæ docebat, fidem asseueranit. tum visa ibi forte figura terrestris globi, eam arripiens, Vide, inquit, Domine, vnde, quo, quantis marium, ac terrarum spatijs, quam horrendis periculis venerim. Simul illi Italiam monstra-

369 Insidiatoris pœna.

8. Sept. 1580.

1. Mart. 1581.

370 Nobunangę Imperatoris Iaponiæ in Christianos auor.

371 Audit mysteria Religionis, & probat.

Nec tamen amplectitur

372 Quærit priuatim ex Organtino num quę dicit credat.

strauit relegitque digito viam, quâ se inde in Iaponiam contulerat. Hinc pergens: quantum, inquit, auguror ex ista Maiestatis tuæ in me meosque Socios benignitate, nos profecto non penitus stultos putas. Quæ autem maior miseriorque fingi posset dementia, quam nostra hæc esset, si florentis Patriæ dulcedinem horrendis peregrinationis immensæ laboribus, & periculis, sine vlla humani commodi spe mutaremus, sola instigante inani libidine mendaciorum venditandorum, ex quibus nulla nobis vtilitas; quin potius horribilium perpessionum quotidiana experientia, & mortis acerbæ prope certa expectatio, rediret. Nam Bonziorum quos dicis alia causa est. Illi ex credulitate seducti populi adoreas sibi vberes honorum, & voluptatum metunt. Hinc opulenta Sacerdotia, hinc locupletes census, hinc venerationem, qua tumidi fruuntur, hinc epularum quibus quotidie se ingurgitant, hinc flagitiorum in quibus totâ vitâ volutantur, & copiam, & veniam, & opportunitatem, & impunitatem habent. Nos castimoniam seueriissimè colimus, nos peregrini fastidia victus mirè à nostrate differentis, non parum molestâ, si quid expertis credis, patientiâ perferimus. Nos ex ipsa, qualiscumque pauperibus peregrè supetit, copiâ, studio subtrahimus, & voluntarijs ieiunijs genium fraudamus. Nos incommodorum, & difficultatum matrem omnium, vltro paupertatem amplexamur. Vides hanc humilitatem vestis. Nec te quâ es perspicaciâ prudentiâque fugit, quam tenui omnium rerum apparatu, naturalibus necessitatibus domi defungamur. Quam irreuocabili lege abstinentiæ, oblatas opes repellamus. Quam sine fuco viles pannos, humilia tecta, rerum omnium duritiem egestatemque consectemur. Vna vna profecto spes, vna certa expectatio Regni cœlestis, quod his sordibus, his angustijs emimus, nos sustentat, atque erigit. Huius persuasione promissioneque certâ, duramus in tot aduersis, non modo patienter, sed etiam glorianter, & iucundè. Hæc loquentem Nobunanga fixis dudum, & mirabiliter attentis intuitus oculis, ad extremum ambos inuito similis dimisit, amicissimè profitens: sibi adeo suauem eorum consuetudinem esse, vt si posset fieri, frui semper illa cuperet.

373 Organtini asseueratio efficax persuasionis sue

Sub hoc idem tempus inter duas Bonziorum percelebres sectas, Fochescianam, & Giodoscianam nobile commissum ex prouocatione certamen est, arbitro ipso vltrò electo, quamuis toti Bonziorum generi palam infenso, Nobunangâ: qui legem certamini talem dixit, vt victi se capite mulctandos scirent. Concursu rabiosissimè peracto, Victores Iudicum sententijs Giodoscianos declarati sunt. Frustra Fochesciani mulctæ à Nobunanga, quamquam humillimè rogatam, gratiam sperarunt. Nam ille etiam ignominiam neci adiunxit: spoliatos speciosis, cum quibus in campum prodierant, vestibus, lictorum virgis cædi iussit. Imperauit deinde, vt sanguine proprio subscriberent oblatæ chartæ, quâ se falsi conuictos, & ratione superatos ab Aduersarijs faterentur. Tum qui certauerant capite plexi sunt. Magistri alij eiusdem sectæ in desertam Insulam Lacus Anzuquiamæ deportati. Reliquo vulgo mulcta indicta pecuniæ multò maior quam venditis omnibus possent soluere. Vt sic nimirum, quod euenit, cogerentur, relictis suis magnis opulentisque cœnobijs, alio fugere. Bona quoque reliqua, & Castella eorum plurima, Populi direptioni permissa. Erat Fochesciana factio infestissima omnium Christianæ Religioni. Quare suam illam operam magnificè Organtino Nobunanga iactans, id se ipsius, & Christianorum amore fecisse prædicabat. Iam filij Nobunangæ tres maiorem etiam Christianis spem sui faciebant. Maximus natu Ionus Suquendonus, cui Pater Boarinum, & Minense Regna dederat, vltro diploma ad Organtinum misit, quo potestatem ei plenam faciebat Christianæ Doctrinæ per vtrumque suum regnum promulgandæ; locumque attribuit in Vrbe Guiso, vna è primarijs Regni Minensis, in qua ipse habitabat, quo in loco domum, & templum ædificare liberè posset. Frater huius minor Oxaquenus Fungedonus; cui Regnum Farimanum nondum plenè deuictum Pater desponderat, cum Meacensem Domum nostram, & ei adiunctam Sacram ædem amicissimè, ac curiosis-

374 Bonziorum famosa concertatio.

375 Victi capite luerunt. Eorum secta rij bonis spoliati fugiunt

376 Filiorum Nobunangæ propensio in fidem Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simè visisset, domum redux, munus ad nostros misit, cum epistola qua significabat: sibi rationes quas ab ipsis audierat, optimas videri, cupereque otiosius cognoscere cætera, & Christianum fieri. Denique minimus Nobunangæ filiorum, Sanxius Chindonus Ixi Rex, palam dictitabat: se iam Christianum ex parte esse, mox in solidum, futurum. Itaque his fretus Organtinus, rem optatam hactenus magis, quam speratam, eamdemque præcipui emolumenti, tentare ausus est, & euentus cæpto respondit. Aedificabat gloriarum plenissimus Nobunanga, quanta maxima poterat magnificentia, Vrbem Anzuquiamam, ijs vt, apparebat auspicijs: vt ea non solum Regni Minensis, in quo sita erat, sed triginta septem Regnorum aliorum, quæ ipse suæ ditioni subiuncta vna Monarchia deuinxit, immo Iaponiæ totius, cuius imperio non obscurè imminebat, Metropolis futura videretur. Et inuenerat ei substructioni aream quantumuis ambitiosæ spei capacem. Ipsis in confinijs Regnorum Mini, & Vomi, triginta fere milliaribus à Meaco, exurgit in directum speciosa Montis latè conspicui moles, ex vno quasi trunco, ascensu ipso in tres veluti se se ramos discriminans Iugorum totidem, quorum duo ab vtroque maioris latere submissa, colles hinc atque inde, cum ad visum iucundos amœnitate virentium Syluarum, Valliumque riguarum, tum ad vsum vberes lætissimis segetum fundis, exporrigunt. Inde nouæ quoque voluptatis theatrum se aperit, limpidus, & piscosus lacus, ex ipsa protinus radice Montis, vastum, & tranquillum æquor, latitudine octodecim, longitudine septuaginta milliarium, beatè fundens. Renident in stagni superficie, sparsæ temere, mirifica specie, innumerabiles Insulæ: nec minor quam interceptarum aquis terrarum, exceptarum viciſſim in campos aquarum gratia. Nam lætissimus amnis, vmbrosis ripis è lacu exuberans, per cultissimam planitiem mæandris serpit, oculorum prospectum, quam tendi longissimè potest, trans ipsum Vomi Regnum, mirè ridenti spectaculo, perducens. Hic ad ipsam Lacus oram, in plano campo Vrbs Anzuquiama præclara descriptione formabatur. Colles quos dixi Prætorijs, Villis, Castelliſque visendi operis extruebantur. Arx tamen summa medij verticis in præcipuæ magnificentiæ sedem electa, curis sumptibusque maximis imperiosissimi Principis, innumeris artificum omnis generis manibus, muniebatur ornabaturque. In ea Ciuitate constitui iam nunc publicam Religionis Christianæ professionem, momenti rem maximi censebant omnes. Quâ ratione id posset perfici, quærentibus nostris, hæc commoda se obtulit occasio. Reuersus eo è Meacensi Vrbe Nobunanga, cum Arcem, & Domum Regiam perfectas, & vtramque è sententia atque è dignitate sua illustrem ornatamque reperisset: Edictum in suam vniuersam ditionem, ac præterea in cuncta Iaponiæ regna, missis quoquouersum Nuncijs, vulgauit; quo edicto cunctos, Dynastas præsertim, ac Principes, inuitabat ad visendum vtrumque illud ædificium. Fiebat vndique concursus ingens primæ Nobilitatis, adulandi magis, quam visendi studio; quod non dubitabatur, quin essent notandi, ab homine suspicaci, & iactabundo, qui applaudere gloriæ ipsius tali occasione neglexissent. Organtinus eò quoque cum cæteris venit. Confestimque admissus, ad salutationem Nobunangæ, facile animaduertit, non parum eum delectatum, quod Europæi quoque, quos Mundi Veteris magnificentiæ assuetos, parui facere opulentiam Iaponicam, percrebuerat, suorum operum atque opum spectatores cupidos, & laudatores prolixos videret. Hac ei opinione tumido, & læto, libellum Organtinus obtulit, quo petebat, fieri sibi protestatem, Domus, & Templi suæ Religionis vsibus Anzuquiamæ condendi. Constabat similem gratiam multis Bonzijs, ijsque præpotentibus, negatam. Tamen Nobunanga, eodem quo blandissimè hospitem acceperat, renidenti vultu, non solum liberalissimè annuit; sed vltro delegit amœnissimum, & multis antea Principibus frustra expetitum locum, & vt statim ædificium in eo nostrum inchoaretur, iussit. Non defuerunt hoc rerum articulo sibi Christiani Meacenses. Ingenti eorum studio, & sumptu, partim ibi emptâ, partim Meaco apportata Materies est, operæque tam multæ negotio additæ,

377 Nobunanga 37. regnorũ Dominus vrbem magnificentissimam extruit.

378 Anzuquiamæ situs amœnissimus.

379 Principes certatim Prætoria circa nouam vrbem struunt.

380 Societas à Nobunanga facultatem impetrat Collegij Anzuquiamæ condendi.

vt

vt intra mensem (quod in earum Gentium Architectura tota ex lignis apta mirum minus est) perfectum elegantiâ Iaponica ædis vtriusque opus steterit. Harum famâ rerum in spes maximas arrectus Valignanus, Vosuquio soluit Kalendis Martij huius anni primi & octogesimi supra quingentesimum millesimum, ac Piratis frustra insequentibus Sacaium tenuit. Imminebant festa Paschalia. Quare vt cærimonias Hebdomadæ Maioris celebrare inter Christianos posset, Iustum Vcondonum vicinæ arcis Tacacuquiensis Principem, misso Nuncio admonuit, si per eum liceret, dies se aliquot apud ipsum futurum. Incredibiliter ea re lætatus Iustus, obuiam Patri cum splendido comitatu venit. Erant cum Visitatore duo è Nostris, Ludouicus Froëz, & Laurentius Mexia. Hi summâ suâ voluptate Gregorium Cespedium Meaco reducem, & apud Iustum tunc morantem, sunt complexi, cumulauit omnium gaudium paulo post Tucuquium adueniens Organtinus: à quibus simul vniuersis Mysteria Passionis Christi, pompa, vt in nascente Ecclesia, splendida, visendoque apparatu celebrata sunt. Concurrerunt, è vicinis vndecumque regionibus Christiani ad quindecim millia. Omitto frequentiam Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ, Verberationes publicas Christianorum, & quæ quisque ex dictis alibi sibi facile subijciet. vnum referam exemplum memorabilis pœnitentiæ. Erat inter Præsidiarios Arcis Tacacuqui Adolescens nobilis, aleator notus, & cæterâ eius generis militari licentia, haud satis Christianam innocentiam exhibens. Hunc inter alios ad peccatorum confessionem accedentem Organtinus monuit: non debere ipsum cuius peccata ad cæterorum offensionem emanassent, secreta eorum declaratione, aut detestatione, contentum esse; dandam insuper operam, vt non pauciores testes emendationis eius, quam culparum essent. Audijt Iuuenis, & magna primum pecunia in extraordinarias eleemosynas impensâ, die Cœnæ Domini congregato in templo pro more populo ad Ecclesiastici officij celebrationem, flexis genibus coram ara maiori comparuit, ibique ipse sibi acri flagellatione nudatos humeros cruentauit. Posteaque perstitit eodem habitu, & loco quoad eius cærimoniæ Psalmodia lento plurium horarum cantu rituque expleta est. Festis peractis Meacum progressus Visitator, Nobunangam adit. Certatim eum cum ipse, tum tres Principes eius filij, omnibus honoris atque amoris significationibus excepere. Regresso domum adfuit à Nobunanga, qui eius nomine decem Anates peregrini generis, quos ipsi legatus Banduensis Regis Regium munus dederat, Patri Visitatori obtulit. Visum id donum eius Aulæ peritis priuatâ spe maius. Erant tum Meaci ex vniuersa Iaponia plurimi Dynastæ, ac Summi Principes ad Ludos indictos congregati, quorum neminem Nobunanga pari fauore dignatus fuerat. Valuit hoc in tam clara luce celeberrimi conuentus, ad conciliandam autoritatem Christianis sacris. Nec nihil ad eamdem rem contulit splendor Iusti Vcondoni, qui cum numerosissimo comitatu Christianorum septies totidem diebus mutata sua, & familiæ totius veste, atque Equorum phaleris, serico semper cum ipse, tum sui speciosissimè vestitus apparuit, admirantibus cunctis, Nobunanga vero in primis probante, qui eum sumptum à Iusto honorandi sui causa factum intelligebat. Perfectis ludis conuenit iterum Nobunangam Valignanus, & ab eo facile veniam impetrauit fundandæ Anzuquiamæ Nouæ Domus, Seminarij nimirum Puerorum in Christiana Religione, ac literarum studijs, per Patres Societatis educandorum. Exporrectissima id fronte Rex annuens, non modo, vt antea locum assignauit, sed sumptuum partem in opus contulit. Quò se adiungente Christianorum liberalitate, breui ad fastigium perducta moles est. Quam ipse Nobunanga paulo post Anzuquiamam redux visit, & laudauit. In ea statim quinque & viginti Nobilissimos pueros, sub cura Patris Organtini, collocatos discedens Valignanus reliquit. Qui cum in digressu gratijs prolixis actis, Nobunangæ valediceret, ab eo humanissimè deductus per arcem, ac Regiam, earum elegantiæ visendæ causa; tum ingentis pretij peripetasmate donatus est, in quo eminebat Phrygionis operâ Vrbs Anzuquiama depicta: opus in paucis insigne, quod deinde à Legatis Gregorio XIII.

381 Valignani versus Meacum iter.

382 Publica Pœnitentia Aleatoris.

383 Honores exquisiti Valignano à Nobunanga, & eius filijs habiti.

384 Noua domus Anzuquiamæ fundata prolixè fauente Nobunanga.

385 Valignanus à Nobunanga donis honoratus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romæ oblatum admirationi fuit. Reuertens Bungum Visitator per Tosæ Regnum iter habuit, vbi Paulum quondam Tosæ Regem, nunc redactum in ordinem, exacta Religionis Christianæ cultura Regni iacturam consolantem, ad perseuerandum adhortatus est. Alibi quoque eo itinere multa in rem Christianam opportunè gessit, & quosdam ad id paratos baptizauit. Tandem mense Septembri Bungum perueniens, auctam ibi post suum digressum Christianam rem inuenit, vtili opera Francisci Cabralis; quem Meacum abducere secum cogitans, Francisci Regis rogatu, ibi reliquerat. Is quatuor mensibus quibus P. Visitator illa quæ diximus Meaci, & Anzuquiamæ gessit, residens in Vzuquiensi probationis Domo, trecentos ibi, plerosque nobiles, baptizauit. In his Vsuquindonum è Primarijs Bungi Dynastis, & Principem Bonziorum eius Regni, Sacerdotio Fuynum, quod nomen illic est dignitatis, ferme Archiepiscopatui respondens. Nam obseruatum est Diabolum in eius Gentilitatis superstitionibus Disciplinam Ecclesiasticam æmulatum. Is Reginæ, ac filiorum eius Magister, rituumque Iaponicæ Idololatriæ tota in aula moderator, indeque congestis censibus diues, præcipua in veneratione Gentilibus erat, fama quoque prudentiæ, & eruditionis longa ætate parta commendatus. Prima illi nata est cognoscendi Doctrinam Christi cupiditas ex successu late vulgato conuersionis Vsuquindoni. Venit igitur ad Cabralem, significans: se libenter de Christi lege auditurum, non animo quidem illam amplectendi, sed interim explorandi, quid ea ferret. Gessit illi morem libentissime Cabralis. Bonzius autem post alteram lectionem, audita quoque solutione plausibili dubiorum aliquot à se propositorum, clarè dixit: abesse veritatem à sectis Iaponicis, & Christiana in Religione residere. Cæterum se nimium ætate processisse ad nouam nunc spem inchoandam. Iuuenum hanc fortunam fore. Se in auita professione moriturum. Quare opus non esse plura cognoscere. Institit tamen Cabralis ei suadere, vt pergeret, idque tandem persuasit. Fructus fuit maior maiorque confirmatio in assensu Christianæ veritatis. Sed conuersioni obstabat metus existimationis amittendæ. Quo Rex Franciscus comperto, missis ad illum nobilibus duobus, significauit: mirari se talem hominem in veritate clarè cognita amplectenda cunctari, cum certa salutis æternæ iactura, vano vno metu Iudiciorum vilis plebeculæ, nulla ratione habita certæ, ac multò præferendæ commendationis, quam facto tam prudenti à se totque alijs in Regno, & per totam Iaponiam Christianis iam principibus, relaturus esset. Habuit momentum opportuna monitio. Postridie Fuynus Rege præsente baptizatus, cœnobio migrauit, Vestem Præfecturæ superstitiosæ deposuit, vitam inter Christianos Sanctam instituit septuagenarius, in eaque perseuerauit. Alter per id tempus notabilis euentus fuit conuersio Vallis Yu dictæ. Locus est quinque aut sex milliaribus patens, clausus vndecumque montibus, tribus tantum aditibus angustis, & velut ostijs peruius. Solum fertile, Indigenarum ad octo millia facile pascit. Quatuor Dynastæ Genti præsunt. Horum vnus anno præcedenti Christianus factus, duo millia suorum secum traxit. Egit Rex Franciscus, vt eò mitteretur vnus è nostris cum Socio Iaponio. Idque illi P. Visitator ante suam Meacum profectionem annuit. Parum hi proficiebant, quòd Regina Idololatriæ tenacissima (vulgo literæ nostræ Iezabelem vocant) magno studio agebat, non modo ne noui illic Christiani fierent, sed etiam, vt veteres ad superstitionem retraherentur. Sed Rex ad tres reliquos Idololatras Dynastas literas dedit, quibus eos hortabatur, & rogabat, ne Doctrinam Christianam saltem audire grauarentur. Integrum ipsis deinde fore, quod mallent sequi: & Diuini Verbi vim senserunt. Nam misso extra ordinem eò Cabrale, cum Fratre Vincentio, eloquentia Iaponica conspicuo, paucis diebus Tres Dynastæ, cum circiter triginta è Nobilioribus Pagi, Sacris vndis sunt abluti. Nec multo post Patre Cabrale iam Vsuquium reuerso, qui relictus ibi fuerat alios trecentos Ecclesiæ adiunxit. His accessu primo cognitis, lætanti Valignano nouæ Anzuquiamâ nunciatæ gaudendi causæ gratulationem cumularunt. Organtinus quotidianam ibi operam Christianæ Doctrinæ prædican-

386 Eius reditus Bungum.

387 Conuersiones insignes Vzuquij.

388 Vallis Yu ad Christum ac cessio.

389 Rex Bomi ad Christum conuersus.

dicandæ nauans, Ataquium olim Bomi Regem, nunc victoris sui Nobunangæ clientem, cum Coniuge baptizauerat; aliæque Christiani gregis augendi spes atque opportunitates referebantur. Vosuquij porro, vbi erant, incubuit strenue Valignanus ipse cum suis in propagationem Regni Dei, illustri multorum principum ad Ecclesiam adiunctione. Insignis inter alios fuit baptismus Reginæ Fiungæ, cum filio eius Primogenito, cui Bartholomæo nomen factum est. Placuit quoque Deo mirabilibus euentis mysteria Religionis suæ sancire. Siquidem quinque cæci in Pago, Nochu, vocato, perfecta in Baptismo corporis quoque oculorum curatione, antiquum, Ecclesiæ vsu, illuminationis vocabulum ei mysterio asseruerunt. Nec baptismus solum, sed baptismi desiderium saluti fuit. Leprosus in Pago, quindecim milliaribus ab Vrbe Funayo, in Christum credens, inopia Ministri Sacris aquis ablui nequibat, nec vires per morbum suppetebant Funayi aut Vosuquij petendi. Quæ res illum ægrè habebat. In eo labore consolatus miserum Christianus quidam, autor illi fuit, arrependi, quo modo posset ad Crucem in cœmeterio Pagi fixam, ibique Deum rogandi, vt vires sibi daret ad necessarium iter. Id ille cum triduo feciset, plenam repentè, ac perfectam adeptus sanitatem est. Inter hæc Iaponiensis Ecclesiæ prospera, quædam consueto Diuinæ Prouidentiæ more, aduersa sunt admixta. Ludouicus Rex Gotti piè, ac Christianè vitam absoluit. Sed reliquit successorem filium paruulum, Ludouicum quoque dictum, eâ tamen ætate, quæ cum gerendis rebus impar esset, Patrui tutelâ, hominis Ethnici, & Christianis perinfensi, Iaponiæ legibus regenda esset. Hic totam vim potestatis ad vexandos Christi cultores conferens, plerisque ipsorum necessitatem intulit aliò migrandi. Plurimi Nangazaquium, alii aliò fugerunt. Pauci ibidem in ærumna, & miseria, cum laude inuictæ constantiæ durarunt. Mors Ludouici anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono contigit. Christianorum vexatio, & fuga, in annum sequentem cadit. Hoc in quo versamur, sæculi octogesimo primo, Araquius Rex Bomi Anzuquiamæ in comitatu Nobunangæ, vt retulimus, Christi fidem amplexus, paucis post baptismum diebus, est mortuus. Multi ex huius Regis cognatione, ac familia magnum Christianæ Religionis desiderium præferebant, quod eius interitu refrixit: Ethnicis quibusdam eos admonentibus, ipsos quoque si Christiani fierent, statim morituros, irâ Camium, & Fotoquiorum, quos numen suum vindicasse, maturato Regis in ipsos impij fato, mentiebantur. Firandi sub finem huius anni Antonius eius Ecclesiæ lumen, & Columen felicem sibi, Christianis præsidio tanto destitutis, luctuosum, vitæ finem inuenit. Vnus è nostris piè morienti adfuit. Exequias quidquid ibi Christianorum erat, non concursu magis, quam veris lacrymis honestauit. Nangazaquij in Regno Omuræ, ciuilis, & Ecclesiastica pax acerbo casu turbata est. Lusitanus quidam ante triennium in eo portu Iaponium hominem non ignobilem occiderat. Hunc filius occisi Christianus, forte in via repertum, aliquot pugionis ictibus percussit. Mox aufugientem cruentus Lusitanus ense stricto sequitur, & intra limen templi nostri progressum, non vna mucronis punctione transfixit. Vterque debilitatus vulneribus ad suos portati, paulo post procurati Sacramentis, & condonata inuicem noxâ, decesserunt. Motus inde ingens factus: nationibus certatim ambabus ad suorum vltionem arma, & iras, exerentibus. Lusitani, quòd haud pares se numero sentirent, in Asylum templi confugerunt. Visitator, qui præsens forte adfuit, illis admissis, ad maiorem securitatem ostia occlusit. Adest statim post Iaponiorum armata multitudo, pandi portas, & dedi sibi mactandos Lusitanos seditiosè flagitans. Furentes vix multis sermonibus leniuit Valignanus, & domum remisit. Postridie tumultu refrigerato, loci primarios accersit Visitator. Christiani omnes erant. Ostendit quam inconsultè fecerint, qui rixæ priuatæ duorum, publicam oppidi totius autoritatem implicuerint. Quam impiè, qui domum Dei, quantum in ipsis fuit, hospitum innocentum cæde nefariâ polluerint. Addit se se Dei Templum apud homines, qui id tam vile ducerent, amplius esse non passurum.

Euer-

390 Regina Fiungæ cum filio baptizata.

391 Fides miraculis firmata.

392 Ecclesia afflicta in Regno Gotti.

393 Mors Antonij Dynastæ Christiani.

394 Rixa funesta Nangazaquij inter Lusitanum, & Iaponium Christianos.

395 Ius Asyli Christianis Ecclesijs defensum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euersurum igitur Sacram ædem, & aliò cum suis migraturum. Nec loca, Dei beneficio, in Iaponia defore, vbi Christianis mysterijs Sanctitas sua constaret. His dictis eâdem horâ discedens, Arimam se contulit. Nostrorum paucos quasi mox templo destructo, & ipsos abituros, interim reliquit; re vera illices, & interpretes speratæ Ciuium Pœnitentiæ futuros: & spes ad votum processit. Magnus vulgo dolor increbescere. Fingebat sibi quisque quam tristis esset species Nangazachij futura, vbi & Lusitanorum frequentia defluxisset, & Patrum absentiâ Sacra cessarent. Consternatio postridie aucta, cum templum ex more petentibus, spoliatæ aræ, nudatique pictis tabulis atque omni ornamento postes apparuere. Ergo frequens populus ad Patres reliquos, de industria solicitudinem itineri se accingentium, & cuncta conuasantium ostentantes, supplex de genibus accidens, rogat. Ignoscant errori, & Patri Visitatori nuncient, se ad quodcumque præscriberet, culpæ piaculum paratos esse. Eodem tempore in consilium primores coëunt, & occisi Iaponij propinquos, quos tumultûs causam fuisse constabat, vniuersos cum filijs, & vxoribus oppido eijciunt. Tum legatos ad Visitatorem mittunt Arimam, qui eum magnopere orarent, vt Christi misericordiæ memor, Peccatoribus scelus suum detestantibus parceret. Se se pœnam quamcumque imposuisset libenter exhausturos. Quare suis scriberet, vt consuetam plebi Sacrificiorum, & Sacramentorum copiam facerent. Respondit Visitator, maius eorum crimen esse, quam vt tam facile, ac tam citò expiari posset. Poscerent Deum veniam, & dignos Pœnitentiæ fructus facerent. Se in tempore Nangasachium venturum, vt præsens statueret, ecquid digni essent, quibus antiquus Sacrorum vsus redderetur. Post quindecim hinc dies reuersus Visitator, supplicationem populi totius frequentissimam instituit. Per Vicos oppidi omnes, supplex cum pijs cantibus, & obsecrationibus pompa processit. Mox coacta concione, ipse Visitator de reuerentia illis Asyli esse, nec posse in ea confugientes, quamuis alioqui noxios, vllâ molestiâ vexari. Id ius sacrilegâ immanitate nuper violatum, velle se Sacramento cunctorum publico restitui. Sine cunctatione iurant omnes: se priuilegia, & immunitates sacri templi, non modo non imminuturos ipsos, sed proprij etiam capitis periculo defensuros. Inde purgato legitimis ritibus, ob fusum in eo sanguinem, Templo, Sacrum Visitator ritu solemni celebrauit. Palamque denunciauit: ignoscere se omnibus quos præteriti tumultus conscientia, vel participatio vlla contingeret. Etiam propinquis Iaponij defuncti, quos exilio reuocari postulauit. Breui reuersi iuramentum hi quoque tuendæ locorum Sacrorum immunitatis solemne conceperunt. Sic redijt pax rebus: & aliquanto etiam ardentior, quam antea in studio religionis, & virtutis omnis feruor ibi obseruatus est, Deo bonum è malo, vt plerumque solet eliciente.

396 Nangazaquiensium pœnitentia.

397 Iuramentum publicum de immunitate Ecclesiarum tuenda.

In Brasiliam è Iaponia transeuntes, obiter relegemus vestigia pio cruore signata Iaponij Christiani, naufragio in portum mirâ Dei misericordiâ delati. Huic excluso prima felicitate baptismalis innocentiæ tuendæ, secunda generosæ, ac felicis pœnitentiæ contigit, hunc ferè in modum. Adolescens Christianus natione Iapon in Fundanum Maurorum Regnum patriæ, ac seruitutis, qua dura premebatur, tædio profectus, ibi consuetudine Indigenarum ad impium Mahometis cultum palam defecerat. Hinc sua illum acriter conscientiâ pungente, cum forte appulisset Lusitanorum nauis, piper, cuius ibi copia est, coëmptura, Nauarchum conuenit, & per Christi nomen rogat, vt se Christianorum terris reddat, apostasiæ suæ pœnitentem. Annuente, vt par erat, Lusitano, res in Regis Fundani notitiam venit, qui suorum instinctu Cacicorum (sic superstitionis Mahometicæ Magistros vocant) triginta Lusitanos Mercatores in Regno suo negotiantes in custodiam abripi, mercium quoque ad Lusitanos pertinentium quantum repertum est (id pretium aureorum quadraginta millium æquabat) capi, ac seponi iussit. Tum missis ad Nauarchum Nuncijs mandauit, inue-

398 Apostasia morte emendata.

nem

nem transfugam redderet. Alias se iure suo vsurum. Nauarchus consilio cum Lusitanis cæteris habito, nefariam supplicis proditionem auersatus, fortiter respondit. Quare in summo periculo Lusitana ibi res erat. Quo Iuuenis Iapon intellecto, negat se passurum sua causa tantum damni Lusitanos facere. Ipsum ad Regem iturum, & coram eo confessurum Christum. Nec segnius quam profitebatur, fecit. Interroganti Regi; cur Mahometem reliquisset? quia, inquit, Christianus sum, & iuuante Christo vsque ad vltimum spiritum, ero. Ad hanc vocem pugnis, & calcibus adstantium, ac mox fustibus, dirè contusus, cum in proposito perstaret, Tyranni iussu, ferreo vnco crudelissimè transfigitur: ex quo alte pendens, Symbolum Apostolicum iterans, & IESV, ac MARIÆ nomina inuocans, beatum spiritum Deo reddidit.

In Brasilia Princeps Prouinciæ Collegium Baiense, in Vrbe situm, Baia omnium Sanctorum, nominata, multiplicem hoc anno messem, sed magno sudore, collegit. Fœda & atrox pestilentia littoralem eius tractus oram, incolis antea satis frequentem, strage ingenti desolauit. Coaceruabantur passim cadauera: nec funeribus sufficiebat libitina. Sexcenti modico in Pago biduo numerati sunt mortui. Sex è nostris Sacerdotes, cum Socijs totidem, ad tantæ calamitatis aliquod solatium quà possent circumferendum, missi, legebant nauiculis eius sinus oram, cum graui periculo, quòd Typhones horribiles mare commouerant. Ita in pagos lue afflictos, bini diuisis inter se partibus, excensum faciebant. Corporibus, & præsertim animis, adhibebatur cura, prouentu maximo, quòd terror ingruentium Dei flagellorum, etiam alioqui peruicaces, ad docilitatem præparauerat. Mille trecenti Ecclesiæ per baptismum aggregati, bis mille quingentæ iam Christianorum exceptæ confessiones, quorum plerique, vel nunquam in vita, vel solum ante annos triginta, vel quadraginta, crimina per pœnitentiam expiauerant. Laboris, & periculi plenissima, nec fructus expers, suscepta indidem peregrinatio est à duobus nostrorum, in Montem Rarim. Distat is à mari atque à commercio longius, greges feros, & culturæ omnis expertes numerosæ nationis alens. Huic Genti diuinitus, vt apparet, iniecta cupido fuerat mutandarum sedium, & ad opportuniora consuetudini, ac cultui nostrorum loca deductâ coloniâ migrandi. Obstabat finitima natio per cuius terras necessarium iter erat, præfractè, ac minaciter transitum negans. Huic explicandæ difficultati Rarienses, indidem auxilium sperarunt, vnde cætera bona disciplinæ atque institutionis petere cogitabant. Allegant ad Nostros Baienses certum hominem, nomine ipsorum rogaturum, ne Patres pro sua apud eas gentes autoritate, agere cum istis viam intercludentibus grauarentur, deterrereque ipsos ab innoxij per ipsorum regionem transitus facultate, inermibus & supplicibus contumaciter negandâ. Annuunt nostri; è quo suis Sacerdotem vnum cum laico adiutore mittunt. Incredibile dictu est quantum his ærumnæ exhauriendum in ista functione fuerit. Vastæ interiacent, & præterquam omni vitæ subsidio vacuæ, etiam inuijs horrentes rupibus, ac saltibus, latisque identidem, ac profundis abruptæ amnibus, feris præterea belluis, & Draconibus, passim infestæ regiones. Nulla viatoribus diuersoria, nec alia victus ratio, quam ex forte obuijs feris aut auibus, si quam obiter prædam venatione, vel aucupio facere possent. Bestiarum porro volucrumque tam rarus occursus est, vt plerumque venenatos serpentes, quos in se irruentes occiderint, igne purgatos in cibum vertant, & suis periculis vescantur, innoxio ijs in locis annonæ genere. His impar laboribus laicus adiutor morbo difficili tentatus, apud Barbaros ignotæ linguæ, sed nutibus, & officijs beneuolentiam testantes, relinquendus fuit, à quibus cum fide, pro copiâ, curatus Deo iuuante conualuit. Pater, & cursum institutum tenuit, & cum Hostibus Rarienſium, quod cupierant, transegit. Iamque transitu parato in procinctu itineris gens erat, cum eo animaduerso Hibrides, quos ibi Mamalucos vocant, Vafra Gens, mixtis olim Lusitanorum, & Indigenarum nata connubijs, cui Rarienſium simplicitas cuiuis opportuna fraudi, quæstui solet

399 In Brasilia peste affecti nostrorum caritate recreati.

400 Mille trecenti baptizati.

401 Peregrinatio laboriosa in Montem Rarim

402 Serpentibus vesci egestas subigit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

let esse, intelligens ijs aliò digressis suam sibi prædam perituram, mittunt è suis versutissimum quemque, qui specie miserandi vltrò in seruitutem (vt mentiebantur) calamitosissimam ruentes, profectionis consilium discuterent. Fucum fecit rudibus astutia. Plerique propositum designatæ viæ damnant. Ducenti tantum in sententia constantes, Patrem in vicinos Vrbi Baiæ secuti Pagos, ibi mense tandem Iulio humaniter excepti, vitæque subsidijs, & quod est potius, salutis æternæ mysterijs, instructi sunt.

In Collegijs quoque Pernambucensi, & Fluminis Ianuarij, res benè, ac feliciter à nostris gestæ. Vti & in quinque cæteris Residentijs, quæ hanc Prouinciam absoluunt. In earum vltima inter Ilheares, Australes Populos Lusitanorum fœderatos, positâ, sex è nostris numerante, notabile hoc anno fuit præsens patrocinium, quod in crebris offensionibus belli experta est ea Gens, inuocato Sancto Georgio Martyre, cuius è Sacris reliquijs os vnum Roma missum, à Generali Societatis, in eas nuper oras peruenerat. Sunt Ilhearibus finitimi, ijdemque hostes immanissimi, Aymures, infandæ crudelitatis natio, quos aiunt puerorum viuentium discerpta membra solitos mandere. Ac (quod horribile, vel cogitatu est) è scissis vteris mulierum teneros rapere fœtus, quos mox veru transfixos, & ad ignem assos, velut primæ saliuæ ferculum, vorent. Cum ijs monstris, ac portentis Ilheares, Lusitanis auxiliaribus, aliquot iam annis peiori semper sua fortuna bellauerant. Vulgata illic Religione S. Georgij, conuersa sors rerum, & prælijs aliquot secundis ita repressi sunt Aymures, vt in multos annos quieturi videantur.

403 S. Georgij Patrocinium in Christianos.

De rebus Prouinciarum Mexicanæ, & Peruuianæ, omissa primum præcedenti annali supplenda sunt, tum huius anni propria reddenda. Ineunte anno 1580. Visitator Prouinciæ Peruuiæ quartum iam annum Plaza, in Mexicanam, eodem ibi munere functurus, transijt. Eunti Guaxacanum primo Collegium occurrit, quo & Angelopolitano, eadem itineris opportunitate, lustrato, Maio tandem mense in Vrbem Prouinciæ primariam Mexicum venit. Adfuit deinde redux ab Europa Petrus Diazius, literas ab Vrbe ferens Generalis Euerardi, quibus Prouincialis Nouæ Hispaniæ, quam Visitaturus aduenerat Plaza, declarabatur. Die S. Martini nouæ Præfecturæ possessionem inijt. Tum Rectores ex literis Roma missis, imposuit Collegijs, Mexicano Petrum Diazium, Mechoacano Didacum Lopium, Angelopolitano Petrum Moralem, Guaxacano Franciscum Vaëzium. Iam & in Vrbe Veræ Crucis Societatis sedes erat; vbi Patres Guillenus, & Ioannes Rogerius, cum Francisco Villaregali, morabantur. Altera inchoata est ad Indigenarum culturam in Texotzotlano oppido, quinque ab Vrbe Mexico leucis, vt possent Socij facilius linguas edisce re, Othomiensem, quæ propria est Archiepiscopatus Mexicani, ac Mexicanam, quæ patet latius, & toti Nouæ Hispaniæ Regno communis est. Vtriusque idiomatis eo in oppido celebris est vsus. Quare opportunum visum est domicilium Gymnasio nostrorum linguis hisce studentium. Ad eam culturæ animorum necessariam meditationem octo ibi Sacerdotes, tres scholastici è Societate collocati, Præfecto cunctis Alfonso Ruizio.

Mexicum.

404 Nouus Prouincialis nouę Hispanię

405 Labor nostrorum in linguis perdiscendis.

Anno insequenti, qui hic noster est 1581. in hac eadem Mexicana Prouincia, nec fidei Prædicationi ad Infideles, nec adhortationibus ad Christianos, nec literarijs ad Iuuentutem Scholis fructus, ac successus defuit, quantus ferè potuit optari. Erat aliquot iam annis, Pascuari (quod Mechoacanæ Prouinciæ oppidum est) Domus erecta nostrorum, consuetis Societatis Ministerijs vtiliter insistens, Hoc anno Episcopali sede, Pascuari, aliud in oppidum, cui Vallisoleto nomen factum est, translatâ, nostri quoque migrantem Antistitem sibi sequendum putarunt. Pascuarensibus tamen concessi è nostris aliqui, quorum opera Nosocomium in vsum pauperum erectum, magnam ijs, nec inutilem animarum profectibus, gratiam parauit apud Gentem inopem, eius auxilij ex æquo ferè cupidam, & indigam. Prouinciam Peruuiam solus regere cæpit discessu Ioannis Plazæ Visitatoris, Iosephus à Costa Prouincialis, vir multarum, & virtutum, & Artium, idemque Magistratibus cum Ecclesiæ tum Reipublicæ carus in paucis,

406 Pascuarien. asi sedes trãslata.

cis, iudicijque in gubernandi ratione non parum à Plaza differentis. Erat enim austerior, & veluti scrupulosior Plaza, Constitutionum, & Institutorum Societatis seuerè tenax, Indulgentior Acosta, & summatum gratiâ paulo plus nitens quam religiosi regiminis simplicitas tranquillitasque requireret. Ergo is solebat obstantes suis placitis in consultatione Domestica Patrum sensus, eluctari interpositione autoritatis Sacrorum Quæsitorum Fidei, quorum iudicijs suas facile cogitationes approbabat. Adeòque ipso conscio Ludouici Lopij delatio ad Sacræ Inquisitionis Tribunal, ex eaque secuta eius comprehensio, custodiaque, contigisse putabatur; sperante videlicet, sic appariturum, quam expediret eius Prouinciæ liberas sibi habenas, & à Visitatoris quasi cuiusdam impositi Pædagogi, arbitrio expeditas tradi, qui pro gratia apud Sacros Quæsitores, & Proregem magnâ, eiusmodi exempla ne extarent facile cauturus videretur. Hanc tamen, vel eius, vel illi fauentium, spem euentus haud vsquequaque comprobauit. Nam post Plazæ discessum, Potozij Alfonsus Vaëna noster, inter concionandum parum cautus cum pronunciasset; non licere metalla ex Indigenis emere, occasionem præbuit turbarum, statim ab alio Prædicatore concione in contrarium habita. Itaque gliscente dissidio, Prorex Vaënam iussit Limam acciri. Sub idem tempus Petrus Michaël Fontius, qui Panamæ ministeria Societatis exercebat, Limam vinctus Sacrorum iussu Quæsitorum ducitur, ob veteres quasdam suspiciones, & Ludouico Lopio, decimum illic iam mensem custodia detento, Carceris Socius additur. Quibus rebus pronum cogitatu est, quam multi quamque varij feruerent in populo sermones. His Patres, vti, & domesticis incommodis suspicionum, & dissensionum, non parum consternabantur; quoque magis deerant humana solatia, eò intensius diuina præsidia captabant: non modo studio, & contentione maiori priuata religionis officia, quotidianis sacris, & orationibus, frequentando; sed etiam in ministeria salutis animarum se se laboriosius, & constantius impendendo. Cuius diligentiæ specimen præsertim vulgo probatum dabant Patres Stationis Iulienſis, cui Didacus Martinius præerat, Apostolicis circumquaque Missionibus ingentes quotidie Sacrarum frugum manipulos metentes. Eo quoque in genere celebris erat fama Barzanæ Nostri, quem vox populi Apostoli nuncupatione dignabatur. Cæterum propitia Dei bonitas suis ad tempus laborantibus maturam parauerat consolationem. P. Balthasar Pinna Moderator tunc Collegij Limensis, è Congregatione Prouinciali anno 1577. Cusqui celebratâ, missus Romam procurator, eò feliciter appulerat, & Euerardum tunc Præpositum Generalem, per otium de omnibus docuerat. Ijs ille perspectis, leuandum Acostam curâ Prouinciæ censuit: eique Balthasarem Aluarem, celebrem illum per Hispaniam famâ virtutis Patrem, successorem designauerat, quæ tamen res, impedimentis alibi narratis, exitu caruit. Ipse igitur Pinna Prouincialis declaratus est. Eique multæ ad varios Prouinciæ Patres literæ datæ sunt, remedia malorum, & solatia non dubia ferentes. Verum incommodè accidit, vt longas Pinna moras, dum nauigationis opportunitatem opperitur, in veteri Hispania traheret. Interimque Generalis Euerardus ex hac vita migraret. Sed impetrata à Gregorio Pontifice potestas est, vt suum istud munus Pinna ritè in Peruuia posset incipere, etiamsi durante interregno peruenire illuc. Perlatus eo tandem hoc anno est, nondum ibi audita Claudij creatione, Viginti secum præstantes omnis generis operarios è Societate ducens, quorum plurimi Collegijs, quidam etiam Prouincijs ordinaria potestate gubernandis, prudentiam, & religionem probauerant. Hinc noua facies rebus fuit. Detersæ lacrymæ, discussæ caligines, rumores quin etiam de Societate sinistri euanuerunt. Lux quædam noua cunctis, & veluti post rigidam hyemem verna temperies (nam commodùm mense Maio Pinnæ Prouincialatus cæpit) oboriri visa est. Vaëna quem Potosio euocatum vidimus, probatâ innocentiâ, honorificè dimissus, Panamam ad consueta officia concessit. Nec multo post Sacri Quæsitores causis Lopij, ac Fontij maturè cognitis, clarum virtutis eorum, & inculpatæ Doctrinæ, ac famæ, testimonium dederunt, vtroque cum magna dignitate Societatis, libero dimisso. Permansit in Prouincia, depositò Magistratu Iosephus Acosta, & Con-

407 Plazæ cum Acosta comparatio.

408 Ludouici Lopij, & Petri Fontij carceratio.

409 Barzanæ, & aliorum Patrum zelus animarum laudatus.

410 Balt. Pinna Prouincialis declaratus.

In nouam Hispaniam cum viginti socijs peruenit.

411 Lopius, & Fontius honorificè à sacris Quæsitoribus liberati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cionibus, lectionibus, scribendis edendisque libris, tum prudenti, & grata conuersatione cum Magnatibus, summum ad Dei gloriam profectumque animorum momentum attulit. Quoad, vt in loco dicetur, à nouo Generali reuocatus in Europam est. Inter alia, quæ multa nouus Prouincialis Româ tulit, fuit Admissio legitima Collegij Limensis. Id iam tum anno, vt ibi notatum est, sæculi huius octauo supra sexagesimum fundari habitarique cæptum, nullis hucusque satis certis conditionibus, ac facultatibus steterat. Verus eius, & proprius Natalis in hunc annum congruit, quo Balthasar Pinna, qui illud antea Prorector gubernabat, nunc Prouincialis ritè acceptâ potestate, illud in censum Collegiorum Societatis, quam optimo iure retulit. Dotarunt nouam domum reditibus annuis ad alimenta operariorum, & Scholasticorum sufficientibus, duo paria Coniugum, nobilitate virtuteque illustria, Ioannes Martinez Rencisus, cum vxore Barbara Ramirez de Carthagena, & Didacus de Porras Sagredus, coniuxque ipsius Anna de Sandobal, ambo indidem ciues, quorum priores tres magnam partem bonorum, Anna totum suum ex asse Patrimonium, Societati dederunt. His fundatorum honores suo merito decreti. Sed quod processu temporis pretijs rerum excrescentibus, & numero nostrorum aucto (nam quod esset illud vnum Seminarium Prouinciæ, Scholarium haud minus triginta ibi ordinariè necesse erat educari) coacti Patres sunt admitere in partem fundationis, opportunè oblatum vberis prouentus prædium, Quod Hernandus Anicama Indus Christianus Nobilis, Cacicus Vrbis Ycæ (id dignitatis in ijs Gentibus conspicuæ nomen est) testamento legauit. Inchoatum hoc quoque anno est Chuquiauense Collegium, cuius hæ sunt origines. Nostri Apostolicis Missionibus vniuersam Peruuiam concursantes, in Ciuitatem Chuquiauum, illis locis non ignobilem, aliquoties venerant, omnia igne illo quem Christus in terras è Cœlo detulit, inflammantes. Exarserunt ijs flammis animi multorum in studium excellens Christianæ sanctimoniæ. In his Eques Nobilis Ioannes de Ribas, lectissimam in matrimonio Matronam habens, cum ea pari ardore correpta constituit, spebus humanis abdicatis, ad cœlestis vitæ meditationem se conferre. Mulier ex dotalibus bonis cœnobium instituit sanctimonialium in vrbe Limâ, vbi ipsa primò Religionem professa, multarum imitationem traxit. Vir Domi suæ residens, magnam patrimonij partem impendit fundando Societatis Collegio, non maiori sui animi fructu, quam solatio, ac gaudio Ciuitatis vniuersæ, quæ ex obiter, & per interualla gustatis officijs nostrorum, quid ex ijs stata commoratione semper præsentibus sperari posset, intelligebat. Per hunc modum instituta noua familia quotidianum hospitem habuit illum ipsum, à quo erecta est. Egregium erat spectaculum boni equitis, totos dies pijs inter nostros colloquijs, & Sanctis exercitijs transigentis; & ea videlicet consolatione, quam ex laudatis eius moribus, & insigni profectu Patres hauriebant, largitionum beneficia cumulantis.

412 Verus Natalis Collegij Limensis.

Fundatorum eius nomina & merita.

413 Chusquiauē sis Collegij origines.

Hæc Collegia veterum Christianorum, tam peregre in eas partes profectorum, quam natorum illic, causâ instituta sunt. Aliud hoc ipso anno conditum in gratiam proprie Indorum Christum adhuc ignorantium; quorum ad fidem adducendorum dum omnes rationes Patres exquirunt, animaduerterunt præcipui ad id momenti videri fore, si certa sedes Societati esset in vrbe à Pace habente nomen eo loco posita vnde facilis in subiectas vndique infidelium regiones excursus pateat. Erectum hic igitur subsidijs piorum domicilium est nostrorum ferme viginti recipiendorum capax, vbi se operarij Euangelici ad Missiones ituri colligerent, ac pararent, quo se reciperent fessi, sibique vacarent, ac quietæ meditationis delicias, nouis ad alios labores viribus quærendis, ex interuallo regustarent. Ædificium hoc anno cæptum nonnisi lentis multorum annorum progressibus ad fastigium denique profecit. Tres interim è nostris Sacerdotes, cum Socijs totidem, cum alia pro instituto Societatis ministeria curabant, tum Ludo literario aperto pueros erudiebant. His consilijs atque principijs Collegium Pacense postea plenum, & illis Gentibus plusquam pro nominis Augurio paciferum, ac salutare processit.

414 Collegium in Vrbe Pacis hoc anno erectum.

HISTO-

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS QVINTAE TOMVS PRIOR

A.C.1582. **Liber Secundus.** Soc. 43.

INITIO anni, Hispanicarum maxime Prouinciarum postulatu, decreuit Claudius Generalis Societatem per Europam late sparsam inuisere. Id quidam primariorum in Prouincijs Patrum vehementer olim ab Euerardo quoque contenderant. Quippe ingens, aiebant, solatium inferioribus suum Præpositum cernere, ingens Præposito ipsi ad res recte temperandas subsidium fore, hominum sibi creditorum mores, viresque habere perspectas, vnde iusta graduum distributio fieret, & administrorum lectio idoneorum: denique cum alia aliæ postulent nationes, experimento, vsuque condiscendum, quæ quibus locis disciplinæ ratio pro instituti, ac legum vniuersarum modo, habenda sit; neque hæc, nisi oculorum fides accedat, satis posse vnquam auditione cognosci. Has ob causas Claudius, vti se penitus suorum vtilitati deuouerat, ita ad arripiendum primo vere iter accinxit, recta perrecturus in Lusitaniam, vbi tum Philippus agebat Rex; & inde in cæteras Hispaniæ Prouincias: tum deinceps in Galliam, Belgium, Germaniam, ac Poloniam, excursurus. Iam lecti viæ comites, ac viatorium instrumentum paratum, designatusque, qui Romæ subsisteret, Generalis Vicarius Laurentius Magius: à Pontifice quoque abeundi commeatus acceptus. Sed cum iter per Galliam Hæretici infestum haberent, dum opportuna expectatur mari traiectio, dilata primum à Vere in Autumnum profectio est, ad vltimum omnino prætermissa. Nam, vt deinceps ex Annalium horum cursu patebit, aliæ super alias inciderunt causæ grauissimæ, quæ Romanam stationem nunquam ab eo deseri permisere. Et sane si res subtilius perpendatur, rarò incidet causa, quæ ad Societatem visendam Româ debeat Præpositum Generalem abstrahere. Nam vt omittantur itinerum difficultates, omittantur pericula, in quæ sine grauissima causâ, & maximi emolumenti certâ spe, supremum Ordinis caput nullo modo conijci decet: omittantur, quæ vniuerso Ordini (si quid humanitus Generali peregre eueniret) impenderent, non inutilium modo impendiorum, laborumque, sed etiam dissidiorum in nouis Comitijs, tempestatumque pericula. Quæro num tota sit lustranda Generali Præposito familia sua, an solum pars? Non sane quisquam dixerit totam. Nam & ad Indorum Prouincias, nouumque Mundum, ab Europa immensis Oceani abiunctum spatijs, multorum errore annorum, per procellarum, ac fluctuum arbitria relegandus esset: & id esset Præpositi munus, vagari per maria, ac terras omnes, speculari multa, nil gerere: hoc demum esset fieri Generalem, damnari totius orbis terrarum exilio. Quod si non vniuersus est illi circumeundus Ordo: cur hæc potius pars sit adeunda, quam illa, non erit in facili expedire. Nam remotissima quæque solent curâ maximè indigere. Quæ vero præteritur, eius res, hominesque incogniti erunt, & administratio cœca, ijsque difficultatibus impedita omnibus, quascumque excogitare queas in ea parte quam adeun-

1 Prouinciæ præsertim Hispaniæ visitationem Generalis postulant.

2 Ad eam se Claudius accingit.

3 Profectio dilata primum necessarijs causis. Deinde omissa.

4 Rationes, quæ visitationi Generalis obstant.

5 Prima, quod fieri ab vno nequeat vniuersi ordinis lustratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam omnino contendas. Sed fac in Indijs, vt tam longe sepositis, quia nequeant corrigi, toleranda incommoda; Europæarum certe Prouinciarum cur has potius, quam illas spectatum eat? Id si beneficium est, nulla se potissimum prætermitti æquo animo feret: si pœna, nulla facile sustinebit potissimum se se damnari. Ad omnes igitur cursum cogetur intendere. Qui vero tum finis fiet peregrinandi? Dum cognitio illum Prouinciæ vnius tenet, quantum reliquæ interim laborabunt? Nam administrare eas per se se non poterit. Qui enim literæ commearent ab angulis terrarum ad angulos? Quippe in incertum semper darentur: sero plerumque afferrentur: sæpe interciderent. Vbi præterea apud eum, & consiliariorum, & adiutorum idonea copia, nisi circumducere agmen velit? Ergo per Vicarios cuncta erunt gerenda; eoque fiet, vt dum cunctis Prouincijs Generalis Præpositus impertitur, omnibus adimatur? Quam vero multa vbique pendebunt ex Generalis expectatione tanquam in interregno suspensa? Quantum in multis ciebit motum nouarum rerum spes ad eius aduentum? Homines enim sumus, ac sæpe meliorum desperatione præsenti sumus statu contenti. Quod si spes animum pupugerit, quieta turbantur. Quid tum postea? num Prouinciæ, quam ille recognoscat, tantum vnquam accedet commodi, quod incommodis cæterarum præponderet, emendumque sit tanto? Plurimum oculis, vt æquum est, tribuamus; tamen si Præsides à Generali cum sapientissimorum consilio lecti, fallantur, quorum assidua est inter paucos, & notissimos, vita, quis tutum præstabit ab errore Præpositum ipsum? Quid coram per se amplius faciet, quam si cum potestate hominem mittat, cui credat æque, ac sibi? Habet quoque cognitio accepta per literas commoda sua: Epistola, vt aiunt, non erubescit: scribitur accurate: in memoriæ subsidium conseruatur. Super hæc, cum vna in Prouincia recte cognorit Præpositus, recte composuerit omnia, num ad alias dum perget, hoc eodem, quo reliquit loco immota perstabunt? Fluunt humanæ res, hominum mores mutantur, homines ipsi morte dilabuntur, alijque perpetuo quodam flumine, noui, ignotique succedunt. Itaque statim eodem redeundum est, vt ab Generali absente pendendum sit. Quid si statim Generalis ipse rapiatur, vbi Societatem cœpit nosse? (quod plane persæpe in tot ærumnis, tamque longis discursibus, ætate eius, vt plurimum grauiore, necesse est euenire) nonne rudis sufficietur? Consideretur ex altera parte, quantas in vno, eodemque loco, hoc est sancta in Vrbe, fixa Præpositi sedes opportunitates habeat. Ad eum vndique, tanquam ad notum, certumque portum, perfugium est. Inde ipse cordis instar in membra vigorem diuidit, atque diffundit; & quodammodo ad supremi exemplum motoris, fixus, ac stabilis sibi subiectorum motus ciet, ac temperat, nullis implicitus peregrinationibus, quæ maximam trahunt, & temporis partem, & virium, nullis per nouas Ciuitates officijs, vel excipiendis, vel referendis distractus, totus in totius sui cœtus tutelam vacat, totus excubat. Tanquam è specula circumspiciens, lustranque animo partes omnes, & vndique rerum statum, ac negotia, & labores accipiens, conferensque inter se initia, progressiones, exitus, incredibile dictu est, quanto plus necessariæ ei loco prudentiæ colligat, quam si Collegiolorum scrutandis cœnaculis, culinisque distineretur. Hic præsto assidue sunt è diuersis lecti Nationibus Assistentes, atque consiliarij, quibus cum nec locorum, nec hominum notitia, vel quæ tantum laudatur, vsu oculisque percepta, desit, abunde quicquid in illo possit desiderari, suppletur. Cum his statas habet consultationes, vnde mature, ordine, sapienterque res transiguntur. Quanti illud est, tum ad alias opportunitates, tum vt sicubi (quod tam vasto in corpore, seculoque tam improbo rarum esse non potest) membrum quodpiam laboret, auxilium, aut certe solatium paratum sit apud Summum Pontificem, à quo tantum Societas pendet, adesse Præpositum? Hæc ita cum sint, apparet diuino consilio Romam Societatis Præsidi sedem S. Ignatium designasse. Neque vero inde ille vnquam, nisi perpaucis diebus, abesse sibi permisit: verum ad visenda domicilia, ad vulgandas Constitu-

6 Et si quæ pars omittatur, inæqualitas conditionis querelarum habet semen.

7 Generalis præcipua cura vniuersi corporis prouidentiam spectat.

8 Motus inde in Prouincijs futuri publicæ paci minus vtiles.

9 Periculum errandi.

10 Commoda gubernationis per literas.

11 Vita Generalis periclitans in itineribus.

12 Vtilitates quas Societas percipit ex fixa Romæ commoratione Generalis.

13 Assistentium vsus.

14 Exemplum S. Fundatoris.

stitutiones, & ad primam in totum corpus, in quo inæstimabile momentum inerat, inducendam proprij generis formam, alios dimisit: non ratus tanti suam ab vrbe absentiam: qui tamen si id è diuino existimasset obsequio, vel pedibus, non in Germaniam modo, siue in Hispaniam, sed vsque ad vltimos Indos, haud dubie perrexisset. Neque post Beatum Patrem, siue Lainius, siue Borgia, visendæ gratia Societatis, sed ad negotia publica duntaxat, Summi Pontificis iussu, Roma exierunt. Quorum tamen peregrinatio, quamuis ea tempestate nec admodum numerosa fatigaret Societas, & primus vigeret feruor, haud sine magno stetit incommodo rerum agendarum, ac domesticæ disciplinæ. In Borgia vero etiam patuit, quam timendum imbecillitati humanæ, atque parcendum sit: qui post longissimum morbum ex viæ contractum laboribus, tandem etiam decessit; vt multo ante Societas, quam natura ferret, orbata eo sit, & multo ante quam orbaretur, caruerit. Superuacaneum hic est humanæ gentis ritus proferre. Constat tamen apud omnes Nationes, quæ plurimum habent humanitatis, quod in Apicularum quoque notant Republica, minime vagos esse, qui rerum potiuntur. Nec inscitum est eius factum sapientis, qui docturus quemadmodum vastum Regnum contineri in officio posset, abiecto in solum corio, persultansque extrema, cum totum sic circumisset, vt dum vnam premit partem, altera attolleretur, tandem in medio constitit, omnesque ex æquo pressit, atque composuit. Significans ex Regis discursu fieri, vt vnam dum adit plagam, altera turbaretur: si sedem in medio figeret, omnes pariter quieturas. Verum quicquid aliæ, seu postulent, seu patiantur Respublicæ, huius quidem Ordinis ea descriptio est, tantusque partium singularum ab capite nexus, tam rerum suspensa ab Generalis Præpositi nutu administratio, vt si vel spargatur potestas in multos, inque vicarios diuidatur, vel non certa ipse regione consideat, ipsa rerum summa periclitetur. Quæ cum in re sint, tanti tamen Claudius solatium æstimabat ipsius conspectum exoptantium Prouinciarum, præsertim cum tota Societate tranquillitas esset, & Romani Pontificis ea benignitas, vt non multum ex præsentia Generalis penderet; & ipse per ætatem, ac vires, ferendæ peregrinationi sufficiens, vt se dare, & in labores, & in pericula plane decretum haberet: nec nisi intercurrentibus deinceps negocijs grauibus, præsertim Liuoniæ, ac Transyluaniæ, itemque Angliæ, ac Scotiæ, ab incœpto destiterit, magno certe boni publici lucro. Diuina quidem voluntas, vel inde intelligi potuit: quod Triremis, quam multi hortabantur, vt vere primo conscenderet, in eo ipso cursu incidit in Piratas, & capta est. Multa is tamen adiecit, variaque subsidia, per quæ certius, & rerum statum absentium, & personarum, siue ad gubernationem, aliaque munera, siue ad varias Societatis classes idonearum, vires, facultatemque cognosceret; vt facile inuenire non sit, quo vltra progredi humana cura, ac sedulitas queat. Ad tertium Idus Ianuarij primus in fundamentis Romani Collegij, à Philippo Boncompagno Cardinali S. Sixti, positus est, lapis cum titulo, A Gregorio Pontifice id Collegium ad omnes nationes optimis disciplinis erudiendas extrui. Iamque surgebat opus quale putabatur religiosam decere modestiam, rude ac simplex, cum id spectatum è Vaticano aduectus Pontifex, euerti continuo iussit, nouumque magnificum de integro excitari, dignum Romano Pontifice, Gentiumque communi Gymnasio: ita lateritium, tyburtino substructum lapide, repositum est. Nec placuit Pontifici Gregorianum appellari Collegium, quanquam insignia sua gentilitia non solum in fronte passus est assigi, sed etiam egregio sculpta artificio è marmore, vltro in eam rem ipse donauit: auxit ad opus vrgendum in annos viginti vectigal annuum: & domicilio quoque Tyronum S. Andreæ aliquid certi vectigalis attribuit; præter condita Seminaria, non solum in Septentrione, verum etiam in Iaponia, de quibus suis locis agetur. Commouit totam vrbem Andreæ Spinulæ ex medio honorum curriculo repente conuersus ad religiosam in Societate humilitatem cursus. Erat enim è Spinularum Genuensium inclyta gente Cleri-

15 Quem in hoc vt alijs Lainius, & B. Borgia imitati sunt.

Plut. in Alexandro.

16 Sensus communis sapientum de vtilitate constituendi capitis Reip. in fixo loco.

17 Quæ ratio in Societate magis valet.

18 Impedimenta destinatæ profectionis

19 Primus lapis in fundamenta Romani Collegij missus.

20 Liberalitas Pontificis.

21 Andreæ Spinulæ ad Societatem vocatio.

cus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus Apostolicæ Cameræ, qui honor secundum Cardinales Romæ amplissimus, & ad Cardinalatum ipsum gradus habetur. Idem multos annos annonę Præfecturam, atque in difficultate rei frumentariæ, sapienter, administrauit, & Pontifici æque probatus, ac populo. Quo tempore illud quoque edidit modestiæ documentum, quod cum in Diocletianeis Thermis, in Quirinali monte, horreum publicum faciendum curaret, nec familiæ suæ insignia Pontificijs supponere, vt moris est, nec vlla tituli significatione extare sui memoriam voluit. Et plane multa apparebant in cuncta eius vita excellentis, non ad quamcumque ciuilem virtutem, sed ad Euangelicam quoque perfectionem, indolis signa. In functione sui muneris accuratus, & vigil; longe prospicere, ac prouidere: consultare in tempore; distribuere suas apposite cuique administrorum partes, instare operi, pensum exigere, non fastidiose, sed diligenter, cuncta, vt dicitur, in numerato habere: nec minus se ipsum, quam negotia habere composita. Nunquam ex eius ore clamor, aut stomachosum imperium, aut contumelioſa obiurgatio audita. Et quanquam aliquanto erat in corporis cultu delicatior, ita vt inter exercendum sæpius mutaret vestes, etiam pileola, minus magisque tenuia, ac munditiarum plane exquisitarum in toto mensæ instrumento, nec in lecto, vel tenuem pati rugam posset; nunquam tamen petulans dictum, factumue animaduersum in eo. Lusores, scurras, Histriones, procul ab se arcebat, nec inter famulos patiebatur, quos vitijs implicatos resciret. Familiæ magis Patris, quam Domini ritu præerat, in singulorum vtilitates, & corporis, & præcipuè animi, attentus: præsertim vbi ægrotarent, liberaliter sobus viciniæ ægrotis: nec rarò in publicis iacentes Nosocomijs visebat, allatisque, ac missis recreabat subsidijs. Ingenio cum esset ad bene de omnibus merendum propenso; si quis tamen pecuniam mutuam rogaret, solebat respondere, donabo potius: nolo enim amicum perdere: ac re ipsa donabat: persuasum habens, si mutuam daret, siue appellando amicum, siue non appellando, amicum iuxta, ac rem facile amissum iri. Semel in die, vesperi, idque modice, sumebat cibum: vinum admodum raro, & quam dilutissimum, adhibebat: somni item modici erat, quem lectione piarum rerum, aut auditione conciliabat. Impigre Sacerdotalia officia, ac tempestiue exequebatur: atque vbi interius diuina penetrauit, nulla de re sermones libentius, quam de Deo miscebat: bis quaque hebdomada voluntarijs se se cædebat flagris: quotidie meditationi horam impendebat, quotidie sacris operabatur. Sed occasio vnde animum cœpit ad perfectiora intendere, digna notatu est. Anno 1580. ineunte, Marcellus Pallauicinus eius Sororis filius, Societatem cum flagitaret, acriter Andreas renitens, nullum faciebat finem adolescentem circumducendi ad Cœnobia, ac Doctores, qui vocationem eius, & constantiam periclitarentur. Iam Cardinales quidam interrogarant iussu Pontificis, ac probarant, nec tamen quiescebat Andreas, ante omnia verens, ne in Marcelli pecuniam adiectus oculus esset, eique tenderentur insidiæ. Quam inanem suspicionem, vt aboleret Euerardus Generalis, plane sententiam fixerat, nisi æquus, bonusque consentiret Auunculus, nequaquam Marcellum Societate recipere. Denique eo processit res, vt Pontifex causa cognita, acriter Præsulem obiurgaret; & Marcellum protinus iuberet admitti. Ex ea obiurgatione Pontificis, & scilicet excitata, postquam affectus resederat, conscientia, siue longius se dolens progressum, siue retractans in ea dimicatione, quæ audiuerat, cœpit de se quoque ipse perfectionis Euangelicæ volutare consilia. Habebat inter domesticos Ioannem Baptistam Nanninum, patria Lucensem, iuuenem moribus optimis, modestiæque, & prudentiæ singularis, factum ex animi sui sententia. Cum hoc animum liberius totum aperiebat. Sæpe habebat in ore, magnoque cum sensu pronunciabat: Si moriendum non esset, aliquid foret causæ cur huius vitæ gratia laboraretur. Nunc vero cum sit moriendum, quid est cur laboretur? Sæpe etiam illa vsurpabat è sacris literis, Stabunt Iusti in magna constantia. Et, Nobis autem

22 Res ab eo præclarè gestæ.

23 Virtutes illius, ac dotes excellentes. Prudentia.

Mansuetudo.

Circumspectio loquendi agendique.

24 Liberalitas, & misericordia.

25 Temperantia eiusdem.

Et Religio.

26 Occasio vocationis.

27 Ioan. Bapt. Nannini cōsuetudine proficit.

Sanctæ eius cogitationes

autem quid profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Sæpe etiam differebat, quomodo Sanctus Bernardus, & alij Sancti Patres, vel Christus, aut Mundus errat: colligens plane insanire mortales, qui ita eas res, quas Christus, & Sancti viri contempsere, sectentur. Cum quâ re, apud priscos Ethnicorum sapientes, quorum lectione delectabatur, si dictum, factumue faciens reperiret, nunquam poterat legens animoque, & ore versans, expleri. Per vias si forte in hominem religiosum præsertim è Societate, aut è Capuccinis incideret, ad Nanninum conuersus, Ergone aiebat hi Cælum habebunt, nos autem non? Alias; vbi mors ingruet, præoptabimus ne nos Cardinales, aut Pontifices fuisse, an istorum è numero? Alias Augustini verbis, Quid tandem in domo Imperatoris, vel Pontificis? Quid in ista Vrbe? Surgunt pauperes, & simplices, & rapiunt Cælum. Alijs temporibus exardescente spiritu secum ipse vehementius luctans erumpebat, Cur non modo? Cur non hac hora? Et nolebam mea ferrea voluntate. Et, da Domine velle, & iube quod vis. Consuetudinem inter hæc magis magisque in dies cum Societate intendens, ad generosum transitum nequibat animum confirmare, cum forte longo Hieronymi Plati colloquio inflammatus, statuit per huius anni lætiores ante Quadragesimam dies, ad Exercitationes spiritus secedere, ac plane de certo vitæ suæ statu transigere. Eam ob causam Tibur ambo secedunt. Hic initio languidius res procedere: piæ commentationes exercenti difficiliores, aridioresque videri, quam ante consuessent. Dum tamen perstat, prius leui commotione impellitur, cui successit feruor, vt ipse vocabat, illuminatus, qui diem totum tenuit inter alternantium tentationum impulsus. Grauissima illa erat, & summi periculi suspicio, ne temeritas foret, paucorum dierum angustijs de re tanta decernere. Per otium genus hoc negotij curâ lustrandum, ac ponderandum, adhibenda consilia, demum experimento tentandum. Subtilissima hæc est humanarum mentium fraus, cunctari in tutissimis, festinare in lubricis, dubitare in optimis, in ancipitia, sæpiusque fallentia tanquam in euidentia ruere. Nam quotus quisque est, qui si luculenta offeratur hæreditas, aut honor illustris, hæsitandum existimet, vti vulgo clamant, de amplectenda Cruce sine fine deliberandum, cum tamen ab illis deterreat, ad hanc Christus inuitet? Per hanc speciem nostro Præsuli post tot Dei instinctus, longasque moras fucum facere Satan conabatur. Sed diuina inprimis gratia confirmatus, & Plati apposita oratione incensus, qua hortabatur, vt explicaret fortiter sinum pectoris, & exciperet liberaliter Deum, ad sacrum peragendum secedit. Ac primum cum inchoaret, atque ex animi sui angustijs magno cum sensu ea verba proferret, Quare tristis es anima mea, accepit tanquam diuinum responsum, Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Deinde Sacrosanctum Christi Corpus susceperturus, vehementi quodam impulsu sensit ea verba Diui Augustini ingeri sibi; Proijce te, Proijce te. Atque ita impellente, & adiuante eius, quem manibus sustinebat, gratia, plenissimè se in eiusdem Domini manus proiecit, planeque decreuit, diuino se in Societate obsequio dedicare. Continuo tranquillitas animi admiranda successit, immo gaudium, ac lætitia tanta, vt ne continere quidem, quin foras erumperet, posset. Accersito statim post sacrum Plato, procumbunt ambo in genua, Deoque gratias ingentes agunt, orantes vti confirmaret, quod operatus erat in eis. Nec iam moram interponendam vllam censet Andreas, quin statim in domum Dei confugiat. Id primo Quadragesimæ die decretum, postridie religione voti confirmat. Die Veneris Romam reuertitur, proximo Pontificem alloquitur, statimque Quadragesimæ prima Dominica in Tyrocinium S. Andreæ se abdit; prudenter enim vero, ac fortiter turbas anteuertens, quas conciturі erant propinqui; ac nexus, qui solui ægre potuissent, abrumpens. Nec caro, & Satanas non latrabant: sed ille, & mente, & lingua versabat psalmi verba, Melior est dies vna in Atrijs tuis super millia, & Apostoli, Omnia arbitratus sum, vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & ante oculos habebat, quid vellet à se nouissimo mor-

28 Hieronymi Plati colloquio ad Exercitia spiritualia animum appellit.

29 In ijs variè fluctuat.

30 Tandem propositum ingrediendæ Societatis inter sacrificandum concipit.

31 In Tyrocinium S. Andreæ admittitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortis momento actum. Sabbati vespera re iam inter domesticos vulgata, incredibilis omnes mœror inuasit. Dum mensæ ille assidet (& conuiuium, quippe supremum, voluerat esse lautissimum) singulos vidisles alto silentio prope attonitos, atque lacrymabundos ostentare se certatim, intentosque in herum habere oculos, & quicquid præripere poterant officij exhibere. Commouebatur hinc caritas erga Præsulem, quem amabant suauissime, colebantque: dolebant non illius modo spes, sed suas pariter interscindi. Ex altera vero parte nouum exemplum, & quodammodo posita sub oculos futuræ vitæ species, excitabat: nec pauci sancta agitabant consilia, indignum rati, se in seculi seruitute adeo infructuosa permanere, cum ille adeo pretiosam desereret. Sic affectos Andreas intuens, sublata mensa, vniuersos paucis alloquitur, Ne flete, inquit, fratres, propter id quod ego acturus sum, nam equidem ad Dei famulatum accedo: sed ipsum precamini Dominum, vt me tanto munere dignum efficiat. Vos quoque illum timete, & fugite peccata. Ego dabo operam, vt memoriam singulorum vestrûm conseruem, quorum causâ quid agendum sit, iam præscripsi Oeconomo, iterumque præscribam. In eo cognoscam, qui me ex vobis diligat, si hac in re sequatur. Quo dicto cum videretur sibi nimium exegisse, correxit dicens, scilicet, si pro me rogabit Deum, vt ego assidue vestra causa rogabo. Vbi postridie illuxit, statim post aliquantum precationis, vt strepitum præueniret, curru ad S. Andreæ se confert. Varius continuo Romam sermo impleuit: neque multis diebus quicquam celebratius fuit: cum alij, vt fit, rem stultitiæ tribuerent, alij leuitati, alij, vt æquum erat, Christianæ prudentiæ in æternum prospicienti. Concursus etiam consequutus est ingens eum salutantium Præsulum, quos non modo exemplo, sed etiam inflammatis verbis, ad pietatem contemptumque rerum humanarum adhortabatur. Inuisêre & aliquot Cardinales; ex quibus Comensis dixit, hoc eius factum, plus ei attulisse honoris, ac dignitatis, quam si Pontificatum adeptus esset. Hieronymus Platus insigne hoc beneficium, secundum Deum, B. Virgini tribuebat: idque se plane perspexisse aiebat Tibure. Mira etiam apparuit benignitas Dei in tollendis difficultatibus, quæ veluti insuperabiles tali viro ante offerebantur. Illud cum admiratione ipsemet animaduertit, cum ante tam exquisitis delectaretur munditijs, vt ipsum argentum non satis nitidum videretur, & lances stanneas horreret, iam postquam Societatem erat ingressus, ita videri mantilia, lanceque mundas, vt existimaret, imbecillitatis suæ causa, peculiare quippiam secum obseruare Nouitiorum Magistrum, cum tamen huiusmodi diligentia nulla admodum fieret. Cum primum impetrauit, vt liceret sibi patinas in culina purgare, interrogatus num ea in re difficultatem, ruboremue sensisset, propius respondit fuisse inanis gloriæ periculum. Domesticis autem omnibus summæ erat admirationi, atque incitamento, cum eius notæ virum videbant abijci ad genua Magistri precantem aliquod sibi pœnæ, aut probri genus ad contumaciam contundendam inferri: omni sedulitate ministrantem mensæ, & vbique se se adolescentulis, & Laicorum postremis adæquantem. Non minori fuit vrbi toti admirationi, cum conspectus est in attrita, laceraque tunica, manticis ab humero pendentibus per vias, & compita, & apud argentarios, cum celebritas eo loco summa est, emendicans. Adeo enim pro hominis ante notitia commotus est populus, vt certatim ad videndum accurreret. Interim Genua Frater, & quidem commotior aduenit; sed ita placatus est ab Andrea, ita edoctus, vt sæpius iuraret, si vxor sibi, ac filij non essent, idem se, quod fecerat ille, facturum. Haud tamen multis post mensibus cum valetudinem Andreas læsisset, propinqui omnes commouere omnia, & omni ope tentare cœperunt, vt eum ad se se reuocarent, Principis Auriæ autoritate, & multorum Cardinalium apud Pontificem, id vt iuberet, interposita. Quod Nouitius seruens, vbi cognouit, tam vere, ac prudenter cum Cardinalibus egit, vt omnes ad suas partes adduceret. Quorum vnus dignum edidit Principe Sacro responsum: Allegantibus enim P. Andreæ morbum, ac mortis citæ peri-

32 Domesticorum eius mœror in eius digressu.

33 Ipsius ad illos adhortatio.

34 Sermones de illo.

35 Dictum Card. Comensis.

36 Auxilium diuinum in superandis difficultatibus.

37 Demissio eius, & vis boni exempli.

38 Andreas fratri factum suum approbat.

39 Eius in vocatione constantia.

40 Dictum egregium Cardinalis.

periculum; Si ægrotat, inquit, & moritur, iam quod sequutus est assequitur: recte enim moriendi causa ad Religionem, seculo relicto, secessit: Atque ad extremum, vbique morbi, vbique parata mors est. Nec sane quicquam Andreæ iucundius accidere poterat, quam in eo feruore decedere. Tamen visum est Patribus, vt confirmandæ valetudinis causa Neapolim proficisceretur. Quo cum sequutus eum esset, pro veteri beneuolentia, Ioannes Baptista Nanninus, nunquam Pater quieuit, quoad inductum ad Exercitationes spirituales, ad Societatem quoque ipsam perduxit; visus ea re ingentem prope thesaurum sibi adeptus: aliusque ipsum ex eius familia bonus iuuenis, Andreas Chrysostomus, in domesticis ministerijs adhuc cum recto exemplo superstes, sequutus est. Verum Spiritus Domini in expediendo ab tot seculi nexibus tanto Præsule, & tanquam speciosissima Cedro Libani confringenda, ad Templi sui sancti vsus, perspecta vi, inenarrabilem eiusdem suauitatem in educando inter sentes, ac spinas cælesti flosculo admiremur. Obijt in Anglicano vrbis Collegio, post emissa Nouitiorum Societatis vota, quartodecimo Kal. Decembris, Eduardus Trogmortonus Anglus, anno ætatis suæ vigesimo primo. Cuius vitam posteritatis notitia dignam, continuò literis mandauit Sacerdos de Societate, ac mortem postea pro fide passus, Robertus Sotuelus. Est illa sane præclaris omnis generis decora virtutibus. Adeo vt Anglicanum Romæ Collegium inter cæteros vberes, & pretiosos fructus, quos ordinario velut prouentu reddere non cessat, hoc quoque raro specimine maturæ frugis, in lactente quasi flosculo repræsentatæ, gloriari iure posse videatur. Hoc eodem anno Collegium idem permultos Angliæ Ciues reddidit, egregie ad fidem siue tutandam, siue restituendam, confirmatos animo, disciplinis armatos, quorum, aliorumque labores, ac certamina suo inferius loco perstringam. Gaudebat operis successu Gregorius, eoque nouis, vbi offerretur occasio, Seminarium hoc emolumentis, & honoribus augebat, nouis hoc anno vectigalibus attributis, commodataque, quoniam venalis non reperiebatur, ad remissionem animi Villa, quam Iulius Tertius ad Portam Flaminiam condidit: assignato item S. Stephani Protomartyris die, quo die vnus Alumnorum in Pontificio Sacello latinam Orationem haberet. Visa est enim maxime conuenire Protomartyris laudatio ijs, qui per hæc tempora maxime omnium Christianorum, erudiri ad Martyrium videbantur. Collegij vero Rhemensis Pater Sanctissimus pecuniarias difficultates, ac cæterorum ex Anglia religionis causa extorrium, cum cognouisset, toto animi sensu commotus, quoniam adæquare ipse Pontificijs opibus, quippe quæ in vniuersum diffundebantur Orbem terrarum, nec suam benefaciendi voluntatem, nec gentis calamitatem posset, Christianorum Principum, datis in eam rem accuratis literis, liberalitatem extimulauit. Eam procurationem Societatis homines, quibus vel sanguine votum erat tam piæ causæ, nationique succurrere, flagrantissimo vbique studio adiuuere. Copiosa itaque collecta est benedictio. Quodque pietatis officium Apostolicis temporibus Paulo autore Hierosolymitanis Sanctis Asiaticæ præstiterunt Ecclesiæ; id tempestate hac miserrimâ Sanctis Anglicanis cunctæ pœne Christianorum Ecclesiæ, pulcherrimo renouato exemplo, duce Gregorio præstiterunt. Hoc anno nouum Tiburtini Collegij templum impensis Cardinalis Contarelli ad 8. Idus Iulias rite præeunte Episcopo, ædificari cœptum: quod in S. Symphorosæ dicatum nomine, valuit quamplurimum ad Sanctissimæ Matronæ, atque adeo cunctæ illius Martyrum clarissimorum familiæ, iam prope funditus abolitam Tiburtinis suis exsuscitandam memoriam, & cultum amplificandum. Florentinum vero Templum non pro vrbis magnitudine ingens, sed pro specie sane venustum, magna populi voluptate ad culmen perductum, apertumque est. Formam descripserat Bartholomæus Ammanatus, magni nominis Architectus, & in impensam multum suppeditarat: qui demum, vnaque vxor eius poëtria cum primis nobilis, Laura Battiferra, quod sobolem nullam suscepérant, Collegio Florentino ex asse scripto hærede, meruerunt eius haberi parentes. Annum iam

41 Neapoli Nanninum Andreas ad Societatem adiungit. Item Andream Chrysostomum.

42 Mors Eduardi Trogmortoni. Vita eius à Sotuelo scripta.

43 Pontifex collegium Anglicanum beneficijs prosequitur.

44 Collegio Rhemensi Anglorum, subsidia procurat.

45 Templum Tiburtini Collegij ædificari cœptum.

46 Templum Florentini Collegij perfectum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

47 Genuæ templum S. Ambrosij Societati tribuitur.

prope trigesimum Genuæ Societas versabatur in magna Ciuium caritate; necdum tamen, quanquam multis, nec interdum sine strepitu tentatis, potuerat certa sedes obeundis sacris haberi, cum demum S. Ambrosij Paræcia, foro, curiæque vicina, ab Parochis ipsis offertur: hisque aliò digressis, Senatu volente, autore Pontifice, tum maxime cum desperatissima res videbatur, addicitur. Vt intelligamus longe plus esse in diuina cura, quam nostra: ac Patrem cælestem, qui rerum opportunitates nouit, modo nos ij simus, quales oportet, satis in nostra commoda excubare. Venetijs quoque, quod impetratu difficillimum videbatur non grauate Respublica concessit, vt spatia domus amplificarentur: cumque Posseuino redeunti cum Mosco legato in Italiam, postquam eum Decemuirûm Consilium audijt, de iungendis commercijs differentem, mirificeque probauit, quingentos nummos aureos dono misisset, isque repudiasset, eos ad ædificationem domus attribuit. In percursandis, excolendisque Salutiorum Pagis, & Oppidis hoc quoque anno perseueratum eo fructu, quem vel inde pronum est intelligere. Obseruatum est enim, ex qua die illa est suscepta cultura, neminem vnum ab incorrupta religione defecisse: cum interim, & restituti mores passim, & quamplurimis hæsitatio, & errores permultis excussi sint. Iosephus Blondus ex Collegij Lauretani Rectore Prouinciæ Mediolanensi, quam loco Prouincialis Prosper Malauolta regebat, præfectus est. Ad Siculam suam Prouinciam reuerso ex Polonia Carminata, qui Siciliam inspectarat Iulius Fatius, in regenda Veneta successor Mario Beringuccio designatur; in eamque sub anni insequentis exordia ab vrbe concessit. Collegiorum Sardiniæ Fabius de Fabijs Visitator profectus. In Collegio Neapolitano 7. Idus Iunij Iacobus Paëz præstantis Doctrinæ, religionisque vir, sacras disciplinas Romæ diu professus, mortale domicilium reliquit, tanta alacritate, vt, cum Ludouicus Massellus Prouincialis monuit, Medicos de corporis eius salute desperare, ad eum repente exhilarato vultu conuersus, vlnis tanquam Patrem complexurus expansis, quanta potuit maxima voce exclamarit exultans, gestiensque lætitia, O Pater, ò lætum mihi faustumque nuncium. Quam mortis securitatem quis, modo sapiat, non beatissimæ sæculi vitæ præponat? Raguſæ, quo cœperant successu, Philippus de Philippis, & Simon Bonnicus perseuerarunt.

48 Venetijs cõcessa domus ampliatio, & pecunia in id data.

49 Salutiensis Missionis fructus.

50 Prouincialium creatio.

51 Iacobi Paëz securitas in morte.

52 Missio Raguſina.

In Monte Libano Ioannes Baptista Elianus, & Ioannes Brunus rebus è sententia compositis, Romamque nuntiatis, dum quid præterea iuberentur expectant, consecrata Christi Domini Sacrosanctis Mysterijs loca, vt è proximo, statuerunt inuisere. Respondit ad votum peregrinatio, non solum propriæ fructu pietatis, sed etiam collata in alios ope. Nestoriani duo, minime vulgari conditione homines, vehementer instabant apud Franciscanum Custodem, cui S. Sepulchri procuratio demandata est, vt eo loci sacrificare sibi liceret. Custos ad Patres, quos præcipua caritate hospitio exceperat, homines misit, vt quid ij sentirent de religione interrogando cognoscerent. Breui se, quod erant prodidere, impij Nestorij veneno imbutos. Tum Patres curationem aggressi, amicè, doctèque instituendo, refutando, hortando perpulere, vt Catholicam veritatem respicerent. Formulam fidei concepit Ioannes Brunus accommodatam sectæ, per quam cum alia Catholica dogmata, tum Mariam Virginem esse dicique debere Deiparam, ac Dei parentem pronuntiabatur: cunctisque Hæreticis anathema dicebatur, ac nominatim Nestorio. Ex ea formula duo illi religionem professi, riteque expiati, ad sacrificium communi cum gaudio admissi sunt. Eandemque Patres formulam Franciscano Custodi in consimiles vsus petenti, Arabice, & Latine conceptam reliquerunt. Ab Palæstina digressi, Damascum Syriæ perrexerunt, tum vt incolas Maronitas, quos per literas, eorumque Præsides instituerant, coram excolerent; tum vt ex acceptis Romæ ab Sanctæ Seuerinæ Cardinali mandatis, quid cum Antiocheno Patriarcha Græcorum ibidem degente, agi posset experirentur. Optatissimus accidit Pontificiorum Nuntiorum conspectus Maronitis, ac perinde fructuosus; adeo paratos, auidosque culturæ animos obtulere. Ad eam igitur normam, quæ in Libano Monte constituta erat, res Damasci quoque redactæ. Patriarcha Antiochenus vbi admonitus est, cupere in eius congressum venire Patres, primorum è suis multos acciuit, in eorumque comitatu, & corona adeuntes excepit perhonorifice. Illi Gregorij Pontificis rectissimam mentem demonstrant, qui nulla spe commodi sui, in oras vsque eo repostas, magna per impendia Nuntios destinet, eo solum consilio, vt pro summi, Oecumenicique Pastoris munere, aberrantes ouiculas in salutaria reuocet sepia. Quin etiam præ singulari nationis Græcæ studio, nobile eum excitasse Romæ Collegium, vbi non modicis, siue laboribus, siue sumptibus, educarentur adolescentes eorum. Proinde tanta, tamque sincera benignitate duci se fineret, & debitos Pastori Summo reddere honores ne grauaretur: quemque cognosceret indulgentissimum Patrem, ei se filium obsequentem præberet. Probauit, quæ de mente pia, ac benignitate Pontificis memorabantur, Patriarcha, præque se tulit egregiam aduersus eum obseruantiam: ac protinus posita quæstio est de processione Spiritus Sancti, vnde origo dissidij Latinos inter, & Græcos. Haud diu disputatio tenuit. Cum enim rationem eam Ioannes Brunus proposuisset, Filius, vel est æqualis Patri, vel minor Patre. Si æqualis, ergo vna virtus vtriusque, atque adeo quicquid est à Patre, necesse est esse à filio. Respondit ex illa præcipuorum corona Græcorum, Doctrina princeps, Filium Patre minorem esse. Vbi admirans Ioannes Brunus, & miserans stultitiam hominis, Ista, inquit, Arriana est hæresis, & intoleranda blasphemia, quam consensu Latina, & Græca condemnauit, & anathemate confixit Ecclesia: tum arabice subiecit (didicerat enim nonnihil) Deus misereatur tui. Obmutuere Græci omnes, & erubuere. At Maronitæ, qui comites ierant Patribus, gratulabundi gestire, tum victoria Catholicæ Religionis, tum etiam quod iam sua lingua Ioannem loquentem audiuerant. Tergiuersari tamen Patriarcha, & multas difficultates obtendere ad obsequium Romani Pontificis, & palam significare, Constantinopolitani iniussu Patriarchæ nihil sibi mouere fas esse. Quare cognito Patres, nihil inde probabilis spei dari, iterum hortati, vt consideraret Gregorij Pontificis benignitatem, & Cardinalis S. Seuerinæ eorum Patroni studium, in Libanum perrexere. Hic literas à Præposito Claudio, & Cardinalibus Carafa, & Sanctæ Seuerinæ accipiunt, vt Ioannes Baptista cum Fratre Mario Amato, Memphim in Ægyptum pergat, ad tentandam Cophthorum conuersionem, Ioannes Brunus, in Vrbem, res gestas, statumque gentis renuntiaturus, iter capessat. Ita lætissimi ad parendum, post dulcissimos amplexus, digrediuntur, restauratum mirifice inter Maronitas cultum sacrorum relinquentes: multis quoque aucti ipsi, non solum recte factorum, sed & patientiæ ornamentis, vt in tam longis peregrinationibus inter barbaras, hostilesque Nationes necesse erat. Nam & omnes quondam circa Tripolim, impotens, ac ferox Turca, nulla re, nisi odio Christianorum, ac barbari ingenij feritate instinctus; male plagis cecidit, admodum lætos, quod pro nomine IESV digni haberentur aliquid contumeliæ, & iniuriæ pati: & Ioannem Brunum cum Mario Amato item Tripoli dederunt in carcerem, vt cogerent Turcas fieri, calumniati circumcisos esse: Namque ea Turcis lex est, vt si quis religionem mutare velit, non liceat ei nisi ad Turcicam transire. Patefacta leui negocio calumnia; tamen Marium ad necem petebant: sed P. Brunus intelligens ceruicem peti, vt crumena feriretur, verituſque ne ipsos à Pontifice missos enotesceret, munusculum Iudici promisit: impetrataque venia exeundi ad stipem in eam rem corrogandam, breui Marium quoque liberauit. Ipse vero Ioannes Brunus, è Canubino Tripolim proficiscens, incidit in latrones in densa Sylua, fugaque arrepta, Deum hoc orabat, Domine excæca mentes illorum, ne me assequantur; mirabilique Dei ope euasit. Quippe cum recta ipse fugam intenderet, nusquam è via digrediens; ipsi tamen opinati ad latibulum aliquod digressum, omissa via, ad quærendum in proximo dilapsi spa-

53 Baptistæ Eliani, & Bruni peregrinatio ad loca sancta.

54 Duo Nestoriani conuersi eorum opera.

55 Iidem Damasci Maronitas instruunt.

56 Agunt cum Patriarcha Antiocheno

57 Disputant coram eo de processione Spiritus S. à Filio.

58 Et Græcum Magistrum palam conuincunt.

59 Antiochemi Patriarchæ tergiuersatio.

60 Elianus Memphim ad cõuersionem Coptorum mittitur.

61 Eliani, & Bruni varij labores.

Et pericula.

Diuina ope vitata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

62 Occasio Missionis Memphiticæ.

tium debere plus viæ anticipandi, quam vt consequi deinde possent. Profectionis Memphiticæ ea fuit occasio. Paulus Marianus, nationis Gallicanæ Memphi Præfectus (Consulem vulgo dicunt) studio Cophtos iuuandi ardens, pro veteri Ioannis Baptistæ in priore Memphitica profectione anni 1561. notitia, per literas eum sæpe ab Maronitis, quando tam parum abesset, accersijt. Ipse Patriarcha literis amantissimis inuitauit, vehementer cupere se cum eo, nuntians, religionis rem conferre. Quæ cum ita essent, Ioannes Baptista, si nihil aliud, certe inspecturus, ecqua aperiretur spes rei bene gerendæ, de sententia Pontificis à P. Generali eo vsque iubetur excurrere. Tripoli Phœniciæ x. Kal. Octobris naui conscensa, vndecimo die Memphim defertur. Admodum ignarus Patriarcha Doctrinæ reconditioris, & sacræ, vitâ ferebatur spectandus: qui adeuntem ad se Ioannem Baptistam comiter accepit: ac simul is à Pontifice salutauit, seque vti per ipsius literas accersebatur, missum exposuit, non ad mutandos ritus, sed tantum, vt si quid insinceri dogmatis in doctrinam fidei irrepsisset, eximeretur, cum aliquot è suis doctioribus, quorum stat omnino sententijs, rem iussit considerare. Haud dubiæ deprehensæ sunt hæreses, præsertim Dioscori; nec parum Magistri illi suarum comperti tenaces opinionum. Pater rerum statu Romam nuntiato, apud Paulum Marianum substitit, libris Cophtorum volutandis, interiusque eorum disciplinæ cognoscendæ intentus. Interim Ioannes Brunus in Italiam prosperè, ac Romam demum relatus, gaudio cumulauit Gregorij Pontificis pectus, exitum Maroniticæ prouinciæ secundissimum exponens: & proprias de ea re grates Deo Pontifex animarum cupidissimus egit. Nihilo minus Carafa voluptatis cæpit: cuius etiam opera Pontifex Sergium Patriarcham confirmauit, pallioque misso, & luculenta stipe cohonestauit, iussum insuper admoneri, vt adolescentes Romam complures instituendos mitteret. Haud victus est benignitate Sergius: continuo bonam manum eximiæ pubis, in ijsque, quo cæteri alacrius cara ab se in tantum dissidium auelli pignora finerent, Sergium Risium, ipsum fratris sui filium, misit. Tum eodem instante Cardinali Carafa, nouæ ædificationem Collegij Gregorius in Maronitarum institutionem suscepit, perfecitque celerrime, magno tum ad cætera emolumento, tum honestamento Ecclesiæ Romanæ, atque vsu. Anno 1584. institutum Collegium, & anno insequenti traditum Societati regendum, vt fusius volumine eius anni tradetur.

63 Agit Memphi Elianus cum Patriarcha Coptorum.

64 Hæresis Dioscori in eo deprehensa.

65 Brunus Pontifici rationem Actorum reddit. Sergio Patriarchæ pallium impetrat. Is alumnos Romam mittit.

66 Gregorius Maronitarũ Collegium in vrbe condit.

67 Posseuinus Pacem inter Polonum, & Moschum tractat.

Posseuinus interim à Pontifice missus Polonorum, Moscorumque pacificator, extremo superiore anno in regijs ad Plescouiam Castris opperiebatur à Magno Duce responsum super conditionibus pacis, quas Rex Stephanus dicebat. Sed cum vtrinque difficultates obiectarentur, id quod Posseuinus antea censuerat, factum est, vt vnum in locum ambo Principes legatos suos mitterent, cum potestate disceptandi rem omnem, & transigendi. Delectus est Iamus in Zapolscia pagus, Velicoluco viginti milliaribus germanicis, totidem Plescouia distans. Sed quia eum pagum reperere paulo ante à Cosaccis incensum, in alterum Chiueroua Horca vocabulo, non longe inde dissitum, conuentum est. Hic post varia, & longa certamina (quæ Posseuinus in sua Moschouia edidit) tandem cum Liuonia, quam haberet in potestate Moscus, vniuersa cederet, eique arces vicissim proximo biennio captas Polonus redderet, XVIII. Kal. Februarij pax in annos decem sancitur: ac statim per trecenta passuum millia, vtroque in exercitu ab excursionibus, populationibus, rapinis, alijsque plurimis, quæ bellum inuexerat, alebatque, cessatum est facinoribus. Subinde Posseuino Moscuam versus cum Ducis Magni legatis tendenti ingens gratulatio vbique facta. Percouiam primum, octauoque post die Nouogardiam ad lacum Ilmenum sitam, vrbem olim potentem inprimis, & sparsis circa lacum Monachorum Cœnobijs nobilem: ab ea magnis itineribus tertio decimo die Moscuam venit. Hic Drenoczium, ac Morienum, quos apud Ducem Magnum reliquerat, vt interius res religionis cognoscerent, & ex occasione Catholicos ritus insinuarent, reperit contra quam Dux ipse ad Stariciam rece-

68 Et tandem conficit.

69 Iter eius, & aduentus in Vrbem Moscuam.

receperat, dure omnino habitos. Quinque fere menses angusto incluſos tugurio, quod & pro cœnaculo, & cubiculo, atque adeo Sacello ad sacrificandum esset, appositis ad ostium custodibus tribus; nec datam vnquam ad liberum sub Cælo trahendum spiritum facultatem, nisi semel, aut iterum; nec præter designatos à Principe, cuipiam aliorum patuisse ad eos accessum. Tam superstitiosa, ne grauiore vtar verbo, in cauendis externis, diligentia erat Principis. Astu nimirum Satanæ, pietati aditum intercludentis. Itaque duo illi Dei famuli quotidiano sacrificio, longis precationibus, ac cæteris studijs pietatis intenti, quo caruerant magis humana consuetudine, hoc impensius in cælestem se se tradiderant. Magnus interim Dux religionis tractationem reiectam in Posseuini reditum, memor, Episcopos aduocarat sex (Vladicas illi nominant) quos ei, si opus esset, opponeret. Eundem Angli quidam Mercatores teterrimi Hæretici, tradito libro, quo Romanum Pontificem pro Antichristo infamabant, & Anabaptista Hollandus, arte medicus, multis contra supremum Pastorem mendacijs imbuerant. Ægre igitur potestas Patri facta est sacrum negotium attingendi. Tum ita impotenter in congressu se Princeps gerere, adeo intoleranter vocem veritatis pati; vt paulum aliquando pressus, repente exardescens, nec contumelia abstinuerit, nec sine admiratione adstantium factum sit, vt abstinuerit manum, ne Posseuinum protinus (quemadmodum sæpe alios, ac nuper Ioannem filium natu maximum sustulerat) scipione illo suo ferrea ad imum cuspide armato confixerit. Sed Pater admiscens libertati modestiam, & impetum illum prudenti comitate leniuit: & mox cum Princeps in conuentu maximo id ageret, vt ille Moscuensi Metropolitæ manus exoscularetur, ac sacris Ruthenicis interesset, quo viderentur ab Romano ea Pontifice comprobata, subduxit se ex medio cætu, Principique professus est, quandiu Vladicæ ab Romana Sede confirmationem abnuerent, nequaquam sibi fas esse eos pro Antistitibus veris agnoscere, nec sacris adesse damnatis. Eidem duo tradidit Scripta Ruthenicè, quorum altero Anglicana contra Pontificem redarguebat mendacia, altero capita comprehenderat, quibus ab Latina Ecclesia Græci, Ruthenique dissident, concinna errorum confutatione subiecta. Appetente iam vere, qua tempestate tum pene insuperabiles, tum vero quamcum maxime periculosæ sunt viæ, ex niue, glacieque hyberna tabescente passim exundantibus aquis, multorum captiuorum libertate à Duce impetrata, multorum mitiore custodia, quatuordecim item receptis partim Hispanis, partim Italis, qui per Mæotidem paludem in Moscouiam ex Turcis aufugerant, Moscuâ cum Socijs Posseuinus recessit. Iussit Dux ab trecentis nobilibus ad quatuor passuum millia deduci: cumque eo nouum ad Gregorium Pontificem misit legatum Iacobum Moluianinum, per quem significabat: placere sibi cum suis iungi Catholicorum commercia, & potestatem faciebat Mercatoribus Catholicos Sacerdotes habendi, qui sua priuatim sacra obirent; solo item ad sepulturam promisso: simulque, Pontificijs legatis commeatum per Moscouiam, si in Persidem, aut aliò mitterentur, spondebat, & profitebatur velle sibi amicitiam cum Romano Antistite, vsumque perpetuum esse. Ex itinere Moscouiæ fines egressi, cum Orsam in Alba Russia, inde Vitespesium venissent, ad flumen Dunam positam cum Arce vrbem, Catholicis, Ruthenis, Lutheranis, & Caluinianis, celebrem, statim admonentur, Catholicum qui vnicus aderat, Parochum, eumque octogenarium, proxime ab supremo spiritu abesse, valdeque Catholici Sacerdotis copiam exoptare. Mittitur actutum Drenoczius: expiatur bonus Sacerdos, postridieque Sacrosancto communitur Viatico: nec ita post multo, quasi diuinitus ad suprema illa Sacramentorum præsidia reseruatus, optimæ spei plenus, decedit. Verum tum plane afflictus, & orbus Orthodoxorum remansit grex, inter tam multiplices, importunasque belluas; eoque miserabilius, quod Sanctæ hebdomadæ dies instabant. Has ob res cum Palatinus quoque, qui item Catholicus erat, vehementer precator accederet, idem Drenoczius cum Socio Michaële, relictus est, qui donec Canonici Vilnenses Pasto-

70 Patrum dura custodia.

71 Moschi pertinacia in erroribus.

72 Posseuini periculum, & dexteritas.

73 Recusat cõmunicare cũ Schismaticis. Hæreticorũ calumnias scriptis refellit.

74 Captiuorum liberatione impetrata honorificè deductus discedit.

75 Legatio Moschi ad Pontificem.

76 Drenoczius Parochi vicem supplet

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pastorem substituerent, Parochi officium sustentaret. Posseuinus Polociam profectus, admodum Sociorum, & proficientis inter aduersa Collegij recreatus conspectu: Amanuensis pariter regii, quem linguarum variarum peritum comitem in Moscouiam duxerat, & cui eo consilio, quæ ad Ruthenum schisma pertinerent, tradiderat describenda, vt inde sensim ad Catholicæ fidei lumen præpararetur, conuersione exhilaratus est. Disnam inde, tum Duneburgum, ac postea Illuxen, Curlandiæ Oppidum, die Sabbati Sancti delatus, cum hic sacrum Pascha peragendum omnino esset, nec tamen Templum, aut domus vlla Catholicorum suppeteret, in ipsa Lutherani Pastoris domo, ara loco secreto, tutoque excitata, sacram libauit Hostiam: nec sine lucro inde discessit. Nam è prima eius Oppidi nobilitate vir, filium ei tradidit, quem in Pontificium Seminarium, seu Bransbergam, seu Olomucium mitteret; in spem patriæ aliquando iuuandæ. Ex Illuxen ingentibus in itinere superatis aquis, Rigam denique cum Mosco legato, eiusque comitibus nouem, quos vt dixi ad Pontificem deducebat, peruenit: nec solum humaniter, verum & perhonorificè ab Rege Stephano excipitur, vt Moscis documentum ederetur, quanto Polonus Rex missos à Romano Pontifice viros, honore dignetur. Hic literis ab ipsomet Pontifice acceptis, quibus respondebat: placere sibi ad Ruthenos, & Moscos erudiendos Seminarium Vilnæ institui, annuis in eam rem vectigalibus destinatis, Romam iter prosequitur, plurimum delectatus Regis, & Catholicorum Procerum studijs in restituendo cum Rigæ, tum in vniuersa Liuonia, Catholicæ cultu pietatis. Nam Rex planè regiè pius, vt primum sancitam cognouit pacem, sibique Liuoniam traditam, tanquam indignum ratus, prius eam sibi, quam Christo subijci, Rigam iter intendit. Georgium Radiuillum Vilnensem Antistitem, & Melchiorem Giedroc Antistitem Samogitiæ, deque Societate Martinum Laternam, & Petrum Scargam ducens, vt coram ipse primas obstantium moras perrumperet, & pietatem iam diu exulem regio quasi comitatu reduceret. Tum ad Cromerum Varmiensem Episcopum, ex institutis in eius Bransbergensi Seminario sub disciplina Societatis, atque ad Gregorium Pontificem, & ad Aquauiuam Generalem literas dedit ex nostris hominibus Sacerdotes, & Euangelij præcones postulans, quos per Liuoniam spargeret. Liuoniæ Metropolis Riga est, Archiepiscopatu olim, & Canonicorum Collegio nobilis. Eadem à mari Balthico vno milliari sepositа, portum ibidem ad ostia Dunæ amnis, quo alluitur, percelebrem habet: qui amnis cum sit nauigiorum capax, inprimis opportunam mediterraneis, maritimisque commercijs Rigam efficit. Hac tempestate in Ciuium magno numero, nullus aperte sinceram, ac veterem fidem, noua omnes Augustani figmenta Symboli sequebantur. Cœnobia quæ olim Religiosorum fuerant, dudum profana fecerant. Vnum restabat Monialium Cisterciensium, in quo tres repertæ sunt decrepita iam ætate Virgines, in quibus castæ religionis, in tota pene Liuonia extinctæ, scintilla ad eam diem vixerat. Distat Riga, vt Poloni sua mensura numerant, Vilnâ milliaribus quadraginta, Polocia sexaginta, sed cum hac per Dunam fluuium perenni commercio facillime iungitur. Hanc igitur cum primum Rex vrbem intrauit, suum Senatum alloquens, exponit Consilij sui esse, vt Catholica religio, ac verus Dei cultus, quo eiecto Liuonica tota respublica, salusque omnium pessum ierat, in eam Prouinciam reuocetur; statimque maximo omnium consensu decretum pro religione Catholica instauranda fit. Cuius decreti Senatorum quosdam Hæreticorum breui pœnituit: qui cum reuocare ipsi, quod fecerant, nec auderent, nec possent; clanculum nobilitatem Liuonicam, & Rigensem præcipue, solicitant, vt religionis suæ confirmationem à Rege peterent. Ad eam petitionem Rex cum Liuonibus cæteris respondisset, omnia sibi iure belli in eos, vt armis subactos, licere, Rigensium autem, qui sponte anno superiore tradiderant se, inque ius Polonici fœderis recepti erant, aliam esse rationem, conuocato Ciuitatis Senatu, Cathedrale templum tradi sibi postulat, Catholicorum in vsus. Quiritari illi, pœnitere deditionis, conqueri sibi vim fieri, vociferari nullum

77 Amanuensis Regij ex schismate conuersio.

78 Seminarium à Pontifice Vilnæ fundatum.

79 Stephani Poloniæ Regis zelus pro Religione Catholica.

80 Miserrimus Rigæ Religionis statur

81 Decernitur restitutio Religionis, Rigæ.

lum esse hominem in Ciuitate Catholicum, primarium sibi eripi Templum in ipsis vrbis visceribus situm, in quo tot annis sua sacra peregerint: denique quodcumque templum Catholicis tradatur, diuturnam rem ob populi furentis impetum nequaquam fore. Contra ea Rex constantia aduersus peruicaciam nitens, commune naturæ ius videmini, inquit, Rigenses obliti; adeo quæ vultis à me concedi vobis, vos mihi negatis. Ergo istius vestræ cuiuscuius religionis libertatem postulare vos æquum est, & suæ negare Catholicis, ideſt meæ mihi? Ista pro quibus certatis, Templa, maiores vestri, qui condidere, agite, cuius religionis erant? Id vero iniquissimum est, eorum quæ per iniuriam occupaueris, nolle, vel partem reddere. Atenim Templum primarium peto, quid? Religio sancta Catholica, religio, inquam, Regum, ac Principum, ac Mundi totius, retrudi in angulos debet, & contra salutem multorum abscondi, aut etiam ab ea Ciuitate excludi, ad quam commerciorum causa, tanta vndique, etiam Catholicorum, multitudo confluit: & popularibus nostris ex Catholico ritu nullus, nisi forte latebra quæpiam, permitti locus debet ad Deum laudandum, salutemque animi procurandam? Quin ipsi vos animarum estis vestrarum hostes, qui audire, quæ totus Orbis terrarum amplexus est, quæque vestri parentes sanctè coluerunt, abnuitis. Summa hæc sit, si perstare in contumacia pergitis, pro certo habetote viam mihi non defuturam, qua ius meum persequar: at vobis longe durius fore, quam si sponte cedatis. His demum exterriti pro Cathedrali Templum S. Iacobi vltro deferunt. Quod cum Rex Scargæ significasset, is gnarus Societati Templum quæri, quo molliora forent initia, simulque vt locus minus celebris minus haberet inuidiæ, simul circumiecta area extruendo olim Collegio peropportuna esset, accipiendum, quod dabatur existimauit. Rex igitur Senatui respondet accipere se D. Iacobi Templum, contiguum tamen simul Monasterium Cistercienſium Virginum, cum æde Sanctæ Mariæ Magdalenæ darent. Tum vero suspicati, quod res erat Hæretici in vsum Gymnasij illud Cœnobium destinari; omnibus precibus rursum insistunt, vno esset Templo S. Iacobi contentus, neu de scholis, Collegioque Iesuitarum Rigam inducendo cogitaret: haud dubie enim populum seducturos, & ipsorum filios ad religionem Papisticam pellecturos. Narrabat deinde Rex ad eiusmodi prædictiones, quas non magis illi detestabantur, quam ipse ratas optabat, ægre se risum tenuisse, & id dedisse responsi: se quidem eorum causa vehementer optare, vt veritas Catholica per Christi præcones Iesuitas Rigensibus prædicetur: verum non ita multos eos esse, nec tam ex facili Collegia noua recipere, vt certum quippiam sibi polliceri posset: felices tamen fore Rigenses, & eorum liberos, si quando talium virorum Collegium in eorum mœnia introducatur. Ad extremum, diem præfixit Nonas Aprilis, quo die absque vlla prolatione mandata exequerentur. Qui cum demum non eo die, sed postero paruissent, ab Samogitiæ Episcopo statim expiatur Templum Diui Iacobi, in eoque postridie, quæ fuit Dominica Palmarum, cum omnibus Catholicis Rege præsente, sacra peracta, habitæque conciones Latine, Germanice, Polonice. Feria inde sexta Maioris hebdomadæ in Templi eiusdem ædes, ministris Lutheranis egressis, tres de Societate Presbyteri Scarga, Laterna, & Ioannes Vincerius, Bransberga ad germanicas conciones accitus immigrant. Cæterum toto illo sanctiori tempore clarissimum specimen veri cultus est præbitum, eminente Regis exemplo, vel ad Hæreticorum miraculum, lacrymasque Catholicorum. Bis quotidie ad S. Iacobi, ex Arce, quanquam longe posita, cum omnium Procerum comitatu per Ciuitatem totam hæreticam incedebat. Perstabat multis horis ad sacra attentus officia, orans, aut è pio legens volumine, nunquam tecto capite, nunquam verbo ad quempiam misso. Sacratissimum Corpus Domini ad Sepulchrum egregie exornatum deduxit: publice ad aram Sacrosanctam communionem sub vnica specie suscepit. signum Crucis die Parasceues gestu humillimo adorauit, & alia plurima edidit Catholicæ pietatis, & humilitatis exempla. Æmulabatur, vt fit, Aula Principem magna iam ex

82 Regis aduersus obsistentes Hæreticos constantia.

83 Templum S. Iacobi pro Episcopali ab Hæreticis datum.

84 Et Societati traditum à Rege.

85 Egregia Regis Religio exemplo salubri vtilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte Catholica, vt neque ab excipiendis confessionibus, neque à verbis quotidie faciendis respirare Patribus liceret, cum Latine Laterna, Polonice Scarga, Germanice Vincerius verba facerent. Erant ex ipsis Aulicis piscatores animorum egregij, interque eos præcipuus Lublinensis Collegij Fundatorum, de qua re mox dicam, Nicolaus Zebridonius, ætatis, multoque magis virtutis Christianæ, ac bellicæ flore, eius aulæ lumen, qui ad amabiles Christi plagas, & hæreticos, & segniores Catholicos compellebant. Videbatur igitur tota Aula insolito quodam igne pietatis ardere. Quæ illustria exempla cultum Sacrorum Catholicorum, ordinem ministrantium, venerabiles cærimonias, splendidum ornatum altarium, Sacrorum carminum suauem grauitatem, concionum frequentiam, populi adorationem, Sacrificij maiestatem, & alia Catholicæ religionis decora cum spectarent Hæretici, flecti multorum animus cœpit, & de Romana, ac Sancta religione, quam fallaces Ministri impudenter deformauerant, meliora sibi persuadere. Hæc fuere Domicilij Rigensis initia, quibus ordinandis reuerso in Liuoniam Laterna cum Rege, præfuit Scarga, sæpe exinde cum Socijs lapidationes ab furenti turba perpessus, & aliquando tantum non ab facinoroso hæretico ipsa in æde sacra confossus. Verum diuina inprimis tutela, tum singularis Antistitis Radiuilli cura, quem suo Rex loco reliquit, veritatis seruauit præcones. Per idem tempus, & Niesuisiensis Collegij, & Lublinensis posita fundamenta. Nicolaus Christophorus Radiuilus, Georgij, quem modo nominaui, Vilnensis Episcopi Frater, magnus Lituaniæ Marschalcus, idemque Dux in Olica, & Niesuisio, in hoc oppido, quod vt hæreditarium plurimum amans, & incolens, etiam post mortem receptaculo, & quieti sui corporis destinabat, Societatem collocari ardentius quam vero simile fit, auebat. Iacet quidem Niesuisium in ditione Nouogrodecensi in ea Albæ Russiæ parte, quæ Lituaniæ subiacet, vndique frequentibus cinctum oppidis: Verum quia ampliora tum Societatem in magnis operarum angustijs auocabant spatia, piæ flagitationi Marscalchi oblata ad solatium temporaria statio est, quam eius perseuerans charitas perpetuæ sedis fecit exordium. Missi ergo Albertus Mroscouius, & alter Sacerdos, paratissimam sane inuenere messem, lateque excurrentes, multos ab hæresi, plures ab schismate, multo etiam num plures à peccandi consuetudine reuocarunt. Eluxit in Collegij Lublinensis initio haud obscure totam rem ordientis Numinis pertexentisque iucunda quasi dexteritas. In regijs, quæ supra memoraui, ad Plescouiam Castris, duo agebant Proceres, Bernardus Machiciouius ætate prouectior, & Nicolaus Zebridonius in flore iuuentæ. Collato inter se, vt fit, sermone de restituenda fide Catholica, Bernardus in animo sibi esse ait, Lublini (quæ vrbs est in minore Polonia celebri mercatu, & Iudicijs Regni totius, quæ Tribunalitia vocant, nobilis, vbi Ebionitarum, & Anabaptistarum pestis cubile posuerat) Collegium Societatis condere. Atqui istuc ipsum ego moliebar, inquit, Nicolaus. Tum admirantes sibi plane alterius consiliorum ignaris, eandem mentem iniectam, mutuos in amplexus irruunt, Deoque gratulati, communibus studijs, & consilijs, coniunctisque opibus, vbi primum per expeditionem liceret, aggredi rem statuunt, ad exitumque perducere: neque aliter factum. Quin etiam Bernardus ad censum explendum, Sororem quoque suam patruelem Catharinam Vapouiam Castellanam Præmislien sem, in partem operis haud difficile traxit. Hoc rerum apparatu feruente Prouincialis Ioannes Paulus Campanus Lublinum contendit: cumque ex itinere Comitem à Teczin Palatinum Cracouiensem inuiseret, is cognita itineris causa, domum quam Lublini habebat Collegio offert, postea, & donat. Ineunte Septembri Lublinum Campanus cum Stanislao Varseuitio, ex Suecia nuper reuerso, quem & nouo domicilio præfecit, cumque Simone Visocio, qui concionibus præesset, ac fratribus duobus, ingreditur. Vbi primum in vrbe conspecti sunt, Senatores miro exultantes gaudio, per medium forum in suauissimos currunt amplexus, dolentes, quod occupati repentino aduentu, nequissent, vti cupiebant, animum suum

86 Hæreticorũ furor in Socios Rigenses.

87 Niesuisiensis Collegij primordia.

88 Duo Fundatores Collegij Lublinensis casu conueniunt.

89 Initia Collegij fausta, & læta.

suum officioso etiam occursu testificari. Ædes diuersorio lectæ, quas Palatinus Cracouiensis obtulerat, contra Synagogam Ebionitarum sitæ: Ministeria vero diuina ad annum vsque octogesimum sextum, cum exædificatum proprium sacellum est, in Parochiali templo obita: nec ante eum annum literariæ classes Lublinum inductæ. Iuuit Collegij huius initia, & Catharina Tecinska Slucensis Dux, eiusdem modo laudati Palatini Cracouiensis Soror, quæ vna cum filijs duobus, à schismate Rutheno, opera maxime P. Stanislai Vvlosek, ac Simonis Visocij, hoc ipso tempore abducta, non destitit deinceps magnis Ordinem nostrum beneficijs demereri. Ipse item Palatinus cum Castellano Voincensi, eodemque Capitaneo Lublinensi, germano suo, ex longo dissidio, quod multi procerum frustra tentarunt, cum publica lætitia reductus in gratiam est, Iaroslauiensium Patrum industria. Autoribus vero Collegij Nicolao, atque Bernardo, præclaram Deus statim repræsentauit in hac quoque vita mercedem. Quippe Nicolao, qui ad condendum Collegium duodecim florenorum millia contulerat, Præfecturam (capitaneatum gens vocat) Rex dedit, vnde duodena millia in annos singulos capiebat. Bernardo haud multo post Luceorien sis Ecclesiæ datæ sunt Insulæ. Longe dispar Iaroslauien sis fundatoris filio, verum compar eius meritis præmium iusta Numinis Clementia reddidit. Adeo intemperanter is Iesuitarum vitam vbique proscindebat, indignisque probris dehonestabat, vt grauem quampiam ei pœnam Prouincialis Campanus ab Deo vindice metuens, pro eo nominatim in Prouincia placamenta, ac deprecationes indixerit. Sed quæ ad pacem illi exposcendam fiebant, tanquam ad maturandum supplicium valuissent, mira res! statim vt preces indictæ, maledicus incipit contabescere, & quidem ex eo morbo, qui ab intemperantia, quam maxime infamiam in seruos Dei congerebat, putatur ortum habere. Adhibet nequicquam medicamenta, adit Thermas, in reditu demum consumitur, desiderans Iesuitam in supremis adiutorem, palamque contestans, ac dolens eos se per summam iniuriam insectatum. Ad quam forte lucem, pœnitentiamque homini impetrandam, ne anima illa in æternum periret, Patrum audiæ sunt preces. Adfuit, & Castellano cuidam Varsauiæ in suprema necessitate diuina lux, qui capite damnatus, ad eius supplicij denunciationem, illico tanquam apertis oculis, plane se dixit videre eò se loci redactum, quòd olim Sancti Spiritus, ad diuinum in Societate famulatum vocantis, neglexisset instinctum; patienterque porrecta ceruice, communitus diuinis mysterijs, actum obtruncantis excepit. Venerat Varsauiam Rex ad Comitia, cum afferuntur ab Vilna Hæreticorum querelæ, Iesuitas seditiosos, autoresque turbarum. Ex mandato Carminatæ Visitatoris cœpta erant in Pentecoste tradi per compita, ac fora, principia fidei Christianæ, Lituanice simul, ac Polonice, quinque ad eam rem Catechistis varia in loca dimissis. Quorum vnus dum extra portam vrbis cum puerorum, & rusticorum magna corona carmina Sanctæ legis cantillat, Hæretici lapides in eos per quoddam muri foramen iactitant. Tantisper quieti Catholici, vix à Fratre Catechista dimissi, in domum lapidatorum, item cum saxis, inuolant. Accurrit Frater, & cohibet; tamen querelæ ad Vicarium Præfecti (Vicecapitaneus illis est) hæreticum hominem, denique ad ipsum Regem Varsauiam deferuntur, cum precibus, vt iubeat ab triuiali illa abstineri doctrina, alioqui & seditiones cieri, & Ministros idem facturos. Verum vbi rem totam cognouit, pro sua sapientia respondit Rex, Bellum enimvero argumentum, Iesuitæ docent publice Christianæ Doctrinæ rudimenta, sunt igitur seditiosi. Ac doceant sane Ministri quoque sua dogmata in plateis, nunquam committent illi, vt id amplius, quam semel aut iterum agant, si desit argenti lucellum. Tum iussit bono animo Patres laudabile suum incœptum persequi. Comitijs iam affectis, annoque præcipiti, adfuit Posseuinus iterum ab Italia, Legatum Moscum, & Comites, perhonorifice ab Italiæ ciuitatibus, atque Principibus, præsertim ab Gregorio Pontifice, acceptos reducens. Perbenigne quoque Rex Stephanus accepit, donis ornauit, & abeuntibus viæ ductores addidit. Addidit & Posseuinus Gregorij Pontificis, suo-

90 Conuersio ex schismate Catharinæ Ducis Slucensis Et eius in Societatem beneficia.

91 Fundatores Collegij Lublinensis opibus, & honoribus aucti.

92 Maledici ob trectatoris pœna insignis.

93 Neglectæ diuinę vocationis pœna

94 Hæreticorũ Vilnensium iniustas in Societatem querelas Rex contemnit.

95 Reditus Posseuini ex Italia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suoque nomine dona, & ad Ducem Magnum literas, atque ita demum perbeneuolos, lætosque dimisit. Noua ferebat mandata à Pontifice Posseuinus, vt condendis Nationum variarum Seminarijs Vilnæ, & Claudiopoli, insisteret, componendisque controuersijs, quæ Stephano Regi cum Cæsare, ac Rege Sueco restabant. Adhuc quatuor de Societate reliqui erant in Suecia, in conseruanda, excolendaque Reginæ, ac Principis pietate ante omnia occupati. Tentauit P. Simon Nicouius animum Ioannis Regis, adhortans vehementer ad ea prosequenda, quæ paulo ante tanta cum gloria sua, & Catholicorum Principum voluptate occæperat. Verum is prætendens ignauiæ suæ, seueritatem Romani Pontificis, scilicet quod ipse non recte petierat, dolens ab eo sapienter negatum, quanquam non longissime à salutis via distaret, per auia tamen erroris, & exitij abrupta pergebat. Cæterum postulanti Reginæ, quod ante pernegauerat, sacellum in eius, & Catholicorum vsum concessit. Interim Benedictus Erbestus ex Collegio Iaroslauiensi, iam aliquot annis, adeo fructuose peragrabat partes Russiæ remotiores, Podoliam, Pocuciam, & finitimas regiones, vt omnium primorum Patrum iudicio censeretur, Apostolicam vitam peragere. Tam multa præclare faciebat: adeo multas subleuabat animas: adeo vbi non essent Sacerdotes, eorum vices supplebat: sobrietateque, atque humilitate sua omnibus erat exemplo: Socijs duntaxat paulo interdum grauior, qui tantam viri seueritatem assequi non poterant.

96 Ioannis Sueciæ Regis in Religionis studio repor

97 Benedicti Erbesti res præclarè gestæ.

Oliuerius Manareus hoc quoque anno in Germaniæ superioris recognoscenda, ordinandaque Prouincia versatus est: qui cum per æstatem Cæsarea Augustæ Comitia haberentur, interim iussus ea in vrbe consistere, in conseruanda Societatis disciplina prudenter operam posuit. Prohiberi non potuerat, quo minus multi Principum, homines de Societate secum ducerent, vsui futuros si religionis negotia tractarentur: quos cum apud se diuersari etiam vellent, Oliuerius ipsosmet Patres admonuit, vt suam Societatisque causam susciperent, ac Principibus explicarent, quam parum deceret, vbi Ordinis sui Collegium esset, alieno diuersorio vti: quanta sermonum materia externis, quam lubricum exemplum domesticis præberetur. Hi rem fideliter exequuti, facile Principes exorarunt. Nam plane ita res habet: tantum is, qui opera tua vtitur Dynasta, ab religiosa te semita abducit, quantum ipse te das: non enim aulicum, sed adiutorem optat: neque ægre persuadetur, quanto melior ipse tibi fueris, tanto etiam opportuniorem vsibus suis futurum. Porro ad felicem Comitiorum exitum à Deo implorandum, nunquam in Collegio à precibus, Sacrificijs, voluntarijsque pœnis cessatum. Tribus etiam in Templis habitæ conciones, in æde principe, & ad Sancti Vldarici germanice, Latine in æde Sanctæ Crucis, quas vel Hæretici auditores probabant. Quadraginta item horarum supplicatio in Collegij Sacello instituta, Ludouico Cardinali Madrutio Pontificis Legato, & Internuntio Francisco Bonhomio, Antistite Vercellensi, autoribus: quam supplicationem Catholica omnis Nobilitas, perpetuusque Episcoporum, & Archiepiscoporum celebrauit concursus. Guilielmus vero Bauariæ Dux, & coniux, cum sæpius adiere, tum complures semper horas precationem continuarunt. Idem Madrutio Cardinali, Archiepiscopis Electoribus, alijsque permultis humana seu diuina potestate eminentibus viris, conuiuium præbiturus, Collegij triclinium legit. Et sane omnium fere Germanorum Principum erga religionem pietas, & nostrum Ordinem benignitas, eo tempore perspecta est, cum circa Collegium multitudine curruum intercluſum ægre vsquam iter pateret: eo maiore Augustanorum Hæreticorum admiratione, ac dolore, quod cum ipsi ea tempestate, vel viginti partibus Catholicos numero superarent, Ministrorum templa nullus Hæreticorum Procerum adire visus est. Sparserant illi rumorem, simul ac Saxoniæ Dux Augustam ingrederetur, Iesuitas exterminandos. Verum modestia eius Principis longe eorum opinionem fefellit. Nec modo exturbati Iesuitæ non sunt, sed multis beneficijs ornati: ac præterea quatuor distributa in classes auditorijs admodum plenis lite-

98 Oliuerius Manareus Collegia Germaniæ superioris visitat.

99 Efficit ne nostri Confessarij Principũ extra domos nostras diuersentur.

100 Pia Religionis opera tempore Comitiorum Augustæ habitorum.

101 Catholicæ Religionis in vrbe Augusta splendor.

Apertæ Societatis ibidem scholæ.

literarum disciplinis cœpta iuuentus instituti. Friburgi quoque gymnasium apertum, & quidem ædibus ad eam rem ab Senatu magno sumptu comparatis, quæ demortui ante Senatoris fuerant, qui acerrime omnium Friburgensis Collegij primordia oppugnarat. Adeo præter opinionem hominum res exitum sortiuntur. In præclaris ab hæresi receptis prædis Gaspar Eisingrenius fuit, vtriusque iuris doctor, præstantissimi Theologi Martini Eisingrenij Frater: qui cum viuo germano nunquam potuisset ad erroris eiectionem adduci; postquam ille vita concessit, multas terrarum oras peruagatus, multas formas scrutatus errorum, nusquam cum pacem animi reperiret, Dilinganorum Theologorum colloquijs, ac disputationibus incitatus, tandem se in potestatem veritatis asseruit. Rebus huius Prouinciæ constitutis, relictoque Prouinciali eius Georgio Badero, ad visendam Austriam Oliuerius extremo anno transmittitur. Hic vero negotium animarum non modo in Collegijs, sed etiam peregrè, & in stationibus strenuè exercebatur, Pilsnæ, Vratislauiæ, Leithomislis, cumque successu lætissimo Nichelzpurgi. In Rheni Prouincia dum Coloniæ ad extruendum templum de coëmendis vicinis ædibus agitur, præter spem offertur exiguum quoddam, sed in proximo situm Cœnobium Virginum, S. Acatij nomine. Erant in eo velatæ Virgines quinque, olim sub Diui Augustini legibus: sed cum alterius Ordinis Confessario vterentur, ad alienos quoque mores paulatim deflexerant: quod fuit grauis dissidij materia, alijs iam Sancti Augustini, alijs Sancti Dominici præoptantibus instituta, atque adeo ne vno quidem, & eodem à confessionibus Sacerdote contentis, quem postremo è secularibus legerant. Cum igitur conciliari non possent, in id sponte conueniunt, vt ad alia se eius quem, quæque malit Ordinis Monasteria transferant, Cœnobio quod incolebant diuendito. Quam in rem Archiepiscopus, vbi concordiam frustra tentauit, eo consilio maxime consensit, vt Cœnobium cum Templo Societati emeretur. Ita XVII. Kal. Octobris Godefrido Groppero S. Gereonis Scholastico, & Conrado Vipermanno S. Seuerini Decano, quibus id negotium Pontifex commiserat, alijsque quos iura exigunt, præsentibus, inita possessio est: biduoque post edito campana signo, in Monasterij templo diuinum Sacrificium factum. Iam Consules de re tota admoniti erant; tamen Senatus prætendens inscio se ea gesta, paulo post iubet Templum occludi, nec ante reserari, quam cognouerint, numquid contra sua iura commissum sit. Adhibita contestatione, ne quid ea res Sacro iuri officeret, modeste Patres obtemperant. Octauus mox dies Iduum Octobris cum instaret, qui dies Templi Patrono est sacer, venia templi aperiendi, ne priuata causa videretur tota ciuitas plecti, benigne impetrata, exinde sine vllo vnquam impedimento, sed communi omnium gaudio, & fructu libere patuit. Obiecturi se se, & Parochi videbantur; iamque cœtus ob eam causam inter se agebant, cum rumor de Archiepiscopo, quem statim res confirmauit, emanat, Nuptias eum, & Caluinismum meditari: eaque communis periculi alea Parochos intelligentes, quam tali rerum articulo Catholicos consentire Magistros oporteret, magis, ac magis Societati coniunxit. Archiepiscopus Treuirensis Confluentini Collegij institutionem absoluit, & discipulos, quibus hoc anno Collegium patuit, seculari potestati exemit. Iulius Herbipolitanus Antistes Academiam, quam Herbipoli, seu condidit, seu longo post interuallo restituit, ineunte anno publicauit per Franciscum Rapedium Collegij nostri Rectorem, alijs de Societate Oratoribus, alijs disputationum, quæ sunt habitæ, præsidibus. Verum non parum negotij Collegio bonus Antistes fecit, dum eius partem ad Academiæ amplificationem inuadit, & noua nostris Gymnasijs onera conatur imponere, tanquam ius debitum exigens, vt vel in Academia publica Theologiam nostri Præceptores, vel in nostro Gymnasio externi docerent. Suum parentem amantissimum Collegio Moguntino Archiepiscopum Daniclem, qui Elingestadianum quoque Collegium inchoarat, moriendi necessitas rapuit. Sedenim, qui ei successit Volfangus Dalberger, non in cætera magis cura, quam in his Collegijs promouendis

102 Friburgi Gymnasium apertum.

103 Conuersio Doctoris illustris.

104 Lustratio Prouinciæ Austriæ.

105 Coloniæ domus cum templo Societati parata.

106 Parochorũ cum Societate coniunctio.

107 Confluentinum Collegium apertum.

108 Difficultates Collegij Herbipolensis.

109 Archiepiscoporum Moguntinorum in Societatẽ fauor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Danielem repræsentauit ; cum diceret se non venire soluere, sed adimplere: professus insuper ea esse tempora, vt vel omni ope aduocare Societatem, si forte abesset, oporteret. Impetrauit sua mirifica diligentiâ Ioannes Argentinensis Episcopus ab suis Canonicis, vt quæ ad Collegium Molshemij instituendum addicta erant, confirmarent. Hic vero sæuiens pestilentia sex de Societate fideles Domino, vtiles Ecclesiæ operas abstulit. Rector Collegij Iacobus Enfelderus, ab Ioanne Antistite accersitus Tabernas (quæ Diœceseos Argentinensis Ciuitas est admodum celebris, prope Molshemium, itinere quatuor horarum, & totidem prope Argentinam) perutilem populo nauauit operam: adeo vt perpetuam ibi sedem figi vehementer omnes optarent. In Brunsuigia præclare collocabat labores, præsertim apud Ericum Ducem eiusque coniugem, Landestrostij Gerardus Lapidanus, cum ad quietem, & fructum fidelis sui famulatus vocatur in Cœlum: non modo modestia, & morum grauitate omnibus carus, sed etiam ob præcipuam quandam vim aduersus Dæmones, quos è multorum corporibus eijciebat, mirandus. In eius locum Antonius Monrealis successit. In Paderbonensi statione etiam ingruente pestilentia perseueratum, ne locum nacti Hæretici sua impunius venena dispergerent, & omnia occuparent. Quin etiam cum Scholæ publicæ moderator, Caluinista Ludi Magister decessisset, vrsere Canonici, vt substitueretur, dissimulato tantisper habitu, de Societate præceptor, ne aditus Hæretico rursus vacaret. Quæ visa est eo æquior postulatio, quod quandiu supereesset Episcopus, ipse hæresi implicitus, nec deseri omnino illum gregem in lupi faucibus oportebat, nec apertius licebat, aut Canonicis, aut nostris agere: auctus igitur ad modici Collegij formam Sociorum numerus, quibus Stephanus Loën præfectus. Prouincia Belgica etiam num lacera inter belli calamitates, vt potuit se se, suosque labores in aliorum vtilitates sustentauit. Leodij inchoatæ literariæ exercitationes. Valencenis Eleutherius Pontanus cum aliquot Socijs tanquam in statione versatus. In Castris regijs sæpe Ioannes Mortagna, & ex Italia missus cum Hispano milite, Michaël Hernandus, cui additus è Mussipontano Collegio Iacobus Sancius, vtiles ærumnas exhausere: è quibus Bartholomæus Spinosa Laicus, Michaëlem ex Italia comitatus, breui vitam exhausit; Sancius grauissimo in omnem reliquam vitam debilitatus est morbo. Personius tota hyeme Rothomagi exacta perfecit, ediditque quæ in manibus habebat ad Catholicorum adiumentum opuscula. Qui cum Augum ad Ducem Guisium forte venisset, locum notauit ob paucarum horarum inde traiectum in Angliam, mire opportunum Seminario, in quo Angli tenerioris ætatis, & Latinitatis rudes, edocerentur. Nam eius Doctrinæ facultas cum Rhemis non esset, perincommode Mussiponti nonnullos haberi ab Alano cognorat. Eam rem Guisius Dux, Claudij Matthæi Prouincialis commendatione incitatus, non probauit modo, sed etiam cum Societati nouum magna ex parte Collegium extruxisset, partem veteris domicilij, Anglorum vsibus dedit, additis in singulos annos aureis quadringentis. Id tertium natio Anglicana in suo hoc exilio habuit Seminarium; cuius demum dissipati dolorem, quemadmodum aliorum institutione Deus lenierit, in loco reddetur. Ipsa in Anglia sub anni exortum, quam cum maxime Catholicorum res premebatur, ducibus impietatis ad eum motum, quem Campiani, ac Sociorum gloriosa mors excierat, restinguendum multiplicato terrore grassantibus. Vallingero ob scriptum in Campiani laudes Carmen, aures abscidere: idem in Henricum Valpolum ob causam eandem parabant; sed is tempestiuo discessu maturiori se palmæ reseruauit: nam demum Religiosus de Societate agonem consummauit. Interim Catholicos maxime angebant frequentes (quod in omnibus persecutionibus vsu venit) succumbentium lapsus; tametsi per Dei benignitatem longe superabant constantes. Tamen quia nonnulli Roma reuertebantur, qui virtutem in ipso Collegio haud satis probarant, admonendum ea de re Collegij Rectorem Agazarium Personius censuit, vt remedij via inueniretur. Cumque ille respondisset se ex ea mittere copia, quam haberet;

110 Molshemien se Collegiũ pestis afflictum.

111 Labores Sociorum cum alibi tum Brunsuigiæ vtiles.

112 Mors Gerardi Lapidani, & eius laudes.

113 Paderbonæ Ludimagister è Societate.

114 Scholæ Leodij apertæ Residentia Valencenensis.

115 Missionis Castrensis incõmoda, & fructus.

116 Anglorum Seminarium Angli fundatum.

117 In Anglia persecutio atrox.

118 Lapsus quorumdã, aliorum constantia.

ret; neque eos, qui studia percurrissent, seu posse, seu velle alibi detineri, diligentius exinde cœpit haberi delectus, vt non nisi, quam probatissimi in Seminaria mitterentur, & Romam præsertim non nisi quorum ætas duodeuigesimum attingeret annum, quartum & vigesimum non excederet: cum minor nimis longum disciplinæ cursum requireret, maior obdurata in suis moribus, ægre nouos indueret. Londini reliqui vndecim ex ijs quos anno superiore perduellionis damnatos, hoc est designatos ad palmam, diximus, magna constantia perseuerabant, mortem in dies expectantes; cum Hæretici magnis promissis insisterent, vt eorum Ecclesias sustinerent, vel à limine, salutare. Quas pollicitationes ne repulsa quidem paulo humaniore Athletæ dignabantur. Interim Ioannes Nicolaus scelerum exagitatus conscientia, ad Chirbæum in carcerem vadit: fatetur se ingratissime, & mendacissime egisse, paratum, vel capite satisfacere: aditurum Valsingamum, & omni eos suspicione proditionis quantum in se sit, liberaturum. Cumque Chirbæus id serum fore diceret, quando iam condemnati sententia publica essent, librum ille editurum se pollicetur, quo Sledæi, & aliorum falsorum testium mores, & scelera describat: & adit postridie Valsingamum, & incipit purgare damnatos. Hic misere torqueri, furere, execrari; tandem Nicolaus Londino amandatur. Capti sub hæc è Seminario Anglo Romano tres Sacerdotes, Arthurus Pittus, Georgius Haddocus, & Bishopus: illi Londini simul, Bishopus ipso in portu: qui interrogatus, quod vitæ genus profiteretur, Mercaturam cum respondisset, instantibus quarum mercium, obticuit: ac rursus vrgentibus, plane fatetur Sacerdotem se esse: posteroque die ad consilium Regium ductus, constantissimam fidei confessionem fecit. Alij postea super hos capti. Erant, quibus tanta simplicitas tot inter fraudes non placeret. Sed enim volebat Deus palam fieri recenti Athletarum sanguine, quàm non extincta antiqua illa pietatis Anglicanæ vis ad cœptum fortiter persequendum, sed vehementius incitata esset. Nec dissimulabant aduersarij eo spectaculo luculentam, & insanabilem aceptam plagam. Iam protestantium, quibuscumque ingenium paulo erat moderatius, admodum æquos Catholicis se præbebant, duplicem, vt profitebantur, ob causam, tum propter fiduciam, qua disputationis aleam continenter aduersarijs offerebant, quam detrectari ab illis compererant, tum propter Campiani, ac Sociorum cædem, quam persuasum habebant, iniustam fuisse. Omnes denique affirmabant Catholici iuxta, atque Hæretici, vitas eorum, vel ad centesimum vsque annum productas, tantum causæ prodesse nunquam potuisse, quantum profuerat breuis, sed gloriosa mors. Multi, inquit, Personius perstiterunt intrepidi, & constantes postea, qui antea timidi fuerant: nonnulli se Ecclesiæ Catholicæ adiunxerunt: infiniti de parte contraria dubitare cœperunt: & Catholici omnes in vinculis, & in persecutione tanta lætitia gestiunt, & exultant, vt nihil eorum sentiant, quæ patiuntur. Nunquam tam frequentes, tam copiosæ, tam deuotæ fuerunt Missæ Londini, quam hodie omni fere in Angulo celebrantur. Populus Catholicus intrepide offert se periculo, & cum lictores, & inquisitores veniunt, fugiunt Sacerdotes ex vna domo, qui possunt, & sacra statim faciunt in alia. Cum pertrahuntur ad carceres, ibi etiam reperiunt modum, quo Sacrificium Sanctum persoluant: ita fit, vt persecutores indignatione, & iracundia fere rumpantur. Infinitus est numerus librorum, dialogorum, disputationum, carminum, dicteriorum, quæ facta fuerunt, & edita, partim impressa, partim scripta in laudem horum Athletarum, & vituperationem aduersariorum: quibus omnia, quæ circa eos contigerunt tractata sunt, comprehensiones, vincula, tormenta, disputationes, iudicia, responsa, condemnationes, & mortes ipsæ. Aduersarij fremunt; sed frustra: ipsi enim pueri resistunt eis in faciem, & exprobrant crudelitatem in seruos Dei. Duo reperti sunt nuper in Academia Oxonienſi, qui carmina publicauerant ætate ferme pueri, alter virgis cæsus fuit, alter vero aufugit. Is qui custos priuatus fuerat Patris Campiani in Turri Londinensi, iam zelosissimus est Catholicus, cum

119 Delectus Alumnorum Seminarij Romani.

120 Solicitationes Confessorum vanæ.

121 Tres Sacerdotes capti.

122 Hæretici æquiores Catholicis facti

123 Mors Campiani ad fidei commendationem vtilis.

124 Et ad Catholicorum constantiam, & feruorem.

125 Ad conuersionem quoquæ Hæreticorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum antea in hæresi obstinatus esset. Cæterum custodes mirabiliter sunt mutati, & produnt in dies multa in laudem, & admirationem eorum, qui sunt mortui. Hæc, & alia multa in eandem sententiam scripsit Personius Kal. Martij. Sub id tempus Osburnus, Croderus, & Ioannes Painus in hostium manus delapsi, cum primus nonnihil cessisset, reliqui duo tormenta constantissime passi sunt. Et Painus quarto nonas Aprilis Chesordiæ in Prouincia Susexiæ mactatus, cum supremis pene verbis iussisset suo nomine ab Regina peti, vt abstineret tandem ab crudeli effusione sanguinis innocentissimorum hominum; alioquin eam rem exitio illi certo futuram. Cæterum non id curæ erat Elisabethæ, ac reliquis sectæ principibus, quemadmodum sacro Sacerdotum abstinerent sanguine, sed quemadmodum suam populo crudelitatem approbarent, ac maiore cum innocentium inuidia atrocius desæuirent. Ea causa summe lubricas, & odiosas vulgo quæstiones excogitant sex, quorum summa eo spectabat; Num à Pontifice Pio dictum Elisabethæ anathema legitimum esset, atque Anglos teneret? Num qua omnino causa Pontifici Romano fas sit populares ab suorum obedientia Principum liberare: sique Anglos aliquando exsolueret, ac regnum inuaderet, vtram ipsi sequuturi partem essent? His quæstionibus, iam superiore anno damnatos Sacerdotes septem aggrediuntur, Lucam Chirbæum, Thomam Cottamum, Laurentium Richardsonum, Thomam Fordum, Ioannem Shertum, Robertum Ionsonum, & Guilielmum Filbium. Nouum, ac sintrahere Maiestatis Theologorum sententias. Nihil vero iniquius, quam fingere pro libidine tempus, & cogere profiteri, quid, si tale aliquando tempus incidat, facturus quisque sit, quod iudiciorum hoc genus? Ergo homunciones vel ad facta, vel præterita cæci, de ijs iudicant, eaque supplicio vltimo vindicant, quæ forte erunt aliquando, forte non erunt: de quibus ne Deus quidem iudicat? Quanquam enim sapientiæ infinitæ obscurum non sit, quid commissurus quisque sit, si certa offeratur occasio, non tamen si ea nunquam offeratur occasio, & præcognitum scelus nunquam re fiat, condemnat. Sed eadem nimirum sapientia æterni Principis tanta permittebat flagitia, vt comprehenderet sapientes in astutia sua. Sacerdotum suorum per hæc non probabat modo innocentiam, sed causa illustrata supplicij, palmas sanciebat. Ad eas captiones cum Athletæ, pars vniuerse respondissent: se esse Catholicos; deque ijs, quod Ecclesia docet Catholica, id sentire, nec verbum vltra addituros: pars singillatim moderate, & prudenter, quæ Cæsaris erant Cæsari, quæ Dei Deo reddituros: tanquam confessis, iam proditoribus pœna repræsentatur, & eadem rursus tentamenta sub ipsum patibulum ingeruntur. Septimo post vsitata genti in perduelles pœna mactantur. Memorabilis fuit caritas Fordi qui cum nec Romæ vnquam, nec Rhemis fuisset, planeque in Anglia versaretur eo tempore, quo coniuratio Rhemis inita fingebatur; noluit tamen explicare apud quos fuisset, quamuis posset inde vitam sperare, ne forte in damna innocentium tale indicium incurreret. At Shertus lætitia sancta gestiens, sublatus in carrum, fixis in Fordum iam pendentem oculis, nullum faciebat finem clamandi; ò Thoma, ò felix Thoma, ò felix anima, ora pro me. Inde conuersis ad Cæli Reginam precibus, deinde ad Dominum IESVM, gratias inter alia egit, quod se ad finem vitæ tam felicem duxissent, vulgo quidem contumeliosum, & execrandum, sibi vero glorioſum, & expetendum. Ad hæc suam testatus innocentiam, quod in Angliam multo ante, quam consilia coniurationis tractata ferrentur, reuertisset, largitusque carnifici, pro grati animi monumento, sudariolum suum cum pecuniola, quæ inerat, suprema voce exclamauit, Ingehennam sine dubio, in gehennam præcipitandi sunt quicumque extra Ecclesiam Catholicam è vita discedunt. Post eum Ionsonus, & ipse grauissime detestatus crimen proditionis, & libere Catholicam religionem professus, cum orare etiam Anglice renuisset, nobile certamen fecit. Decimo posthæc die ad

126 Mors Paini pro fide obita.

127 Quæstiones Catholicis propositæ.

128 Iniquitas eius examinis.

129 Prudens responsum confessorum.

130 Mors trium ex ipsis.

131 Fordi caritas.

132 Serthi vltima dicta.

Item Ionsoni.

133 Quatuor aliorum mors pro Christo.

ad tertium Kalendas Iunij Filbius, Chirbæus, Richardsonus, & vltimus omnium Cottamus, eodem, & loco, & cruciatu, quo priores, contrucidati. Cottamus, vt supra retuli, de Societate erat in Angliam cum valetudinis causa, tum patriæ iuuandæ, regressus, per quam occasionem post tres interemptos, & laqueum euasit. Is ei collo circumdatum, cum de plaustro esset in humum demissus, & vinculis exolutus, supplicij Præfectus ita Dei virum aggreditur; facile intelligimus Cottame, te non eo consilio, quo Socij in Angliam venisse, populum ad seditionem, vt concitares, sed vt valetudinem afflictam reciperes. Næ tu fortunatus es, quod facinorosis hisce hominibus te non adiunxeris. Non est, quod dubites de Reginæ misericordia, Principem plane clementem erga te senties. Quæ Cottamus audiens, videnſque se vinclis solutum, vere sibi donatam vitam existimans, quas potuit maximas Reginæ gratias egit. At Præfectus, nempe hoc supereſt, inquit, vti populo satisfacias, publiceque coniectum in te crimen repellas, clara voce contestans, non eas tibi fuisse causas in Angliam veniendi, quas cæteris condemnatis: verum tibi Papæ consilia hac in re maxime displicere. Hic vero cognitis Hæreticorum fallacijs, & oculis repente in paratam sibi foueam intentis, Christo IESV nimirum in supremo conflictu opportunum lumen, ac robur suo militi infundente: Neque ego sum nocens, inquit, neque quos interemistis, conscij coniurationis vllius in Reginam fuere: sed proditionis nomine, religionis causâ, occidistis. Vestra ista indulgentia ego non indigeo. Procul sit à me, vt vel latum vngem à fide mea, vllius rei gratia, discedam. Mille quin etiam vitas si haberem, citius omnes profunderem, quam vt ab religione Catholica, vel in apice vllo deficerem. Inde Magistratus ad carnificem, quando adeo præfractus est, Age, inquit, & ad Patrem, aspice quid tuo socio fiat: abstractis intestinis Richardsonus in tabula protensus, circa omnibus sanguine oppletis, concidebatur in partes. Quam videns carnificinam Cottamus: Domine IESV, inquit, miserere illorum, miserere illorum, Domine IESV. Eheu, quid spectaculi hoc est? Domine IESV fer opem mihi seruo tuo: da ad finem vsque perseuerantiam. Cum demum ab omnibus quiqui aderant, & cæteris mortalibus, si quid quempiam offendisset, veniam postulasset, & ipse ex animo omnibus dedisset; ac Deum rogasset, vt ab Anglia, quamuis peccata eius grauissimas pœnas promererentur, furorem suum auerteret, & ad bonam omnes mentem reuocaret, agonem consummauit. Cui etiamnum è patibulo pendenti, dum vestes detraherentur, ad carnem applicitum inuentum cilicium est, eo maiore populi admiratione, quo rerum eiusmodi apud hæreticos minor est vsus. Superiorum Athletarum non caput modo amputatum, & extracta intestina, & igni combusta erant, sed etiam discerpto trunco, partes in feruentem aquam iniectas, pauloque post extractas ad vrbis portas statuerant, & hastis præfixa capita in Tamesis Ponte collocarant. Quam diram stragem cum populus mussitando execraretur, nec posset sine murmure ferre, tot passim obiecta immanitatis exempla; horum quatuor exustis visceribus, reliquas partes, vt maleficis, & latronibus fieri mos est, eodem in loco iuxta patibulum terræ mandarunt. Qua re nobiles Catholici animaduerta, furtim sacra illa pignora abstulere, non ad Angliæ modo totius, sed exterarum etiam Prouinciarum solatium, ad quas inde peruenere. Nec suis caruere honoribus quos hostes in portis, vel Ponte proposuerant. Adibant hæc loca, tanquam ad sacras stationes, Catholici, pieque preces ibi facientes, ex obuijs, ne quam suæ religionis suspicionem offerrent, dissimulanter, quinam illi perduelles essent interrogabant. Iam superarant ex quatuordecim anno proximo damnatis Iacobus Bosgrauius, Ioannes Hartus, & Eduardus Rictonus, cum Orthono Laico, qui demum omnes varie, diuque vexati, iussi sunt è regno facessere: & Ioannes Hartus in Societatem, quam iam inde ex carcere flagitarat, admissus. Inter hæc Gaspar Heyuodus vnicus de Societate Sacerdos liber, quanquam nequibat tantæ moli par esse, tamen enixe vires contendens, & opinione Doctrinæ commendatus, multorum sustinebat partes. Multum expe-

134 Vita insidiosè oblata Cottamo.

135 Generosa eius verba.

136 Et pia mors.

137 Cilicium in defuncti corpore repertum.

138 Carnificina immanis populo exosa.

139 Reliquiæ occisorũ Christi causa honoratæ.

140 Quatuor in exilium pulsi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

141 Mariæ Scotorum Reginæ de institutione filij solicitudo.

expetebatur à plerisque Personius, & is nihil prius habebat in votis: sed maiora animo moliens, intelligensque rei cardinem verti in Scoti Regis institutione, illuc animo ferebatur. Subdidit stimulos Maria ipsa Regina, quæ cum ad Ducem Guisium dedisset literas, vt cum Apostolico Parisijs Nuntio, Iulio Cæsare Castello Episcopo Ariminensi, & Societatis Prouinciali agexs, aliquot Patres illuc mittendos curaret, ipsummet nominatim Personium, literis Bernardini Mendozæ, vehementer rogauit, vt prouinciam eam susciperet; non esse tempus immorandj scribendis libris, inter cætera monens, cum de Regnorum salute ageretur. Quam in sententiam cum ab Alano quoque literas accepisset, tametsi

142 Personius ad eam curam vocatus

magnitudine operis ad festinandum incitabatur, Crittonij tamen expectandum reditum censuit, vt planius rerum statu cognito, totum certius ordinari, atque efficacius geri negotium posset. Abijt in Scotiam Crittonius initio magni

143 Spes è Scotia bonæ.

ieiunij, & statim post Pascha reuertit in Galliam. Res, vt tum quidem habebant, vix poterant meliores optari, tamen ex leui momento pendebant. Rex adolescens ad Catholicam religionem, præsertim cum singulare Matri profiteretur obsequium, haud ægrè perlici poterat: sed apparebat Hæreticos haud diu passuros administrationem rerum apud Catholicos esse: neque Duci Lenoxiensi erant vires, quibus aduersariorum impetus propulsaret. Hunc rerum statum cum iussisset Dux Crittonium amicis eius, & propinquis exponere, conuenere Parisijs, vt viderent, quid consilij capiendum foret, Castellus Apostolicus Nuncius, Iacobus Glasconensis Episcopus, Reginæ Mariæ Legatus, Dux Guisius, Ioannes Baptista Taffius Legatus Regis Catholici, Guilielmo insumenti, & Gregorio Pontifici, ac Philippo Regi significanda. Eam ob rem Crittonium Romam, Personium in Hispaniam destinant. Summa erat mandatorum,

144 Consilia de rebus Religionis in Scotia.

vt incolumitati adolescentis Regis, & Dobenij Ducis consuleretur, collato auxilio, vnde firmum haberi militum præsidium posset: simulque de prospicienda Regulo Castæ religionis coniuge, quo pronior eius conuersio foret, cogitaretur. Et quoniam duæ Catholico Regi filiæ nubiles erant, ad alteram earum, curam adijci posse. Pontifex vehementer commotus Scotiæ calamitatibus, ac perinde, vti oportebat Omnium populorum Pastorem, affulgente tanta spe, in curam erectus, non solum probauit, suscepitque negotium, sed

145 Pontifex, & Rex Hispaniæ auxilia conferunt sera.

etiam ad idem, vt maximi ad rem omnem Christianam momenti, toto pectore capessendum, suis impense literis Philippum incitauit. Denique ad conflanda Pontifex, duodena Rex aureorum nummûm millia attribuunt: tantumdem consequentibus annis: vel, si opus foret, amplius collaturi; & continuo transmissa pecunia est. Verum, quæ sunt Dei occulta iudicia, & peccata hominum, serum auxilium fuit. Quippe Ministri Hæreticorum, ac Prædicantes assiduè coniectis in Dobenium, Iacobum Stuartum Comitem, & Baronem Setonum oculis, aliosque proceres, qui pro Catholicis habebantur, primum edito scripto, quod Comitis Mortonij examen, ac responsio, nominarunt, huius partes excitare conati sunt. Hominem turbulentum, de quo tanquam res nouas moliretur, supplicium sumptum fuerat, non innocentem modo fingebant, sed etiam virtutis eximiæ. Deinde ita instituere apud Elisabetham, pericula inculcantes instantia: &, nisi obstaret initijs, atque incendium necdum lucens

146 Pulsus è Scotia Dobenius artibus, & scelere Hæreticorum.

opprimeret, impendentia, exaggerantes, vt ea suis, & eorum nobilium opinionibus, qui sibi fauebant in Scotia, profligandum vna cum sectatoribus Dobenium, primo quoque tempore existimarit. Trepide remittit ex Anglia, qui Dobenij Mortonij mors, & administratio non placebat, & excitat in Scotia alios ad coniungendas cum illis vires, qui omnes per venationis speciem eo profecti, vbi Rex erat, Dobenio Regem, administrationemque Regni eripiunt, & necessitatem imponunt in Galliam abscedendi. Ita spes magnarum rerum euanuit: cum iam tum appareret, quod postea factum est, in Regnum quoque Angliæ Iacobum olim successurum, vt ex religione eius, quem idmodum

dum alibi indicaui, si forte ad Catholicos accessisset, totius Albionis salus haud obscure penderet. Etiamnum apud Regem Catholicum agebat Personius, cum Scoticæ rei conuersio nuntiata est. Qua cognita Philippus vicem dolens Scoti Reguli tum ob corporis, tum animi, quibus obsidebatur, pericula; quid iam remedij superesset, negauit se videre: id modo obseruandum, quo res demum euaderet. At Personius propensam cum vidisset ad benemerendum de vtroque, & Angliæ, & Scotiæ Regno, tanti Principis voluntatem, Seminarium Rhemense, quibus rei familiaris premeretur angustijs, & quem ferret in Anglia pietatis fructum, exposuit; duoque ei aureorum millia impetrauit: quæ tanquam de Cœlo demissa Alanus accepit. Parantem inde Personium in Galliam regredi morbus grauissimus (ex quo etiam fama vulgauit extinctum) diu Bilbai, inde Ognati; quo, singulari Ægydij Consalui caritate, deportatus est, ad ver vsque insequentis anni tenuit. Inter hæc Rodulfus, qui fuerat Campiani comes, & in Scotiam Crittonium deduxerat, in Angliam remissus est, valde opportunus Heyuodo futurus ob peritiam locorum, quæ Campianus obire, & ad quæ se recipere consueuerat.

147 Subsidium Seminario Rhemensi procuratum a Personio.

148 Rodulfus in Angliam missus.

Cæterum dum tot ad expellendum ex florentissimis illis Regnis exitialem spiritum erroris tentantur viæ, & machinæ adhibentur, non dormitabat Satanas, nec pro tyrannide sua vno modo, vnoque loco pugnabat. Tantum ciens terroris ipsa in Insula, tantum atrocitatis expromens, non contentus suos armare, & furiare satellites, Catholicorum quoque aggreditur Castra, & quod habet maximè vsitatum, certumque telum, serere inter ipsosmet hostes discordiam parat. Erant Parisijs Angli duo, Carolus Pagettus Baronis Pagetti Frater, & Thomas Morganus ex ea Angliæ parte, quæ Vvallia nominatur. Hi Reginæ Mariæ perstudiosos se se ferebant: verum cum arcano quodam commercio duobus, qui apud Mariam agebant, Secretarijs Nau, & Curlæo coniuncti ab his occultissima quæque rescisceren t, parum fideles habebantur. Quam ob causam ad eam quam dixi consultationem de Scoticis rebus, cum Apostolicus Nuncius eos non aduocasset, vehementer indoluere, multòque magis, vbi conficiendæ rei curam, nulla ipsorum ratione habita, duobus Religiosis demandatam videre. Inde igitur inuidia, vt apparebat, stimulante, in Societatem coorti, & alios Sacerdotes, factionem excitant, quæ Laicorum vocitata est. Opponebant enim se hi Laici Sacerdotibus, ac præsertim Alano, cum dicerent, neque ad ipsum pertinere, neque ad alios Ecclesiasticos res Anglicanas in Aulis Principum Catholicorum tractare, multoque minus ad Iesuitas; sed ad Catholicos nobiles ex ordine Laicorum: quo nomine ad suas partes non paucos trahebant. Et Consiliarij Elisabethæ cognita hac inter Catholicos ipsos disiunctione, vehementer lætati, fouere eam non destiterunt. Accessere ad horum partes, quidam è turbulentis Alumnis, præsertim ex ijs, qui initio Collegij in Vrbe Anglicani dissidium fecerant, interque cæteros Gilbertus Giffordus, & Eduardus Grateleus Sacerdos ante valde Personio deditus: cuius deinde auxilio Giffordus etiam libellum contra Societatem admodum contumeliosum scripsit, & Secretario Valsingamo dedit. Verum molestiam ex paucis his abunde compensauit lætitia ex reliquorum fidelitate, ac fructu. Inter cæteros hoc anno Sacerdotes ab vrbe missos fuit Richardus Barrettus, qui cum Procurator Academiæ Oxonienſis fuisset, dein factus Catholicus, & Romæ in Seminario Anglorum institutus, in Rhemensi Collegio studia aliquandiu moderatus est: deinde Alano ad Cardinalatum euecto, eidem successit, vir pietatis, doctrinæ, ac prudentiæ singularis: ac Societatem iniuisset, nisi perseuerare eum in Rhemensi Præfectura consultius visum foret. At Guilielmus Brokesbeus è prima nobilitate, stirpsque familiæ, post susceptam ditionis paternæ possessionem, alterum, & vigesimum annum agens, animi dotibus, & oris figura Cœli, quam terræ incolis propior, omnia, & simul sponsam, quam ad perpetuam virginitatem, vti ipse faciebat, colendam hortatus est, religioni posthabuit, Romæque inter Alumnos ad annum conuictor versatus, primo ad Societatem, tum in Cœlum ex ea migrauit.

149 Discordiæ Catholicorũ in Anglia.

150 Factio Laicorum dicta vnde orta.

151 Corroboratur admnctione quorumdam.

152 Ricardi Barreti laudes.

153 Guillelmi Brokesbei vita, & mors laudabilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

154 Noua diuisio Prouinciarum in Gallia.

Ex duabus Galliæ Prouincijs factæ tres: addita Lugdunensi, cui Prouincialis Arnoldus Vicinus præpositus, iam pridem ab Euerardo, dum ab eo quoque hæc Prouinciarum diuisio tractaretur, ei muneri destinatus. Longinquitas itinerum, quæ sæpe etiam arma ciuilia, sæpe manantia contactu mala intercludebant, vt laborantibus Collegijs neque succurrere Prouinciales, neque edoceri possent in tempore, procurationem diuidi coëgere. In nouam Prouinciam Collegia sex contributa, Lugdunense, Diuionense, Camberiense, Auenionense, Turnonium, Billomæum. Aquitaniæ quatuor modo relicta: sed duo magnæ molis, Burdegalense, ac Tolosanum, reliqua duo Rhutenense, ac Mauriacense. Franciæ præter domum Professam, & Collegium Parisijs, subiecta Collegia Mussipontanum, Bituricense, Virdunense, Niuernense, Augense. Et Franciæ Odo Pigenatus Prouincialis impositus Claudij Matthæi loco, quem à Confessionibus sibi Rex, verum ita vt ab Societatis domicilijs non amoueret, adlegit. Aquitaniam Petrus Lohierius obtinuit. Decessit Parisijs Pontius Gogordanus in senectute bona ex primis Gallorum Societatem complexus: natus vir, ac laboriosus, & de Gallicâ Societate in primis temporum difficultatibus egregie meritus. Quinque amissi Biturigibus peste, quorum maxime insignis Franciscus Flognius Sacerdos, qui duos menses in solandis, iuuandisque pestilentiâ contactis fortiter versatus, magnum caritatis specimen tori Ciuitati reliquit. Eum fidelis laborum comes ad præmium quoque sequutus est Isaac Torquoy Laicus. His, alijsque raptis, atque alijs præterea decumbentibus, vetuit Magistratus Bituricensis alios in periculum dari: cum diceret interesse reipublicæ vitas eorum tueri. Desideratus est, & Rhutenis Ioannes Houltonius Lotharingus post annos complures in regendo inibi Collegio, & Ciuitate subleuanda impigre, salutariterque productos: itaque inclyta eum decedentem memoria, luctus pene publicus prosequutus est. Multæ per omnem passim Galliam ad Euangelicas prædas excursiones factæ, non quales sunt militares cum strage, ac deuastatione rerum omnium, sed quales esse par est Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: & fructus in Delphinatu maxime constitit. Dux quodammodo in his singulari vir modestia, & humanitate Iulianus Bouclerius. Is celebria oppida Chrestum, S. Marcelli, Dium, & alia quæ Hæretici, vel occuparant proximis bellis, vel commercijs plane corruperant, cum feliciter obiuisset, accersitu Archiepiscopi Ebredunensis cum Valentino Gerardo Ebredunum accurrit. Dumque Gerardus in vrbe, locisque finitimis arma salutis præclare versat, Bouclerius ad oppida, quæ ab ipsis tenebantur Hæreticis gradum facit, magni Melitensium Equitum Præfecti (vulgo Priorem Aruerniæ vocant) literis communitus, sed magis Christi patrocinio fretus, nouam vbique Catholicæ fidei lucem excitans, vel ipsis Hæreticorum Ducibus gratus, nec plane odiosus profanarum vanitatum Ministris. In Oppido, cui Nionum nomen, in Delphinatu, sub Hæreticorum præsidio, Antistitis Vasionensis missu Christophorus Clemensonus præter multos Ecclesiæ restitutos, ita populum vniuersum commouit, vt buccinator Hæreticus, quoniam plane ab concione destituebatur, voluntarium exilium ad ignominiæ fugam sibi consciuerit, ea se miser sententia illaqueans, Hoc est iudicium Mundi, quia lux venit in Mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem. Maior fuit nonnullis audacia, præconem salutis veneno tollere, dein seditionem moliri conatis; vt fuerit Clemensonus aliò transferendus: qui Nemausum in Linguadocia, accersitu Catholicorum, & Armeniaco Cardinali per literas instante, profectus, inter non minora pericula, & frequentes ab Hæreticis contumelias, vberrimæ messis lætitia recreabatur. Trecentos, ac sexaginta Ecclesiæ Catholicæ paucis mensibus reddidit: ingentem vero numerum sacra confessione expiauit eorum, qui ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal, vel nunquam multis annis, vel plane nunquam accesserant. Animi constantiam semper, sed aliquando inter concionandum singularem ostendit. Nam cum in proximo duo inter se Hæretici ferro ad cædem peterent, ex clamore strepitu-

155 Obitus Pontij Gogordani.

156 Duorum peste affectis ministrantium mors.

157 Funus Ioannis Houltonij.

158 Zelus Iuliani Bouclerij

159 Christophori Clemensoni labores fructuosi, & pericula.

160 Intrepida eius constantia.

pituque certantium æque, & accurrentium, Catholici, qui concioni aderant, suspicati vim contra ipsosmet ferri, primo submurmurare, ac strepere, & innuere concionatori finem vt faciat, tum fugam meditari. At Clemensonus interritus castigata eorum formidine, quod cum tandem aliquando moriendum esset, causam, locum, tempusque illud, quæ nunquam opportuniora habituri essent, vellent è manibus amittere, iubet fores occludi, orationemque cœptam pertexuit: statim autem conquiescente strepitu, vehementer tanta sui hortatoris fiducia Catholicorum animos confirmauit. In receptum ab Hæreticis superiore anno Petrocorium Episcopi rogatu, missus ex Burdegalensi Collegio Franciscus Bordæus ab sacro Aduentu ad Pascha, cum Hæreticis haud ita feliciter, verum plane ex sententia rem cum Catholicis gessit. Lætiore etiamnum successu, moraque longiore versatus inter Santones Oliuerius Hamelius. Qui cum per Quadragesimam Castrogeloi in Oppido Nauarrei Principis, Euangelium promulgaret, eam sui concitauit, ac Societatis opinionem, vt alloqui familiariter eum Princeps ipse Henricus voluerit, multa de Societate interrogans, nec alienum ab eâ animum præseferens: quin etiam potestatem eidem fecerit totam suam ditionem liberè, ac sine metu Catholicis concionibus obeundi: vt iam tum apparerent scintillæ eius studij, quo idem postea Rex Galliæ religionem Catholicam, & nostrum Ordinem, magna omnium admiratione, complexus est.

161 Petrocorij res bene gestæ à Franc. Bordæo.

162 Principis Henrici, qui postea fuit Rex Galliæ, in Societatē fauor.

Complures per Hispaniam quoque susceptæ frugiferæ admodum peregrinationes. Et quidem vnius missu Archiepiscopi Burgensis centum octoginta tres aditi, excultique populi. Successu autem notabili Laurentius de Sancto Ioanne vir æquè, & concionator egregius, in Aragonia Prouincia Manresam excoluit. Fauebat filio suo, fauebat suis illis sanctioris vitæ incunabulis S.P. Ignatius: itaque profitebatur Laurentius, siue suggestum ascenderet, siue alia moliretur, occurrente sibi Beati Patris memoria, & flagrantissimo illo eius ardore animarum, ita se commoueri solitum, vt totus ignescceret, studioque simul diuinas late spargendi faces, omnesque inflammandi, omnes Deo penitus coniungendi, totus arderet. Nec ludibrium id teneræ mentis, nec vanus ardor fuit: nam inueteratis perturbatam discordijs Ciuitatem nactus, quas ne Proregum quidem sedare autoritas visque potuerat, vniuersos ita sibi habuit obsequentes, vt quo modo fingere, quam versare in partem libitum foret, summa cum voluptate sequerentur. Itaque non excisa modo odia hominum inter se, sed etiam cum Deo conciliatæ conscientiæ, vitia priuatim, publicequc correcta, exempla deterrima conuersa in virtutis incitamenta: consultum corrogatis pecunijs Sacrorum ornatui: Sodalitates, quæ multæ erant, vehementer promotæ: noua addita sub Sanctissimi IESV nominis titulo, lege Omologeseos itemque Synaxeos menstruæ imposita; in quam Sodalitatem ad mille capitum per Quadragesimam auide conscripta: aliaque in hunc modum gesta tanto cum amore, ac veneratione Ciuium erga nostrum Ordinem, vt appareret quos animos Manresani olim habuerant erga eius Parentem, eosdem in filios conseruare. In Toletana Prouincia vnum recens conditum, alterum solutum Collegium est. Talabricæ conditum, Est vrbs ea prænobilis agro feraci, atque amœno, ad Tagi ripas. Elbora olim, vt creditur, fuit, quæ & Libora dicitur Ptolomæo. Hac tempestate ditioni paret sacræ, ac ciuili, Toletanorum Antistitum. Qua dignitate cum fungeretur Gaspar Quiroga Archiepiscopus idem, & Cardinalis, cupiens Ciuitati suæ, & decus, & præsidium additum, pariterque Societatem iam inde à Beati Ignatij temporibus, quem Romæ familiariter norat, benigne complexus, Collegium Talabricæ assignatis vectigalibus posuit. Cunctari Ciues initio, ac vereri ne plena Religiosis viris vrbe, noua familia commodis priorum officeret. Sed vbi publico in conuentu Societatis rationes Ludouicus Gusmanus, qui primus fuit Rector exposuit, & Cardinalis ipse respondit; esse in animo sibi ita fundare Collegij res, vt materia ad benignitatem potius exercendam suam, quam ad fatigan-

163 Missiones vtiles per Hispaniam. In primis Manresæ.

164 Acta ibi præclara Laurētij à Sancto Ioanne.

165 Collegium Talabricæ fundatum à Card. Quiroga.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam alienam suppeteret, conuersa est Ciuium perturbatio in communem lætitiam. Vbi vero per autumnum Socijs iam quatuordecim aduocatis, præter conciones in templis, & Sacrorum frequentationem, Scholæ tres latinitatis expositæ, & compita Catechesi personare cœperunt, & in custodijs publicis, Nosocomijsque ad animarum leuamentum, & corporum, solicitum ministerium cerni, tum scilicet nullum faciebant finem Deo gratulandi, quod tanta sibi commoditas imprudentibus contigisset. Conducto in domicilio è regione ædis S. Rocchi, qua vtebantur ad sacra, Collegium initio habitauit. Quarto fere post anno in ædes sui iuris migrauit, expleta iam familia ad numerum quatuor & viginti. Permulti nouorum Colonorum Oropesa euocati; ibi enim solutum Collegium est: cuius rei proxime in Generali conuentu Societas Præposito Generali fecerat potestatem. Quippe veteres erant multorum querelæ, nimis angustam ministerijs, quæ profitemur, eam sedem esse: noxium extare exemplum ad materiam offensionum; cum Dynastæ multi, aut Populi in oppida haud minora conditionibus melioribus Collegia accerserent, quibus tamen nec patiebantur communes, nec priuatæ rationes concedi. Ad hæc nihil erat in vectigalibus ad firmitatem æui certum. Super omnia decesserat nuper Franciscus à Toleto, qui ea Collegij initia summa contentione cum impetrasset, ijs conditionum nexibus inuoluta reliquerat, vt cum institutis Ordinis plane pugnarent. Denique Talabricense Collegium surgebat in proximo, quod idem posset subsidio esse Oropesanis. Quæ cum essent, rebus aut Comiti, aut quibus ipse decreuerat, redditis, Oropesa discessum immensis cum populi vniuersi lacrymis, & publica lamentatione, cum multi ante non modo precibus institissent à Deo, sed etiam verberationibus, ieiunijs, peregrinationibusque susceptis, ne illo præsidio priuarentur. Nec intermisere deinceps beneficio Talabricensis vti vicinitatis, eò conscientiæ onera deferentes. Nec demum quieuit Oropesani Comitis pietas quoad iterum, vt dicetur in loco, Collegium impetrauit.

166 Apertum cũ fructu, & gratulatione ciuium.

167 Oropesanũ Collegium solutum.

Necessarijs de causis.

Magnoꝫ dolore ciuitatis.

Idẽ deinde restitutum.

Sæuiente inter hæc Hispali lue pestiferâ, Iacobus Perea è Collegio Xerensi flagrantissimis precibus exorato Prouinciali Iacobo Acosta, ad ægrorum procurationem accurrit. Quo in munere cum singulari constantiâ versatus, posteaquam salubritas redijt, ad suum reuersus Collegium, ex tõleratis ante ærumnis longa tabe consumptus est. Franciscus quoque Rodericius impetrata venia Patribus, qui suas vitas in pestilentium vtilitates exposuerant, ministrandi, dum cum his pia obit pericula, populari morbo, & ipse implicatus, debitam necessitati vitam reddidit caritati. Is ingenio valens decursis Grammaticæ, & Philosophiæ spatijs haud sine laude, indignum se ordinibus sacris ducens, maluit in viliorum operum tractatione consistere, cætera vitâ tantæ humilitati consentiente. Amabat cibum ex inutilibus mensæ reliquijs, vestitu non vtebatur nisi detrito, & assutis ad resarciendum pannis multifariam cicatricoso. In cubiculo eius nihil apparebat nisi peruetusta lodicula: ea pro cultra, eademque si frigus vrgeret, parte super obducta pro stragulo erat. Antequam cæteri ad orationem surgerent iam binas quotidie horas in ea consumpserat. Gaudebat præcipue ægrotantibus inseruire: vnde occasionem, vt dixi, mortis accersijt; relicta domi, foris que præclara opinione virtutis. Famam haud minorem, desiderium longe maius ob interruptas magnarum rerum spes, reliquit Martinus de Vannos Naualcarneri, vbi Socijs præerat, quadragesimo suæ ætatis anno, religiosæ vitæ quintodecimo, ereptus. Insigne dedefat specimen religiosi Præpositi in Madritano Collegio Minister, vigil, consideratus, imperij minimum, laboris plurimum assumens. Si noctu ad moribundos accurrendum esset, accurrere ipse, vt parceret Sociorum quieti: si vilia instarent opera, admouere manum labori: siue purgandæ lances, siue domus euerrenda, siue ministrandum mensæ, aliaque id genus, primus in opere, ac sæpe solus: præcipua solicitudine aduersus hospites, & ægrotos, omne caritatis genus expromens. Demum vbique ex more, præceptoque Sanctorum, rigidi aduersum se Iudicis, indulgentis aduersus alios Patris repræsen-

168 Iacobus Perea peste afflictis Hispali ministrat. Eiusdem mors.

169 Francisci Rodericij virtutes.

170 Religiosi exempla Martini de Vannos.

sentabat affectum. Singulis hebdomadis totam domum reuisens numquid vestium, aut ad cæteros vsus, cuipiam deforet: asperrima sibi, vilissimaque ita legebat, vt modus à Prouinciali imponendus fuerit. Si quod iter faciebat, pedes ibat & emendicans: coniungebatque cum afflictatione corporis Orationem, quam vt extenderet, somnum contraxerat. Sæpe etiam noctis magnam partem orans exigebat in Templo ante Sacratissimum Christi Corpus: & quoties oraret, genibus humi positis perseuerabat coniunctis ante pectus manibus, ore demisso, toto corpore ad venerationem decorè composito; tumque potissimum cum exhortaturus domesticos erat, concipiebat meditatione ignem, vnde audientes, quod facile consequebatur, incenderet. Supremo in morbo accitus Madrito Medicus, ita patientia eius, modestiaque, & reliqua sanctitatis specie commotus dicitur, vt ad venam explorandam genua venerabundus submitteret. Nonis Nouembris rite Sacramentis instructus vsuram vitæ mortalis bono fine concluſit. Quæ potissima ad Societatem eum causa compulerat, propterea enim solebat narrare se eam complexum, quod mutuam inter Socios caritatem animaduertisset, audissetque, qui in ea decederent bonam mortem obire. Nono post die præfinita item sibi viuendi spatia attigit Compluti Antonius Sancius, in eodem Collegio ab anno 1554. quo Societati adiunctus est, in audiendis confitentibus, iuuandis moribundis, redintegrandis amicitijs, cum bono omnium, qui nossent, testimonio, & profectu versatus: magnus vexator corporis sui, quod Ismaëlem appellitabat, Seuerus religiosæ disciplinæ cultor, amabilis simplicitatis, & innocentiæ. Obijt Tarrasonæ, quo valetudinis causa, & ordinandi res Collegij, quod in sua ille patria moliebatur, se se receperat, Ioannes Antonius Carnicerius, qui post vxorem compositam, vna cum filio Societatem ingressus, addictisque suis facultatibus ad Collegij fundum, sub vitæ finem in cæteris cum Deo colloquijs commouit adstantes cum diceret, Quicquid dedisti mihi Domine reddidi tibi. Dedisti facultates, & reddidi. Dedisti filium, & reddidi, ac me insuper, dedi. Supersest Spiritus, & hunc in manus tuas commendo. Pauloque post, suscipe spiritum meum, ingeminans expirauit.

171 Eius pia mors.

172 Antonij Sancij vita laudabilis, & mors bona.

173 Felix obitus Antonij Carnicerij.

Multos Lusitani Patres, sed præcipue nominandos Emmanuelem Aluarium, ac Michaëlem Sosam Cælo dederunt. Emmanuel ex Materia Insula, cum in eam forte expositum valetudinis causa è nauigantibus in Indiam Patribus iacentem in Nosocomio inuisisset, de amico suo, qui Olissippone versabatur interrogaturus, cognita eius sermonibus Societate, statuit ad eam aggregare se se, gratias Deo agens, quod pauperes nactus parentes, facultatem non habuisset, vti iam dudum cogitabat, ex Insula Parisios discedendi. Aduectus in Lusitaniam, à Simone Rodericio receptus est pridie Nonas Iunij 1546. cum ætatis annum vicesimum ageret. Ingenio fuit eximio, præsertim ad linguas ediscendas facto: quarum tres principes Latinam, Græcam, Hebraicam, cum simul Chaldaice, & Arabice, multum sciret, docuit, illustrauitque in Lusitania, eo potissimum consilio in ijs opera collocata, vt editionem Latinam Sacrorum librorum aduersus contumaces, Fideique hostes tueri posset. Extat ars Grammatica monumentum eius latinitatis, quam Præsidum iussu iam grauior ætate, valetudineque attrita conscripsit. Sed multo supra ingenium, ac literas fuit totius sanctitas vitæ. Interque egregias laudes innocentiam, industriam, mansuetudinem, ardens limandæ magis ac magis suæ virtutis studium, obedientia ita celebratur, vt sensus hic, ac sermo notorum omnium esset, Obedientem, quem in sua Epistola B. Ignatius descripsit, viuis ipsum coloribus in se pulcherrime expressisse: eoque in genere multa eius, & dicta, & facta egregia memorabantur. Nec vero dum aliquot annos fuit illi Præsidis cura gerenda minorem in imperando caritatem probauit, quam in parendo semper probasset obsequium. Eboræ paralysi dissolutus extremo Decembri vinculis mortalitatis exemptus est. Paulo minus anno Emmanuelem ætate, ac religione, anteibat, obituque præcessit sexto idus Februarij raptus Michaël Sosa, qui diu

Conim-

174 Emmanuelis Aluarij in Societatem vocatio.

175 Ingenium eius studia, & labores.

176 Insignes eiusdem virtutes.

Moritur Eboræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

177 Michaëlis Sosæ laudes.

Conimbricensis Collegij Rector, tum Visitator Prouinciæ, & Vicarius Prouincialis, demum Conimbricæ iterum Collegij Rector vitæ pensum absoluit. Ad eam peruenerat teneritatem affectus, & pietatis dulcedinem, vt multas quotidie horas, siue sacra faceret, siue diuina meditaretur, gemens, & lacrymans poneret. Moribundus id sibi esse inter cætera lætitiæ affirmauit, quod & omnes vnice amaret, & ab omnibus amari se intelligeret. Paulo ante in Cœlum indidem cursum inierat Alfonsus Gilius, ea re plane memorandus, quod quatuor annis in Societate, ædituique munere, ita versatus est, vt in eius ore, ac verbis facile Dei, cum quo familiarissime agebat, præsentiam quiuis agnosceret: atque ipse, quod sibi animam agenti solatio esse maximo dixit, cum multarum fœminarum pro æditui munere voces audisset, ne vnam quidem de facie nosset. Statio Almerinensis multis ante annis iussu Regum in Aulæ adiumentum cœpta, hoc anno soluta est. Iusserat enim Philippus Rex permanere quoad Henrici cadauer ibi defuncti in Regum Lusitanorum Bethlemiticum Sepulchrum transportaretur. Quod cum magnifico apparatu idem Philippus Rex hoc anno præstitisset, quo tempore simul adportatum ex Tingitanis Sebastiani corpus illatum est, nulla fuit eius stationis causa obtinendæ. Dum corpus Henrici exhumaretur, quanquam tertium iam annum multa opertum calce iacebat exanimum, tamen haud sine ingenti omnium admiratione, plane incorruptum repertum est: idque pro honestamento, ac pignore perpetuæ Virginitatis acceptum, quam Leo Henricius, qui Regi olim carissimus, & à confessionibus fuerat, atque ad venerandum illud depositum curandum, ornandumque accitus aduenerat, in eo sibi compertam asseuerauit. Sotcios Collegij Angrensis in Insula Tertia, quæ Domini Antonij partes sequebatur, post diutinam vexationem nauibus duabus Antonius iussit quinos imponi, asportandos in Angliam. Nauis, qua Sacerdotes Petrus Freires, & Ioannes Lopius Collegij Minister, cum Petro Diazio, Garzia Consaluo, & Petro Georgio Laicis vehebantur, tempestate ab cætera classe abiuncta, incidit in duo nauigia Belgica. Tum Lusitani ad triginta, qui simul exportabantur, de sua, ac Patrum nostrorum redemptione cum Anglicano Nauarcho egerunt; cumque Belga, vt exceptos in aliquem Lusitaniæ portum exponeret. Cumque haud difficile cum vtroque conuenisset, stetissetque fides, in Sangrensi Algarbiorum portu expositi Olisipponem feliciter peruenere. Appulit, & ab Insula S. Michaëlis Franciscus Arausius cum Laicis duobus, postquam biennium in ea, intercluso hostium classibus mari, quoddam quasi exilium salutare accolis, laborioſum ipsis pertulerant. Rector Collegij Stephanus Diazius, & Andreas Consaluius presbyteri, Christophorus Gil, seu Ægidius, præceptor Humanitatis, Ioannes à Cruce, & Stephanus Simonius adiutores domestici ministerij Antonam in Angliam, inde Londinum delati, perhumaniter accepti à Legato Regis Catholici sunt, in libertatem asserti, & in Lusitaniam remissi, præter Andream Consaluium, qui ipso die Sancti Andreæ pio fine mortalis exilij, meliorem in patriam cursum direxit.

178 Item Alphonsi Gilij.

179 Solutio stationis Almerinensis.

180 Corpus Henrici Cardinalis Regis incorruptum repertum.

181 Socij Angrenses vexati.

182 In Lusitaniam perueniunt.

183 Quidam in Angliam.

184 Mors Andreæ Consaluij.

In Regno Angolæ Paulus Diazius de Nouaez Lusitanus Prætor cum exercitu iter anno superiore institutum versus Cambambiam prosequens, in Mocambam Prouinciam Cambambiæ contiguam est progressus. Ibi consilio habito de ratione belli, cum remissis in Loandam, qui obtinendo loco satis essent, pauci admodum pro magnitudine susceptæ rei Lusitani superessent, visum optimum est statiuis ibi diuturnioribus habendis, daré sedulam operam conciliandis Societatibus vicinorum Regulorum. Nec cœptum successu caruit. Lusitanorum virtus bellica superioris anni perspecta bellis, ac clara per illas gentes famâ vulgata, terribiles eos latè reddebat imbellibus populis, nec minus ijs venerabiles, & amabiles eosdem clementia iustitiaque faciebat. Solicita in primis, nec minus efficax continendis in istarum officijs virtutum militaribus animis, opera erat Balthasaris Barreyræ Sacerdotis nostri, cui magnam apud eos omnes gratiam autoritatemque pepererant præclara, de qui-

183 Lusitani Societatibus Æthiopum opes firmant.

184 Balthassaris Barreyræ vtilis opera.

quibus diximus superiore annali, caritatis eius industriæque specimina, dubijs temporibus grassantis pestilentiæ, gliscentis discordiæ, ingruentiumque hostilium armorum salutariter edita. Ergo illius monitis, primam, vt Christianos decebat, demerendi propitiandique Dei curam habebant. Statis temporibus frequentare Sacramenta, quotidianæ religioni suas horas habere operatas; pacate ac comiter inter se se, temperanter, ac iustè cum Indigenis agere. His modestiæ, ac pietatis exemplis haud paulo plus quam armato terrore proficiebatur in expugnanda barbarie ferarum gentium, quæ fidei, ac lenitatis experimento delinitæ, primum admirabantur, deinde amabant quos horruerant. Interim Barreyra otium pacatum nactus, vt eum suum præstans Diuinæ gloriæ humanæque salutis studium admonebat, obire circumsitos pagos Prouinciæ Mocumbæ, vocareque omnes ardentibus concionibus ad salutem in vna Christi religione cunctis Gentibus positam, non desistebat. Audiuit eum docili animo non semel Mocumbæ Regulus: nec dissimulabat allucere sibi veritatem; nisi diuitiarum, ac deliciarum spinæ, conceptæ sementis bonæ felicem ortum opprimendo morarentur. Adfuit in tempore diuina manus, vitiosæ naturæ, ac prauæ institutionis rumpendis obstaculis salutarem admouens impetum. Inuadit Regulum vehemens morbus, in quo eum pro amicitiâ Lusitani Duces humanis omnibus officijs consolari, ac recreare studuerunt. Ad extremum cum ægri salutem Medici desperarent, autor fuit Prætori Barreyra, vt ad ægrum allegato viro nobili, suo & Patris ipsius nomine admoneret: Tempus id extremum esse constituendæ in tuto salutis æternæ: corpori quo iuuari posset nequidquam hactenus studium impensum, Immortali animæ, nisi Christianæ religionis mysterijs purgetur, sempiternis cruciatibus mactandæ, occasionem hanc postremam consulendi fore. His Regulus auditis, mirâ lætitia gestiens: se vero, respondit, pro ista sui cura Prætori, & Patri gratias agere, quam posset maximas; consilium etiam accipere; & enixè rogare, vt nullam moram sui Christi Sacris initiandi faceret. Accurrit illicò Pater, & remissam vim languoris ægroto reperit: cuius mutationis causam non aliam medici verisimiliorem expediebant, quam repens gaudium audienda prouocatione ad Christi religionem amplectendam rapidè conceptum. Hoc siue initium siue origo leuamenti fuit, cum certè constaret præsens abesse vitæ discrimen, causa nulla idonea properandi visa Patri est, quominus sacri lauacri cerimoniæ congruam præmitteret dierum aliquot institutionem. Ergo aggressus conualescentem sensim informare de dogmatibus, & officijs Catholicæ Professionis, sine vlla difficultate impetrauit à Principe, vtique ad omnia parato, quæ ad mysterium rite perpetrandum oportuit. Primum omnium Idola omnia, quæ coluerat frangi comminuique, & abijci iussit. Tum è grege vxorum, quem patria licentiâ numerosum alebat, vnâ selectâ, cum qua secum renata sacro fonte legitimum Christiano ritu sacri Coniugij fœdus iniret, alias dimisit omnes. Sub hæc Baptismus Principis, visendo, vt ijs locis, apparatu peragitur. Quotquot erant in illis partibus Cathecumeni longo agmine vestibus è serico panno candidis omnes ornati processerunt. Sequebatur Prætor ipse cum flore Christianæ militiæ, ad id ipsum è Castris, quamquam non paruo interuallo dissitis, profectus. Gestabatur ante ipsum conspicuo ferculo Sacra Dei Matris effigies, quam à Barbaris captam, recuperatam ex ipsis nuper manifesto diuinæ opis auxilio, Lusitani gratulabantur (& erat is commodùm dies Deiparæ Virgini natalis.) Peracto mysterio Prætor idem magnificentiâ publici conuiuij popularem celebritatem addidit. Ex hoc spectaculo rudibus populis, & talium inexpertis miro, vix credibile dictu est quantus passim Christianæ amplectendæ religionis ardor extiterit Gentium illarum: Et multi certatim vndique in cathechumenorum album nomina dabant, & qui ante iam dederant magnopere instabant ne sacrum ipsis lauacrum differretur. Responsum omnibus est: iturum per Pagos Sacerdotem nostrum; & vbi quoque in loco Idola confracta euersasque falsorum Deorum vidisset aras,

185 In Lusitanis excolendis.

186 Et in Ethnicis Christo adiungendis

187 Reguli Mocumbæ conuersio ad Christi Religionem.

188 Baptismus eiusdem solemni apparatu celebratus.

189 Multorum conuersiones.

Sacræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacræ Doctrinæ lectiones habiturum, & qui eas satis percepissent, Sacris aquis abluturum. In his occupatum cum maximè Barreyram interpellauit motio Castrorum ex Mocumbà. Nam abundè iam omnibus prouisis, tempestiuum Prætori visum in finitimam Combambiam, expeditionis caput, copias aliquando promouere, vbi quæ deinde gesta sunt, magnam nobis anno sequenti scribendi materiam præbebunt.

190 Goæ quingenti adulti baptizati.

Goæ cursum consuetum, hoc est diuino beneficio felicem, ministeria Societatis tenuerunt: tribus publicis baptismis splendidè celebritatis; per quos, vti & alios varijs occasionibus priuatos, adulti ad quingentos Ecclesiæ aggregati sunt, è maximo numero Cathecumenorum seuero examine delecti, & ijs rectè commissum mysterium, vita fere illorum consequens pura emendataque demonstrabat. Cuius generis in Insula Choram, quam manipulus è nostris ad Goanum Collegium pertinens excoluit, specimen laudabile tria recentium Christianorum millia edebant: quippe qui vndique circumfusi Ethnicis, commercio eorum, etiam cum rei familiaris damno, constanter omnes abstinerent; nec adduci vlla spe compendij, aut alia pellaci conditione, quisquam eorum posset, non modo ad matrimonia liberorum cum ijs miscenda, sed ne ad concedendum quidem cuiquam infideli suis in terris domicilium. adeo superstitionis eiuratæ ipsum contagium horrebant. Salsetæ ad octo millia veterum feruentiumque Christianorum, amplius sexcentis hoc anno, varijs & plerumque pomposis, adiuncti baptismis sunt, fructu non pœnitendo, si quis difficultates reputet quas flagrantia illis regionibus, eâ & superiori tempestate, bella Barbarorum Euangelio grauissimas obiecerunt. Exemplum sit, quod cum in æde S. Archangelo Michaëli Sacra in diem eidem summo Militiæ cœlestis Imperatori dedicatum, lustratio solemnis Candidatorum centum esset indicta, Barbari ea re cognitâ, quintadecima ante condictam panegyrim die, subita incursione templum incenderunt, aris imaginibusque euersis, ac corruptis. Quo ex

191 Coramitarum Christianorum constantia.

casu longè contra votum, ac spem hostium, magis inflammati Cathecumeni magnis omnes animis incubuerunt in restaurationem ædis Sacræ: tantumque contenderunt, vt illucescente S. Archangeli festo nouum è materia Templum staret, arâ & tabulâ velut rediuiuis splendens: in quo destinata cerimonia speciosè peracta est. Multas alias latè vagata per regionem hostilis vis Ecclesias deleuerat, è quibus quatuor hoc anno restitutæ, visendo, vt in illis locis, opere. Inter felices alios Conuersionum successus haud silenda pietas Adolescentuli quatuordecim annorum, nostrorum disciplina ad fidem virtutemque formati: qui cum matrem vetulam seruire seruitutem apud Mauros sciret, clam omnibus ad eam penetrans rationem iniuit eius liberandæ, reductæque in patriam ibique in grauem lapsæ morbum, vt Christo nomen daret persuasit. Accersitus ab eo vnus è nostris qui anum baptizaret, egregiè institutam à filio reperit, vt causa nulla esset mysterij differendi, quo illa percepto læta, & gratulans animam reddidit, maiorem, quam vulgo Matres solent fœcunditatis suæ fructum nacta; quippe illius opera Cœlo regenita, quem vitæ mortali genuerat. Bazaini paratum dudum Cathecumenorum contubernium non solum vltro ambientium admissione augetur, sed eorum etiam conquisitione puerorum quos Gentilium interdum parentum mors orbos relinquit. Hos excipiendi plenum ius nostris Prætorum Edicto tributum est. Quatuor hoc anno bonæ indolis pueri per eam occasionem magna sua voluntate Cathecumeni primum, deinde Christiani sunt effecti: frustra impedire conantibus affinibus ipsorum. Quatuor à Bazainensi Collegio dependent nostrorum Residentiæ, Fanaensis, S. Trinitatis, S. Ioannis, & Bandorensis, in quibus cunctis contentioni laborum frugis felicitas respondet, Gentilibus supra nongentos partim baptismo initiatis, partim ad illum proximè dispositis. Cocini inter Infidelium non minus centum adiunctionem ad Christum, notabilis extitit conuersio Familiæ Hebrææ locupletis. In Tribus Residentijs Cocinensi contributis Collegio, res item Christiana strenuè nec infeliciter gesta. In prima Vaipiccotana veteres

192 Cathechumenorum ardor in restaurando templo.

193 Exemplum egregiæ pietatis in adolescentulo.

194 Pueris orbis cura vtiliter impensa.

195 Nongenti conuersi Bazaini.

196 Cocini res feliciter gesta.

Chri-

Christiani inde ab S. Thomæ prædicatione Religionis Originem repetentes à Nestorianis deinde supersparsis zizanijs purgabantur, non difficili docilitate. Regnum Mutertis, altera Cocinensium Nostrorum statio, & lætas in præsens fruges, & lætiores in posterum spes, præmia simul, & inuitamenta culturæ reddebat. Annis duodecim negatam ab Ethnico Rege Templi Christiani extruendi potestatem, ea demum liberalitate impetrarunt Patres, vt moræ pretium constaret. Materiam ad pium opus ex lucis Pagodum (Deorum gentis id nomen est) vltrò Rex attribuit, edictoque permisit, vt qui è suis vellet, Christi Religionem profiteretur, cumque id non pauci fecissent, ad eorum mores coercendos, & peccata punienda, regiam suam Rectoribus Ecclesiarum autoritatem delegauit. Postremò cum Templum non minori ferè Gentilium, quam Christianorum studio perfectum, visere voluisset ipse Rex, & formam impensè laudauit, & adijci de suo, quæ Domum Dei decerent ornamenta iussit. Commodùm in extremum Nouembrem ædificij perfectio incidens, inuitauit, vt imminens S. Andreæ dies solemni dedicationi legeretur, & ipse B. Apostolus ædis nouæ Patronus fieret. Probauit Cœlum humana consilia. Multæ ad inuocationem S. Andreæ miræ res effectæ: quibus, Ethnicis quoque opis eius implorandæ fiducia nasceretur, euentis vota æquantibus. Fuit qui licet adhuc Christi Sacrorum expers, iactura consternatus rei pretiosæ, voueret certam pecuniæ summam D. Andreæ oblaturum in nouo templo, si pignus amissum reperiret. Mox re quam anxiè, & eatenus frustra quæsierat, facile reperta, pecuniam promissam ritè persoluit. Inter eos, qui in æde nondum omnibus partibus absoluta, opus mercede faciebant, Faber fuit lignarius patrijs adhuc superstitionibus addictus. Is è pago longiusculè distante, cum aliquot ante noctem horis reditum expediret domum, causatus pericula itineris nocturni per regionem tali tempore feris infestam, rogatus ab Lusitano ædificij curatore est, horam vt adhuc aliquam labori daret: ac istum quem diximus obtendenti metum, nescis, inquit, quam potens sit, & in suis clientibus tuendis efficax S. Andreas cui nauas operam. Ita persuasit, vt laborem in vesperam duceret. Euntem deinde sæuissima serpens, illarum gentium terror, adorta ex insidijs, crura incedentis implicuit, pernicie humanitus ineluctabili. Consternatus miser clara voce S. Andream implorat; ac statim immanis feræ se nexibus innoxie solutum gratulans sensit. Piscatoribus quoque, quasi memor exercitæ olim artis, propitium se se Beatus Apostolus probauit. Iactarant illi retia per diem Christiano ritu festum, cuius religione se teneri Gentiles adhuc non putabant. Sequebantur autem opportunitatem temporis, vt notis è signis autumabant, prædæ faciendæ commodi. Porro cum die toto frustra sudassent, vacui, & indignantes, noui Templi viciniam, superstitiosa suspicione, quæstui suo infestam accusabant. Audiuit forte Sacerdos noster: & male, inquit, agnoscitis infortunij causam. Non alia est, quam quod diem religioni sacrum male feriati profanastis. Cras adeo si lubet experimini, die profesto: quantum vicinia Sancti Andreæ prosit felici piscatu sentietis. Nec fiducia Patrem, nec spes ei credulos fefellit. Postridiè retijs iactis ingentem prædam corraserunt. Latèque gratulationem suam, vt est garrula lætitia, cum vtili Christianæ religionis commendatione celebrarunt. Hinc adeo creditur breui futurum, vt non minus hæc S. Andreæ, quam Tertia Cocinensis item Appendix Collegij, S. Iacobi in Paluce nostrorum statio, totam regionem suam plenâ Indigenarum conuersione Idolorum sordibus expurget. Est aliud vetustius S. Andreæ Templum in Ora Trauancoris, in quod suum odium Satan bina hoc anno Barbarorum vastatione declarauit. Sed non minus constans Fidelium pietas, toties in eius restaurationem operam impensamque prolixè contulit. Totâ in hac Orâ Ecclesias quatuor, & viginti nostri habent; in ijsque excolunt Christianos ad nouem millia; quibus erudiendis, & in fide, ac morum probitate continendis difficilem nostri Prouinciam habent; non tam ob eorum multitudinem, ac ruditatem, quam ob Tyrannorum Gentilium vndique illis imminentium assiduas in eos grassationes.

197 Rex Mutertis Christianæ legi fauet.

198 Miracula S. Andreæ.

199 Christianæ rei status in Ora Trauancoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

200 Christianorum feruor in Ora Piscariæ.

In Ora Piscariæ consuetæ sedulitati nostrorum fructus hoc anno consentaneus constitit: non in cultura modo Christianorum, qui suum profectum auida exceptione Verbi Dei, religiosa frequentatione Sacramentorum, miris interdum exemplis conuersionum diu desperatarum, & præteritis offensionibus abolendis pari publica pœnitentia, sæpe vltrò testati sunt, sed in conciliandis etiam ad docilitatem fidei duris Infidelium mentibus. Ne nihil ex illa generalitate singulariter euoluam, quod vasta operis moles compendium facere in his admonet, commemorare sufficerit probatam successu religionem figendarum in vijs aut montibus ad venerationem Crucium.

201 Cruces ad veneratione fixæ.

Ad multa eiusmodi conspicuis in locis hoc anno posita salutis nostræ signa constat non Christianos solum sed plurimos quoque Gentiles pie conuenientes munera detulisse. Beatæ quoque Dei Matri celebre, vt in illis locis Templum Tutucuriri, quod primarium in illo tractu est oppidum, magna impensa conditum, hoc anno magna religione consecratum est. Curatum etiam impensè publicum valetudinarium, ad quod è regione illa vniuersa inopes ægroti deportantur. Agebant apud Regem Mogoris latissimi inter Gangem, & Indum Imperij potentem, cum Rodulfo Aquauiua, duo alij è nostris iam à triennio. Eos ille Imperator, vt beneuole aduocauerat ex India, ita perhumaniter, ac perhonorificè tractabat. Audiebat quinetiam de religione differentes attentè: sed mysteria diuina cum ipse tum eius Aulici, diuitijs, ac voluptatibus impliciti, laudare ac mirari satis habebant. Quibus satis compertis Prouincialis Indiæ ad paratiorem Messem suos operarios transferre constituit. Quo suauius, & cum Regis minori offensione reuocatio administraretur, vnum primo è tribus ad se accersiuit literis: à quo vberius edoctus, quam exigua successus spe opera illic cosumeretur, aliorum quoque retrahendorum causas quærebat. Hæc deliberanti commodùm innotescit, Regem Mogoris destinare legationem ad Regem Philippum, & legato comitem vnum è Patribus sibi reliquis mittere. Rogatus à Prouinciali Prorex literas ad Mogorem dedit quibus petebat, vt Rodulphum quoque Aquauiuam cum legato mittere ne grauaretur. Conturbari visus est ea propositione Rex Mogoris, & Rodulphum sibi adeo earum respondit, vt consilio potius legationis supersessurus foret, quam ad talem virum ab se amittendum adduceretur.

Et alia subsidia pietatis.

02 Operarij Societatis è Mogore reuocantur.

203 Rodulphus tamen Aquauiua ibi detinetur.

Multa in hunc annum, & præcipuè digna Historia Iaponicæ res habent. Initium duxerim à morte Michaëlis, Insulæ Amacusæ Principis, qui ex anno ab hinc quinto Christianam religionem amplexus, Sanctas eius leges egregiamorum innocentia coluerat. Hic senio satis prouecto, admonitus accessu vehementis morbi, vitæ sibi mortalis finem instare: vocatis ad se Proceribus ingenti affectu commendauit Christianam fidem. Mox inter dolores acerbissimos mortis aduentum sentiens, solemnem sibi vsum orandi quotidie per multas horas sublatis in Cœlum manibus vsurpare voluit. Quo diu facto deficientibus viribus, manibusque inde recidentibus in pectus, suauissimè alloquens quemdam præsentibus non visum, & illa verba, *venio, sequor quò vocas*, ingeminans expirauit: paulo ante contestatus; se nullas instantis mortis angustias sentire, sed loco illarum ineffabiles delicias animi. Eius erat illa vulgaris dum valeret vox; nihil se quamuis durum, & arduum, quod Patres significarent Deo gratum esse, recusaturum. Cum in supremo morbo deliquium passus, ab vna ex puellis, quæ erant in obsequio eius Coniugis, forte adstante, manu correptus esset, vt sibi redditus, à qua teneretur sensit, excussit cum horrore blandum mulieris contactum, seuereque illam intuens, procul amandauit, sibique apparere amplius vetuit: egregio documento Christianæ continentiæ in Principe, quem nec ætas septuagenaria, nec morbus extremus, à metu maculandæ castitatis securum redderet. Filius eius, & Principatus Hæres, Princeps Ioannes, Patris exequias, præbito mille pauperibus epulo, honestauit. Eius vidua magnorum spirituum Mulier in Bonziorum disciplinis supra sexus captum erudita, diu post viri conuersionem in auitis erroribus, & capi-

204 Mors pia Michaëlis Amacusæ Principis.

205 Egregium Castimoniæ exemplum.

tali

tali Christianæ religionis odio durauerat. Ad extremum victrici gratiæ dans manus, Gratia in baptismo dicta est. Fuerat auaritiâ infamis, vt primum fidei lucem admisit, quæ multa iniustè abstulerat spoliatis ab se reddidit. Ex hoc principio in feruentissimam Christianarum omnium virtutum exercitationem ingressa, ad eam diligentius vrgendam nouo viduitatis statu vocari se reputans, Templum suo sumptu ædificauit, in quo totos dies oratione cæterisque religiosis officijs beneferiatos duceret. His studijs intentam non multo post beatamors Cœlo transmisit. Michaëlis Amacusani obitus mense Aprili contigit. Iunius insequens longè dissimilem Potentissimi Iaponiæ Imperatoris Nobunangæ finem vidit. Illuxerat ei veritas si aperire oculos vellet: sed à tanto eum bono impotens vitiorum omnium, quibus se à puero mancipauerat, præsertim vero superbiæ, dominatus arcuit. Laudare solebat Dei legem, hoe vnum excipiens: in prohibenda libidinum licentia duriorem eam sibi videri, quam natura humana ferre posset: Multi crediderunt eam præcipuè causam obstitisse ne ipse cum filijs Christianam religionem amplecteretur. Constat eum, & Filium eius primogenitum, serio egisse cum Organtino, vt laxamentum illius seueritatis indulgeret; cum eo pollicentes, vniuersam ipsorum aulam, nec diu post totam Iaponiam Christo nomen daturam. Quibus ille respondit, se non autorem sed interpretem, ac præconem legis illius, non Christianæ Religionis propriæ, sed omnibus ex æquo hominibus à Mundi principio impositæ, esse. Cæterum illius præcepti Editorem Deum, vt supremum ita optimum, & potentissimum Dominum, obtemperare sibi volentibus ea auxilia suggerere, quorum ope cum cæteram eius legem facile impleant, tum castimoniam etiam iucundè obseruent. Experturos id qui in animum induxerint, cum diuinæ gratiæ fiducia, iugum Christi subire, arctamque viam ingredi, quæ sola ad felicitatem duceret. Surdis ea tum cantata. Sed spreta veritas eas quas solet, & prædixit Apostolus, à Rebellibus exegit pœnas. Occæcati nimirum miserabiliter diuini luminis contemptores in horrenda præcipitia ruerunt. Nobunangæ ingenium præferox, & supra humanum modum arrogans, perpetua fortunæ blandientis indulgentiâ, spei quantumuis improbæ capax, haud iam dissimulanter insanire cæpit contemplatione felicitatis suæ. Reputabat se ex vnius vix dimidij Regni domino, ac penè priuato, in amplissimam septem & triginta Regnorum, clarissimis Victorijs nulla vmquam belli offensione, reportatis, Monarchiam profecisse. Ætate adhuc vigere, valetudine vti prospera, copia rerum omnium affluere, vniuersorum Iaponiæ Principum sibi humillima certatim obsequia blandiri. Sobolis etiam numero, & præstantia florere: nam præter tres, quorum meminimus, ex iusta coniuge susceptos, quindecim ex pellicibus filios habebat. Antememorauimus Anzuquiama noua Ciuitas, frequentiâ, diuitijs, splendore, ac elegantia ædificiorum, omnium iam ferè prima Iaponiensium, & quotidie augescens. Nihil tamen iactantius ostentabat, quam Arcem suam. Erat ea sita in medio vertice, quem inter duos demissiores altè extare superius diximus. Eius fastigij vndique abrupti prominentibus scopulis, quæ pars vna submissior erat, aditum manu paratum ad vestibulum Regiæ pandebat, gradibus trecentis in natiuo saxo incisis. In summo complanatus immani labore apex, aream aperiebat vastam, quam ingens muri circuitus è lapide quadrato, quinquaginta palmos alti, vndique claudebat. Regiam intus extructam qui nostrum orbem viderant, fatebantur, vix quidquam hodie in Europa simile, certe non superius, habere, descriptionis elegantia, pretio materiæ, pulcritudine artis. Turris eminebat in sublime, Tabulatis septem, apta proportione decrescentibus. Interualla zonarum colores distinguebant varij, tectorio appicti, & succis illiti splendentibus, qui florem illorum viuum, ac lucentem, nec vlla vi Cœli aut Imbrium delebilem præstabant; cuius generis artem nostris ignotam, illarum regionum artifices habent. Vertex operis, rotundâ formâ, coronam latè monstrabat totam ex auro, cyaneis illuso mæandris, speculi læuorem æquantibus encausti pigmen-

206 Viduæ Principis Amacusani Conuersio.

Et vita laudabilis.

207 Superbia, & libido Nobunangam retinent à fide Christi amplectenda.

208 Arrogantia eius ex contemplatione felicitatis suæ.

209 Vrbis, & Arcis Anzuquiamæ pulchritudo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis. Ita vt ex tota illa mole superbissimæ turris versicoloribus interstinctæ fascijs, & è superinducti liquoris lenti, pingui quodam, & pellucido succino nitoris vitrei, translucentibus: tum ex culmine aureo gemmarum clarissimarum tessellatis pigmentis fulgores æmulante, ad facile quadraginta vndecumque milliaria, species, sole præsertim allucente, planè mirabilis, vix ferentibus splendorem oculis, animos raperet. Ex hac superbiæ suæ specula insolentissimus contemptor omnium, cum recens opus suum Vrbem Anzuquiamam latè, ac pulcherrimè descriptam in plano despiceret, adiacente illi quodam Archipelago dulcis maris, suis sparsi cycladibus, cum item ab vtroque latere clementer fusa dorsa collium ambitiosissimis substructionibus Dynastarum, quibus ipse loca distribuerat, magnificè ornata, cerneret, exitialis infelici, & immanè quantum insana incidit cogitatio, homine aliquid maius esse se profecto, eaque veneratione dignissimum, quæ Dijs adhiberetur, quorum nullum se maiorem, aut sibi comparabilem putaret. Huic horribili dementiæ cupidissimè, felicitate sua ebrius fanatici gloriatoris animus, adhæsit. Locum ergo in altero è collibus cum designasset oculis conspicuum, Artificum in eo ex arcis iam perfectæ operâ feriantium elaborare totam industriam repentè iussit, Delubrumque omnium, quæ vnquam in Iaponia fuissent longè superbissimum erigere. Velociores in ædificando multo, quam nos sunt Iapones: & eos impatientissimi, ac præcipitis instans, & minax festinatio Regis incitabat; simul adiuuabat operarum multitudo, & abundantissimè parata promptaque ad manum idonearum ad opus rerum copia omnium. Exiguo ergo tempore moles constitit omni magnificentiæ genere visenda. Apparebant ibi speciosissimis in loculis exposita simulacra Camium, quæ vspiam tota Iaponia superstitiosissimè colebantur, eò expilatis cunctorum populorum Sacrarijs imperiosissimo formidatissimi Tyranni iussu translata. Supra hæc humiliora per ædis circuitum Sacella eminebat alte Thronus excelsior splendidissimis ornatibus radians, in quo præcipuæ venerationi Saxum exponebatur insignibus Nobunangæ sculptum, Nobunangam ipsum Iaponico vsu repræsentans, nomen Idolo nouo nouum impositum Xantai. Edictaque quoquo versum missa quibus in certum diem (is hoc anno in vltimum nostri Februarij incidit) omnes inuitabantur, vt ad celebrandum Nobunangæ natalem, & adorandum nouum numen Xantai, vndecumque vniuersi concurrerent. Addebantur promissiones obtemperantibus amplæ: fore vt qui Xantai adorarent è pauperibus diuites, è locupletibus opulentiores repente fierent. Qui liberis carerent, fœcunditatem, qui morbis laborarent, valetudinem prosperam, & ad octogenariam senectutem durabilem impetraturos. Qui negligerent omnibus supplicijs mactandos. Pauci pollicitationibus mouebantur, quarum vanitas apparebat facile: minis, quarum in rem conferendarum facultatem plenam in Barbari furentis expertâ sæpius impotentiâ cernebant, plerique consternabantur. Adfuit ergo condictâ die innumerabilis ex vniuersâ Iaponiâ multitudo campos ingentes Tabernaculis latè positis operiens. Neque enim, vel multesimam turbæ partem mœnia tectaue Ciuitatis, quamuis numerosissima ampliſſimaque, capiebant. Gratias Deo nostri egerunt, quod nullus in ijs Christianus, quod obseruari potuerit, fuit. Nobunanga, vel nesciente, vel dissimulante. Primus omnium splendidissima Pompa, Ionus Suquendonus Mini, & Boari Rex, Maximus natu filiorum Nobunangæ, Sacrificatum exquisitis ritibus nouo Deo Xantai processit. Hunc Reges alij, & Principes, tum Nobiles, ac Plebs ingenti ambitu secuti. Paucis post hæc diebus concubia nocte effulsit in occidentali Cœli parte vibrantissimus splendor: simulque supra turris apicem ruberrima, & ardentissimè flammescens nubes apparuit: cunctis cum terrore obseruantibus. Nam vsque ad solis ortum eodem situ, ac visu immota perstitit. Quartadecima die mensis Maij, hora post meridiem nona, horribilis Cometes longissimam, & formidolosissimè micantem latè caudam explicans, medio æthere exarsit in dies aliquot. Postridie meridianis

210 Nobunanga diuinos honores appetit.

211 Templum sibi condit. Nomine noui Idoli Xantai.

212 Ridicula eius promissa suis adoratoribus facta.

dianis horis lancea ignea sereno excussa cœlo in arcem Anzuquiamensem intorta est, cunctis prodigia horrentibus, vno confidentissimo Nobunanga quem Monstra petebant, giganteam temeritarem ostentante, ac contemnente minas, quas tragico suo mox sanciturus erat exitu. Etenim cum iam adulto Maio idonea expeditionibus bellicis tempestas esset, Tertiogenitum filium Sanxium Chindonum Ixi regem cum exercitu quindecim millium, & multo auri pondere ad Regnum Auæ subigendum Anzuquiamâ misit. Ipse cum Primogenito Meacum profectus, Faxibæ primario Duci suo aduersus Amanguccianum Regem, & Bonzium Ozacæ Principem bellum gerenti, auxiliaque poscenti, totum copiarum suarum robur, & quos in comitatu fidissimos habebat ire suppetias iussit. Inter primos ierunt Iustus Vcondonus, & alij Christiani Duces militesque. Vltimam, & numerosissimam horum auxiliorum manum ductabat quidam Aquechius nomine, vir manu promptus, & percarus Nobunangæ, quem Regno Tangi præfecerat, & Monte Frenoyamæ Bonzijs erepto donauerat. Hic Meaco profectus reputare secum cepit, quam destitutus viribus, & fido comitatu Nobunanga præter morem esset. Adesse iam profecto numquam rediturum occasionem vlciscendi Tyranni, & eius oppressione crescendi. Duces quosdam sibi addictos, & Nobunangæ infensos clam aduocat. Consilium exponit. Omnes probant. Amanguciano itinere primum supersedetur, quæsitis moræ causis. Hine subitò ignaris militibus pronunciatur nocturnum versus Meacum iter arcano, vt mentiebantur, Nobunangæ iussu, quemdam sibi suspectum Dynastam opprimere studentis. Sub lucem inexpectatissimi Meaci adsunt. Dies erat octauus decimus Kalendas quintiles. Palam hic imperant Militibus Duces, Nobunangæ palatium oppugnent. Nec mora in quoquam fuit. Surgenti strato Nobunangæ, & manus, ac faciem lauanti trepidus nuncius affertur, obsessam armatis Regiam esse. Ille audacissimus nihil credere, & solitâ superbia minari. Donec prodeunti ad fenestram sagitta humerum transfixit; quâ ille manu extracta ensem stringens, fortissimè aliquamdiu multis variè assultantibus restitit; donec glande plumbea explosa è maiore tubo, traiectus, sanguine ac vita deficiente in conclaue secretum aufugit foresque occlusit. Ibi sunt, qui dicant, eum vsitato in Iaponia desperatorum ritu, ventrem sibi dissecuisse gladio. Sed vix id sciri ad verum potuit: nam flamma vndique à coniuratis subiecta palatio, statim illud cubiculum absumpsit. Suquendonum Mini Regem Nobunangæ Primogenitum, & ipsum promptis armis egregiè pugnantem, ineluctabilis ignium vis extinxit. Pronum erat factu, vt victor exercitus ad prædam paratam in facili direptione Meacensis Vrbis omni opulentia plenæ, verteretur, nisi quæ istius væsaniæ impetu sapienter vtebatur Diuina Iustitia ad vlciscendam sacrilegam temeritatem profani Regis ausi diuinos honores attentare, cruentos illius phanatici cæde Barbaros ad destruendam arcem eius superbiæ, & nefarium illud fanum horrenda sceleratissimi Tyranni adoratione pollutum, instigaret. Raptim omnes Aquechio ducente Anzuquiamam concurrunt. Arcem, despondentibus animum ad famam occisi Regis Præsidiarijs, nullo negotio capiunt. Sparguntur auarissimè cumulati thesauri Nobunangæ, & quod per vim, ac rapinas, victrix quindecim annorum licentia corraserat, triduo per profusissimas largitiones exhauritur. In illo æstu furoris trepidis nuncijs Aquechius turbatus irruentium in se, hinc Sanxij Chindoni, exercitum ab Auensi expeditione, de qua diximus, ad paternæ necis vltionem conuertentis, inde Faxibæ, pactis cum Amanguciano inducijs, aduersus Nobunangæ interfectores mouentis, decreuit Anzuquiamâ relicta Meacum se recipere, quò ex illa Imperij Arce facilius prospiceret nouæ Tyrannidi. Hoc articulo rerum emersus è latebris Oxaquenus Fungedonus Secundogenitus Nobunangæ, Adolescens parum sanæ mentis habitus, Arcem Vrbemque, & speciosa illa Palatia cum Templo nouæ Vrbis Anzuquiamæ, subiectis vndique flammis horrendo incendio deleuit. Quo consilio, quis quærat à capite insano? Tamen eluxit in eo manifesta vis vltoris iniuriæ suæ Numinis,

213 Aquechij defectio à Nobunanga

14. Iunij

214 Cædes Nobunangæ.

215 Arx Anzuquiamæ capta. Thesauri direptio.

216 Anzuquiamæ incendiū

Universidad de Deusto
Biblioteca

minis, temerariæ insolentiæ Nobunangæ reliquias per eius filij manus delentis. Interim sequente Faxiba cum Amangucianis copijs, præcucurrerat Iustus Vcondonus Meacum versus, mille, non plus, Christianorum manum ducens. Occurrit illi Aquechius cum circiter octo millibus, Anzuquiama, vt dictum est, Meacum petens. Irruit in sceleratum proditorem nihil veritus inæqualitatem numeri Iustus, & ducentis è rebelli exercitu cæsis, reliquis dispersis, Aquechium ipsum vulnerat: qui quamdam in Arcem sibi fidam fugiens; ac ne ibi quidem se tutum putans, egressus inde secretiores latebras quærebat, quando interceptus à rusticis trucidatus est, duodecimo à perempto Nobunanga die. Sanxius inde ac Faxiba cæteram vindictam in coniurationis participes ferro ac flamma crudeliter exercuerunt. Hic finis primi Iaponicæ Monarchiæ Imperatoris fuit, Augusti felicitatem in vita, Cæsaris tragicum exitum in morte repræsentare visi, cui qui successor contigit modo memoratus Faxiba, facile artes, ac furores Tiberij, & Caij, vnius capitis, ac principatus compendio collegit, & præterea Neronis hoc etiam habuit, vt primus contra Ecclesiam Gladium stringeret. Verum dilatis in locos proprios quæ de illo sunt dicenda, Christianæ rei periculum in hoc tumultu, & diuina in eam protectio, breuiter referenda sunt. Nihil procliuius factu videbatur quam, vt occiso Nobunanga victor exercitus Idololatrarum, Duce barbaro, & impio, in Meacensem Ecclesiam Nobunangæ potissimum fauore florentem, toto furore desæuiret. Itaque cum crudelis proscriptio Amicorum Nobunangæ fieri cepta esset, Nostri Meacenses nihil mitius quam cruentam sibi necem, Templo autem, ac Domui triste incendium ominabantur. Sed propitia vis Numinis spem Aquechio obiecit trahendorum in partes suas Christianorum, qui in exercitu Faxibæ multi, & præpotentes numerabantur. Ijs ille demerendis intentus seuerè prohibuit, ne quidquam Patribus, Ædi Sacræ, aut alijs rebus eorum, incommodi afferretur. Quin etiam cum Organtinum Seminarij iuuenes Anzuquiama eduxisse cognouisset, misso ad eum proprio filio, amicissimis literis, securum iussit esse; ac cum Organtinus significasset cupere se confugere Meacum, Idem Aquechij filius vnum ei è suis viæ præsidium dedit. Rebus, vtcumque pacatis proditoris nece, Iustus Vcondonus de Seminario solicitus, cuius ædes Anzuquiamenses, cum reliqua Ciuitate conflagrauerant, nec tam dubio cardine rerum Meaco satis fidens, illud in arcem suam Tacacuquiensem transtulit, in quam cum Darius Iusti Pater à morte Nobunangæ, cuius iussu exulabat, postliminio reuertisset, peculiarem sibi Proninciam bonus Senex eius contubernij curandi fouendique deposcit.

217 Iustus Vcondonus Aquechium vincit, & vulnerat, mox à rusticis trucidatum.

218 Protectio diuina in Christianos per hos tumultus.

219 Aquechius cur Christianis fauerit.

220 Seminarium Anzuquiamæ Tacacuquium translatum.

Inter hos motus negotium prædicationis Euangelicæ per Iaponiæ Prouincias magnis prouentibus respondebat ad votum. Præcipuum momentum habebant Principum, aut Doctrinæ virtutisue fama illustrium virorum conuersiones miræ. Cuiusmodi cum hoc anno multæ contigerint, vnam dumtaxat alteramue memorabo, nec enim omnia persequi ad minutum vacat. Niscius erat Bonzius excellentis ingenij exquisitæque doctrinæ, atque, vt fit, ex his natæ existimationis latè præclaræ, quam Dairus, supremus in tota Iaponia distribuendorum honorum arbiter, ambitiosissimo diplomate splendidissimis pledus homo, Regis Arimani, priusquam is meliori disciplinæ se subijceret, magisterium exercuerat, fastu tanto, vt quoties statas prælectiones ad Regem iuuenem haberet, sustineret eum sibi ad pedes adstare humilem, interea dum Magister Bonzius in Throno ipso regio supinus tumidusque residebat. Forte aliquando contigit superbum Bonzium otiosa curiositate audire obiter nescio quid ex Christiana Doctrina, quam vnus è nostris fratribus tradebat. Visa res est non contemnenda, cupiditasque nata vltro est cognoscendi reliqua. Omnibus plenè perceptis, affulsit caligantis animo noua lux, ardorem simul mirum excitans gratiæ victricis, cuius illud egregium visu specimen extitit, cum tanta sapientiæ fama subnixus Bonzius, & vix minus, quam Diuinis

221 Cursus felix Euangelicæ prædicationis per Iaponiam.

222 Niscij Bonzij Conuersio mira.

nis honoribus à suis cultus, digesta subito in multos fasces, & totidem seruulorum humeris imposita vniuersa supellectile superstitionis arrogantiæque suæ, magicos commentarios, & longis vigilijs elucubrata scripta vanissimarum speculationum, vna cum glorioso illo, & immensis largitionibus empto Dairi diplomate, (neque enim illic talia, etiam iudicatis meruisse, gratuita contingunt) in Christianorum Ecclesiam detulit, ibique ante fores facto rogo vniuersa succendit. Ex re Ioannes (nam hoc nomen Dei gratiam significat) in baptismo dictus videri potuit, homo in cuius vita atque animo Gratia Diuina tam illustria de natura victa trophæa statuisset. Qui ne à generosis vocationis suæ principijs degenerare videretur, post baptismum dixit Patribus; cupere se, vt Palatium suum (nam splendide regièque pro copia superbiaque sua habitabat) in Ecclesiam verterent, cui se adderent ædituum, adiuncto ei tugurio, in continua oratione, & contemplatione rerum diuinarum, solitarium ibi victurum. Non multo minus argumentum Dei laudandi præbuit alia mutatio alterius item Bonzij, eiusdemque famosi: ex eo genere, qui auram ibi popularem captant asperitate vitæ plebi ostentata, vnde sanctimoniæ famam, & humano fastigio superiorem venerationem aucupantur. Peregrinabatur is dudum pedibus nudis, leuidensi vestitu per summa frigora, circum omnia totius Iaponiæ populari superstitione celebriora fana, certos diabolicæ deuotionis globulos manibus assiduè terens, & nescio quas generis eiusdem precationes immurmurans, oculis semper ad orientem versis vbi Paradisum Amidæ Mythologia Iaponica constituit. Tali errore delatus hoc anno Nangazachium est, quo tempore afflicta ea ciuitas populari morbo in speciem ferme Nosocomij deformata erat. Animaduertit admiratione sua magna hospes Bonzius, Patres passim nostros, contemptrice periculi assiduitate, moribunda corpora obeuntes, eademque consumpta malo, speciosis, & frequentia modesti populi celebribus, honorantes exequijs. Inopinatum vtrumque spectaculum: quod in superstitione Iaponica, nec vlla fere morientium pauperum cura, & perexigua plebeiorum funerum religio est. Ergo altè rem secum reputans, infundente se in tempore radio Diuinæ lucis, repente ad nostros currit: qui sit exponit: inuenisse se plusquam quærebat, male susceptâ, feliciter consummata peregrinatione gratulatus est. Legem Christianam vnicam se veram scire. Hoc enim ex istis eius institutis intelligere. Quare ad eius sectam se aggregarent, diligentissimum in ea colenda, quod superesset vitæ, futurum. Admissus, edoctus, baptizatus, fidem pollicitorum cumulatè præstitit, haud parua illius Ecclesiæ consolatione. Multa similia necessariò prætermittenda sunt, ne in immensum excurrat narratio. Valignani recessus è Iaponia exponendus restat. Is annis duobus, & quod excurrit, in visitatione nostrorum in Iaponia degentium consumptis, necessarijs causis reuocatus in Indiam, indeque, vt tum putabat, in Europam, adornare profectionem cepit. Multis iam consultationibus cum antiquioribus nostrorum habitis, disciplinam domesticam accommodatè ad vsum Gentium illarum, & ad finem profectus Euangelij ordinauerat. In quo illi non parua nec hic omnino prætermittenda, certanda certamina fuerunt. Inter nostros eas in oras ex Europa vectos non satis hactenus constiterat, quousque in consuetudines ciuiles Iaponici vsus, & cultus, immane quantum à nostratibus discrepantes, accommodare se fas esset, aut etiam expediret: tum qua moderatione gubernanda eius gentis ingenia, quæ se nostræ disciplinæ subijcerent. Quæ denique forma victus, & vestitus nostris communiter ad conuenientem vniformitatem tenenda præscribendaque esset. De quibus omnibus inter se se dissidentes sententiæ nostrorum erant. Non deerant, qui tanti esse negarent nostros addicere obseruationi scrupulosæ Iaponicarum salutationum, & consuetudinum, haud parum graui odiosæque aliter affluetis. Contra monebant alij, & experientia suffragabatur, necessarium id esse ad molliendam peregrinitatis offensionem, & exemplum Apostoli tenendum, qui omnibus omnia fieri non dedignabatur, vt omnes Chri-

223 Exemplum caritatis Christianæ ad Bonzij conuersionē efficax.

224 Ordinatio disciplinæ Societatis in Iaponia.

sto

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto lucrifaceret. Hac sententia vincente constitutum est, & distinctè determinatum, quatenus, & quibus in rebus accommodare se ad vsus ibi receptos, nostris conueniret. Salutationes, & officia vrbanitatis Iaponico ritu obiri placuit. In ijs præter pedum nudationes, & prostrationes certas, erat porrectio, & perceptio vsitatæ ibi potionis in visitationibus domi nostræ exceptis personarum honoratarum, aut in eorum ædes redditis. Additum, vt quoniam Gens illa vniuersa non alium sedendi vsum nisi humi super tegetem habet, nostri ne in cubiculis quidem sedilibus insuescerent, & propria quisque mensula in communi cœnaculo cibum sumeret. Ac quia cum conueniuntur homines in domibus ipsorum, calceamenta in foribus relinqui moris Iaponum est, contumeliæ loco si aliter fiat habentium; ijs custodiendis ad ianuam dum ipsi officio, aut negotio transacto redirent, decretum est necessarium videri, nostros visitatum prodeuntes seruulum ducere. Hæc Romam à Valignano missa magnam Præposito Generali solicitudinem mouerunt. Ergo antequam illa comprobaret multum deliberauit, plurimos eosque graues, ac sapientes viros omnia considerare, ac sibi libere in scripto, quid sentirent iussit exponere. Cuius generis aliqua talium iudicia extant, præsertim Ioannis Maldonati, Valignani consilium in omnibus laudantia. Nondum tamen ijs plane acquiescens Claudius, scripsit ad Valignanum, iterum vt rem totam sine præiudicio nouæ deliberationi subijceret, & Dei luce implorata, sententijsque præsentium auditis, vltimò constitueret quæ è maiori Dei gloria viderentur. Hæc eò commoranda visa sunt, vt constet quanta maturitate statuta sint ea, quæ deinde alijqui Societatis reprehensores tam acerbis censuris confixerunt. De genere vestitus, opinio erat quorumdam, sericis tunicis, ac togis, panno ibi vulgari, nostris vtendum. Putabant id ad dignitatem doctrinæ sacræ apud Iaponios, è specie ac cultu iudicare de talibus solitos, asserendam pertinere. Repugnabant prudentissimi quique, ac grauissimi nostrorum, inter alios Organtinus, qui præcipuum argumentum contrariæ sententiæ è Iaponiorum fastidijs erga pannosos sumptum, experientia propria scitè refellebat, cum diceret: se Meaci quotidiè agere solitum cum Regibus, & Dynastis Iaponiæ, atque adeo cum ipso Nobunanga, nunquam eiusmodi aliquid expertum. Quin etiam obseruasse Iaponica Ingenia facile discernere squallorem vestis studio modestiæ vltro adscitum, ab eò quem illaudata egestas inuitis non eluctabili necessitatate imponeret: & cum hunc quidem contemnant, illum ferè admirari, certe tolerare sine nausea. Quare Franciscus Capralis nostris illic ante Valignani aduentum Præpositus, gliscentem inter aliquos nostrorum ex illa quam retulimus, nondum plenè conuicta ratione, vsum serici panni, seuero interdicto cohibuit: multum sed frustra repugnante Balthassare à Costa, qui etiam vltra quam fas esset religiosæ modestiæ ineò pertendens, amandandus fuit è Iaponiâ: quin de illo etiam è Societate pellendo cogitabatur, quando is ex India in Lusitaniam nauigans, in eo itinere diem obijt. Valignanus in Capralis sententiam decreuit, vt nostri deinceps per Iaponiam vniuersi panno induerentur illic maximè parabili, minimique pretij, opitogis sufficiens, non plus nummo aureo constabat. Circa vltimum caput de modo ingenia Iaponica tractandi, operosior fuit controuersia. Capralis Iaponios habebat imperiosè & austerè, tetrici Magistri, ac penè Domini supercilio potius, quam Patris suauitate. Id homo indolis seueræ, magnis, & necessarijs se facere rationibus putabat, genij exerti, & in insolentiam extantis Iaponiorum esse naturam dictitans, nunquam ibi acquieturam quo benignè prouexeris, sed ex æqualitate, si ad eam arrepere permiseris, ad loci superioris autoritatem, atque hinc ad nostri contemptum, cum damno Sacræ Prædicationis, nullo credendi fine progressuram. quare duras, & contumaces mentes acerbitate quadam salutari comprimendas, nec familiaritatis arrogantiam parituræ, fiduciam illis indulgendam; ne ad disciplinarum quidem adyta nostrarum admittendos intima, sed traditis ex philosophiæ, ac Theologiæ ferè tantum moralis, quæ ad vsum

225 Discussa de nouo Romæ

226 Balthassaris à Costa pertinacia.

227 Capralis optimo de modo tractandi Iaponios.

vsum institutendæ vitæ dumtaxat opus sunt, abstrusiorum ipsis conscientiam negandam. Contraria erat opinio quorumdam, præsertim Italorum, quibus durum, & illiberale videbatur, nobilem Iuuentutem nostræ in Seminarijs curæ commissam ijs notitijs fraudare quarum abunde capax esset: scientias humano generi diuinitus, tanquam aquam ac terram cæteraque elementa, promiscue quantum quisque possit capere, profundi. Non esse nostrum qui ministri dumtaxat diuini doni sumus, limites auarè circumscribere cœlesti largitati: scientiam inflare iam suo tempore intellexisse Apostolos, nec tamen primis fidelibus, aut interdixisse doctrinarum studijs, aut parcè ipsos, ac inuidè, quæ à Diuino Spiritu didicerant, tradidisse. Præsertim cum institutionis Iaponicorum Seminariorum ea maxime mens, ac ratio ferretur, vt Ministri, ac Doctores Diuinæ Doctrinæ pararentur, qui nostris formati disciplinis, vsu linguæ naturali, & ea commendatione, quam generis ac natalium communio magnam habet, acceptiores suis popularibus diuinæ legis ptæcones, ac mysteriorum interpretes euaderent. Disertè Sanctum Apostolorum Principem dominatricem grauitatem ab Ecclesiarum regimine arcere; proque illa beneuolam, mansuetudinem, & paternam præcipere caritatem: nec adeo videri metuendum à naturali Iaponum arrogantiâ, non fortasse maiori, quam aliquarum Europæ Gentium, ista subtractione Spiritualium munerum numquam tamen Patrum Ecclesiæ iudicio mulctatarum. Denique experimento constare, capere Iaponios egregiè virtutum vim, & officiorum rationes non minus subtiliter expositas percipere, quam obnoxiè, ac dociliter vsu moribusque exhibere. Quocirca non videri desperandum quin Christianæ quoque demissionis tantum Iaponiorum animi præceptis, & exemplis ipsis per nos præbitis concipiant, quantum ad rectè vtendum cœlestibus donis, premendumque turgescentis superbiæ tumorem, diuina cooperante gratia, necesse fuerit. Hæc pars numero suffragiorum momentisque rationum, cum præualuisset, decreuit omnino Valignanus, nihil discernendum inter Iaponios Europæosque discipulos, quominus & æque vtrisque materna quædam indulgentia blandæ caritatis præberetur, & pariter vltimi recessus mysteriorum, ac Doctrinarum, quoad valeret cuiusque acies perrumpere, sine inuidia panderentur. Victus magis contrario Patrum consensu, quam persuasus Capralis, cum, vt fit indudum præceptis, vsuque, ac naturæ indole corroboratis decretis animorum, ægrè ex illa priori explicaret se tristitiâ, è Iaponia paulo post remouendus est visus, Macaum ea de causa à visitatore reuocatus. Et consilio tanta maturitate capto qualis omnino sperabatur euentus constitit. Prout quæ de formatis in Iaponia ex illa ipsa gente operarijs Euangelicis, nihil vllo laudis genere Europæis cedentibus, sæpius suis locis referentur, euincent. His ita constitutis omnia circumspectanti Valignano, cogitatio incidit: rem videri fore cum officio probabilem tum auxilio vtilem, si Iaponij Principes, qui Christianam Religionem nuper amplexi, sanctè, ac piè colebant, Christi Vicarium in terris, adornata more Maiorum legatione, venerarentur. Prima statim mentione consilium ipsis mirè arrisit, honestate illa religiosæ consuetudinis, rectas, & generosas eorum mentes capiente. Nec minori studio nostri omnes in idem rapiebantur, duplici causâ. Primum enim ad comprimendum fastum Iaponici supercilicij præ se omnium Gentium opes institutaque contemnere superbissime soliti, vsus ac momenti plurimum habiturum apparebat testimonium oculatorum testium, qui visis Europæ Regnis, & Ecclesiæ, ac Curiæ Romanæ splendore coram obseruato, suis ea popularibus referrent. Deinde ad conciliandum Christianorum Principum Ecclesiasticorum, & sæcularium perducendæ ad exitum Iaponiæ conuersioni necessarium fauorem, multum valituram augurabantur ostensionem velut speciminis cuiusdam Iaponicæ nobilitatis atque Indolis, quale ista legatione præberi posset. De modo consultantibus, placuit à duobus maioribus Regibus, Bungi, & Arimæ, simul à Regulo Omuræ deligi è summa nobilitate, non senes, aut ætatis maturioris,

228 Rationes contra eam.

229 Capralis è Iaponia euocatio.

230 Destinatur legatio Romam à Regibus Iaponiæ Christianis.

Tres eius Consilij causæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod vsu compertum esset Iapones post adolescentiam alieno Cœlo citra valetudinis, ac vitæ damnum non consuescere, sed adolescentes, nec eos multos, qui cum ipso Valignano in Indiam primum, inde Europam nauigarent. Franciscus Rex Bungi primùm ad id munus destinabat Filium Regis Fiungæ, Nepotem suum. Sed is in Seminario Anzuquiamensi multorum dierum itinere aberat, & Valignanum vrgebat opportunitas nauigandi. Elegit ergo Mancium Itum filium Sciorinosuchi, consobrinum Regis Fiungæ, ex antiquissima, & Regia familia Itorum. Rex Arimæ, & Princeps Omuræ, quorum hic Patruus illius erat, nominarunt communiter partes ipsorum obiturum Michaëlem Cingiuam, quod Arcis eius Iuuenis primariæ inter paternas nomen erat. Pater Michaëlis, Frater erat patruelis Regis Arimæ, idemque ex Fratre nepos Reguli Omuræ. Socij cuique ex cognatione additi; Mancio Martinus Fara, Michaëli Iulianus Nicaura, Toparchæ Castrorum sitorum in Regno Eigen, vbi nati erant; hic Nicauræ, in cognomine sibi oppido ditionis auitæ, ille Fasami. His adiuncti obsequij gratia Ephebi nobiles duo; cunctisque pro ætate illorum, septimum decimum non excedente annum, Moderator, ac Magister appositus est Georgius Loyolà noster, ortu, & ipse Iapon. Cum his conscensa naue Nangazachij Valignanus x. Kal. Martias, procellosa citra noxam nauigatione dierum octodecim, Macaum VII. Idus Martias tenuit: vnde nonnisi decimo post mense vlterius pergendi opportunitas fuit. Hanc expectans Visitator, obiata nauis Iaponiam perentis occasione, Petrum Gomezium, cum alijs tribus Sacerdotibus nostræ Societatis, & vno non Sacerdote, illuc destinauit. Nauis, quà nautis, quà vectoribus supra trecentos, & plurimis mercibus onusta, inter quas annua quoque subsidia Missionis, & Ecclesiæ Iaponicæ erant, bono primum vento ad centum milliaria processit. Mox restante ab prora vehementi Euro octoginta milliaribus rapti vsque ad Insulas, quæ multæ Sinensem prætexunt oram, ibi omnes exorientis Nouilunio, Typhonis, formidatissimi Tyranni Marium illorum, totis horis viginti quatuor perpessi sunt furias, vix superstite, at miserè conquassata naue, cuius debilitatem excusans Nauarchus, breui serenitate consequente vti noluit, ad tenendam Iaponiam, si anniterentur, suffecturâ. Ita hærentes occidentalis arripuit ventus maximus, & per trecenta milliaria rectum cursum imperitè gratulantes, denique perpulit in naufragijs infames scopulos, *Leiu Cieu*, Cinensibus; Hollandis, *Piscatorum Insula*, vocatos (Formosam inter, & Cinam interiacent) ijs primum aqua tectis, mox processit ad vnum milliare sensim assurgentibus, valido impetu impacta nauis carinam diu per rupis dorsum tractam ad extremum fregit, Saxoque sic adhæsit, vt motum perderet: frustra omnia, quæ tali occasione solent, molientibus nautis. Deiectis in mare, cum alijs oneribus, tum malis ipsis atque antennis, cum magis magisque abundante intra nauim aqua periculum iam ineluctabile crescret, quisque vt sibi priuatim, quâ posset ope consuleret, pronunciatum. Duodecim Scaphâ littus tenuerunt. Alij raptis, vt quisque potuit tabulis incumbentes, adiuuante natatu, in oram importuosam, & abruptam summa difficultate per aduersantes fluctus euaserunt. P. Christophorus Moreira ligato sibi in brachio, capite quod ferebat Sanctæ Virginis vnius ex vndecim millibus, quæ S. Vrsulam in Martyrio comitatæ sunt, minacissimos vortices æstuantis freti, quâ fiducia ingredi ausus est, eadem perrupit, incolumis & ipse terram capiens, cum maxima comitum parte. Sed à pelago saluis, multiplex in ora sterili, & barbara, periculum occurrit. Minimum malorum erat, quod nudis, & famelicis hospitalis tecti nulla copia, nulla cibi necessarij parandi conditio, aut spes offerebatur. Sitiebant eiectorum sanguinem crudeles Indigenæ, & miseras reliquias vndarum ventorumque, infesti feris vndique armis incursabant. Horum furore, felicibus, vt in tantâ calamitate, velitationibus repulso, sub structis tugurijs in summa difficultate rerum omnium duos menses exegerunt. Solatio non exi-

231 Electorum ad id nomina & dotes.

232 Discessus è Iaponia Valignani. 20. Febru. 1582.

233 Naufragijs Gomesij, & Sociorum.

234 Naufragorũ difficultates in terra barbara.

exiguo fuit, quod Patres seruata commodùm è naufragio sacra supellectile, singulis diebus sacra faciebant, & Sacramenta ministrabant. Eorum suasu decreta publicè propitiando Deo supplicatio est in verticem vicini Montis: quo pedibus nudis orantes profecti cuncti, magnam ibi Crucem erexerunt. Tum è reliquijs fractæ nauis aliam moliti minoris formæ, in eam vti licuit armatam, conscenderunt sub extremum Septembrem; prosperoque octo dierum cursu Macaum vnde tres ante menses soluerant, ærumnis confecti redierunt nonis ipsis Octobris. Brasilia nihil in hunc annum magnopere notabile suggerit. In Mexicana Prouincia dabatur enixè opera à nostris, vt Indorum animi ad Christianam Religionem allicerentur. Ad eam spem vtilitates præcipuas attulit beneuolentia beneficijs probata in Gentem suspiciosam, & Europæorum cuidam, vt putant, ipsorum contemptrici superbiæ infensam. Offendit præterea Gentiles non parum, & in cautionem docilitati aduersariam arrigit opinio auaritiæ, qua plerumque, Christiani eas in oras aduenæ laborant. Eas nostri, Prædicationis profectui noxias, vt persuasiones amolirentur, rerumque ipsarum experimentis refellerent, primum abstinentia constanti à rebus Indorum, etiam vltro oblatis, temperabant. Tum eleemosynis corrogatis egentium necessitatibus subueniebant. Quo in genere plausum habuit vnius è nostris in Vrbe Mexico degentibus caritas. Qui carcere adito, cum multos ibi reperisset Indos ob æs alienum, cui soluendo non essent, detentos, vniuersos corrogatâ stipe liberauit. Linguæ sunt ibi vulgares duæ potissimum Mexicana, & Othmitica, perdifficiles; ijs perdiscendis attentissimam nostri, Tepotzotlana præsertim in Vrbe, operam ponunt, eo fructu, vt iam multi eorum, Dominicis, ac festis diebus publicè per vicos Christianæ Doctrinæ explicationes idiomate populari habeant. Ibidem Seminarium puerorum ex Indigenis sub cura nostrorum institutum spes integræ aliquando conuersionis horum populorum non vanas affert. Et mira diligentia est non puerorum magis, quam vulgo omnium in ediscendis memoriter Cathechismi lectionibus. Auditores earum plurimi tres in classes distributi pro gradu profectûs, vbi captum in infima probarunt, præuio examine in superiorem promouentur; eaque crescendi ambitio vtiliter acuit industriam. Iam Indi Christiani miros in virtute progressus habent. Insigneque publicè infamium, notis criminibus, conuersiones ex concionibus nostrorum, præsertim Angelopoli, spectatæ sunt. Prouincia hæc Mexicana nobili se hoc anno colonia propagauit. Ex ea profecti quatuor è nostris stationem sedem figere cæperunt Manilæ. Ciuitas ea primaria est Lutzoniæ Insulæ, inter eas principis, quæ Orbi nostro Philippinarum nomine notæ admodum nuper esse cæperunt. Eas sunt, qui putent Barussarum vocabulo antiquis cognitas. Detexit illas recentiorum Argonautarum primus Ferdinandus Magellanes, iter in Molucas nouum ab Occidente quærens; sed detexit tantum: non item occupauit, anno Superioris sæculi vicesimo. Propius inspexit Aluarus de Saauedra anno post septimo, qui missus à Marchione del Valle cum classe armata ex portu Ciuatlaneionensi nouæ Hispaniæ, anno 1527., in vnam ex illis Insulis primam obuiam Tandayalam exscendit, eiusque possessionem nomine Castellani Regis iniit. Hæc deinde Insula ex nomine tum Regnantis Philippi Secundi Philippina vocitata, istam appellationem in alias quoque propagauit, anno vt opinor 1564., quando Michaël Lopez de Legaspi missus cum classe à Prorege nouæ Hispaniæ Ludouico Velasque, plenius suam Gentem in earum terrarum possessione firmauit, Lutzoniam earum præcipuam inuadens, quam nouam etiam Castellam nuncupauit. Sitæ Philippinæ sunt inter VI. & XVI. Gradum Septentrionem versus. In eas ex portu Nauidadensi nouæ Hispaniæ traiectus est leucarum sexcentarum. Par etiam, aut propior Cinæ Iaponiæque vicinia, quarum Gentium annua in eas olim constituta commercia etiamnum vigent. Sunt hæ Insulæ ferme quadraginta maiores, sparsis hinc inde minoribus maximo numero.

235 Et reditus Macaum. 7. Octob.

236 Mexicanæ res.

237 Institutum vtiliter Seminarium.

238 De Philippinis Insulis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Feraces pleræque pretiosarum frugum, nonnullæ vnionum, & Metallorum cultæ autem innumerabili multitudine variarum Gentium: Eminent inter eas magnitudine Mindanaus, & Lutzonia, quarum hæc latitudinis angustæ, in ducentarum facile leucarum longitudinem exporrigitur. Digna memoratu occasio est, quâ primum in eas terras est vocata Societas. P. Dominicus de Salasar Sacri ordinis Prædicatorum Primus Philippinarum Episcopus in aulâ Regis Catholici Philippi Secundi renunciatus, & Sacratus anno 1579., consentaneum suæ præcipuæ Religioni, & Apostolico zelo comitatum sibi parare constituit, ad vastas, & opis indigas regiones desponsæ sibi Ecclesiæ nauigaturo. Duos ergo & viginti præstantis virtutis viros è fratribus sui ordinis cum à superioribus impetrasset, nauem ijs comitibus Mexicum versus non feliciter soluit, si quis humano sensu rem æstimet. Nam morbis illo itinere sæuis afflicta sacra illa cohors, plus dimidia sui parte minuta est, duodecim in naui mortuis. Quin è cæteris decem, octo pene moribundi Mexicum peruenerunt. Ibi commodùm, oblata in Philippinas nauigandi occasione, angebatur homo Sanctus, & Sapiens, quòd nec differre suum ad sponsam Ecclesiam accessum Episcopi officium sineret, nec ad eam sine idoneis copijs Euangelicorum Ministrorum properare sustineret. In hoc æstu consilium cæpit corrogandorum è præsenti locis illis copia supplementorum, quam maximo numero liceret. Patres Franciscanos excalceatos, Mexici domicilium habentes inuitat, ex ijs quinque impetrat; è nostra quoque minima Societate tres ei ad manum se dederunt. Cum his additis ad duos sibi reliquos sui ordinis, Hieronymum Garciam, & Christoualem de Saluaterra, comendatis P. Dominico de Ancola Vicario in ijs Partibus Generali sui Ordinis, octo ægrotis quos aduexerat, Manilam versus soluit melioribus auspicijs. Nam omnes eò Mense Maio anni 1580. incolumes appulerunt, à Prætore illic Gonzalo Ronquilli de Pennalosa, equite Segobiensi, magnificè, ac liberaliter excepti. Hinc paulo post rebus exploratis redijsse Mexicum nostros reperio, ibique comparatis quæ figendæ sedi necessaria putarunt, anno demum hoc in quo versamur 1582. Manilam reuersos, Residentiam inchoasse, quæ magnis deinde auctibus, in tempore memorandis, creuit. Quatuor ea primum capitum fuit: duorum Sacerdotum Antonij Sedenij, & Alfonsi Sancij, duorum Sacerdotij expertium, quorum alter erat Clericus Theologiæ auditor, alter domestici Ministerij adiutor Laicus.

239 Primus earũ Episcopus Dominicani Ordinis Societatem eo vocat

240 Missio ibi nostrorum. Et residentia

Peruuia restat orbe, ac Cœlo toto diuisa Prouincia, proximè ad antarcti cum excurrens Polum. Per eam Christiana res in Collegijs quinque, & Residentijs duabus strenuè, ac cum successu curata est à nostris. Excursiones etiam in vrbes alias, ac terras laboriosissimæ, sed ex pari fructuosæ, factæ. P. Ioannes Gomezius cum Socio Laico quatuor Ciuitates inter se ducentarum ferè leucarum interuallo diffitas obiuit, & concionibus, ac ministratione Sacramentorum vtiliter excoluit. Maximè felix, & probata in vulgus eius opera fuit in grauibus, & inueteratis dissidijs componendis, Gomezio cum plenis beatarum frugum manipulis Limam reuerso, prodijt indidem cum Socio alter Sacerdos noster P. Ioannes de Hinozosa in Pagum Deycam vocatum, quinquaginta leucis, à Lima, vbi concionando, ac Sacra ministrando ingenti suo labore magnos fructus legit. Paucitas operariorum fecit, ne per ostium Euangelio apertum magnum, & euidens ire Cusquenses nostri potuerint, quo spes verisimilis frugis vberrimæ vocabat. Christianus indus ex culta Hispanis regione nescio quâ causa fugiens, quindecim dierum itinere in latam, & Incolis frequentem Prouinciam peruenit, in qua cum Indigenis forte delatam inter sarcinulas Crucifixi effigiem ostendisset, percrebuit inter barbaros, & ad Principem delatum est, adesse hominem qui famosum illum, & victorijs mirificis formidatum Christianorum Deum secum ferret. Accersit, eum curriculo Regulus. Erant, cum eo qua Nobiles, quâ Satellites ferè trecenti: His stantibus in atrio Palatij, medius in ijs Princeps hospitem iubet sibi dudum cupido videndi Christum ostendat. Promit ille Crucifixum quo Barbarus in manus sumpto. Hiccine, inquit, ille Deus est cuius ope cœlesti.

241 In Peruuia Ioannis Gomezij vtiles labores.

242 Miraculum insigne in Crucifixo monstratum Ethnicum Principem conuertit.

Per-

Peruuiam Hispani deleto Ingarum imperio subegerunt? Aiente illo. Atqui, subiecit Princeps, hæc quidem homunculi infirmi, & miseri figura est: abisis in rem malam, cum isto tuo Deo, simul in sacrum signum expuens, cum risu, & contemptu hospiti reddidit. Mira hinc res traditur, cui fidem abundè magnam Barbari Dynastæ mutatio mox secuta, & palam celebrata facit. Simul in manus Christiani venerabile simulacrum redijt, repente cunctis clarè cernentibus caput mouit, & ex dexera in quam propendebat parte in sinistram se flectens, minacibus oculis Principem cæterosque qui aderant intueri cœpit, Omnes statim præter vnum illum qui Crucem manu tenebat, in terram concidunt, ac mortuis similes sine sensu iacent. Fit concursus populi ex Vrbe frequenti, mirantibus cunctis, post tres fermè horas exurgit Princeps, clarâ voce inclamans: verè magnus est Christianorum Deus. ingeminant idem Aulici, & ipsi ex longo stuporè sibi redditi. Edicitur subitò in populum, capitalis comminatione pœnæ, ne quis vlla contumelia violare Christianorum Deum audeat. Ipse Regulus Sacellum iuxta Palatium extrui oriarique iussit, quo pro illarum vsu Gentium citò peracto, Sacram effigiem ibi collocatam ipse primus adorauit, imitantibus passim vniuersis. Tum præter istum alios quoque è Christianis terris transfugas conquiri adducique iussos interrogabat, ecquid tandem de Christianorum Deo compertum haberent? communicarent sibi, & quibus ritibus, ac cerimonijs coli fas esset Numen cuius ipse, ac sui vim sensissent. Ferme omnium in id conspirauit sermo, parum se de his scire: sed esse quosdam Cusqui Sacerdotes ex Europa aduenas, qui eam propriè artem factitarent tradendæ Christianæ Doctrinæ: Eosdem humanos inprimis, & perbenignos esse. Princeps his auditis, eò se conferre constituit; ac repentè cum vnico filio sexenni, & sex Dynastis sibi familiaribus, ducibus Transfugis duobus, se dat in viam, cultu omnes, ac vestitu patrio mutato, ne qui, & vnde erant agnosci possent. Cuschum vbi peruenit, vsus internuncio Hispano quodam nobili alterius è Transfugis affini, P. Rectorem conuenit, ab eoque, causâ itineris arcano expositâ, petit, vt aliquos secum ituros mittere ne grauetur, qui Gentem suam Christianæ religionis præceptis informent. Accepit hominem omni honoris, & affectus significatione Pater: cæterùm paucitatem Sociorum, & Prouincialis absentiam excusans, negauit se posse aliud in præsentia quam eos, qui aduenerant rudimentis Christianæ fidei primis imbuere. Interrogauit Regulus quantum hinc distaret Prouincialis. Quadringentis milliaribus, respondet; nec ante duos menses ab eo responsum haberi posse. Negauit Princeps tanto spatio Cuschi morari sibi licere: metuebat enim ne ex suâ diuturniori absentia turbarum quidpiam domi nasceretur. Cæterùm se filiolum apud Patres relicturum, qui per otium erudiri, ac baptizari posset. ita cum reliquis comitibus Princeps quantum licuit admonitus instructusque, domum repetit. Vbi eum cum quiescere salutares stimuli non sinerent, bimestri exacto, pari ac prius cultu comitatuque ad condictum Cuschi adfuit. Relatum à Prouinciali responsum inuenit; sed non quale optabat. Excusauit Pinna non esse sibi ad manum, quem in tam longinquam posset expeditionem dare; nec Rectorem Cuschensem omissa tanti momentl Præfectura peregrinari tali tempore videri expedire. Conturbatus inopinata repulsa Regulus, & ad animi ægritudinem accedente inualetudine corporis, insueto itineris labore fracti, consilium capit remittendi domum filij iam baptizati. Ipsum se dixit ad curam corporis animique Cuschi remansurum. Dimisso puero ingraueſcere morbus parenti cæpit, ac cum eodem tempore animæ Cathecumeni, & membris ægrotantis curationes sui quæque generis sedulò adhiberentur, eæ haud pari successu proficiebant. Vegetior quotidie spiritus, caro infirmior fiebat. Donec ad extremum non dubiè iam instante morte, ritè ablutus sacris aquis Princeps, purum animum inter egregias spei, & arcani gaudij significationes, Deo reddidit.

243 Profectio eius Principis Cuschum

244 Eius baptismus, & pia mors.

HISTO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS QVINTAE TOMVS PRIOR

A.C.1583.

Liber Tertius.

Soc. 44.

1 Translatio SS. Abundij, & Abundantij, in Templum Domus Professæ Romanæ.

I VVAT annum auspicari ab honore, & patrocinio Cœlitum. Romæ Professorum in Templum nuper Farnesij Cardinalis impensa perfectum, ex peruetusta æde Sanctorum Cosmæ, & Damiani, Gregorij Summi Pontificis concessu, qui & pecuniam ad celebritatem attributi, Abundij Presbyteri, & Abundantij Diaconi Martyrum sacra corpora, pridie eorum natalis XVII. Kal. Octobris, magnifica cæremonia illata sunt. Celebrata est supplicatio non solum ab Religiosorum familijs, sed etiam ab Sodalitio B. Virginis, quòd erat in Romano Collegio, ab Clericis, & Conuictoribus Seminarij, ab Germanico, Vngaricoque, & Anglicano Collegijs: quoque latiùs pompa explicaretur, ad sinistram Cliui Capitolini, per macellum Coruorum ad Romanum Collegium producta est, vbi cuncta ingenij, literarumque opera conuestiuerant. His feriâ quinta gestis, toto inde triduo sacra pignora in ara ad id medio templo excitata, populi, qui plurimus accurrit, venerationi fuere proposita. Insequenti anno septimo Kal. Octobris, vbi rite à Cardinali S. Seuerinæ consecratum est templum, recondita sunt in concamerata cella subter ipsum Altare maximum, loculo inclusa nobili è punico rubenti marmore. Ibi hodieque religiose coluntur. Die Assumptæ in Cœlum Deiparæ illud quoque Gregorius nouæ Basilicæ decus addiderat: solennia Pontificalia cum Cardinalibus inibi celebrarat: quo primum die Sacrosancta Hostia in ara principe immolata est.

2 Pontifex in nouo Templo celebrat.

3 Somnium præfagum Maldonati.

Ineuntem annum Ioannis Maldonati excessus fecit insignem. Iam pridem in Gallia Commentaria, quæ post edita magni fiunt à doctis, in quatuor Euangelia scribenti, aliquoties secundum quietem vir apparuit cohortans ad perdiu superfuturum: quæ dicens videbatur digito certam Patri ventris partem contingere. Eam rem Maldonatus pro somnio neglexit. Haud multo post Romam ad Generalia Comitia inter Franciæ Electores venit: iussusque ab eidemque die S. Thomæ Apostoli superiore anno, vice Natalitij muneris dedit. nouo Generali Claudio in Sancta Vrbe subsistere, cœptum opus elaborauit, Mirum dictu. Paucis post diebus graui intestinorum dolore corripitur in ea ipsa ventris parte, quam tot ante annis nocturna illa species designarat; ex eoque cruciatu nonis Ianuarij prope repentino extinguitur. Vir multiplicis, & exactæ Doctrinæ, nihiloque minoris, siue pietatis, siue prudentiæ, deque Societate, ac re Catholica optime in Gallia meritus, vt sæpe à nobis supra est demonstratum. Ortus est in ea Hispaniæ regione, cui Magistratus S. Iacobi est nomen. Societatem cum inijsset Romæ anno 1562. iam Latinis literis, Græcisque, & Hebraicis, Salmanticæ perpolitus, Philosophiam, ac Theologiam aliquandiu etiam professus, in Romano Collegio antequam Parisios mitteretur, annum vnum Conscientiæ quæstiones docuit. In maturitate Doctrinæ,

4 Eiusdem mors. Et vitæ summa.

næ, ac rerum gerendarum annum circiter quintum, & quadragesimum agens ereptus est, summo omnium, Gallorum præcipue Catholicorum, dolore. Memorabilis quoque fuit Vincentij Aragonij migratio. Is Caroli Ducis Terræ-nouæ, tum Gubernatoris Mediolani, filius, vita aliquandiu pie domi exacta, perfectionis, Societatisque studio, maxime (quemadmodum in epistola ad Præpositum Generalem ipsemet scripsit) honorum Ecclesiasticorum, quibus à Parente destinabatur, vt declinaret pericula. Romam cum Vincentio Castagnola militari duce nobili consilia eadem coquente venit. Dumque ab Duce, quem Claudius continuo certiorem fecit, literæ perferrentur, ad S. Andreæ secessit, Sanctam hebdomadam, quæ instabat, remotior ab seculi turbis celebraturus. Hic statim morbo percellitur, ex eoque demum ipso Sacri Paschatis, postquam vrbem attigerat quartodecimo die, decessit: plane fortunatus, & meta religiosi curriculi in carceribus reperta, & molestijs, tentamentisque præreptus, quæ à propinquis haud dubie imminebant. Tanquam Societatis Nouitius in Professorum Templo sepultus est, & solennibus suffragijs impertitus. Pari felicitate Societati moriens additus Georgius Gilbertus, de quo in rebus Anglicanis non semel ante meminimus: sed hoc loco rara iuuenis virtus paulo plura desiderat. Artibus à puero nobilitate dignis instructus, arma etiam, & equos ita tractabat, paucos, vt pares haberet. Quibus dotibus, multoque magis suauitate morum, & elegantia ingenij, mirifice animos omnium, quos vsu semel contingeret capiebat. Vbi ad Catholica reuocatus est sacra, quam ex animo suscepcrit religionis in Anglia strenueque gesserit causam, operæ pretium est ex Personij in eius commendationem ad Pontificem Gregorium datis literis recognoscere: Nunc restat, inquit, vt aliquid Sanctitati Vestræ significem de latore harum literarum, qui, vt verum fatear, præcipua causa fuit huius meæ scriptionis. Iuuenis est nobilis Georgius Gilbertus nomine, qui vniuersæ Angliæ spectaculum factus est rarissimum. Hic enim cum amplo esset patrimonio, magnaque apud Aulam in gratia, se, suaque omnia pro religionis Catholicæ defensione deuouit. Primo enim ingredientibus nobis in Insulam, cum cæteri, vel timerent, vel dubitarent, ipse solus nos recepit, fouit, vestiuit, & aluit, pecunijs, equis, famulis nos iuuit: deinde per Insulam nos suis sumptibus circumduxit, ipse simul nobiscum peragrauit, libros, cæteraque necessaria dedit: prælum nobis comparauit: possessiones quasdam vendidit, ex eisque pecuniæ bonam summam nobis ad omnes vsus attribuit, quibus causa Catholica promoueri posset. Neque hoc solum fecit, verum etiam carcere inclusos omnes pro fide Catholica, continuis eleemosynis reficiebat. Quibus rebus tam odiosus breui tempore Hæreticis factus est, præsertim quod partibus eorum aliquando adhæserat, vt vbique locorum eum persequerentur, acerbissimamque mortem minarentur, si capi posset. Quod licet ille parum curaret; tamen cum amplius illum religioni seruire non posse cernerem, nec in Anglia morari sine manifesto periculo vitæ; maiorque nobis esset labor, & solicitudo in illo, quam in nobis protegendis, persuasi illi tandem, vt relictis omnibus, mare transmitteret, & meliori tempori se reseruaret. Nunc igitur Sanctitatem Vestram humillime supplico, vel supplicamus potius Sacerdotes omnes quorum Patronus benignissimus hic iuuenis existit, vt eum respiciat, & consoletur Vestra Sanctitas, pro ea consolatione, qua ipse viscera nostra refecit, vel causam potius communem sustinuit. Si quid enim boni vnquam effecerimus, eius magna pars huic Iuueni tribuenda est. Quare si istic par ei caritas reddatur, res erit apud omnes magnæ ædificationis, & apud sui similes non exiguum calcar, vt illius facta in posterum imitentur. Hæc in epistola illa Personius, qui alibi explicat, dum in circumducendis Patribus Gilbertus peregrinaretur, commutato subinde vestitu in famuli habitu, & ministerio, discursare solitum per continua vitæ discrimina. Vbi discessit ex Anglia septem equis ad Sacerdotum vsus, & vi magna pecuniæ relicta in Sanctæ eius procurationis impensas, magnam quoque secum abstulit, non in sua, sed in pauperum commoda:

5 Vincentij Aragonij felix obitus.

6 Georgij Gilberti nobilitas, & dotes.

7 Testimonium Personij de Gilberto.

8 Liberalis eius caritas.

9 Hæreticorũ in eum odium.

10 Recessus eius ex Anglia, & liberalitas in Catholicos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

da: ex qua statim Anglicanis quibusdam Sanctimonialibus sexcentos aureos Rothomagi, mox Alano Rhemis octingentos dedit. Romæ in Anglicano Collegio exceptus, quamuis Præsides cum eximerent, tamen extra ornatum vestium, quem ad tractanda liberius negotia non assumpsit, prorsus ex communi alumnorum disciplina vitam vltro instituit: idque ea seueritate, vt cum latina-

11 Vita eius sancta in Seminario Anglicano.

tur, si quando compellaretur Anglice, non responderet nisi latine, & colloquentem, nisi exemplum ad eius emendationem valuisset, aperte verbis dulcissima cum modestia admoneret legis. Hinc velut ex linea perfectio vitæ, & virtutis subtilitas æstimetur. Consilia, nutusque Rectoris, iussi apud se obtinere vim volebat, ac visus est diuinitus ad obedientiam institutus. Nam vitæ sub extrema cum sibi quiddam ab Agazario porrectum, natura iam cuncta fastidiente, respueret, simul Pater adiecit, obedientiæ vt amore susciperet. Non possum, inquit, non tibi Pater obtemperare, vti semper hoc studium

12 B. Virgo ei apparet.

cordi habui, summaque alacritate suscepit, ac subinde alij è patribus secreto narrauit ob huius obedientiæ pretium, Beatissimam Virginem tranquillum sibi ac serenum ostendisse vultum, cum paulo ante, quod ipse quadam in re sententiæ suæ adhæserat, vultu non admodum læto apparuisset. Ita Præsidibus, ita Collegij legibus parens, quod tamen ad vitæ asperitatem attinet, hactenus ad communem se normam accommodabat, nihil vt citra modum communem faceret, non vt esset ea officiorum mediocritate contentus. Bis quaque hebdomada cædebat corpus flagellis, quæ post eius obitum detrita, & cruenta reperta

13 Mortificatio eiusdem, & calumnia.

sunt: bis cilicinis atterebat setis, quas sub molli vestitu induebat: infimum vbique in cœtibus locum, deterrima ex rebus communibus ambiebat. Nihil audiebat maiore cum stomacho, quam laudes suas. Pudicitiam pridem Deo deuouerat; & ipsi etiam oculi spirare sanctimoniam videbantur: quos ea prouisione temperabat, vt ne per imprudentiam quidem in fœminarum conspectum incurrerent. Quinas orationi quotidie vacabat horas, ac totos sæpe ipsos dies, nisi pia causa domo abstraheret; interiectis inter meditationes spatijs quæ meditatus erat retractans, deinde etiam scripto excipiens. Dum contuberhales

14 Studium orationis.

nocturna quiete reficerentur, ante diuinissimum Christi corpus perdiu orans excubabat. Demum quandiu vigilaret, hora nulla perlabebatur quin sublata in cœlum mente, præsertim inter agendas res, Deum sæpe alloqueretur, versiculis ad hanc rem psalmorum delectis: ad hæc solenne B. Virginis Officium quotidie percurrebat, vt hoc eam communi vsu recepto veneraretur obsequio, quamuis alioqui totus in oratione mentali, vocali non admodum vteretur. Singulis Dominicis, ac festis diebus, diuinissimo Christi corpore pascebatur, haud sine gemitibus, ac lachrymis, quamuis conaretur premere, propalam crumpentibus. septem Vrbis Basilicas alternis cum minimum salutabat hebdomadis, ac ferme solus, & per infrequentiam, quo attentius cum Deo, atque cœlestibus ageret. solebat dicere: ita in oratione perseuerandum, vt quodammodo vis Deo fieret, quemadmodum Iacob dicebat Angelo, non dimittam te, nisi benedixeris mihi: seque ferè quæ cupiebat impetrasse sic orantem, Hinc Domine non recedam nisi id, quod postulo, vel certè, nisi firmam impetrandi fiduciam dederis. Meditationem non nisi in vita, ac morte Christi Domini exercebat. vnde professus est geminum sibi votum exarsisse: alterum quicquid supererat facultatum (cum adhuc nihil ab se gestum existimaret) itemque operam

15 Propositum vitæ religiosæ, & martyrij desiderium.

sanguinem, ac vitam in Sanctæ Ecclesiæ, & animarum commoda impendendi, vt similis fieret Christo, qui amauit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Alterum ineundæ Societatis, quod valdè formam vitæ eius conuenientem Christi vitæ censeret, cum, & ipsa in Sanctæ Ecclesiæ, & animarum vtilitates, vita etiam prodigenda, omnis intenta esset. Hæc duo quotidie coram diuinissimo Sacramento precabatur, postulans vt si dignus non haberetur qui pro fide certans in acie caderet, saltem in Societate decederet. Plurimus ei sermo de Martyrio obeundo, deque iucunditatibus, quæ in susceptis Dei causa ærumnis abun-

abundant, præmioque immenso ex pusillo labore, cum illud Sancti Pauli inculcaret, Momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et alumnorum meditationes in tribus hisce capitibus versari omnes optabat, in vita, & pretiosissimo excessu Christi Domini, in præstantia bonisque Martyrij, & in choris cælestium salutandis, hoc modo. In beatam illam Ciuitatem mente ingressos volebat ad Diuorum singulos cum veneratione accedere, & interrogare vnde suum quisque adeptus præmium ac decus esset, tanquam ex S.Francisco, vnde illi tantæ opes, ac tanta solij celsitas? Et audire respondentem, ex humilitate, atque paupertate, ex Bartholomæo, Stephano, alijs vnde tam nobilis purpura, tot radiata gemmis corona? cumque responsum ille dederit, quia pro Christo detrahi sibi pellem sustinuit, hic quia diros lapidum ictus excepit, inde ad consimilia perpetiendi voluntatem incendi: Multum enim valere eiusmodi exercitationem ad ærumnarum pro Christo amorem inflammandum. Hoc ille amore totus ardens præcipuo studio colebat Martyres: nec quicquam in immatura morte tulit acerbius, quam quod in lecto quasi per ignauiam vitam abijceret. Iam moribundus cum iuuenes, qui aderant lachrymantes vidissent, singulos nominatim appellans, Tibi, inquit, nulla flendi est causa, quia pro Christo multa es passus: deinde alij, atque alij, neque vobis, quia si nondum ita multa passi estis, adhuc & multa gerendi, & obeundi martyrij superat spes. Mihi dolendum, mihi lacrymandum est, qui nulla re gesta inutilis morior: Atque intentis in Christi è Cruce pendentis effigiem, quam manu sustinebat, oculis, voce lamentabili: Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum. Tum sua deplorans peccata, quodque sero Domini caritatem cognouisset, & multa id genus; cum oblata Cruce illa, quam Briantus in carcere fabricarat, excitata esset fortissimorum Heroum familiarium suorum memoria, Cur & ego, inquit, Domine, vinculis illis dignus non fui, illis equuleis, & pretiosa illa morte? Cur non & ego tua causa laceratus, distentus, laniatus sum? O si vel hac hora dares, vt in aliquo Londini foro ita raptarer, & excarnificarer, vti seruus tuus Campianus tractatus est. Denique post multa admirabili sensu dicta, emissis, vti P. Generalis potestatem fecerat, Societatis Vosidium amissum in eo ipse Pontifex dixit. Cadauer, vti optauerat ad S. Andreæ in commune Tyronum sepulcrum illatum est. Extat non absimilis ei imago in S.Georgio, quem ille cum Anglis fidei causa mortem, aut carceres passis, vt eadem opera claros Heroas honoraret, & iuuentutis Anglicanæ animos excitaret, in Templo Seminarij Anglicani eleganter pingendos curauit. Testamento Tyronibus S. Andreæ octingentos legauit aureos: sed eos Claudius Generalis ad Alanum transmisit, vt pro sua voluntate ad subleuandas Anglorum calamitates conferret; testatus se ex ipsis Collegijs, si facultas supperet, in leuamentum adeo dignæ misericordia causæ collaturum esse. Ferax fuit hic annus Romanæ Societati nobilium germinum. Vincentio enim, Georgioque in flore decerptis numerosa succesit soboles in frugem adulturamaturiorem. Inter cæteros Romani tres super alia ornamenta natalibus clari. Hieronymus Vbaldinus, vir grauis, & honoratus ex Romanæ Curiæ Præsulibus ijs, quos Referendarios Apostolicos vocant: cui Gregorius Pontifex enixe roganti non illibenter potestatem dedit ad religiosam militiam secedendi. Stephanus à Bubalo, & Mutius Vitelleschus, quibus item quas propinqui nectebant moras, benigne Pontifex sustulit. Mutius anno ante ad Societatem venerat; Parentique quiritanti redditus ea conditione, vt annum ipsum constantiam probaret. Vbi primum annus circumactus est, Patre nihilominus cunctante, ad Pontificem fugit, ab eoque ad S. Andreæ Tyrocinium missus est. Aliarum Nationum præcipue nominandi Bernardinus Mediceus Florentinus, Doctrina, modestiaque singulari, & Guilielmus Brokesbeus Anglus è prima nobilitate, stirpsque familiæ, qui post susceptam ditionis paternæ pos-

16 Pretiosa eius mors.

17 Pecunia à Claudio Alano missa.

18 Ingressus in Societatem quatuor illustrium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

19 Guillelmus Brokesbeus, Sponsa Virgine relicta in Societatẽ transit.

sessionem, alterum & vigesimum annum agens, animi dotibus, & oris figura Cæli, quam terræ incolis propior, omnia, & simul sponsam, quam ad perpetuam Virginitatem, vti ipse faciebat, colendam hortatus est, Religioni posthabuit. Romæque inter Alumnos ad annum Conuictor versatus, primo ad Societatem, tum in Cælum ex ea tertio anno migrauit. Sed & Robertus Iones, & Arturus Cresuellus ex Anglis recepti, post hæc in rebus Anglicis sæpe dicendi. Cæterum quanto Deus numerosiore, ac selectiore augebat Societatem sobole, tanto in ea promouenda, excolendaque Claudius Generalis impensius excubabat. Itaque cum visere vniuersam, vti optabat, nequiret; expertus ex ijs literis, quas ad Prouinciales, cæterosque Præpositos biennio ante dederat, haud pœnitendam vtilitatem; Patrumque insuper multis, & maxime Possevino incitantibus, vt aliquid cohortationis ad omnes communiter exararet, nobilem Epistolam de Instauratione spiritus, quæ edita extat, misit: iam tum ad communicationem faciliorem typis excusam. Multum quoque, vt id laboris susciperet impulere læti nuntij de aperta in Indijs, ac

20 Epistola Claudij de Renouatione Spiritus.

maxime in Iaponia, nouis Missionibus porta; vt nimirum conarentur socij vniuersi tanto se aptiora adminicula diuinis manibus fingere, quanto apparebat velle Deum latius eorum operâ vti. Impetrauit ad eam rem etiam ab Summo Pontifice Iobelæum, & addidit cohortationem, vt singuli ad aliquod tempus Beati Ignatij Exercitationibus, ab reliqua omni procuratione vacui percolerent se se, atque componerent: nullam existimantes iacturam boni publici tantulam cessationem: cum id otium, quo miles instaurat vires, ac roboret, victoriam non retardet, sed incitet. Nec solum in remotissimis Indiæ

21 Rei Catholicæ propagandæ occasiones.

regionibus, ac nouo orbe, sed etiam in propiore Orientali Ecclesia videbatur propagandæ rei Catholicæ occasio aperiri. Nam in Dalmatia Thraciæ, Syria, Mesopotamia, Ægypto homines Societatis hoc anno Euangelij causa vocati sunt. In Dalmatia Philippus de Philippis, & Simon Bonnicius dum Ragusæ rem bene gerunt, digressi per Magnum ieiunium, accitu Episcopi, Catharum, ea approbatione, & fructu posuere labores, vt Antistites, Magistratusque Ciuitatis summo studio, datis publice, priuatimque ad Generalem sæpe

22 Ragusæ, & Cathari res bene gesta.

literis, contenderint perpetuam vti Sedem Cathari Societas figeret: quod cum ni tempore Ragusæ Philippus cœpta est persequutus. Bonnicio in Italiam, cuius opera Romæ in Pœnitentiariorum Collegio necessaria erat, reuocato, in eius locum Ambrosius Castanea submissus est, & additus Ludouicus Mansonius, Cardinalis Farnesij Ragusæorum Patroni postulatu, qui per sacrum Aduentum, & Quadragesimam, Diuinum verbum exponeret. Iulius Mancinellus, & Marinus Tempariza Ragusæus, qui diu inter Turcas mercaturam exercuerat, & Honoratus Casa Massilienſis, qui post ab Societate defecit, Sacerdotes cum Iacobo Casamartina item Massilienſi genere, & Francisco Græco

23 Quinque è Societate missi Constantinopolim.

Laicis missi, Constantinopolim sexto Idus Nouembris peruenere, non leuibus in itinere perfuncti periculis. Pera, quam & Calatam vocant, vrbs est Constantinopoli prope continens, solum modico sinu maris, ac portu interiecto disiuncta, quæ à Christianis incolitur magno numero, sed plerisque Schismaticis: sunt tamen, & quædam Catholicæ domus. His, præcipueque Christianis captiuis, tum etiam Schismaticis futura vtilis Societatis opera videbatur. Præterea in Turcarum procerum gratia, si conciliari quis posset, multum erat momenti ad Orientem totum, ac ditionem Turcicam impune, ac libere peragrandam. Itaque cum præsto esset Templum Sancti Benedicti, cum domicilio vacuum, & Regis Christianissimi, Venetæque Reipublicæ, vt nominant,

24 Peræ in S. Benedicti Cœnobium excipiuntur.

Consules Iacobus Germignius Diuionensis, & Ioannes Franciscus Moresinus, qui post Episcopus Brixiæ, & Cardinalis fuit, impense fauerent, censuit Beatissimus Pater sua pecunia tentandam rem. Excepti sunt Mancinellus, ac Socij singulari beneuolentia, & in Sancti Benedicti Cœnobium introducti: statimque consueta solandis, atque excitandis Christi fidelibus ministeria aggressi

gressi magno studio, verum prouisione maxima, ne quam loco tam lubrico offensionis causam præberent. Mesopotamiæ adeundæ ea fuit occasio. Naama Iacobitarum Patriarcha Antiochenus, Patriarchatu in Dauidem Fratrem translato, venerat Romam, attuleratque ad Pontificem Catholicæ fidei professionem, quam ab duodecim Præsulibus Iacobitis receptam, atque subscriptam à Dauide mitti ferebat. Vti sane res erat optanda, ita Naamæ fides non

25 Naamæ Iacobitarum Patriarchæ aduentus Romam.

plane certa. Quare Cardinalis Sanctæ Seuerinæ ad P. Baptistam Elianum in Phœnicia tunc agentem literas dedit, vt de tota re cognosceret. Is inquirendo reperit: Præsules Iacobitas omnino in suis obstinate hærere dogmatibus: Naamæ literas datas quibus significabatur beneuolentia, & veneratio erga Romanam Ecclesiam, quia intelligebant id necessarium, vt Naama Romæ clementer acciperetur. Qui cum ante ad Mahometem desciuisset, inde reuersus ad Christum, in ditione Turcarum sine supplicij summi discrimine versari nequibat. His Romæ cognitis, tamen Gregorio placuit occasionem arripi ferendi alicuius commercij, ineundæque consuetudinis cum Ecclesiarum Orientis Pastoribus. Pulchrum enim in tanta re omnia experiri: nec posse exitum vnquam tam præter vota contingere, quin ipso in conatu abunde pretium extaret operæ. Fieri etiam posse, vt inchoata non optima fide commercia, meliore finirentur, ipso congressu, & tractatione illustratis Catholicæ fidei decretis, & hæresum vanitate ostensa. Igitur, & ad ipsum Dauidem, & ad Armenorum, & Melchitarum Patriarchas, & ad Hierosolymitanum Archiepiscopum statuit certos homines mittere. Ad hanc peregrinationem Leonardus Abela, Sidoniæ Episcopus, genere Melitensis, & ob linguæ Arabicæ peritiam, quæ vulgaris est Melitæ, & ob animi virtutes eligitur: eique tres è Societate adduntur, Leonardus Sanctangelus consiliorum socius, ac Theologus, innocentiæ vir singularis, ac summæ in magna Doctrina modestiæ, Ignatius Casa Hispanus, item Arabice sciens, & Ioannes Franciscus Lanzca natione Gallus, ille Sacerdos, hic Laicus. Hi omnes, & Franciscus Saxus, qui in Ægyptum mittebatur, Roma 4. Idus Martij profecti, Venetias prospere attigere. Hic relicto Saxo, qui recta Alexandriam paulo post nauim vela facturam opperiebatur, cæteri naui conscensa, in qua & Dux Olificus, & Iacobus Benedictus, quos à P. Generali Dux peregrinationis Hierosolymitanæ comites impetrarat, Zacynthum primùm, opera in cursu militibus, ac vectoribus, nauata vtiliter; inde Cretam tenuere: tum Cyprum, ac subinde Tripolim prouehuntur, vnde breui excursu Episcopus, ac Socij Montem Libanum visunt. Optime iam compositas Maronitarum res læti inuenere: atque ipsum Patriarcham ex Monasterio Canubino cum Monachis prælata Cruce obuium habuere. Hic tres de Societate magno studio, quoniam solennem tempus instabat, sua de more vota renouarunt Principum Apostolorum natali. Tum Aleppum pariter omnes contendunt: vbi cognoscunt Antiochenum Patriarcham Dauidem, ad quem præcipue cum literis à Summo Pontifice, muneribusque, & Sacro Pallio mittebantur, decem circiter inde dierum itinere abesse, in Vrbe Caramit, ad Mesopotaniæ fines, agentem. Infestissima erant itinera, Mercatoresque nostrarum partium conclamabant, extremæ esse temeritatis eam peregrinationem Episcopum, Patresque suscipere: frequentia esse Arabum Latrocinia: imminere occasioni Turcas, suspicacissimum, & auariſſimum genus: omni ope vitandum, ne quid suboleret ijs, vnde ansam arriperent tum in nostros, tum in Iacobitas, crudelitatem, & auaritiam exercendi. Itaque consultius visum est Tabellarium mittere, qui nunciaret ipsos adesse ab Romano Pontifice cum literis, muneribus, ac mandatis: locum congressui, quem maxime arcanum opportunumque iudicaret, deligeret, nec de impensa itineris laboraret: benignitatem Summi Pontificis vltro suppeditaturam. Hoc misso tabellario, statim apparuere indicia, Naamam, qui Romæ erat, non bene agere. Nam in literis quas ad Iacobitas Aleppienses de-

26 Pontificeis ad Armenos legatio.

27 Franciscus Saxus in Ægyptũ missus

28 Duci Olicæ Ierosolymã peregrinanti duo è Societate comites dãti.

29 Visitati obiter Maronitæ.

30 Nunciatur Patriarchæ aduentus legatorum.

31 Naamæ parum bona fides detecta

Universidad de Deusto
Biblioteca

derat, commonebat etiam atque etiam eos, idem vt saperent, tenerentque, quod tam multis ad hanc diem annis tenuerant. Designauit locum congressui Patriarcha, Monasterium S. Abigi in Galgali, Sanctitatis opinione venerandum, itinere diei ab Caramit, in valle altissima ad ripam Euphratis, quo per abrupta, ac præcipitia non sine horrore, metuque descenditur. Huc ab Aleppo Episcopus duntaxat, & Leonardus, quo magis laterent, peregrinantium ritu, venere; diuque expectato Dauide, alter quidam eius Frater, & Episcopus, idemque Vicarius, nomine Thomas, apparuit, denuntians nullo modo fieri posse, vt Patriarcham ipsum alloquerentur, nisi omnia in casum dari velint, & Patriarchatum proijci. Non erat obscurum exaggerari pericula ad vitandum Colloquium, quo tota legatio speciosius eluderetur. Ergo Episcopus, ac Leonardus instare, miscere rationibus preces, commemorare clementiam Sanctissimi Patris: tantum ab ipsis maris, tantum terrarum decursum, tot pericula adita: iam quando tam prope absint à Patriarcha, liceat coram salutare, & quam velint per cautionem affari. Iacobita obstinate pernegare, fieri rem posse, cæterum se loco eius missum, nihil ab se minus, quam si Patriarcham alloquerentur, impetraturos. Itaque cum alia via non superesset, ei proponitur formula Catholicæ fidei, quam Pontifex summus profitendam mittebat. In ea vbi Iacobita reperit, recipiendum Chalcedonense Concilium, Dioscoroque, & Eutycheti renuntiandum, totus animo, vultuque commotus, hæc vero, inquit, ex eo genere sunt, quæ planè fieri nequeunt. Nam Dioscorus genti nostræ Sanctus est, & religiosè colitur: cumque placide Leonardus, quòd hominum viribus fieri non poterat, facile esse memoraret Deo, apud quem impossibile non est omne verbum, præsertim quod id non ex abrupto, ac temere, sed leniter, ac pedetentim efficiendum esset. Ille interpellans, si quid, inquit, tandem conandum est, non hic est locus. Alepum recedite, illuc Patriarcha, atque ego veniemus, resque è sententia transigetur. cumque nostri intelligentes ea verba esse ad abrumpenda penitus negotij exorsa, subsequerentur, admodum esse durum post tantum iter, ne coram quidem alloquendi Patriarchæ copiam fieri, & spatium aliquod ad capiendum consilium sumerent, rursus Iacobita: Apertè, inquit, agam, ac liberè, nec quod præstaturus non sum consilium est polliceri. Vt Dioscorus deseratur, quem Iacobitarum genus etiam in re diuina pro Sancto inuocat, fieri non potest. Citius carnificinam quamlibet Natio vniuersa subibit. Itaque primo quoque tempore abitote, ne periculis, quæ ex vestro aduentu imminent, nos impune opprimamur. Non cessabat tamen Leonardus modestè, & grauiter demonstrare, quam iure damnatus Dioscorus esset: quam iniquum veritati oblatæ ne aures quidem commodare: demum ex composito omnes diuersis vijs in proximum vicum concedunt; hinc Thomas pollicitus erat auditurum se Catholicorum rationes: cæterum bonus vir nulla sui facta copia, nocte intempesta, per codicillum, Episcopum, ac Patrem extemplo iubet facessere: caput agi si lux eo loco offenderet. Enotuisse Turcis, & Arabibus eorum aduentum, iactarique pecunia arcas plenas detulisse ad Patriarcham, vt is Turcas proderet. Hic quid consilij caperent Episcopus, & Leonardus aliquandiu incerti, cum ex vna quidem parte vehemens suspicio esset ea fingi à Iacobita: ex altera tamen vel inde essent timenda quod ipsemet eum rumorem, si nullus esset, excitare, & pericula, quæ denunciabat, creare poterat, eoque propenderent, vt continuo iter corriperent, tamen quia Iannizarus, quo duce vtebantur, necessaria viæ non præparârat, substitere ad ortam vsque lucem. Quos vbi Thomas aspexit, vltro accersiuit, ac non nulla de rebus fidei leuiter disputauit. Quo in sermone Leonardus discrimen inter naturam atque personam diligenter aperuit, vel ex eo, quod in Sanctissima Trinitate cum personæ tres sint, vnica sit natura. Dioscorum autem huius ignoratione discriminis, vt fugeret Nestorij impietatem, qui duas in Christo personas statuebat, in scopulum alterum incidisse, atque ne geminaret personam, etiam permiscuisse naturas, quod fieri nullo modo potest, cum verus

32 Episcopus cum Leonardo in Monasterio S. Abigi veniunt.

33 Spe videndi Patriarcham frustrantur.

34 Vicarij Patriarchę Hęresis, & tergiuersationes.

35 Iacobitarum pertinacia in cultu Dioscori.

36 Catholica Doctrina contra Dioscorum.

rus homo, verusque Deus fuerit Christus, ac sit, nec possit natura siue humana in diuinam conuerti, siue in humanam transire diuina. Itaque cum aliud sit persona, aliud natura, vt in Sanctissima Trinitate vna natura, tres personæ sunt, ita in Christo omnino personam vnam, duas agnosci debere naturas. Hæc differentem Thomas interpellat, recteque dici ea confirmans, comiter apprehensa Leonardi manu, se Romanæ Ecclesiæ perstudiosum esse profitetur; quodque in præsentia non perducatur ad exitum, olim perductum iri. Ac Pater, si ita, inquit, cum Romana Ecclesia voluntate iunctus es, cur non & mente & voce consentis, vt id profitearis, ac prædices, quòd ipsa à Christo Domino edocta, firmamentum veritatis, & omnium mater Ecclesiarum tradit? Omnia, inquit, ille, suo fient tempore. Atque hic exitus fuit Anthiochenæ legationis: in qua, id quod alio loco nostrorum annalium docuimus, potuit animaduerti, quam cautè accedentibus Romam earum gentium legatis, Patriarchisque commodanda sit fides: quamuis rectè faciendi, diuinæque lucis opportunè importune ingerendæ miseris populis, nullum debeat veros Christi amatores, è talibus exemplis subire tædium, nulla cunctatio. Episcopus ac Leonardus ita ab Præsule Iacobita digressi, vt simul modestiæ beneuolentiæque documentis delinitum ipsum, ac veritati æquiorem; simul aditum negotio rursus tractando patentem relinquerent, Aleppum sese recipiunt. Inde ad Armenorum Patriarcham, qui in Armenia minore in vrbe Sis morabatur, Decembri iaminito pergunt. Perhumaniter ab Patriarcha, Vicarioque eius excepti; nec tamen quicquam cum his de religione est actum, ita enim habebant in mandatis: sed solum cohortati homines sunt, vt aliquem è suis Præsulibus Romam legarent, quo summum Pontificem totius Ecclesiæ præsidem agnosceret, ac de rebus, & dogmatibus Sanctæ fidei docerentur, aliquos etiam lectæ indolis adolescentes mitterent, in vrbe Sancta moribus, ac religione formandos; vt demum idem saperent omnes, idemque sentirent, vt Paulus Apostolus exhortatur. Promisere se vtrumque præstituros, perque honorificas, ac plenas benedictionum, Generali Societatis Claudio Aquauiuæ literas Patriarcha dedit.

Inter hæc idem serio negotium in Ægypto vrgebatur cum Patriarcha Cophtorum. Quippe Ioannes Baptista Elianus dum sedulo versat gentis codices, multa reperiens veterum testimonia Doctorum, quibus errores subinde introducti confutabantur, accuratè in libellum cœpit excerpere, atque Cophtorum peritiorum nonnullis, qui vel ea non legerant, vel non animaduerterant, ostentare: eaque solertia aliquot ad Catholicorum partes traduxit. Verum quia ex Monte Libano Memphim, vti supra demonstratum est, transmissus, nulla muniebatur Pontificiarum autoritate literarum, missus ad eum ex vrbe est cum Francisco Bono, Fratre adiutore, is de quo supra cœpi referre, Sacerdos, Franciscus Saxus, egregiæ innocentiæ vir, ac benè doctus, & iam diu cupidus Euangelium errantibus populis promulgandi. Is & Pontificias literas ad Cophtorum Patriarcham, & diploma, quo ipsi, & Eliano religionis negotium mandabatur; sacros præterea calices centum per Ecclesias tenuiores distribuendos detulit, quia cognitum erat præ inopia vitreis vti. Alexandriam peruectus augusto mense, inde aduerso Nili flumine sex dierum spatio Memphim adnauigauit, receptusque auidè ab Eliano, ambo Patriarcham conueniunt, redduntque Pontificis literas, quas ille cum veneratione acceptas, osculatusque, capiti imposuit. Laudans egregiam Summi Pastoris pietatem, qui tanto terrarum spatio dissitas gentes studeret ad beatum finem perducere. Tum Patrum hortatu consilium suscepit Synodi cogendæ, quæ, vt infra referetur, extremo hoc anno cœpta, exitum lætissimum anno insequenti habuit. Misit quoque Pontifex ad redimendos captiuos mille nummûm aureorum, addiditque trecentos Dux Olicæ Radiuillus, cum salutatis Terræ Sanctæ locis Memphim digressus, miserorum calamitates suis oculis perspexisset. Alias item ab alijs Ioannes Baptista in eam rem pecunias eleemosynæ nomine corrogauit, vnde multis, & libertas redempta, & conseruata religio est. Quo in

gene-

37 Cautè credendum legatis orientalium Romæ.

38 Patriarcha Armenorum promittit se suos Romam missurum.

Et P. Generali scribit.

39 Cophtorum aliquot conuersio per Elianum.

40 Francisci Saxi cum eo coniunctio.

41 Calices argętei vitreis in Ægypto suffecti.

42 Pontificis literæ ad Patriarcham Cophtorum.

Et liberalitas in captiuis redimendis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

genere Pauli Mariani Francorum Consulis memorandum facinus præteriri non debet. Venerat Memphim Turca ætate iam grauior, ad Mahometis Sepulchrum superstitionis suæ causa peregrinaturus, sed scrupulo tangebatur, quòd Hispanam Iuuenem, quam idcirco emerat, vt posteaquam Mahometanam fecisset, sibi vxorem assumeret, inexpugnabili constantia in Christi Domini fide perseuerantem retineret. Itaque Patri Ioanni Baptistæ, & Consuli Mariano significat, se Christianam eo quo emerat pretio, aureis nummis centum quinquaginta, liberaturum. Nulla tum neque Patri, neque Mariano pecunia præsto erat. Admoniti quidam Mercatorum, petulanter respondent: redempturos si mulier pudicitiam publicet. Id vero vbi Mariano relatum est, absit, inquit, vt peiorem apud Christianos, quam apud Turcas, Femina Christiana conditionem inueniat, & ex misera seruitute in libertatem multo crudeliorem transcribatur: ac protinus de suis vestibus, rebusque domesticis tantum oppignerauit, quantum satis fuit pretio, quod Turca præfixerat, redigendo. Ita redempta est Iuuenis, expiata Sacramentis, & in Siciliam, eius Insulæ Patribus commendata, sub fideli custodia missa.

43 Pauli Mariani laudabile factum.

His ad Orientem profecti ex Italia Patres dum laboribus defunguntur, ipsam quoque per Italiam diuina res impigrè & prosperè gerebatur, vnde & confirmabatur Societas, & incrementa pariter capiebat. Illa enim Ordinum propagandorum rectissima via est, verum, constansque priuatæ virtutis, & publicæ vtilitatis præbitum populo pignus. Neapolitani Collegij tum plane, cum summis premebatur difficultatibus, Roberta Carafa Matalunæ Dux, manifesta Numinis prouidentia, magno assignato ære fundandum censum suscepit. Hæc Viduabat insigne aliquod monumentum relinquere, sua, & pecunia, & religione dignum. Cum Societatis hominibus vsum plane nullum habebat; quin ex rumusculis vulgi de ijs existimabat. Proneptem habebat ex Fratre Magdalenam Carafam vnice caram. Nam cum forte nascenti interfuisset, vix edita in lucem infans in eam ocellos defixit. Qua illecebra delinita Dux, filiæ loco sibi eam adsciuit: indulgenterque, ac liberaliter eductam, demum & luculenter dotatam, nuptui tradit Marchioni Laini Carolo de Cardino, qui item illi ex sorore nepos erat. Nuptialem lætitiam solicitudo, ac mœror excepit, quod Sponsi veneficijs illigati, thalami vsu frustrabantur. Inde & inter affines, vt fit, coortæ animorum abalienationes. Nihil interea non tentatum remedij est, sed nihil efficax fuit. Plus sesquianno exacto, suspicati quidam maleficium ab puella nobili profectum, prælatam sibi Magdalenam dolentes, Carolum Mastrillium precantur, vt puellæ Confessario magnam mercedem proponat, si dissoluendum id curet. Quod Carolus cum Cœnobitæ illi narrasset, & ille Robertæ, hanc ipsum alloquendi Carolum voluntas incessit, & iubet acciri. Carolus hæsitans, dubitansque ne forte per errorem aduocaretur, cum causam quare aduocaretur, excogitare non posset, vt qui alienam, quemadmodum dixi, ab Societate Ducem norat, tamen adiuit. Ea primo Colloquio ita conciliatur, vt vehementer cuperet ipsummet ad Sponsos in suo degentes oppido, cui Castellum est nomen, excurrere, Magdalenamque salutare eius nomine, & consolari. Carolus haud interposita mora profectus, cum mœsta omnia reperisset, fortiter vti solebat, fidenterque incipit excitare ad bonam spem erigendamque fiduciam in Deum: his perstandum remedijs: frustra alia admoueri: Nequaquam maleficia maleficijs exarmari, sed prece multa ad Deum, ieiunio, eleemosynis. Auditus est animis, auribusque cupidissimis. Orant, obsecrantque negotium ipse suscipiat, & prout à Deo inspiretur, sic administret. Ille postridie in concionem progressus, ieiunium triduanum, & horarum quadraginta supplicationem edicit, monetque Marchiones, vt horrea pandant, & inopi turbæ large solatia præbeant. Quæ dum magno studio fiunt, Deus è Cælo benigne respexit. Suprema omnino hora supplicationis, Sponsus tanquam ab Angelo excitatus, compotem se beneficij factum sen-

44 Neapolitani Collegij dorationis necessitas, & occasio.

45 Sponsi veneficijs illigati precibus, & eleemosynis soluuntur.

sentit. Summa inde ad vtramque familiam, omnesque cognatos, redintegrata caritate, lætitia permanauit; cumulatumque beneficium est etiam prole suscepta. At Roberta erga Societatem plane animum commutauit. Carolum rursus accersit: narrat quod iam diu coquebat de memorabili quopiam Dei causa faciundo opere, etiam atque etiam rogitans, vt quod maxime è re diuina fore censeret, ediceret. Is spatio ad consultandum, Deumque interrogandum sumpto, de Prouincialis sententia, cui totam rem explicauit, ita demum respondit, Multa quidem esse in quæ posset pietatem suam expromere: cæterum quando vellet sententiam suam nosse, ita sibi post factum de Sancto Spiritu Sacrificium, aliasque adhibitas preces, & Sancta officia, coram Deo videri. Collegium Neapolitanum non in vrbis ipsius modo iuuentutem edocendam egregie labores conferre, & multa super hæc pietatis opera; verum etiam in eodem educari sobolem, ex qua totum in Regnum Neapolitanum Magistri, cultoresque animarum, quin etiam ipsas non raro longinquas in oras inter hæreticos, & in Indias mitterentur. Itaque longe maiorem, quam prima specie videatur ex eo Diuinæ gloriæ segetem efflorescere. Verum ita male fultum ab re familiari esse, ita pressum alieno ære, vt sustineri diutius, nisi alicunde Deus præsenti iuuaret ope, nullo modo posset. Cogitaret itaque illa quanto cum fœnore collocare posset liberalitatem suam in eo sustinendo, atque ad æternitatem fundando opere. Non enim dubium, quin ex fructu adeo multo, atque multiplici, tamque late patente, pars ad ipsam insignis æterno peruentura tempore esset. Religiosissima Fœmina hæc vbi audiuit, non probauit modo consilium, sed exinde Societatem animo toto complexa, ita Professorum quoque Domum iuuit, vt merito possit in fundatoribus etiam illius numerari: & magnam super hæc, vbi Neapoli constitutum est, adiumenta in Tyrocinium contulit. Cæterum in præsens hoc liberalitas in Collegium plus habuit gratiæ, quo minus sperata, quo ad leuandas, quæ perurgebant difficultates magis in tempore accidit. Extra Neapolim circa per Regnum nulla ferme paulo amplior Ciuitas erat, quæ summopere Collegia non expeteret. Vnicum tamen hoc anno Barienſibus datum: quæ Ciuitas in Appulia est, tum cætera nobilis, tum S. Nicolai Myrensis Episcopi venerando corpore, vnde perpetuus liquor emanat mire saluber, qui totum per Orbem, Mannæ S. Nicolai vocabulo, piè dispergitur. Cœptum est Collegium summo studio cum Ciuitatis, quæ annui vectigalis maximam partem attribuit, tum Archiepiscopi Antonij Putei priuatorumque Ciuium, tum demum Canonicorum, qui Templum donarunt. Cirinolani Collegij Rector Hieronymus Surianus rem primo cum Barienſibus egit, exemplo religionis, atque modestiæ suæ conciliatis, cum illuc quibusdam morte multandis affuturus, adijsset. Iuuit tum Vincentius Matresius. Demum Octobri missa familia capitum quaterdenûm, duplex publicata latinitatis Schola, Claudio Milliaresio Rectore. At Surianus cum Cirinolam se recepisset, vitæ mortalis cursum confecit, magnæ vir pietatis, Doctrinæ, prudentiæ. Adolescens cum Ioanne Maldonato, cui coniunctissimus erat, conuenit, vt quam alteruter vitæ religiosæ formam prior susciperet, eam alter quoque sectaretur: cumque aliquot post annis Maldonatus Romæ Societati se dedicasset, perque literas sponsionis fidem à Suriano repetisset, is absque mora eam exsoluit: obseruatumque est, & paucis post eundem mensibus (quinto enim Nonas Iulij expirauit) tantaque alacritate obijsse, ac si ab eodem inuitatus in Cœlum decederet. Obedientiæ clarum extat eius exemplum. Nolæ grauissime ex fame quadam rabida, inexplebilique, quam Caninam vocant, laborans, sic vt nisi singulis horis nescio quid potionis noctu diuque sumeret, videretur extingui: planeque persuasum haberet, si vel semel intermitteretur ea potio, statim se moriturum, Vbi Medico, qui necessariam curationi abstinentiam iudicabat, parere iussus est, animo ad moriendum composito, libenter se obedientiæ causa moriturum respondit: & confessione generali animum ea causa repurgauit: & quan-

46 Roberta Carafa Matalunæ Dux Societati cõciliata.

47 Beneficia eius in Collegium, & Domum Professam Neapoli.

48 Initia Collegij Barienſis

49 Hieronymi Suriani cum Ioanne Maldonato pactum, & mors.

50 Obedientia non retardata mortis metu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanquam non mors, sed salus ex obedientia consequuta est, tamen sui ipse holocausti pretium non amisit, quin potius ipsa corporis valetudo eius fuit accessio.

51 Aletij Sodalitas Clericorum instituta.

Aletij cum iam gemina floreret superiore anno instituta Sodalitas, adolescentium altera, altera Virorum, hoc anno Clericorum rogatu tertia accessit. Archidiaconus Ioannes Bernardinus Mettola, alijque è clero tres & viginti numero suis subscriptis nominibus ab Generali Præposito postularunt, vere memorantes: quo grauiorem sustinerent personam, cumque populi totius vtilitate ipsorum coniunctus profectus esset, hoc se diligentius excolendos. Alternis conuentibus de officij quæstionibus, deque studio priuatæ cuiusque pietatis agebatur, sub Bernardini Realini Præfectura. In Sicilia Domus Professorum instituta Panormi

52 Initia Domus Professæ Panormitanæ.

in ædibus vbi Collegium fuerat, vt templum sua ad munera haberent statim in promptu Professi, Collegio in ædes translato recens coëmptas. Anno Priore de ea domo instituenda Iulius Fatius Visitator cum Marco Antonio Columna Proretge Panormitanisque transegerat. Ei factum initium Kalendis Maij, explicata pro concione, cui Prorex, Regia curia, Ciuitatis Magistratus, alij Primarij intererant, instituti Societatis forma. Syracusis ipso die sacri Paschatis Georgius Mercatus

53 Mors Georgij Mercati.

mortalitate posita ad Domini, vt spes est, triumphos in Cœlum migrauit, eximiarum virtutum clarus luminibus, Euangelica quoque potens Facundia. Præerat Catanensi Collegio, sed Syracusis Sacras conciones habebat, tanta frequentia quantam nunquam ante meminerant, cum ereptus est: eoque tum Gubernator Ciuitatis, & Senatus, & prima nobilitas vltro exequias cohonestarunt, & clerum vniuersum, qui iusta faceret, Episcopus nostris nescientibus misit. Sed ne

54 Lælij Nicheſolij felix obitus.

virtutes cohonestat Deus frequentius, quam robustas, atque maturas. Lælio Nicheselio post decimum Tirocinij mensem Nouellariæ animam agenti adstitere Angeli videndosque se præbuere, quòd ipsius ex verbis, & hilaritate vultus gestientisque animi lætitia manifestum factum est. Fuit etiam è Socijs qui testaretur circa moribundi lectulum, & Angelos à se conspectos, & Diuos circumfusos, & integerrimam Virginem, & Christum Dominum tanquam solem in eorum medio coruscantem, ac beatam illam coronam duarum horarum spatio, ac dimidiæ, quamdiu spiritus Lælio superfuit, perseuerasse. Quæ cæteri qui adstabant Patres, Fratresque, tametsi non oculis hausere, tamen sensere animo haud dubiam Cœli in eo conclaui præsentiam ex insolita quadam dulcedine, qua omnes tacite, nec gnari vnde, irrigabantur. Porro Tyronis virtus erat eius-

55 Eius virtutes.

modi, quæ digna videri possit quocumque præter ordinem dignata honore narretur. Modestia, submissio, sui contemptio erat singularis. Nesciebat dicta, seu facta Sociorum nisi pie interpretari: nesciebat excusare sua, recte, secusue acciperentur. Volebat tanquam putridum cadauer tractari ab omnibus: suæ voluntatis osor acerrimus, vt qua nec onus grauius, nec feram immaniorem dictitabat vspiam reperiri: eoque totus volebat ab nutu alieno pendere: quod cum semper, tum præcipue supremo in morbo ita præstitit, vt & cæteris omnibus, & Antonio Valentino Rectori obedientia eius plane

56 Patris eius æquitas in permittendo ei religionis ingressu.

miraculo esset. Patria erat Veronensis, domo nobilis, fueratque à puero rerum piarum perstudiosus, inter æquales notæ probitatis; quare ferè semper Sodales B. Virginis eum sibi præficiebant. Veniam à Parente Bartholomæo postulanti ad Societatem se se recipiendi, in hæc verba ille respondit. Id ipsum fratri tuo minori roganti, quia leuiorem ingenio noueram, pernegaui. Tu, quia tuam indolem constantem comperi, & si nostra in te recumbebat domus, in nomine Domini abito: gaudeoque, quod istum præcipue ordinem legeris, quia in eum aditus honoribus non est. Et subiecit Lælius, hæc me

57 Iudicia Cardinalium Veronensis, & Paleotti de vocatione religiosa.

quoque inter alias causas huc potissimum acclinauit, vt tanta porta Diaboli tentamentis occluderetur. Benedictionem deinde postulanti ex Augustino Valerio Episcopo, mox Cardinali, sublatis manibus Antistes optimus, Impleat te Dominus, inquit, benedictionibus suis: optimam fili partem elegisti, quæ

non

non auferetur à te. Tum ea alacritate Nouellariam lætus aduolauit, quæ nec reficiendi quidem corporis memoriam illi relinqueret, vt appareret non magis ad labores, quam ad requiem à Sancto Spiritu Duci. Cardinalis Veronensis mentioni placet attexere Cardinalis Paleotti de religiosa vocatione iudicium. Cum enim ab Hercule Fortezza, cuius filius Franciscus, etiam num dum hæc scribuntur, superstes dignus professione sua vir, dederat nomen Societati, plenas dolore, & querimonijs literas super ea re accepisset, in hunc ei modum respondit. Si filium vestrum Deus fecit, & suum, quid vos perditis aut ipse quid perdit. Fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus maius est sanctus de peccatore. Non inuenio epistolæ tuæ responsurus exordium melius quam ipsa S. Bernardi verba, quæ quoniam, & causa eadem est, & in eo viro Spiritus Dei fuit, valere apud nos quoque debent. Ipsam licebit Epistolam legas numero centesimam decimam, & consequentem, atque vt spero recreaberis. Equidem pro veteri nostra necessitudine, non potui dolore tuo ex tam repentino casu non commoueri: Verum id ægrius ferrem, si vbi prima commotio resederit, suum rationi locum non cederes. Quod tamen cum à moribus tuis abhorreat, multo minus timendum est in re adeo insigni, dum omnium oculi te obseruant, vt de firmitate, vel imbecillitate animi tui ex huius pugnæ exitu iudicent. Non est quod ego tecum, viro Doctrina, & prudentia abundante, argumenta multa, & firmissima è Sacris literis colligam, quæ docent parenti Christiano ad æterna nato, summopere esse lætandum, cum eius filij in hanc lucem editi, vt cælestes Beatorum Sedes frequentent, eam ineunt viam, quæ hunc eis cursum efficit multo, & certum magis, & expeditum. Sententiam duntaxat meam aperiam de rationibus præcipuis, quæ quantum ex literis tuis intelligo, sunt origo doloris tui. Primum vereris ne Vocatio vera non sit. Et quidem si qua in re leuiorem adolescentem nouisses, ingenijque varij atque præcipitis, vel exasperatu facilem, vel denique à quopiam per fallaciam circumscriptum, esset cur dubitares. Nunc vero cum nota sit virtus, & perspecta prudentia, susceptumque consilium tot prægressæ sint deliberationum piæ exercitationes, ac preces, nec ex te, cui semper fuit carissimus, quicquam ei iniucundum vnquam acciderit, quid existimandum est, nisi instinctum hunc plane Sanctum fuisse? Præsertim cum id quod alijs Parentibus negatur tibi vna cum propinquis, & amicis alloquendi hominem separatim, alliciendi, oppugnandi copia facta sit? Inter quæ constantiorem cum semper inueneris, equidem nescio, quæ sit habenda vera, & Sancta Vocatio, si hæc non est: Omnia profecto ista ratione omnium de religione consilia reuocantur in dubium: & tamen si quid forte dubitationis resideret, sapientissime, vt nosti, experimentorum annum Sacri Canones decreuere. Iam vero si hanc esse Dei voluntatem existimare par est, certus sum pro tua prudentia nequaquam ei te aliquo modo repugnaturum. Nimis enim absurdum esset, cui quotidie dicas: Fiat voluntas tua, vbi deinde venitur ad rem, cum eo velle pugnare. Præterea commouent te imminuta familiæ tuæ subsidia: quæ res longa disputatione non indiget. Nam vbi constitit de Vocatione Dei, qui communis est omnium Pater, cedant necesse est humana consilia, quæ hactenus concessa sunt, quoad diuinis non aduersantur. Adde quod hæc perpetuandæ stirpis solicitudo, nec potest multum proficere, cum demum peritura sint omnia, & communis cum infidelibus est. Itaque longe alia ratione, alioque proposito suscipi à Christiano homine debet. Tibi vero est etiam causa gloriandi, quod Deus è liberis quos tibi duos tradidit maiorem natu sibi cooptarit, relicto tibi minore, qui minor es Pater. Vides præterea in eum vocatum Ordinem, qui hac tempestate vsque adeo literis, & vitæ exemplo, & pietate, & publicis vtilitatibus floret. Subeat tibi Philippus Triuisanus, qui tot abundans ornamentis, tantæ in seculo expectationis, vbi inuitatus à Deo est, mortalia cuncta posthabuit. Subeant alij tam multi genere, & ingenijs præstantes, qui in dies Romæ, præcipuisque in Italiæ vrbibus Sanctam hanc disciplinam

58 Epistola Card. Paleotti ad Herculem Fortezam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

complectuntur, inter quos nuper Marcus Antonius Bolognettus magno ingenio præditus adolescens, mihique sanguine coniunctissimus, Roberti Bolognetti Poloniæ Nuncij Frater, consilium idem cum mecum communicasset, meo suasu in Poloniam contendit: idque euenit, quod ex ipsa Nuncij cognosces Epistola, quam mitto, vt consolationi tibi sit, vtque studeas nihilo sapientiæ, religioni, & animi excelsitati Præsulis huius concedere. Porro epistola sua

59 Roberti Bolognetti Apostolici Nuncij Epistola.

Bolognettus Nuncius præter cætera hæc scribebat. Nullo modo debui ego, qui memetipsum diuino obsequio mancipaui, eius impedire rectissimum cursum, quem adeo indulgenter summa ad se vocabat Maiestas, forte vt opera eius meum in famulatu sancto languorem suppleat. Non æquum erat, vt ego Fratris auribus obstrepens, voces meas vocibus Dei in corde loquentis opponerem. Itaque sicut Pater paulo antequam exiret è vita mihi illum non solum commendarat, vt Fratrem, sed plane loco filij addixerat, certis ad hanc rem confectis tabulis, ita ego nunc meliori custodiæ tradidi, Deo penitus donans. Addebat ipsi Marco Antonio susceptum in ea Prouincia tyrocinium eo gratius accidisse, quod Hæreticorum in oculis religiosa instituta, quæ homines nequissimi conantur euertere, suo quoque, & opere, & exemplo firmaret,

60 Societati certa Sedes Cracouiæ tributa.

Cæterum Bolognettus iam pridem Societati optime cupiebat: itaque singulari eius studio, & Posseuini in primis opera, multum fauente Rege Stephano, Sedes Cracouiæ certa impetrata est. Templum Sanctæ Barbaræ, quod translatis in ædem B. Virginis, & S. Adalberti, quæ ibi erant certa Sacrorum officia, Episcopus Cracouiensis Petrus Miskrouius, cunctis ad quos res pertinebat volentibus, Societati ipsis Februarij Kal. addixit, ac deinde Pontifex confirmauit. Coëmpta insuper antiqua domus, quam Rex ab omni iure ciuili exemit. Multum in hac re cum omnibus prope hominum Ordinibus, sed præcipue cum Academicis fuit certamen, nescio quam suspicionem ingressis tanquam contra eorum Cathedras, & stipendia tenderetur; sed Prouincialis Campani, Stanislai Varseuitij, & Posseuini obseruantia, & colloquijs ita edocti, ita mitigati sunt, vt demum in Collegij quoque institutionem consentirent: quanquam Patribus nihil in præsentia de Collegio tentandum visum est. Igitur in Domum Professam Sanctæ Barbaræ, ædes cum domicilio adiuncto destinatur. His autem non sine multorum admiratione transactis, vt planum fieret plane Deo cordi futuros Cracouiæ hominum nostrorum labores, vbi diu de vna Sede certatum est, ecce altera nil tale agentibus, vltro offertur. Thomas Plaza S. Stephani Parochus, apud quem nostri toto quadriennio velut in statione iam egerant, vbi vidit eos ad S. Barbaræ migraturos, dolens Paroeciam suam, in qua iam pietatis studia reflorauerant, deseri, templum, ac domum omnem Societati, quantum in se esset, in perpetuum tradit. Res defertur ad Episcopum: is, & postea Pontifex Maximus fiunt autores. Patres Diuinæ Indulgentiæ gratulantes eam Sedem in Tyronum domicilium destinant, quod Polonica Prouincia nullum adhuc, nisi Brunsbergæ cum Collegio coniunctum, habebat. Et continuo, qui tandiu nunquam, vbi pedem in certo ponerent Cracouiæ habuerant, duobus suis intemplis duplicem aperuere pietatis palæstram: eoque successu, tanta ad conciones, & Sacramenta hominum frequentia, tanta hæreticorum iactura, vt appareret haud frustra timuisse satanam, dum tot moras tot bonis obiectat. Verum ecce diuersum cum Stanislao Karncouio Gnesuensi Archiepiscopo, Poloniæque Primate certamen. Is persuasum habens Collegia nostra vnicum conseruandæ, restituendæque religionis in Archidiœcesi (sic ipse appellat) sua fore subsidium, constituere eam tum Gnesnæ, tum Calissij sic auebat, vt nihil ardentius. Cuius votis cum per Sociorum paucitatem satisfieri non posset: nec noua inchoari Collegia, prioribus non firmatis; expediret; sapiens, ac pius Antistes de suorum Canonicorum sententia, Posnanienſe Collegium suæ Ecclesiæ proximum auctis vectigalibus, & amplificatis ædibus per-

61 Domus Professa ad templum S. Barbaræ.

62 Domus probationis Cracouiensis initia.

63 Archiepiscopi Gnesnensis studium in Societatem.

perficere statuit; vti in eo Philosophicæ etiam, ac Theologicæ disciplinæ traderentur. Calissij autem, quæ vrbs Silesiæ finitima in Archidiœcesi Gnesnensi est, Collegium mediocre excitare cum latinitatis Gymnasio, vnde iuuentus deinde Posnaniam, quæ bidui abest itinere, ad Rhetoricam, & altiores cæteras disciplinas transiret. Quod consilium, vbi probatum à P. Generali cognouit, miris lætitijs exultans, eique gratias perstudiose agens, inter cætera hæc adscribit. Nihil, inquit, mihi hoc tempore gratius, nihil iucundius, accidere potuit. Nunc demum enim sperare incipio vberrimos in Archidiœcesi mea fructus, tam ad confutandos nouorum dogmatum errores, ab eorumque tenebris plurimos hominum ad veritatis lucem reducendos, quam ad Ecclesiasticam disciplinam, quæ ex suo cursu plurimum recessit, noua ista quasi plantatione restaurandam, atque conseruandam. Quæ verba idcirco libenter apposui, vt intelligant Posteri nostri, quid ab ipsis expectetur; qua spe attributa maioribus vectigalia, domus extructæ, & vitæ adiumenta adeo benigne prouisa. Hoc autem ipso anno gratum specimen fructus Sacerdotes duo Calissij præbuere. Quod cum Gnesnensi Archiepiscopo, idem cum Stephano Rege certamen erat, Grodnæ, Bræstæ, Rigæ, Derpati, aliasque alibi Societatis Colonias moliente. Sed ante omnia succursum Liuoniæ est. Aderant è varijs Germaniæ Prouincijs missi à Claudio Generali Sacerdotes duodecim, cum quibus, alijsque Prouincialis Campanus ineunte magno ieiunio in Liuoniam proberauit: relictisque alijs Rigæ, Derpatum septem deduxit XIIII. Kal. Aprilis: horum, Sacerdotes erant quatuor, Theodoricus Nauakeschd Vestphalus, qui nouæ Sedi præpositus erat, Thomas Busæus Geldrius, Valentinus Hengelius, Hessus, Ioannes Ambrosius Volcherus Thuringus, quibus mox accessit Ioannes Vrbanus Polonus. Iacet Derpatum in aperta, amœnaque, & salubri planitie, ad nauigabilem, & piscosum fluuium Becam, qui in marinum Moscouiæ lacum Peusen octauo inde lapide euoluitur, vrbs è Liuoniæ præcipuis, olim & Sede Episcopi clara. Excepti Patres perhonorifice ab ciuibus vniuersis. Vnus fuit hæreticorum Minister, qui prima statim concione in eos nominibus & conuicijs infamibus debaccharetur: sed re cognita Magistratus iussit hominem priuatim coram publico scriba, ac testibus, & pro suggestu palinodiam canere; quod homo ita luculenter, ac verbose præstitit, vt ne in benedicendo quidem tenere modum visus sit: addens in Pragensi Gymnasio, quicquid Doctrinæ haberet, dum Rector ibi Campanus ageret, ab se perceptum. Nimirum in venenum verterat, quæ hauserat ad salutem. Persimile quiddam euenit Rigæ, vbi cum per vias, & ipso in Templo Sellulariorum quidam Opificum, ac petulantium puerorum molesti essent, decretum, quo Senatus hanc vexationem virgarum proposita pœna prohibebat, ad hæreticum declamatorem concioni promulgandum delatum est in suggestum, eo plane articulo, quo vixdum Orationis partem absoluerat, in qua Iesuitas maledictis prosciderat. Ita coactus est deinceps ex eodem ore spiritum frigidum, & calidum mittere. Rigæ, ac Derpati Campanus auditus est in Senatu, quanquam homines perdite Hæretici essent, diligenter, atque beneuole: de causa aduentus Sociorum in eas partes, de Summi Pontificis beneficentia, de Stephani Regis voluntate, deque Societatis instituto fuse disseruit: digredientem quoque domum comiter prosequuti: deinde, vt mos est magnos viros, publico vini donario vtrobique honorarunt; quibus Pater Catholicos libros dono remisit. Summum iam restabat initijs conuersionis impedimentum, malus pudor, cum nemo auderet erroris laqueos primus exuere, ne non liber, sed transfuga videretur. Adeo est arduus humano generi reditus ad virtutem, cum sit adeo præceps lapsus in vitia. Rigensi Stationi Leonardus Rubenus præfectus est. Petrus autem Scarga, tum Polocienſem, tum vtramque Liuonicam curare iussus. Liuoniam loco Regis etiamnum obtinebat Georgius Radiuillus Vilnensis Episcopus, qui cum ad Societatem diu aspirasset, bis à Pontifice lata repulsa, hortatu Campani, ab eoque per Exercitationes Spiritus

64 Lætitia eius ob admissum à Generali Collegium Calissiense.

65 Fructuosæ missiones per Poloniam, & Liuoniam.

66 Ministrorum petulantia à Magistratibus coërcita.

67 Patres à Senatu honorati.

68 Georgius Radiuillus Societatis ingressum à Pontifice nõ impetrat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cardinalis creatur.

præparatus Sacerdos, & die S. Stephani Vilnæ à Bolognetto, qui erat Episcopus Massæ, consecratus est. Quo tempore in laudatissima illa, & numerosa Cardinalium creatione Romæ vterque, tum Radiuillus ipse, tum Bolognettus in sacrum Senatum adlecti. Enixe igitur Radiuillo fauente, continuo processum in aciem, per vrbes, pagosque diuinum classicum contra hæreses, contra vitia, contra tartareas pestes cani cœptum, haud sine victorijs pulcherrimis. Nec segnius ab Collegijs iam robustis, quo populorum necessitas maxime acciret, excurrebatur. Iacobus Laniskius cum altero Sacerdote Vilnam modecum, & in circumiectum agrum profectus, omnia superstitionibas ita

69 Infandæ superstitiones sublatæ.

corrupta reperit, vt longe essent Ethnicis propiora ritibus, quam Christianis. Sacrificabant Telluri, Matri Deum, Domestico Lari. Pro apibus, pro semente, pro pecoribus, rebusque alijs certa habebant sacrificia certis ritibus, aduocatisque sortilegis, vt agnosceres satanicæ ambitionis inuenta. Atque è Sacrificio Telluris quasdam Porcæ, qua faciebant, asseruabant domi reliquias tanta superstitione, vt eas iussi abijcere, metu magnæ cuiuspiam calamitatis, non auderent: & obstupescerent cum ipsi domos ingressi Patres infanda monumenta proterebant pedibus, & corrumpebant innoxij. Principio varijs etiam terriculamentis pro sua tyrannide depugnauit satan, tamen breui Spiritus Sancti gratia superante, vniuersa gens mire paratam se excipiendæ culturæ præbuit. Itaque accitus tertius Vilna Sacerdos est, exciſæque superstitiones, expiatæ conscientiæ, Matrimoniorum quamplurima paria, nullo ritu ante copulatorum, legitime coniuncta, tradita elementa fidei Christianæ. Qua in re, quod alicubi maxime erat pugnandum aduersus hebetudinem, ac peruicaciam memoriæ rusticanæ annorum quoque situ obduratæ, hæc adhibebatur industria. Quot Apostolici Symboli numerantur articuli, quot petitiones Orationis Dominicæ, & alia id genus, tot vno ex pago ordine agrestes disponebantur, singulisque sua ordine pars tradebatur. Quam cum demum percepissent, iubebantur etiam per Catechistæ absentiam eodem ordine consistere, quæque acceperant tandiu inter se se retractare, atque conferre, dum totum singuli carmen edidicissent. Alij præterea Sacerdotes Mednicum, & Duorisicum, alij ad Palatinum Trocensem, alij Sluciam ad Simeonem Ducem, alij aliò missi. Feruebat opus, ac fere cum præclaro vbique euentu. Itaque ea nuncians Generali Campanus, Mira, inquit, consolatione perfundor, quam & participo Fratribus meis, dum nouæ semper afferuntur literæ, qua generales à Collegijs, qua particulares ab aliquibus in varia loca missis, in quibus mirabilia operatur Dominus per suos, & multa hominum elucet conuersio, vel ad eam præparatio. Sit Dominus benedictus. Rerum adeo ex voto fluentium causa secundum Deum ipse erat Campanus, qui hausto penitus Ignatij spiritu, quocumque accedebat per B. Patris Exercitationes, quas ipsemet dictabat, domesticos omnes, maximeque Præsides, ad perfectam virtutem instituebat, & incitabat: vnde recens cunctis vigor, & nouus cooriebatur impetus: tantoque Euangelici noualis proueniebat cultura felicius, quanto coloni viribus, & quasi ferramentis instauratis, valentius operi insistebant.

70 Doctrina Christiana laboriose rudibus instillata.

71 Campani literæ ad Generalem.

Eiusdem feruor.

72 Pontificium Seminarium Claudiopoli inchoatum.

Claudiopoli in Transyluania Pontificium Seminarium Posseuinus exorsus est non sine aliqua dimicatione, in eam rem conductitiâ in domo ab Senatu impetrata. Ostium in ea Prouincia patebat Euangelio magnum, & Aduersarij multi. Quin etiam omnibus machinis Pater mendacij Diabolus contra pugnans Petrum Neotytum Saxonem ab Societate, & Catholica fide abduxit, vt pessimo exemplo, ac nouo Satellite pusillum Catholicorum gregem opprimeret. Sed nulla vis contra Dominum, machinæ nullæ, quam turpiter ab ipsis Hæreticis mox eiectus sit infamis apostata, infra narrabitur. In Suecia quæ reliqua erat scintilla fidei orthodoxæ, videbatur penitus extinctum iri, Catherina Regina morte sublata. Stokolmij XVI. Kalendas Octobris diuinis præmunita mysterijs sancte, vti duxerat, vitam conclusit. Specimen singulare edidit omnium virtu-

73 Petri Neotyti Apostasia.

74 Catherinæ Sueciæ Reginæ pia mors & virtutes.

virtutum, fidei præsertim erga Deum, & misericordiæ erga calamitosos; patientiæ super omnia admirabilis, qua dolores acerrimos, ac morbum fœdissimum, vnde corpus miserè totum computrescebat, multos annos pertulerat. Ea erepta, per quam in Suecia Orthodoxæ fidei conseruabantur igniculi, statim procellæ ad eos funditus opprimendos coortæ. Et quidem filia eius ad hanc diem educata Caholicè, cum leuiorem antea quoque præ se tulisset indolem, vbi fida parentis orbata custodia est, ingenium sequuta, ab Ecclesia Sancta defecit. vnicum itaque veluti semen restabat in Sigismundo adolescente, nec dum sui iuris & vndique velut agno circundato ferocibus lupis, vt hic maximè, & in Transyluania in alterius Sigismundi religione conseruanda, diuinæ gratiæ vis apparuerit. Sed ibi Ioannes Lelesius è Societate diligenter adnitebatur, Stephani quoque Regis auctoritate, munitus, idemque Principis Magister.

75 Eius filiæ defectio à fide

In Suecia res erat durior. Ioannes Rex Sigismundi Pater Hæreticus, Hæreticus item Præceptor, Comites, alijque Aulici pessimæ disciplinæ. Sacerdotes de Societate restabant quidem tres, Simon Nicouius, Stanislaus Rachouius, & Albertus Vandolcenus, tamen autoritatis expertes, omnibus Hæreticorum ictibus expositi, inermes, ac nudi, & Senatores minitabantur impositos in nauim, simul omnes amandaturos, & ab eorum vsu Principem conabantur abstrahere. Quam ob rem dedere operam, vti Stokolmio digredientem nullus sequeretur Iesuitarum, quòd tamen non successit. Quippe tanti thesauri non erat segniter relinquenda custodia. Ad hæc ipse Princeps quanquam non admodum ad speciem grauiter, sed re ipsa acerrimè oppugnabatur. Soror, quæ fidem prodiderat, colebatur, obseruabatur, cum maximo incedebat nobilium comitatu; pauculi Sigismundum adsectabantur, multi non æquis intuebantur oculis, & mussabant nequaquam regnare passuros. Quin & Carolus Patruus aperte volebat Hæreticum fieri: ita vt conseruata tandiu tot inter flammas adolescentis fide, non renouata modo, sed & longè victa Babylonicæ fornacis miracula fatendum sit.

76 Hæresis præualet in Suecia.

77 Periculum Principis Sigismundi.

In reliquis per Germaniam Prouincijs nil magnopere præter ordinem actum. In magnum cessit Viennæ ritus Catholici decus iuxta, ac firmamentum, susceptæ etiam cum Dæmonibus pugnæ, & parta inde victoria. Quippe fuit percelebris in luce Imperatoriæ vrbis, dum Cæsar, ac Legati Principum aderant, in oculis plurimorum gesta, omnibus diu expectatione suspensis. Anna erat Virgo ex pago Manek nomine, propè oppidum Sancti Hippolyti, germanicis octo milliaribus procul Vienna, quam Elisabetha Auia, cademque Venefica teterrima, Satanæ desponsam numerosa nequam Spirituum legione complerat. Tentata apud S. Hippolytum diu curatione incassum, deinde in Cella (qui locus est religiosa inprimis Deiparæ Æde, & peregrinantium frequentia nobilis) iam totam per Austriam re vulgata sermonibus, Viennam puella deducitur. Cæsarisque, & Episcopi postulatu Ioannes Nicolaus Donius Collegij Rector adhibere Sociorum operam pene adigitur. Qui quanquam opus Societatis norat ab animis magis quam ab corporibus exterminare Dæmones, tamen ne superbissimæ belluæ atque Hæretici gloriarentur subterfugi metu certamen, indictis in Collegio multis precibus, Sacrificijs, Ieunijs, verberibus, & alijs, quam Deo acceptis, tam Satanæ exosis pietatis officijs, negotium aggrediendum fidenter existimauit. Pauci initio in Sacellum, vbi depugnabatur ad spectandum quasi testes admissi; sed ipsi Dæmones insana, multiplicique vociferatione theatrum sibi egregie frequentarunt. Qui prætergrediebantur exaudiebant varias, & horrendas ferarum voces, ac primo vt interuenerant temere, consistebant, deinde tanquam ad spectaculum publicum accurrebatur. Nec vero solum spectator, sed & bellator veniebat Antistes. Haud obscure est cognitum ab venefica Anu confirmatos principio, & nouo adiutos præsidio tartareos obsessores, adeo obstinata contumacia restiterunt. Vbi data in custodiam Anus est, profligari cœpti, alijque subinde, atque alij multis deinceps diebus, ac demum omnes eiecti numero duodecim millia sexcenti, eoque amplius. Pridie Assumptæ in

78 Energumenæ mirabilis curatio Viennæ.

Cœlum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cœlum Virginis Matris peruicacissimus omnium, ac ductor abscessit vltimus afflicta humi Virgine, vbi quatuor ferme horas exanimis iacuit, tenui vitæ extante vestigio: quo tempore deinde retulit Angelum Cruce armatum sibi conspectum, qui nomine ipsam appellans, iam diceret penitus liberatam. Postridie Episcopus in Collegij templo sacrificauit, & rem totam frequentissimæ concioni exhortabundus exposuit, & Sacrosanctam Eucharistiam puellæ impertijt: quæ mox in Sacrarum Virginum adscripta numerum pie vitam peregit.

79 Anus veneficę, & Hęreticæ miraconuersio.

Auiam quoque veneficam Dei miseratio respexit. Iampridem misera Diabolo se deuouerat, & filium infantem suasu eiusdem enecatum, discerptumque ad vnguentum quoddam conficiendum coxerat: super hæc Hæretica erat, & infandis cooperta criminibus; quæ vbi Sociorum hortatibus victa diabolicum pactum rescidit, hæresimque eiurauit, grauiter quidem per noctis tenebras ab iratis vexata, & verberata est furijs, tamen incendium, quo viua crematibus pro concione disserendum, quod optime cessit. Multique præterea ad cum illud Energumenæ spectaculum, & Catholicæ fidei veritatem, & futuræ vitæ res, prope ante oculos posuisset. Iuuit quoque Orthodoxorum caudam vulgatus Constantinopolitani Patriarchæ libellus, qui Protestantium solicitatus literis, vt eorum exciperet dogmata, non modo non excepit, sed & singillatim scripto refellit: quam confutationem cum Patres Viennæ vulgassent, auide multi, vtiliterque lectitabant. Magni enim erat momenti auctoritas Schismatici Antistitis, qui cum tam inueterato ab Ecclesia Romana diffidio abhorreat, profanas nouitates recentium Hæreticorum eo grauius uincebat, quo minus habebatur Papista. Feliciter tumultuaria quædam certatio Herbipoli cessit. Venerat eo per æstatem Dux Vvitembergensis suis latera succinctus pseudoprophetis, qui sciens in ea vrbe Societatis Collegium esse, rogauit Episcopum, vt aliquem ad se Iesuitarum accerseret, cupere enim de ea natione quempiam videre, de qua tam multa vbique inaudierat. Adiere Franciscus Rapedius Collegij Rector, & Georgius Halenius Theologiæ Professor. Primus Satellitum Vvitembergensium erat Lucas Osiander, qui vbi colloquium cœptum est, de Iustificatione statim quæstionem induxit. Respondere Patres ita, vt haud obscure Hæreticum fregerint, admirante plurimum Duce, ac profitente nunquam sibi ante cognitum talia Pontificios de Iustificatione tradere: alia enim sibi à Magistris suis referri. Peruasit Vvitembergam fama cladis Herbipoli à Ministris acceptæ, qui impatientes contumeliæ totam disputationis seriem promulgaturos se professi sunt. Verum, vt opinor, abstinuere, ne se in nouos induerent laqueos, satis gnari non tacituros Catholicos, nec minus audacter prædicaturos veritatem, quam illi mendacia venditarent.

80 Lutheranissimus à Patriarcha Constantinopolitano damnatus.

81 Doctores Lutherani Herbipoli reuincti.

Quo maius periculum imminebat Coloniæ, hoc impensius laboratum. Vniuersa Ciuitas, defectione ad Caluinianos Gebardi Truchsis Antistitis, in summo versabatur diuinarum rerum humanarumque discrimine; Bipontino Duce, alijsque Hæreticorum proceribus, inter cætera instantibus, vt conscientiæ, quemadmodum vocant, concederetur libertas, idest superstitionum prostibulum panderetur. Sed insignis Canonicorum, Clerique constantia, itemque Senatûs, & omnium Ordinum pietas singularisque consensio, imminentem procellam egregiè propulsarunt. Vbi Franciscus Bonhomius Vercellensis Antistes ad eas res componendas à Gregorio Pontifice legatus, anathema in Apostatam promulgauit, & in Pentecosten noui Pastoris comitia indixit, supplicationem quadraginta horarum in Societatis templo, proposita orantibus certa noxarum condonatione, instituit, quæ maximo concursu, & religione celebrata, electus est à Canonicis in delecti Caluinistæ locum, Ernestus Bauarus ab Leodiensi euocatus Ecclesia. Successit strepitus belli, & iam in conspectu Coloniæ per arma, & ignes furor grassabatur hostilis. Sed Deus causam suam protexit, breuique con-

82 Periculum Coloniæ ex Apostasia Gebardi Truchsis. Constantia Catholicorũ & Nuncij Apostolici sapientia discussum.

83 Ernestus Bauarus in locum electi Apostatæ electus.

constatum ab Gerardo militem inopia, famesque discecit. Tametsi redintegratis subinde viribus aliquot deinceps annis arma impia pugnauere cum pijs. Enituit tota in ea re Bonhomij altitudo animi, fiduciaque, & pietas memoranda: qui postquam nouus Antistites creatus est, non dubitauit loco mouere etiam è Clero corruptos; ne si mali semen relinqueret, pro Pastore olim lupus sufficeretur: & in easdem Nobilissima & religiosissima Ciuitas, quas tum perpetiebatur, calamitates recideret. Audentem itaque pro pietate, quanquam non deerant, qui ab incœpto deterrerent, ne nouam afferre turbarum materiam, & multiplicare gliscens incendium videretur, Christus iuuit, & ornauit euentus. Vt appareret sæpe timeri, vbi non est timor: Dumque Catholici nimium circumspiciunt, ac tuta volunt omnia; Hæretici autem interim non cessant; sed nullo seu iuris, seu pacis respectu se se insinuant, vel intrudunt, non raro plagas religioni miserandas infligi. Inter Colonienses tumultus non intermissa est à Socijs templi ædificatio: quod cum spectarent Hæretici per ludibrium dictitabant: opportune ædificant Iesuitæ, & alij habitabunt: Sperabant enim propediem, vbi Gebardi factio præpolluisset, exterminandos: sed exitus ostendit, quo afflati spiritu vaticinarentur. Perductum ad culmen ædificium est, & à Bonhomio solenni cerimonia, eo populi maiore accursu, quod Coloniæ nunquam tale editum spectaculum quisquam recordabatur, in templum Domini pridie Assumptæ in Cœlum Deiparæ consecratum. Decessit Treuiris Guilielmus Limburgius ab anno 1551. in Christi Domini Castris bona stipendia meritus, Doctrinæ, pietatisque præstantis: quas aliasque virtutes singularis obedientia vtiliores, pulchrioresque reddebat. At Ioannes Philenius, qui Herbipoli multorum & ipse religiosi stadij annorum cursum consummauit, non solum domesticis, sed & externis, ipsisque Hæreticis desiderium, luctumque reliquit. Adeo cum esset rei domesticæ Procurator, suarum virtutum, ac præcipue caritatis, documentis omnium sibi amores obstrinxerat: Laus sane tanto præclarior, & imitatione dignior, quanto difficilius rei nummariæ tractatio apud seculi homines in religiosis viris approbationem inuenit. Herbipolitanorum quidam etiam Prophetiæ donum in Philenio sibi compertum narrarunt.

84 Clerus Colonienſis à Vercellenſi Antistite repurgatus.

Iam respirabat Belgium, sed vt sunt remedia tardiora, quam mala, lento progressu. Ad afflictam recreandam Prouinciam Visitator Oliuerius, cum Austriacas res composuisset, obiterque aspexisset Rhenanas, translatus est. Mirum erat in Alexandro Farnesio Parmensi Principe Societatis per Belgium propagandæ studium. Eius rogatu, dum alia alibi Collegia molitur, missi ex Treuirensi Collegio per Sacrum Aduentum Petrus Peraxilus concionator cum altero Sacerdote Luxemburgum. Iam ab Rege Catholico ad Collegij fundum Parmensis Prioratum Vnseldungensem impetrarat. Haud minus fauebat initio, vt quidem præseferebat, Gubernator Ducatus Comes Mansfeldus. Concionibus ter in hebdomada præter sacros dies habitis, magno cum fructu, alijsque obitis impigre consuetis officijs, cum Peraxilus, ac Socius reuocarentur Treuiros, negauit Comes accitos, vt inde recederent; sed vt nouæ Coloniæ perpetua ponerent fundamenta: occlusurum se portas ne irent. Et continuo literis ad Rectorem Treuirensem, & ad Visitatorem Oliuerium datis, Collegij institutionem acriter cœpit vrgere. Missi & Cortracum extremo Iunio, postulante Magistratu, & alente, Robertus Claysonius, Ioannes Dauid, & Ioannes Fans Sacerdotes cum Laicis duobus, concionibus, Catechismo, Sacrorum vsu mysteriorum, alijsque pietatis operibus, tum fructus vberes legerunt industriæ, tum cupiditatem habendi Collegij in Ciuibus incenderunt. Tertio nonas Februarij Tornaci decessit Ioannes Mortagna, ab anno 1553. in Societate, quam iam tum Sacerdos iniuit, Sacramentis distribuendis, verboque Dei prædicando egregiè operatus, ardentissimæ vir, & laborioſæ caritatis. Tornacensium, apud quos plurimum vitæ egit, iure Apostolum nomines, extat hodieque fructus eius industriæ in ea vrbe apprime saluber, volente, ac iuuante Epi-

85 Consecratio Templi Societatis Coloniæ.

86 Mors Guillelmi Limburgij.

Ioannis item Philenij, & huius laudes

87 Luxemburgi & Cortraci expetita Collegia Societatis.

88 Ioannis Mortagnę obitus Tornaci.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopo, sub Magistratus tutela duodecim probatæ sanctimoniæ congregauit Virgines, certisque deuinxit legibus, quæ se totas instituendis puellis paruis, vel alijs, si quæ id amarent, deuouerunt. Docebant autem ante omnia elementa fidei, probos, cultosque mores, tum pro cuiusque re ac natalibus, legere, scribere, & elegantiora opera, seu vulgares colus acusque ac telæ labores, vt cuique suppeteret, vnde vitam tolerarent, vel honeste, pieque exigerent. Iamque eo processit hæc disciplina, vt interdum quingentæ numerentur discipularum in numero: perque eam haud modica ex parte pietatis cultus, quem vehementer hæresis deformarat, priuatis in domibus expolitus, publice quoque resloruerit. Exulante modo Collegio solebat dictitare Mortagna, se, quemadmodum sperabat, non exiturum è vita, donec Tornacum restitutam Societatem videret, Ipse, vti supra memoratum est, restituit, ædificauit Sacellum, deinde fidelem Deo spiritum reddidit; ac primus in extructa ab se æde sepultus est. Ineius locum Domui Probationis, quæ vehementer hoc anno amplificata est, Eleutherius Pontanus successit, Valencenis accitus, vbi Bernardus Oliuerius cœptam superiore anno stationem administrauit.

89 Pia, & vtilis eius institutio ibidem.

In Anglia, quod proximis annis Londino, id hoc anno varijs Regni Ciuitatibus morientium pro fide decus additum. Nam, ne motus in Londinensi populo cieretur maior, simulque vt terror propius admoueretur prouincijs, late per Insulam cœpit sæuitia in Dei famulos exerceri. Mancastriæ Iacobus Labornus vir nobilis: Vinctoniæ Ioannes Sladus: in Castro Andouerensi prouinciæ Antouiensis, Ioannes Bodæus, magnæ pietatis Laici, pro religione sublati. Sed maxime Eboracum glorioſa Athletarum certamina illustrarunt. Hic Guilielmus Lacius, Ricardus Kikermannus, Iacobus Tonsonus, Guilielmus Hartus, & Richardus Tirchillus Sacerdotes, eamdem omnes ob causam, quod præter impia regni decreta trans mare dedissent operam studijs, ex auctoritate Pontificis Sacerdotium suscepissent, in Angliam tutandæ, restituendæque religionis causa reuertissent, perduellium pœna mactati, magno populi omnes dolore: sed maxime Hartus. Vix felicem Deo spiritum reddiderat, cum in magna spectantium corona multi facto impetu ad patibulum vsque, nullo periculi sui respectu, intulere se se, nec prohiberi potuere, quin certatim quicquid ad manum venerat ex reliquijs Pij Athletæ caperent: quorum multi protinus capti, & in carcerem dati. Illud haud minus memorabile. Cum ad obscurandam religionis causam iam Hæretica astutia permisceret Sacerdotum martyria, latronumque, ac facinorosorum supplicia, post Harti concisum venerandum cadauer, latro admotus patibulo, ac iussus causam quare damnatus erat, palam exponere, elata voce, Quid, inquit, crimen quod & dudum satis vobis enarraui, & vna cum cæteris meis noxis hesterno die Sacerdoti huic, pretiosa morte functo (Hartum significabat) in confessionis Sacramento patefeci, rursus enarrem? Nempe solum restat, vt moriar, nec repugno: illud igitur profiteri velim: me iam mortem non tam mei sceleris, quàm fidei Catholicæ causa complecti, perbeatumque me ducere, quod tam illustris Herois comes efficiar. Ad quæ verba cum varie affecta multitudo, alij compungerentur animo, alij taciti consilium laudarent, alij ac præsertim Ministri (vere ministri mortis) etiam vitæ pollicitatione ad reuocanda dicta sollicitarent. Iam Dei spiritu (vt æquum est credere) bonus latro æstuans, vociferari cœpit: rumpite moras, rumpite, piget iam vitæ: nunquam fiet, vt quod dixi retractem: Vnicum votum est Martyri huic Sancto commori: cuius beata anima nunc pro me orat: hisque in vocibus cum interclamarent Ministri tolle, tolle, blasphemat, pressis faucibus mortem oppetijt. Paucis dierum comprehensus Sacerdos dum pertentatur, si quid forte rei sacræ gestet, inuentus est collum fune circumdatus: interrogatusque quid ea res sibi vellet, particulam funis, quo suspenderant Hartum, hoc est, Sacram Reliquiam esse respondit; ac denuntiantibus eodem ipsum laqueo strangulatum iri, Vtinam, inquit, tanto honore sim dignus: & in carcerem ducitur. Hos honores

90 Varij in odium fidei cæsi in Anglia.

91 Latronis Pœnitentis felix obitus.

res fideli suo Sacerdoti, ac testi Christus Dominus etiam hac in vita rependit. Et sane erat Hartus non alijs modo laudibus, & multa Doctrina, sed virtute quoque singulari spectandus. Dum Romæ egit, specimen obedientiæ, modestiæ, caritatis habebatur, ac præsertim patientiæ in perferendis calculi doloribus acerbissimis. Ob eam inualetudinem in Societatem, quam summo studio petebat, non receptus, enixe Deum rogauit, vt aliquod sibi leuamentum concederet: & apparuit preces auditas. Vbi reuertit in Angliam dolorum asperitas mitigata est, & ille toto pectore ad religionis conuersus vtilitatem profecit breui spatio plurimum. Multos corroborauit in fide, multos in pietate promouit, multos ab Hæresi excitauit, quorum aliquot Romam misit, quoad bonorum laborum glorioſum fructum, Sancti certaminis palmam percepit. Londini, quanquam sanguini parcebatur, in facultates tamen piorum auide sæuiebant, & custodiæ Sacerdotibus complebantur. Præter eos, qui habebantur in Turri, triginta in Hullensi carcere, in Castro Equitis Martij, sex & viginti numerabantur. Qui omnes quotidie fere, iuuante Deo, alijs, atque alijs artibus sacrum faciebant, custodibus nunc ignaris, nunc pretio emptis, nunc conniuentibus, & interdum clam religioni fauentibus. Summa quin etiam Dei prouidentia fiebat, vt ita clausi sæpe vtiliores essent, quam si fuissent liberi. Ad hos enim cum certi, constanteſque in eodem loco permanerent, multi, qui Sacerdotes alios reperire non poterant, vel pij colloquij, vel Confessionis, vel etiam Sacræ communionis causa dissimulanter accedebant. Deinde cum semper Londini, aut in magnis vrbibus haberentur, magna negotia opportunius transigebant, quam si peregrinandum fuisset: idque tanto liberius, quod iam pro religione inclusis, vix vlla supererat, aut timendi, aut dissimulandi causa. Mirifice etiam alijs, qui varias ob noxas tenebantur, præsertim iuuenibus, consuetudine ac disciplina proderant: vt multis nocentium receptaculum fieret innocentiæ Schola, vnde plus virtutis breui perdiscerent vincti, quam vsquam liberi percepturi fuissent. Ad hæc cum sæpe potestas Sacerdotibus fieret interdiu custodia exeundi cum sponsione redeundi ad noctem, negotiorum per speciem, ad Catholicorum necessitates accurrebant. Adeo Deus, quemadmodum Alanus scripsit, benedixit suorum conatus: ipsaque experientia refutauit humana iudicia multorum, vel clamitantium, vel susurrantium; commodiora tempora expectanda. Quibus, inquit, consultoribus si vteremur, infinitæ quotidie perirent animæ, quæ nunc Dei beneficio seruantur: omnisque patriæ salutis, ac conuersionis extingueretur spes. Neque enim expectanda sunt meliora, sed facienda meliora: & à Deo Optimo, maximo studio, labore, ac sanguine præsertim Sacerdotum, sunt redimenda feliciora tempora. Hac & Sacerdotum inclusorum, ac cæterorum industria, Deo incrementum dante, Catholicorum hoc anno numerus vehementer est auctus. Quamquam multa præter hæc causam adiuuabant. Iam sementis è Christi testium sanguine lætam fundebat segetem, quam ipsimet è Cœlo haud dubie suis apud Deum precibus nutriebant: eorumdem illustrata magis ac magis innocentia multos permouebat. Ad hæc perennia quotannis sacerdotum supplementa operarum amplificauerant numerum. Scripti etiam libri præsto erant tum ad euertendos errores, tum ad pietatem excolendam moresque formandos cum inenarrabili fructu. super hæc, vt Deus pro sua infinita vi ac clementia bonum ex malo elicit, haud mediocriter proderant desertorum quidam, & proditorum suam aperte fassi, ac detestati nequitiam. Nam Ioannes Nicolaus cum ex susceptо ad Turcas itinere Rhotomagum reuertisset, grauibus literis, quæ editæ extant, nefarias suas fraudes retexuit. Laurentius quoque Chaddæus palinodia publica malitiam, & impietatem suam defleuit. Præterea Osburnus, & Thomas Alfildus, si quam tormentorum, necisque metu ignauius succumbendo labem fecerant, eam fortiter Deo porrigente dexteram, excitati resarserunt. His omnibus causis adolescebat res catholica, & firmabatur. Accesſere,

92 Guillelmi Harti religionis causa cæsi virtutes. Et vtiles labores.

93 Multi fidei causa in custodiam dati Londini. Ibi plus religionem iuuant.

Gratulante præsertim Alano.

94 Multi ex Hæresi conuersi in Anglia. Huius rei causæ.

95 Lapsi quidã resurgunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sere, & Hæreticorum inter se se dissidia. Namque Elisabeta Archiepiscopum Cantuariensem, Regnique Primatem Edmundum Grindallum, quia is ægrè ferebat ipsam nimium ex Archiepiscopali munere ad se rapere, omni iurisdictione spirituali spoliauit, reuocauitque eam ad se se, legatis per prouincias constitutis, qui ab ipsius modo potestate penderent. Ex cuius contumeliæ dolore

96 Ciuiles inter Hæreticos turbæ.

Grindallo mortuo, in eius locum Ioannes Vlitgiffius antea Vorcestriæ Episcopus suffectus est, capitalis Puritanorum hostis, qui cum multa contra eos volumina prius edidisset, iamque quo plus adeptus erat potestatis, eò impotentius agens, vellet vnde quadraginta capitibus, quibus aiebat contineri Anglicanam fidem, Puritanos subscribere, hisque obstinatum esset citius, vt loquebantur, tot mortes oppetere, quot pilos haberent corporis, quam in ea dogmata conuenire, ingens exarsit incendium. Hæc omnia cum religioni fauerent, non tamen desistebat Satan impedimenta multa cum in ipsa Insula, tum extra eam, & vnde minime timenda videbantur, obijcere. Duos qui de Societate fuerant illuc induxit Christophorum Perchinum, & Thomam Landgalum, Perchinus ingenij turbulenti homo è Societatis corpore iam biennio ante abscissus, cum turbas Coloniæ, & alibi per Germaniam exciuisset, in Angliam reuersus, etiam ab Catholica fide desciuit: & hoc minus creauit ouibus Christi periculi, quo citius plane se lupum ostendit. At Landgallus, vir ætatis, doctrinæque maturæ, Laureti Romæque Pœnitentiarij functus officio, muneribusque præterea sat grauibus gestis, cum ab Generali Romam accerseretur, Anglicanam Genuæ nauim nactus, incertum qua maxime causa, in Angliam fugit. Hic siue vltro, siue inductus, Reginæ consiliarios adit. Illi quidem statim qui profitebatur frequentaturum se Protestantium Ecclesias, alijsque persuasurum, vt frequentarent: eoque nomine aiebant, potestatem ei factam per Regnum omne vagandi, & sacrum vbicumque libitum foret, impune faciendi. Et Landgallus conciliandæ sibi gratiæ causa iactabat se à Pontifice missum, vt Iesuitas viseret eius Regni, ac reformaret; Sacerdotumque, qui ab Seminarijs venerant, errores doctrinæ corrigeret, & conscientias Catholicorum passim irretitas, pristinæ libertati restitueret, vt suis obtemperantes Principibus salua vita reque familiari Deo pacate seruirent. Audiebant hæc Schismatici totis auribus, & alij imbecilliores: at plerique Catholicorum, vt proprium est omnium alienum pastorem non audire, vel suspicati fraudem Hæreticorum, vel certe, vt erat, Apostatam Iesuitarum esse, procul ab congressu hominis fugere, nec domo recipere: adeo vt miser cogeretur Heyuodi amicitiam quærere, per quem autoritatem nanciscereturr. Heyuodus quanquam enixe rogatus nunquam homini quem infidum Deo intelligebat, voluit se se committere. Interim Hæretici plus hinc ad suas res, quam ex quauis disputatione, vel carnificina sperantes momenti, famam noui doctoris extollebant, Virum tota Europa sapientiorem inueniri negantes. Vbi res cognita est Romæ, sedulo Claudius aperiendam fraudem curauit, & illum pro Apostata Anglis Catholicis declarandum. Qui infelicissimus dum receptum apud alios non habet, ad cognatos, & propinquos, non magis genere, quam religione nobiles, multumque hominis temeritate offensos, coactus perfugere, extemplo desijt apparere: nec quid factum ei sit, postea vnquam est cognitum. Vix turbo is euanuerat, cum Heyuodus ipse nouum commouit, ieiuniorum controuersiâ, quam sub ipsum Personij, & Campiani aduentum diremptam supra narrauimus, validius excitata. Causam duplicem prætendebat, consensionem cum Ecclesiæ capite, ac temperamentum seueritatis, quam veteres Sacerdotes ex Reginæ Mariæ temporibus (vti non nemo querebatur) exigebant immodicam, cum ne puerperis quidem esum carnium diebus, quos ipsi obseruabant, concederent. Obstitere vehementer quotquot vetustiores supererant Sacerdotum non educati in Seminarijs, obiectantes omnis æui suffragio, atque etiam Ecclesiæ Anglicanæ Synodis firmatam, sancitamque consuetudinem. Accessere, & ex

97 Apostasia Perchini, & Landgalli.

98 Dissensiones inter Catholicos causa Heyuodi.

Semi-

Seminarianis doctissimi quique, & grauissimi cum negarent pertinere ad Gaspa-
rem antiquum eius Ecclesiæ morem abrogare: neque ipsi Romanæ Ecclesiæ id
placere, vt probabiles consuetudines aliarum Ecclesiarum abolerentur. Neque
verò decere, aut boni exempli esse, religiosum virum aduersus ieiunia vsque
adeo bellum gerere, multoque minime in eadem mensa dum alijs ieiunantibus
legitima apponuntur cibaria, ipsi, vt præiret reformationis exemplo, carnes
apponi. Non ita fortem Athletam Campianum, non ita censuisse Personium,
non ita cæteros, qui iusto prope conuentu statuêre nihil mutandum. Quid
Heyuodus perpetuum morem, quid prisca consulta, quid noua conuelleret?
Perstabat tamen Gaspar in sententia, vt erat non indoctus, nec suarum parum
tenax opinionum: qui cum suas ad partes è iunioribus Sacerdotibus haud pau-
cos traduxisset; ex his decem ac septem numero, tanquam in Synodi for-
mam congregati, frequentes contra ieiunia decreuere: vnde acrius incitata
lis, totoque regno diffusa, quanta cum offensione multorum, coniectura
hinc capiatur. Rogationum hebdomada, quâ illic veteri more ieiunatur, age-
bat Gaspar Londini apud Mercatorem primarium, qui id, quamuis Schisma-
ticus, in gratiam vxoris Catholicæ permittebat. Vna cum alijs Sacerdotibus ad
mensam adhibitus, cum ipse, & alij quidam carnibus, cæteri piscibus vesce-
rentur, Mercator primo irridere cœpit eam diuersitatem: deinde cum facti
sui rationem docte Gaspar reddere conaretur, non pacatus, sed abalienatus
est magis. Ac forte euenit, vt postero die in edictum aduersus Sacerdotes, &
Iesuitas recens promulgatum incideret: cuius assumpto exemplo, recta do-
mum ad Gasparem: ac interrogat, ad ipsum ne tale edictum spectet. cumque
is affirmaret, verum se apud illum tutum esse: nullam, inquit, Schismati-
cus à me fidem habes: neque ita mihi vitæ ratio tuæ probatur, vt causa
tua velim rem caputque meum in discrimen offerre. Itaque teneris. Ra-
tionibus, officijs, precibus contraniti Gaspar; nulla re flecti Mercator: perà-
gre demum precibus summis vxoris, & aliquot præterea Sacerdotum, adhæc
bono pecuniæ promisso numero, potestatem ei fecit abeundi. Vnde noua
Gasparem controuersia excepit, conscientiam teneret nec ne pecuniæ promis-
sæ fides. Hisce tricis implicitus Ioannem Curræum Sacerdotem in Galliam
ad Personium misit, vt quid facto opus foret cum sapientibus explicaret.
Sed cum hauddum Personius ex Hispania reuertisset, Curræus quod olim age-
bat, de suo ad Societatem accessu transegit. Haud multo post confirmata va-
letudine Personius ex Hispania adfuit, cognitoque rerum Anglicarum statu,
Romam excurrendum ratus, interim ne in deterius vsque res laberetur, Cur-
ræum quanquam Nouitium (sed erat maturæ pietatis, prudentiæque Sacer-
dos) remisit in Insulam, valde monitum, vt pro viribus sedare turbas, &
conciliare partes studeret. Decretum Romæ de subsidio in Britaniam mitten-
do, euocandoque ad Personij Alanique Colloquium Heyuodo. Regi quo-
que Scotiæ ad sui custodiam quatuor aureorum millia à Pontifice Personius
obtinuit. Qui regressus in Galliam Guilielmum Vestonum de Societate homi-
nem cum cæteris virtutibus, tum prudentia, ac modestia insignem, optime insti-
tutum summisit in Angliam loco Gasparis successurum. Sed Deus miro suo arti-
ficio lites præcidit. Euocatus Gaspar in portus Rothomagensis conspectum iam
venerat, cum repente aduerso vento repulsus in Angliam Hæreticorum in manus
venit, & condemnatus est, quemadmodum infra dicetur: ac finis dissensioni
captiuitate autoris impositus.

99 Eius ea occasione periculum.

100 Personij Prouidentia in sedandis turbis.

101 Finis turbarum captiuitate Heyuodi.

Interim res in Scotia, ob eam quam supra memoraui, conuersionem, ex
spe magna prolapsæ, in locum sane periculosum deciderant. Guilielmus
Holtus, qui vnicus in eo regno de Societate agebat, prope Edimburgum iussu
Hæreticorum Procerum, penes quos erat Rex, captus, & datus in vincula
est. Iam & tormenta parabantur. Sed Rex, quia venerat ab Parente eius
Regina commendatus, prohibuit. Instabat tamen Elisabethæ legatus, vt
traderetur sibi Londinum mittendus. Sed idem Scotus Rex, Christianissimo

102 Guillelmus Holtus captus, & postea dimissus, in Scotia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rege, summaque fide, & cura legato eius Menculio orantibus, in libertatem asseruit.

103 Edmundus Augerius Sodalitatem Pœnitentiũ instituit.

Interim Rex Galliarum Henricus Edmundum Augerium Dolani Collegij primordia ordinantem datis manu sua bis literis ad se Lutetiam aduocauit; eius vt opera in condenda, quam moliebatur, Sodalitate Pœnitentium vteretur, cui XIII. Kal. Aprilis initium factum est admodum speciosum. Nam præter plus ducentos è prima nobilitate, Rex ipse, duodecim Principes, Cardinales sex, tres Duces, Episcopi sexdecim, Abbates plurimi in eam dedere nomina; indutique faccis populo mirante conspecti sunt. Tantum nimirum habet momenti cognita Principis in vnam partem propensio. Ad nobilium corrigendos mores, & conseruandam Catholicam fidem eum conditum cœtum ferebant; quem quidam initio Sorbonicorum cum minus probarent, & Fraticellorum affinem hæresi prædicarent, inuidiam eius rei in Iesuitas, vt in rerum inuentores nouarum, conijciebant. Sed is breui euanuit sermo, tum palam facto studio Regis, tum cœtu comprobato, ornatoque donis præclaris à Summo Pontifice. Verum inter fausta clarissimæ Sodalitatis initia, publicamque gratulationem repentina Societatem Parisijs plaga percellit. Vehementer offensus denuntiatur Rex tribus præcipue causis, Quod hominem de Societate audiuerat vni Gallicorum Principum suasisse, vt is Regi Belgicum, & Lusitanicum bellum dissuaderet. Deinde quosdam in Pœnitentiæ Sacramento absolutionem denegasse ijs, qui sub Alenconio in Belgio militassent. Postremo quod alienigenæ permulti de Societate in Gallia degerent, ac fere penes eos Collegiorum administratio esset: quod Rex videbatur ferre grauissime. Itaque vetat post hæc præfici, nisi qui de sua ditione sint; ac super ea re Nuncium Pontificium literas ad Gregorium dare suo iubet nomine, vt id ipsum Pontifex Generali præcipiat. Hæc denunciatio consternationem nostris attulit eo grauiorem, quo domesticæ turbandæ concordiæ hinc suspicionum semina iacta sunt. Odo Pigenatius Prouincialis, Claudius Matthæus Præpositus Domui Parisiensi, Ioannes Sangennotus Rector ibidem Collegij, & si qui alij, in eam facile opinionem venerunt, vt consilium id Regi ab Edmundo suggestum crederent. Vtcumque id ipsis verisimile quæ ad manum erant coniecturæ facerent, tamen si alia, quæ partim ignorabant, partim non aduertebant, reputarent, in eam persuasionem timidius ituri fuerant. Si quidem literis Apostolicorum Lutetiæ degentium Ministrorum ad Romanam tunc aulam scriptis cognitum postea est, haudquaquam Augerij consilijs Henricum Regem, sed suis quibusdam rationibus in modo regiminis vti solitum. vtut se res habuit, plenæ querelis literæ ad Generalem venerunt, Augerium Ambitionis superbiæque criminantes, quasi is, vt regnum autoritatis obtineret, eos nostrorum quorum præsentia luminibus eius obstrueret, amoliri è Gallia, inuidia ortus externi, conaretur. Hæc quamquam ob autoritatem tradentium ex parte credita reperio, tamen erant, & à moribus Augerij, & ab ipsa veritate non parum aliena. Ac vt eius viri egregiam sanctimoniam, quæ plenè seriùs enotuit, his modo non opponam, hoc tantum dicam, homini cuius maximè conspicuum decus, Gallicæ eloquentiæ insignis excellentia ferretur, nostrorum in Galliam, ex Hispania Italiaue profectorum, quippe qui in aliena lingua balbutientium, formidandam comparationem non fuisse. Tumebat, tum Gallia non obscuris indicijs eorum motuum, qui deinde in maximam eius inclyti Regni perniciem eruperunt. Edmundi tali tempore sententia erat: debere nostros Regis summè Catholici maximèque pij vnicè obsequijs hærere: minimè autem populariter iactatis in eum rumoribus moueri. Contraria quorumdam secta erat è Regi tum minùs probatis Guisijs Principibus paulo addictius pendentium, partim, quod ijs fortè Natalium deuincti essent, partim quod religionis tuendæ nullam alibi spem, quam in illius potentissimæ familiæ patrocinio esse arbitrarentur. Euentis illustrata deinde multa sunt quæ tunc adhuc densa caligine obducebantur, vt in illis tenebris errantium miserabilior conditio quam vituperabilior culpa fuerit.

104 Ea probatur à Pontifice.

105 Rex Henricus in Societatem commotus.

106 Augerius ea causa immeritò suspectus.

107 Quam inuerisimiliter ambitionis, & inuidiæ taxatus.

108 Vera commotionis Regiæ causa.

Sed

Sed de his satis. Res enim referre ipsas, vt gestæ sunt, non æstimare nostri, est muneris. Isto Regis mandato grauissimè perculsus Prouincialis tanquam in summa calamitate indicit tota Prouincia certas pœnas, ac Sacrificia, & assiduas preces implorando Dei auxilio, cuius in manu corda sunt Regum. Nec minus ea res cognita Romæ Generalem, & Assistentes commouit. Sed promptæ hic fuit, Sanctissimi Patris perpetua benignitas, cui sedulo Claudius, quantum in regio præcepto contineretur difficultatis exposuit. Sic natam, sic adultam Societatem in sinu quodammodo præstantissimæ caritatis, quæ vnum in corpus nationes quamuis diuersas, arctissime copularit. Hoc fuisse Præpositis post Ignatium curæ inprimis, vt consensionem illam, & coniunctionem animorum totum orbem terræ loco Patriæ numerantem, excisis, quas natura, vel educatio ingenerat priuati amoris fibris, alerent, fouerentque. Hoc decere, hoc profiteri, qui seculo renuntiant. Hoc esse vitam ad Euangelicam formam componere. Hoc valere ad vtilitatem publicam, dum ex vna in aliam regionem subsidia mittuntur, quæ iudicantur aptissima, cum aliquando etiam, quia è certa gente non suppetunt, necesse sit ex aliena supplere, & Christus ipse dixerit, Prophetas acceptos in patria sua non esse. Itaque singulari studio commendatum sibi in proximis Comitijs, vt conseruaret, instauraretque sanctam hanc nationum permistionem: id sibi curæ fuisse, quo foueretur ipsa consuetudine caritas, & arctius inter se huius Ordinis, quasi vnius corporis membra connecterentur. Hæc & eius generis multa cum audiret sapientissimus Pontifex, vehementer probauit, laudauitque consensionem illam cœlestem, eiusque conseruandæ studium, neque aliud superesse respondit, quam vt conaretur Generalis Regi quoque Henrico satisfacere. Quamobrem Pater ad Prouincialem literas dat, vt accurate Regem edoceat, quam bona fide per Dei gratiam vbique Societas agat: fidelitatem nostrorum hominum ex religione, ac virtute, non ex natione spectandam, ac metiendam esse: idque posse intelligi totius anteacti temporis experimento, cum ad hanc diem nulla commemorari queat molestia per hominem Societatis alienigenam in eo Regno commota. Deinde cum ad rei publicæ vtilitatem summopere interesset idoneos religiosis familijs moderatores imponi, hos difficillimum esse nancisci, quamuis ex Prouincia & natione omni lectio libera sit, nedum certus coangustari limitibus possit. Testimonio ipsum esse Edmundum Augerium, cum Dolani Catholico Regi subiecti hoc idem postularent, stetisse Societati sententiam, potius nullo modo Collegium, quam cum ea conditione suscipere. De cæteris querelis doceret, quam leges Societatis vetarent, quam ipsemet Claudius priuatim prohibuisset de secularium rerum administratione quicquam attingi; quod si quid quis committeret, eum Rex nominaret, non impune laturum. Nihil esse cordi magis Societati, quam vt Regi Regnoque ad Dei gloriam, & salutem animarum omni studio, cura, labore, ad hæc optima fide deseruiat. His ad Prouincialem perscriptis, ad Annibalem Codretum grauissimum, & sapientissimum Prouinciæ Patrem, cui Augerij tum Iudicium tum vita summè probabantur, quod integritatis vtriusque argumentum erat: hæc proprijs literis Claudius addidit. Illud in vniuersum de toto hoc genere R. V. dicere habeo: maximè repellendam esse à Societate rationem hanc, & ideam gubernationis Politicæ, & humanæ, quæque consilijs carnis, & sanguinis nititur: quia vt in Epistola illa communi ad superiores scripsi, non plus locum habet in Religionibus, quam si quis ex principijs Musicis nauim gubernare instituat. Prorsus enim eodem modo toto genere differunt gubernationes communitatum spiritualium, & temporalium, vt in hac ipsa materia nationum, Reges gentium, & qui dominantur earum hoc faciunt, vt suorum potius quam alienorum ministerio vtantur; nempè quod eos in terrenis bonis custodiendis sibi fideliores, & coniunctiores futuros putant. Quæ causæ cum omnino cessent in Religiosis, apparet quam absurdum sit inter eos tamen talem linguam existere; maximè, cum se de terra sua, & cognatione sua exire professi sint, &

vnum

109 Pontifex rogatus à Generali concilium habere Regem Societati instituit.

110 Literæ Generalis ad Prouincialẽ Franciæ.

111 Aliæ literæ eiusdem ad Annibalem Codretum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnum omnium Patrem habere eum, qui in Cœlis est, & vnam communem omnium Matrem Religionem, quæ eos parturit donec formetur in eis Christus. Cum igitur sic intelligam nihil magis aduersari posse spiritui Christi, atque etiam vero illi spiritui Societatis; eique maiora damna afferre, quam hanc pestem, statui, cum Dei gratia penitus eam ex Societate nostra euellere; quantum quidem viribus (Christo Domino iuuante) conniti potero. Ac proinde hoc etiam totum planius Reuerentiæ Vestræ indicare volui; vt quoniam ea ætate, & autoritate, atque etiam ijs meritis in Societatem est, vt ei omnes deferre debeant, ipsa quoque in hoc nobis cooperari studeat, & quæcumque occasio ei fuerit in omnium nostrorum animos inducere veram illam indifferentiam, atque æqualitatem ad omnes homines, aut nationes, vt siue barbarus, siue Scytha, omnes vnum in Domino simus. Et quando hoc bono scimus nos fruituros in Cœlis, demus etiam operam, vt eius felicitatis partem præcipiamus in terris. Nam præterquamquod alioquin nosmet ipsi caritatis dulcedine priuamus, quæ quidem magna est, & contra nosmet in multas tribulationum & amaritudinum spinas induimus; hoc etiam ferme necesse est, vt cum nobiscum inter nos non optime conuenimus, quicquid id est ad externos etiam promanet: cuius rei exemplum recens ante oculos Reuerentia Vestra habuit. Accedit etiam, quod ipsa se Societas multorum opera, & vtili, & opportuna necesse habet priuare, quando in Superioribus, vel huiusmodi administris deligendis non tam talentorum, quam aliarum rerum externarum, rationem habere cogitur. Qua in re quod nostrum sit consilium, ac iudicium, puto Reuerentiam Vestram, & alios cognoscere potuisse ex ijs capitibus, quæ non multo ante in Prouincias omnes missa à nobis sunt, vt secundum ea doceremur de iis, qui ad gubernationem idonei sint. Nihil enim dubitamus, quin quo propius ad eam formulam in superiorum delectu accesserimus, eo maius Societatis bonum, & Dei obsequium futurum sit.

112 Odoris Prouincialis cũ Rege Collo quium.

Inter hæc Parisijs Odo Prouincialis post aliquot hebdomadas in propitiando numine positas, adito Rege, copiamque nactus familiariter differendi, in hunc modum exorsus est, Sacra Maiestas, læti quidem hoc tempore dies, & paschales aguntur cæteris, nos tamen in mœrore adhuc, ærumnaque, & corporum diuexatione versamur, quod infensum te nobis accepimus. Non enim possumus inde non maxime perturbari. Quippe vt omittam regia ista persona, & propria tua in nos merita, quantam nobis curam, ac prouisionem iniungant, ne quid tibi molestiæ procreemus, satis intelligimus ex regio clementiæ tuæ fauore pendere quicquid fructuum ex nostris laboribus percipere Dei Ecclesia potest: ad quam miseris hisce temporibus omni ope iuuandam relicto seculo nos totos deuouimus. Poterat quidem sustentare nos in hoc dolore testimonium conscientiæ nostræ, poterat, & Maiestatis tuæ sapientia, quæ rumores, atque obtrectationes huiusmodi æqua lance mature solet expendere. Verum cum, & nostra, reique publicæ tantum interfit, quid in re sit planum fieri, si per tuam benignitatem licet, exponam. Cum Rex comiter annuisset, tum ostendit, quam pauci, aut nulli cum Ordinaria potestate præfuissent in Gallia è regnis externis: deinde quam nihil ab hominibus, qui mundo mortui essent, timendum ipsi esset. Diuersæ licet nationis, ac sermonis, multi Sociorum essent in Gallia, tamen in eo conuenire omnes, vt priuatim pro eo quotidie preces facerent, & ipsum certatim amarent. Quod si cui de contentionibus Principum verbum excideret, id præsenti pœna vindicari. Vbi Rex, vt erat sagaci ingenio, rerumque præsentium notum paucis periculum videbat, Vt concedam reliqua, inquit, & vos Mundo, vt estis, mortui sitis, tamen fieri non potest, quin ipso naturæ nutu magis afficiamini vestros erga Dominos, quam erga externos. Neque ego persuaserim mihi, quin tu magis me, quam Regem Hispaniæ ames. Inter vos duo quasi membra esse video, & Collegia, & domicilia religioni dicata (Professorum domos intelligebat) in his curæ mihi non est,

est, qui agant, præsintue. At in Collegijs vbi instituitur regni Iuuentus, plurimum interest, quamdiu rerum hic status est, vt qui præsunt, ex nostro sint regno. Subiecit Prouincialis, neminem præter vnum, eumque virum bonum (is erat Bernardinus Castorius Senensis Rector Lugduni) Collegijs præesse externum, & quosdam Lotharingos, quos Regi maxime coniunctos semper existimasset. Hic visus annuere Rex, & de alijs querelis multo apertius, vbi explicata illi Societatis instituta, & vigilantia, satisfactum sibi professus. Cum ad extremum, vt consueta Societatem vellet benignitate complecti Prouincialis submissione ac modestia summa precaretur, plane confirmauit, eoque sensu, vt intelligeres vere loqui, eam sibi valde esse caram, & posse ex eo perspici, quod eius fidei Caroli Fratris filium, quanquam multi repugnarent, commiserat: & cognituros inposterum vbi vsus incideret, quanti eam faceret, quantum amaret. Interim preces quidem pro ipso non intermitterent; sed angorem illum, mœroremque ex eius offensione, quæ iam nulla restaret, omnino deponerent. Ita grauissima cura valde lenita est. Cum vero per ætatem Gassottus Secretarius regius Romam profectus, coram ab P. Generali, quid communibus regni, Societatisque rationibus expediret didicisset, & suas quoque ad Regem Claudius plenas modestiæ, & obsequij literas dedisset; & quod gratum eidem fore cognorat, Sangenottum Parisijs, vt aliquid concedendo faciliorem in summa haberet, euocasset, minacissimus turbo in præsens absque noxâ recessit. Duplex Mussiponti excitata est controuersia ab Iurisperitis ad explendam Academiam ab Duce inductis: leuicula altera de ipsius Oppidi nomine, quod cum iamdiu Patres Mussipontum vocarent, hi Pontimussum vulgari nomine congruentius contendebant. Nihil hic digladiandum monuit Nicolaum Clerum Rectorem Generalis, Domini esse rebus suis nomen imponere: Dux statueret, quemadmodum vellet suum oppidum appellari. Qui cum cognouisset, quoniam nomen illud conflatum esset ex Musso Oppido, & Ponte eo loci Mosellæ flumini imposito, conuenientius latine dici Mussipontum: vt Oenipontum, ac similia; quin nomen quoque vernaculum significare Pontem esse ad Mussum, & in ipsius Oppidi commodum non contra, haud dissentientibus iam Iureconsultis, retinendum Mussiponti nomen censuit. Grauior lis fuit altera, per quam spoliare Collegium Rectoratu Academiæ, quem adhuc obtinuerat, conabantur. Et quidem libenter honori illi renuntiatum ab Religiosis esset, nisi is fuisset locus, eaque tempora, vt multum Catholicæ rei interesse putaretur, autoritatem, iusque pristinum tueri. Et id quoque benignitate Ducis, quem ipse etiam datis in eam rem literis Summus Pontifex incitarat, tandem est impetratum. Late per Galliam desæuiens pestilentia eripuit Parisijs Oliuerium Amelium, non multo ante ab Santonibus reuersum, Sacerdotem impigrum, recti exempli, alienæ salutis percupidum; cui ab anno 1552. multis in Prouincijs multa per ministeria præclare inseruierat. Hic ad iuuandos peste affectos cum certatim periculosus labor appeteretur, duo segregati, Antonius Denisius Presbyter, & Ioannes Blanchettus Laicus. Itemque Niuerni Gaspar Deisboichet cum adiutore Philippo, quos in omne discrimen se caritatis gratia dantes: nec diuina modo, sed & humana præsidia summa ægris cura prouidentes, diuina tutela vtrobique conseruauit incolumes. Burdegalæ occubuit Carolus Ferronius, necdum Sacerdos; primus ex ea Ciuitate Societatem septimo ante anno sequutus. Qui cum semper singulari virtutum splendore luxisset, sensim tabescens, vt fluentem per se vitam cum lucro perderet, precibus ab Moderatore expressit, ne se docendi onere liberaret. Itaque in eo molesto labore ad extremum vsque spiritum lætus perseuerans, ex morbo, qui multos solet præripere vitæ menses, octauo, quo decubuerat die, emigrauit. Vtile documentum rapiendi temporis, nec ipsa in morte cessandi, in compendiariâ magis vitâ, quam breui. Multa per omnem Galliam dum Collegia summo studio postulantur, nec quicquam præter operarum paucitatem

113 Henrici Regis in Societatem beneuolentia.

114 Altercatio de nomine Mussiponti.

115 Rectoratus Academiæ Collegio retentus.

116 Mors, & laudes Oliuerij Amelij.

117 Pestis in Gallia, & per eam caritas nostrorum.

118 Caroli Ferronij constantia in munere docendi, & pia mors.

Universidad de Deusto
Biblioteca

119 Collegia Rhotomagense, & Ebredunense recepta.

tatem in mora est, Rhotomagense, quod Cardinalis Borbonius, & Ebredunense, quod cum Ciuitate, Cleroque, Archiepiscopus ingerebat: hoc in Lugdunensi Prouincia, illud in Francia, recepta: neutrum tamen multis annis perfectum. Interim Rhotomagi Iacobus Comulettus, & Barnius, & Thomas Darbischirus Sacerdotes excolendis moribus opportune versati, eminente inprimis sacra Comuletti facundia; Darbischiro Anglicanis exulibus, & sanctimonialibus præcipue iuuandis intento. Ebreduni Valentinus Gerardus etiam hoc anno perseuerauit, Iacobo Bruno pro virili iuuante. Qui etiamnum Sacerdotij expers, tum diebus festis vicina per oppida Euangelizans, tum profestis magnum adolescentium numerum, qui expectatione Collegij confluebant, in vrbe instituens, varij continuique laboris fructus exoptatos legebat. Sub Archiepiscopatu Ebredunensi in Delphinatu ad fines Allobrogum

120 Vtiles Iuliani Bouclerij labores Sedenæ.

Sedena est Ioannis Codurij Patria vnius è primis decem. Hic pari operæ contentione, vbertateque frugum, Iulianus Bouclerius desudauit: ex Gubernatore quamuis Hæretico venia elicita, Missæ Sacrificium nouem iam annis intermissum publicè faciendi. Multos ab Caluino abduxit: amplius quingentos iam semel, atque iterum hæretica profanatos cœna, vehementerque vacillantes confirmauit in fide Catholica, & expiauit. At cæterorum ex altissimo scelerum cœno vim ingentem extraxit. Consimili deinde successu idem ad

Et Aquis Sextijs.

Aquas Sextias, vbi item Antonius Canigianus Archiepiscopus cum vniuersa Ciuitate, & Clero, Collegium flagitabat, operam posuit: & Clemensonus

121 Clemensonus rem bene Nemausi gerit.

Nemausi, cœpta superioris anni persequens, quamuis inter assidua vitæ discrimina; permultis ad orthodoxos reductis, conseruauit sincerum Dei cultum, & propagauit. Euicit, vt ad diuina Missarum solennia, & ad conciones æreo Campano, quod multis annis conticuerat, signum dari denuo inciperet: supplicationes etiam publicas reuocauit, aliaque edidit reuiuiscentis publicæ religionis indicia. Accurrebant frequentes Hæretici auditum. Et Pater cum res fidei controuersas plurimum tractaret, duo cauebat; inprimis, vt non tam Hæreticorum argumenta versaret, quam Ecclesiæ Sanctæ liquido explicaret, neruoseque confirmaret sententiam: deinde ne quem maledictis offenderet. Inde factum est, vt nemo fere reliquus fuerit, non modo è Nemausensibus, sed è circumiectorum quoque Pagorum Hæreticis, quin illum audire voluerit: ac præter reconciliatos, vulgo omnes erga Catholica dogmata me-

122 Dolæ Collegium inchoatum.

lius animatos reliquerit. Apud Turones quoque, & Santones, & alibi res gestæ cum fructu. Dolæ in Comitatu Burgundiæ receptum aliquot ante annis Collegium, hac demum æstate tribus missis Præceptoribus inchoatum est: cui mox duo præterea accessere. Præerat rebus ordinandis Augerius, quo, vti dictum est, euocato Parisios, Ioannes Voëllus vir sane optimus, ac bene doctus successit: & hoc sub annum extremum eloquentiæ docendæ præfecto, primus locum Rectoris Ioannes Sonnerius tenuit. Missus hoc anno est in An-

123 Henrici Samerij ad Scotię Reginam accessus.

gliam ad Reginam Scotiæ, quæ Sacerdotem de Societate magnoperè postularat, Henricus Samerius natione Gallus. Abijt ornatu Medici, ac nomine, inter Procuratores dotalium Bonorum, quæ Maria habebat in Gallia. Per hanc occasionem Henricus ad Reginam aditum nactus, aliquot annos magno fuit illi ad pietatem adiumento, quoad suspicione iam emanante, recedendum Patri fuit, & Princeps optima consolatione omni spoliata est. Per Val-

124 Missio quatuor Patrum in Pyreneis perutilis.

les, & iuga Pyreneorum, qua maxime Aragoniam ab Gallia dirimunt, Cæsaraugusta Sacerdotes quatuor missi, late dispersas gentes ab rerum diuinarum ignoratione, & ab Hæreticorum vicinitate periclitantes, pagatim progressi mensium quinque Doctrina excoluere. Sub orientem, cadentemque solem cohortationes, sub meridiem catechesim habebant: interiecta spatia repurgandis à prima fere ætate conscientijs tribuebant, accurrentibus vulgo omnibus, seque totos Patrum manibus, fiducia & alacritate incredibili, permittentibus: quod erat Euangelicis Operarijs summi laboris suauissimum condimentum. Inter hos erat Petrus Villarius, qui iam dudum in erudiendis Tyronibus

bus domi, quasi in vmbra versatus, auide expetiuerat in pulueream aciemque prodire: eoque impensius in opus incumbens eo simul gaudijs vberioribus complebatur, simul exculti cum plebe pastores, & præter cætera decoros sacrificij ritus edocti. Instituta vbique Sodalitas Sanctissimi IESV nominis aduersus consuetudinem iurandi temere, execrandique, & mos præterea vulgo inductus apprime laudabilis, vt formula in occursu inuicem salutantium esset, Laus Christo IESV. Consimilia per Diœcesim Toletanam maxime per Montes gesta, quo sex Sacerdotes Quirogæ Cardinalis postulatu dimissi. Quorum Antonius

125 Alia pariter fructuosa per Diœcesim Toletanam.

Castrius cum Alcaratium venisset, ita inflammata est Ciuitas cupiditate Collegij, vt continuo ex collatitia pecunia censu parato, legatisque honoratis hominibus ad Cardinalem, vt Præpositi Generalis consensum sua ipse autoritate eliceret; reque ab eo, studio quam potuit maximo suscepta, vix cum bona gratia obtineri potuerit, ne supra vires Prouincia nouorum domiciliorum one-

126 Alcaratiense Collegium recusatum. Toletanum inchoatum.

re premeretur. Inchoatum tamen eodem Cardinali Autore Toleti Collegium est sub extremum Octobrem, Rectore Ioanne Lega, quinque apertis classibus, in quibus principio ferme sexcenti, post paulo septingenti numerati discipuli. Burgis Domus Professa ad veterem Collegij formam reuocata est, xi. Kalendas Iulias initio docendi facto. Rectore Emmanuele Lopio, qui nuper præpositus erat. Ea fuit commutationis causa, quod cum Gymnasium

127 Domus Professa Burgensis in Collegium mutata.

Burgenses vehementer expeterent, nec geminari in ea vrbe domicilia expediret, præsertim eo tempore, quo Ciuium multorum impeditis Belgico bello commercijs, fortunæ conciderant; atque ex altera parte ad instituendum Collegium Iaënensis Antistes Franciscus Sarmentus bonam pecuniæ summam simpliciter, ne Fundatoris quidem titulo recepto, donaret, visum est, & Ciuium cæterorum, & iuuentutis, vnica Collegij opera seruiri rationibus posse. Interim per Diœcesim continuatæ superiorum annorum excursiones, quarum causa duodecim Sacerdotes Christophorus Vela Archiepiscopus in Collegio alebat: quorum secum quatuor deducebat. Ex his operarius

128 Pius obitus Petri à Puteo, & de eius corpore certamen.

perinsignis Petrus à Puteo in Oppido Bribiesca præclaris onustus manipulis, sexto & trigesimo anno postquam in Societate fere assidue Burgis nauarat publicæ vtilitati operam, migrauit in Cœlum: id consequutus, quod maxime exoptarat, vt in opere moreretur. Eius corpus cum Burgos referre Patres conarentur, Bribiescani acriter obstitere, inter seque de eo certantibus Oppidi Ecclesijs, Archiepiscopus, qui etiam funus lacrymis, & concione cohonestauit, ædi principi addixit. Palmæ in Collegio Balearico Ioannes Cusso-

129 Aliquot Sociorum bona mors; in ijs Hieronymi Riboti.

la vetustus, ac probatus operarius ad mercedem vocatus. Duo Gandiæ Consaluus Pertusa, post tres & triginta annos laudati laboris, & Hieronymus Ribot vndecima fere ad vineam Dominicam hora conductus: quippe qui cum annum quartum, & quinquagesimum, ageret opulentus, & multa abundans familia, Societati additus, quinque in ea solum compleuit annos, sed plane vberes, ac plenos, singulari humilitatis & obedientiæ exemplo par infimis. Tanta animi æquitate decessit, adeo securus de iudicio illo æterno, vt de sua migratione non secus loqueretur, ac si in Villam quampiam esset animi causa secessurus. Non hac solum fiducia Ioannes Harlemius Madriti su-

130 Ioannis Harlemij constans prædictio mortis euentu probata.

premum diem excepit, sed etiam planè prænouit, prædixitque. Venerat in eam vrbem Germanis, Belgisque, cum Belga ipse natione esset, præsto futurus: cum paulo post Erisipelate lecto afflictus, sexto ante obitum die accersito Iacobo Auellaneda Rectore, aperte profitetur Deo ita placere, vt ex eo morbo decedat. Cumque Auellaneda ab ea conaretur hominem cogitatione deducere, frustra laborare eum respondit: ita omnino fore. Et interrogatus vnde rem nosset, nihil aliud subijciebat, quam, O consilia Dei arcana! Inde cum multo in dies haberet melius, & dies sextus adesset, Medicus optime iubens sperare, postridie certum se ei pharmacum traditurum denuntiat. Cui ille: hoc die, inquit, quemadmodum præfixum est, cursum meum consummo; nec aliter euènit. Ante mediam noctem malo repente exaspe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rato dum circumstant Socij, & commendandis animabus consuetas preces pronunciant, ad eas voces, Suscipe animam serui tui, tanquam somno excitatus apprehensa Rectoris manu. Ecce iam finis, inquit, Et continuo expirauit XVII. Kal. Ianuarias. Eodem mense Valentiæ Michaël Gubernius, qui post multos annos, cum plausu, nec sine fructu in Diuini verbi præconio exactos, labefactata ex apoplexia memoria, deinde paralysi diuturna vexatus, obscurus, ac veluti puer, in patientiæ solum, & humilitatis exercitatione aliquandiu vitam extraxerat, mortalitatis miserias exuit. Dicitur ipsemet solitus cum floreret, præ sanctæ studio humilitatis vitam ingloriam, & obscuram optare. Ghiscente per Boeticam contagiosa lue, apparuit benignitas Dei in Socijs protegendis, Malacæ inprimis: vbi cum se in ægrorum vtilitates liberaliter darent, & vndique contagiosis circumseptum esset Collegium, lues tamen nullum ex eo contigit: quod Patres præcipue Sancti Sebastiani tutelæ, cuius in nomine ædes Collegij sacra est, tribuebant. Hispalensis Domus Professæ Fundatores declarati Ioannes Antonius Vicentellus, & Brigitta Vicentella. In Granatense Collegium, quæ dudum impense Ciuitas expetiuerat studia latinitatis inducta octauo Idus Maij; quæ initio plus trecentis, ac subinde plus quadringentis discipuli frequentarunt. Adornandis initijs sacra omni, Ciuilique nobilitate spectante, præter multiplicem circa aream musarum pompam, & concinnum in pulpito drama, supremæ classis Præceptor Andreas Rodericius è suggestu Oratoris voce præluſit.

131 Mors Michaëlis Gubernij.

132 S. Sebastiani tutela efficax in periculis pestilentiæ perspecta.

133 Scholæ Granatæ apertæ.

Lusitana Prouincia Angrense in Insula Tertia recuperauit Collegium, amissum, vti supra narratum est, dum Insulani Philippi Regis imperium detrectant. Nono Kal. Iulias centum instructa nauibus classis aduersus eam Insulam Olisippone soluit, in qua Petrus Freires, & Gregorius Matta Sacerdotes cum Balthasare Consaluio, & Balthasare Almeida comitibus Laicis de Societate profecti, sedulam nauarunt militi operam, cum in nauigatione, tum in prima irruptione in Insulam; valde ferocia, & auaritia militari cohibita Edicto, quod Classis Præfectus Aluarus de Bassan Marchio Sanctæ Crucis P. Gregorij suasu promulgauit. Postridie quam capta vrbs est, Marchio ad Collegij Templum tetendit, in eoque sacris interfuit, atque omnia, quæ apparuere Societati restitui iussit. Ibidem Magnæ Matris Assumptæ die cum flore, ac splendore omni bellatorum, rei successum gratulaturus, Eucharistiam pie suscepit. Restaurando Collegio Freires, & Consaluius Angræ relicti, redeuntem classem Gregorius cum Socio sequutus, Gadibus quo Classis appulerat, vitæ mortalis cursum confecit, triginta annis in Societatis laboribus cum suo, plurimorumque profectu consumptis, propter morum suauitatem præcipue omnibus carus. Maiore quam pro specie Conimbricense Collegium defunctum procella est. Academiam, cuius pars est Collegium, iussu Regis cum Emmanuel Quadrius viseret, Collegium quoque suo iuri subditum contendebat. Protulere Patres concessa sibi à Rege Sebastiano beneficia, per quæ solum ijs licebat, quos Societatis Præpositus Generalis mitteret, Collegium illud spectare. Quæ dum Rex iubet expendi, interim, quanquam non finita causa, libertas religiosa stetit, nec aditus innumeris turbis apertus.

134 Societati restituitur Collegium Angrense.

135 Conimbricensis Collegij periculum.

Memorabile hoc Anno Prodigium nostræ Africa historiæ suggerit, repetitum vsque ab Æuo Mosis, & Iosue, victricis Orationis exemplum, quo bellum anceps, & diuturnum, nobilissimâ forte omnium, quas vnquam Lusitani de Barbaris gentibus retulerunt, victoriâ perpetratum est. Verum antequam ad istam narrationem aggredior necessarium duco repetere ex memoriâ aliquot retro Annorum distinctiorem aliquam notitiam, cum rerum, Originum, opumque Angolani Regni, tum fœderum ab eius Regibus cum Lusitanis initorum. Ex hac enim informatione duo video sequutura apprimè vtilia in rem, quam ago. Prius, vt non vacillet lectoris fides quando audiet exercitus plus quam Decies Centenorum Millium Lusitanis oppositos, quasi

136 Res Angolani Regni.

137 Origo Belli Lusitanorum cum Rege Angola altius repetenda.

quasi gentium istarum haud quaquam esse potuerint opes tantæ. Alterum, vt quiuis intelligat iustissima fuisse isto Bello arma Christianorum à fœdifragis iuris gentium violatoribus, & sæpius periuris, debitas pœnas repetentium, quæ proinde manifesto cœlestis auxilij miraculo diuinitus fuisse comprobata non incredibile videri debeat,

Ambundi communi, & patrio nomine dicuntur innumerabiles populi, qui partes Aquilonarem, & Australem vltimæ Æthiopiæ, latissimis diffusas tractibus obtinent. Terra est Zonæ illa quidem torridæ subiecta, ad nonum fermè gradum altitudinis poli Australis, Brasiliæ Oram, in quâ Pernambucum est, ex aduerso respiciens. Cæterum, & salubris, & fertilis. Etsi enim quâ vergit ad Mare propter restagnantes fluminis Coanzæ aquas, palustres Cœli grauis Regiones habeat, minus ideò habitationi hominum opportunas: tamen quâ introrsum recedit, in latissima porrigitur æquora Camporum, amœnarumque herbosa intercollia vallium, frigidorum passim fontium, & amnium perennibus irrigua lapsibus; felicium quoque arborum, frugumque optimarum vberi vbique ditia prouentù: Nisi vbi fœti argento Montes horridâ exuci, & exusti soli sterilitate squallent; vim suam intus totam in pretiosi elaboratione Metalli consumente naturâ. Cultæ hìc iam olim, & numerosâ refertæ sobole Dynastiæ ad septingentas triginta numerabantur, Morindæ vocabulo patrio dictæ, nullo inter se communi iuris, aut imperij coniunctæ vinculo: Sed suis quæque supremis, & nihil cuiquam obsequij debentibus subditæ Regulis, quos lingua ipsorum Sobas vocat. Hoc statu erant Ambundorum res cum Iacobus Canus Classi Lusitanicæ Præfectus, auspicijs Ioannis Secundi Regis, Congi Regnum finitimum Ambundis, non ad amicitiam modo Lusitanorum, sed ad fidei quoque, ac Religionis Christianæ professionem adduxit. Hinc armorum quoque Societate inter Congenses Lusitanosque contractâ, miris apud eas gentes Europæorum facinoribus increbrescere nomen, ac decus ipsorum cæpit. Extitit sub hæc tempora inter Regulos Ambundorum quidam vnius initio Morindæ Soba, Angola nomine. Is non vulgaris homo consilij, atque animi, cum arte, vel casu, aliquot simul minutarum eiusmodi ditionum ius, atque imperium in suo vnius capite iunxisset, Societatem ipse quoque Lusitanam expetijt, & eius opportunis auxilijs ita est confirmatus, vt breui tempore singulos adortus Sobas, vniuersam Ambundorum gentem suo Dominio subijceret, & ex angustæ Prouinciæ Regulo, Magnus Imperator fieret; vnde, & proprio Angolæ nomini Ienene cognomen adiunxit, quod Æthiopicâ tractuum illorum linguâ magnum sonat. Hoc principium noui Regni fuit ex triginta supra septingentas Dynastijs vnum in præpotens Imperium coalescentis: Cui Lusitani nomen à primo Authore posuerunt, vt Regnum Angolæ diceretur. Porrò in hoc Angolâ Ienene Vafri hominis ingenij ac subdoli, spes Lusitanos defecit sua, quam è Regis Congensis facili ad Christi Religionem traductione conceperant, istum quoque, ac subiectas ei gentes Christianæ legi conciliandi. Etenim hic Veterator callidus ostentatas ad illecebram vtilitates ex Commercio, ac Societate Lusitanorum ita percipiebat, vt pios insidiatores, quippe non alium magis ex eo quæstum, quam salutis ipsius propriæ, suorum cum ipso commodorum communicatione, captantes, præroso, quod dicitur, hamo fugeret. Inter secundas post Religionem causas, quibus Lusitani iam ab initio moti fuerant ad Societatem cum Ambundis ineundam, quæque ipsos deinde inclinauerant, ad firmandum auxilijs Angolam Regem non postrema erat spes ostentata potiendi Fodinis Argenti copiosis, ex quibus massa in specimen iam olim ad Principem Henricum, Nauigationum Ionginquarum primum Authorem, & quoad vixit Moderatorem summum, perlata fuerat: quas ille primitias pro suâ præstanti Religione Deo Sacrauit, Calice inde argenteo iusso fieri, quem incruenti Sacrificij Ministerio dicatum voluit. Fouit istam expectationem Angola Ienene quoad vtilem rebus suis credidit: Cæterum, vt satis stabilitum sibi sensit Imperium, Lusitanos

138 Nomen verum, & situs populorum Angolani Regni.

139 Fertilitas Terræ Ambundorum.

140 Septingentæ eorum Prouinciæ.

141 Initia Notitiæ, & Societatis Lusitanorum cum Ambundis.

142 Angola Ienene Dynastias Ambundorum sub vnum imperium cogit.

143 Spes suæ cõuersionis ad Christum eludit.

144 Fodinæ Argenti oblatæ Lusitanis.

145 Deinde contra fidem negatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

varijs deinde ludificationibus differebat, dum promissam ab illo suam Conuersionem ad Christum, & ex argentariâ Sacturâ Metalli suo sumptù fodiendi speratam facultatem repeterent. Quare diremptâ infidâ Societate, Destitutus à Lusitanis ingratus Rex, carebat ille quidem facilè militaribus illorum auxilijs: quippe inter suos optimè fundati, & abundè magnis iamnitentis opibus, Regni securus; tamen gustatis Europæi Commercij prouentibus quanto suo damno fraudaretur, experientia illum admonebat præsentis egestatis, quoties eam cum copiæ prioribus Mercaturis importatæ memoriâ comparabat. Accedebat æmulatio finitimi Regis Congi, quem externis mercimonijs solum ditescere haud æquis oculis videbat. Huic ergo cupiditati simulatum Religionis studium obtendens, Magistros Euangelicæ Doctrinæ subindè instituit à Lusitano Rege petere: non aliâ conditione intelligens Europæas naues ad suos portus appulsuras. Missi sunt semel, atque iterùm Christiani Sacerdotes ex Insulâ propinquâ S. Thomæ Lusitanæ Ditionis, & inter eos insignis Professor Ordinis S. Bernardi: sed cum obstinatione gentis, & varijs fraudibus astuti Regis fieret, vt illi, aut irritis consumpti laboribus interirent, aut vexati malis artibus redire vnde venerant, cogerentur, magni semper conatus optato successu caruerunt. Vnde ad extremum desperatâ re Lusitani, renunciatâ toties infido Regi amicitiâ, eiusque portubus vitatis, cum alijs constantiori fide Societatem colere solitis Gentibus Africana Commercia frequentabant. Cum ecce tertio ad Ioannem Lusitaniæ Regem eius nominis Tertium, decernitur ab Angola Ienene Ambundorum Rege splendida legatio, quæ priora excusaret, & in posterum polliceretur: non modo liberam, & tutam Lusitanis Sacerdotibus apud Ambundos commorationem fore, verum Regem quoque ipsum daturum ijs operam; adeoque manù ipsorum Sacris Christiani Baptismi aquis quamprimùm ablui cupere. Peruenere in Lusitaniam Legati cum his mandatis mortuo paulò ante Ioanne Rege, Reginâ Catherinâ eius viduâ pro nepote Sebastiano per ætatem adhuc infimam regimini impari, Regni res administrante. Ea de Sententiâ Consilij Regij Paulum Diazium de Nouaëz Legatum destinauit ad Angolam, adiunctis ei quatuor è nostrâ Societate Patribus qui anno 1560. Soluentes Vlysippone, cum ad Amnis Coanzæ Ostia venissent, cognouerunt ex indigenis fato functo Angolæ Ieneni successisse in imperio alterum Angolam cognomento Dambi. Hic paulò post de aduentu Lusitanorum certior factus excepit legationem benigno vultu: sed mox prædæ cupiditate mutatus, legatum & Patres coniecit in carcerem, Nauibusque direptis Lusitanos omnes interclusâ fugæ spe duræ inter suos seruituti mancipauit. Sex totos annos iniuria tam vehemens, sine vllo laxamenti solatio sæuire perseuerauit: tamque eius vi plerique Lusitani, & in his duo è Societate Patres ærumnis, & egestate consumpti perierant, cum septimo demum anno miseratus Barbarus Rex tristes Reliquias Lusitanæ, quam oppresserat Classis, aut potiùs absumptis, quas nefario latrocinio rapuerat eius opibus, nouas auaritiæ prædas quærens, apud Paulum Diazium de Nouaëz adhuc superstitem sibi sisti iussum excusauit, quæ Regni nouitas, & Consilia suorum peccare se in eum, vti aiebat, coëgissent; adiunxit, se meliora consilia sequi certum, cupere, ac contendere ex ipso, vt in Lusitaniam reuertens interpres suæ pœnitentiæ, & officiosæ voluntatis apud Regem Sebastianum esset. Eique suo nomine fidem daret, se Religionis Christianæ Mysterijs initiari decreuisse, tum cæteris omnibus officijs Lusitanam Societatem constanter, ac sanctè colere. Mitteret Rex si videretur classem, cui appulsæ argentarias statim Cambambiæ venas in æternam attributurus possessionem esset. Duos, qui supererant Patres eius reditûs obsides, & illius, quam parabat ad Christum conuersionis administros, retinere interim apud se velle. Talia cum sic remissus in Lusitaniam Paulus Diazius apud consilium Regium, cui tunc Henricus Cardinalis Regis Sebastiani patruus præerat, exposuisset, & si neminem fallebat, quam parum fidei promissis egentis & fœdifra-

146 Diremptâ Lusitanos inter, & Ambundos Commercia ægrè fert Angola

147 Missis legatis Euangelij præcones impetrat. Quos variè ludificatur.

148 Legatio vltima Angolæ Ienene ad Io: III.

149 Paulus Diazius cum quat. PP. Societ. ad Angolã missus.

150 Perfidia Angolæ Dambi in Lusitanos

151 Paulus Diazius remissus in Lusitaniam.

152 Angolę Dãbi postulatis cui, & quatenus satisfactum.

difragi Tyranni deberetur, tamen respectus maximè duorum Patrum, qui apud ipsum captiui manserant, & spes verisimilis redigendorum in potestatem sæpiùs promissorum eius Terræ Metallorum, Regem ac Proceres impulit ad nouas eò copias, Prætoris viri fortis atque industrij ductu, mittendas. Non alius ad id aptior occurrit ipso Paulo Diazio de Nouaëz, locorum, & gentis, ipsa longi exilij patientiâ perito. Huic ergo editis mandatis, ne se ac Classem vltrà quam oporteret Barbarorum potestati permitteret, sed statione securâ munitis Castris, ex tuto, quæ in rem viderentur cum ijs transigeret: Naues aliquot armatæ cum idoneo fortium militum numero datæ sunt. Addita Patrum nostrorum non numerosâ illâ quidem, sed lecta manus, Præfecto Balthassare Barreyrâ notæ prudentiæ, ac pietatis Sacerdote. Dum hæc parabantur finem viuendi fecit Angola Dambi: eique suffectus in imperio est Angola Quiloanga (nam primi, & clarissimi Regis nomen hîc quoque, vt in multis olim gentibus contigit, ominis auspicijque captandâ fœlicitate, certatim successores affectabant.) Eâ vice rerum delatus cum Classe ad Ambundorum Oram Petrus Paulus Diazius sub finem anni 1574. Loandæ vicinæ Insulæ desertum portum arce, ac præsidio munitum tenuit. Inde legatos cum muneribus ad Quiloangam misit nouum Regem: qui delinitus specie, ac pretio donorum, facilè promisit: se quibus legibus Decessor suus conuenisset, Pacem, ac Societatem cum Lusitanis incorruptâ fide culturum. Hinc statim copia Patribus Euangelij promulgandi libera facta est, quâ strenuè vsus pro suo ingenti Diuinæ gloriæ studio Balthassar Barreyra, ea perfecit, quæ duobus hunc præcedentibus annalibus à nobis ex parte narrata sunt. Sed cum interim Prætor Mandatorum Lusitani Regis, & promissorum Angolæ memor ad argenti metalla pergere cum armatâ manu instituisset, nudante perfidum animum Angolâ Quiloangâ, & cum armatis copijs viam intercludente, ea pati atque agere Lusitanos contigit, quæ altero tertioque ab hinc anno meminimus. Hoc demum perruptis omnibus obstaculis in Cambambiam vbi sunt illi argenti feraces Montes, Prætor Diazius cum exercitu penetrauerat, quando ecce subito excusso torpore, quem cladis nuperæ incusserant, sæuior quam vnquam efferatiorque Quiloanga exurgens, Ambundos latè omnes, & totas illas plures septingentis ditionis suæ prouincias, ad arma tumultuosissimè concitauit. Ruebant consternati vecordi furore leues populi, spem sequentes insanam delendi funditus Christiani, Lusitanique nominis, & prædæ ingentis potiundæ. Vix fidem numerus inueniet, tamen, quod concordibus, & oculatis grauium virorum testimonijs constantissimè affirmatur ponam; ad duodecies centena hominum millia stetisse in armis cum Rege Angolâ Quiloangâ memorantur. Non ij tamen omnes Regis auspicium primò sequuti. Pars è primâ destinatione mutati transfugio fuerant. Diximus aliquot Sobas ad Societatem Lusitanorum allectos, copijs proprijs eorum castra fregis, palam Socijs desertis ad eum conuolarunt. Vnus immortali memoriâ dignus Songa Banzæ Regulus, Regis Quiloangæ Socer, quem tertio hinc anno, Pauli nomen in Baptismo accepisse docuimus, constans in fide Societatis, & Religionis mansit, & cum triginta millibus suorum, fortunam ad extremum sequi trecentotum Lusitanorum (non enim plures in ijs Castris numerabantur) ingenti animo constituit. Haud paruum momentum fuit ad eum eiusque milites in istius Consilij generositate firmandos in præsenti oratione Balthassaris Barreyræ. Is eâdem Authoritate, qua ipsis paulò ante Christiana dogmata persuaserat flagranti vultu Diuino zelo concursabat passim ordines Neophytorum Æthiopum, timere illos numerum hostium vetans, Deum enim Christum cuius sacra suscepissent, vnum omnibus præualentem, & cum eo innumerabiles, atque immortales Militiæ cœlestis exercitus ipsis adfuturos. Ab his ad Lusitanos versus: state animis, aiebat, nec multo pauciores estis quam Gedeonis Milites, qui Madianitarum, & ipsorum Æthiopici generis, parem huic multitudinem etiam iner-

153 Paulus Diazius Prætor cum Classe ad Ambundos missus.

154 Mors Angolæ Dambi, & successio Angolæ Quiloãgæ.

155 Huius fauor erga Lusitanos.

Deinde perfidia mutatus.

156 Quiloanga in Lusitanos bellum parat.

Ingẽtes eius copiæ.

157 Socij Lusitanorum ab ipsis deficiunt.

158 Pauli Songæ insignis Constantia.

159 Balthasaris Barreyræ vtilis opera ad milites confirmando.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inermes profligarunt. Nec illi tamen Dei Matris, quippè nondum natæ, opem iuuabantur. Vobis huius iam regnantis in Cœlo clientibus nutu eius, ac nomine denuncio, certam illustremque victoriam de ijsdem his Barbaris, à quorum sacrilego ludibrio Sacram eius effigiem paulò antè fortissimè vindicastis. Magna vobis merces eius meriti constabit. Nec in longum differenda. Crastinus dies est Anniuersario Ecclesiæ ritu, Deiparæ Mariæ Purificationi recolendæ Sacer; ite cras auspicatâ luce audentes in prælium. Vincetis. Spondeo. Immo vobis cessantibus vincet ipsa, quæ aciei ordinatæ instar vna est. Eundem me Authorem spei, & periculi participem habetis: facite vos ego quoque conceptæ Cælo Authore fiduciæ consortes habeam. Nec cessabo pugnantibus vobis: Sed efficaciori genere armorum, oratione, & manuum ad Cœlum protensione dimicabo. Hæc loquentis vultus, atque oculi cælesti ardore fulgurantes Diuinum spirabant quidpiam, quod quamuis incredibili promisso fidem adstrueret. Parte inde noctis excipiendis Militum Confessionibus impensâ, curauit idem Pater, vt totum antemeridianum tempus postridiani festi, sacrificijs, Sacramentorum participationibus, supplicationibus, atque id genus Religiosis Officijs à toto exercitu consecraretur. Sacris peractis, & quod suæ cuique arcana quædam despondebat fiducia, litatis, mira passim extitit in omnium animis ad frontes ipsas exterius eminens alacritas. Ante omnes Paulus Songa, cui summam secundum se in totum exercitum potestatem Lusitanus Prætor esse iusserat, capere gaudium non poterat, nec tenere se quin per suorum ordines volitans, vicimus Commilitones, exclamaret: nec nostrum hoc prælium sed Dei est, eius opem, eius ductum nobis deesse non posse planè certus sum. iussis interim militibus curare corpora, & expedire arma, quietis aliquantum in Castris fuit. Sub hæc paulus Songa pro suo munere speculandis hostium rebus attendebat. Castra Lusitana in Planitie munita erant, quam à tergo claudebat Coanza fluuius. Eminebant à fronte iuga plurima præruptorum Montium, quos Quiloanga immensa illa suorum Æthiopum turba insederat. Cum hos obseruaret Songa curiosius, animaduertit hærere hostes in loco constantius, quam pro gentis more: densari etiam in stationibus, ac fremitu, motu, cæteraque specie, parantium aliquid indicium præferre. Adit continuò Prætorem, qui tum fortè in Prætorio eâ ipsâ de re Consultans cum P. Balthassare sedebat, & aut gentis, inquit, me meæ mores fallunt, aut irruptionem in munitiones nostras conditam in noctem imminentem apparant. Quanto autem vtilius nobis sit in Campo, atque in acie de die pugnare, quam cœcis tenebris stipatos intra Vallum conflictari inter sarcinas, profectò cernitis. Quare mea quidem sententia est, protinus educendas in prælium legiones esse. Probauit rem Prætor, & pugnæ signum exercitui volenti, & parato dedit. Prodibant læti milites acclamantes nomen Mariæ Victricis, quam eis vocem, velut militarem Tesseram Barreyra concionabundus ordines obiens dederat. Ipse directâ iam acie locum cæpit, vnde sublatis in Cœlum Oculis, & eodem manibus intentis, Diuinum auxilium ardentissimis precibus poscebat. Hora erat post meridiem fere tertia. Quando Barbari protim è cunctis simul partibus cum impetu descendunt, densissimas sagittarum nubes eiaculantes. Hic primum experimentum non frustrà sperati Cœlestis auxilij fuit. Nullum è tot millibus telorum in nostros licet intra iactum iam progressos, ictum pertulit. Emissa iacula Diuinâ vi reflectebantur in Autores, qui passim cadentes fœdâ strage decliuia Montium latera complebant. Instare Christiani tanto acrius, globos plumbeos æneis emissos tubis, quam creberrimè vi flammæ, ac sulphuris iacere, quorum nullus irritus volabat. Fundæ quoque, & arcus Æthiopum Paulum Songam in prima acie fortissimè pugnantem sequentium, nusquam sine graui, & multiplicatâ noxâ intendebantur. Cum hæc diu fuisset fortuna prælij, multique subinde Nuncij Barreyram interpellantes docerent iam cuncta latera Montium

160 Et victoriæ certa sponsio.

161 Paulus Songa Autor ineundi prælij.

162 Pugna auspicijs Deiparæ suscepta.

163 Barbari suis ipsorum iaculis confodiũti.

164 Barreyræ oratio interpellata ceptam victoriam abrumpit.

tium cadaueribus hostium constrata cerni, nostrorum nullum cecidisse, ne vulneratum quidem sciri quemquam, his ille facilè persuasus debellatum esse, currit ad Prætorem, victoriam gratulaturus. In ipso momento fugientium passim prius Ambundorum, manipulus obuertit audacter vultum, sagittas eiaculatur, vnum alterumque mox alios vsque ad septem è nostris sternit. Quo aspectù ingemiscens Prætor ad intempestiuè gratulantem Barreyram versus, redi fis, inquit, ad Orationem Pater, redi si nos saluos vis. percussit ille pectus credulitatem suam damnans, & positis iterum genibus, profusisque lacrymis propitiari numen institit. Hinc iam emendatâ statim offensione cursù cæpto victoria processit. Obuersi in istum hostilem Cuneum Lusitanorum fortissimi suorum cædes copiosè sunt vlti, pertinacissimis confossis, cæteris fugatis. Iam sol occubuerat, & densa nox ingruens, quæ victis profutura videbatur, victoribus non minus vtiliter, quam lux ipsa militauit. Clamor minax, ac multiplex Vincentium, gemitus cadentium, bombi scloporum, tormentorum ex ære tonitrua, desperatæ vociferationes passim fugientium abiectis armis, terrore per noctis horrorem multiplicato increbescentes, extremâ consternatione superstites dementabant, vt velut cerriti cæco impetù ruerent, Vorago hiabat ingens præruptis marginibus, & prominentiâ rupium asperis altè deorsum sidens. In eam primis quibusque fugientium per deficientis iam crepusculi caliginem malignam lapsis, alij super ipsos aceruatim, partim similiter errore cumulabantur, partim incumbentè protrusi turbâ in prouisam licet perniciem addebantur. Nec finis præcipitandi fuit, quoad confertâ corporibus multorum millium capax fouea, cum cæterâ Campi superficie coæquata, funestum quemdam, & horribilem quasi Pontem Christianis, fractos & fusos Barbaros à tergo prementibus sterneret. Institere conferto iam Baratro, & ipsi ignari, quo ferrentur Lusitani victores, & congesta supra miserè stipatos intus ægrè spirantes viuos, eorum, quos ferro deprehensos obtruncabant, vel iam exanima, vel animam expirantia corpora calcantes, vlterius etiam longè progressi, cæde, ac strage cruentâ omnia complebant. Donec sæpius iam datum aliquando sentientes receptûs signum, in Castra iubilantes, & Deum, ac Diuam Virginem Victoriæ Autores celebrantes, multâ iam nocte reuerterunt. Insecutis diebus cum iam sine vllo metu vndequaque longius à Castris manipulatim Christiani discurrerent, nouem Lusitani milites sub solis occasum clarè Crucis formam ingentem, ac lucidam in aëre viderunt Ambundorum terris imminentem, quod cum reuersi narrarent, fuerunt, qui se idem eodem tempore alio loco vsurpasse oculis testarentur. Id magno consensu ita passim interpretabantur, vt ostendisse Deum ipsis crederent, in quo signo vicissent. Præterea augurabantur conuersionem ad Christum vniuersæ Ambundorum Gentis hoc ostento portendi. Ergo plenis Religione animis diem edixerunt, quâ lustrati Omnes, & Sacramento expiati, longâ pompâ supplicabundi procedentes, gratias Diuino numini pro tam mirabilis victoriæ insigni beneficio solemnes agerent. Trophæi quoque vice, illius quæ in Cœlo apparuerat Crucis simulacrum ingens conspicuo in loco ad posteri memoriam temporis, Religiosis cæremonijs fixum, sacratumque posuerunt. Decretumque communibus votis est, vt quotannis deinceps recurrente die Purificatæ Deiparæ sacrâ, in ijs locis memoriam Triumphalis istius, & cœlitus pugnati prælij gratâ Religione Christiani recolerent: quod ad hanc vsque Diem in Vrbe Mazangâ, vbi Lusitani Angolæ Proreges plerumque degunt, magnâ illarum gentium iam Ecclesiæ aggregatarum gratulatione, celebratur. Non dissimularunt rebelles Barbari, quin potius latissimè ad qualemcumque cladis excusationem iactarunt, haud humanis se se fractos opibus: è Cœlo in se impetum factum, clarè visa pluere è nubibus in ipsos iacula, quibus longè plures, quam telis in acie palam stantium, cecidissent. Hæc Quiloanga fugâ maturâ neci subtractus, cum & vndique audiret, & vltrò agnosceret, tamen (tam cæcâ erat væcordiâ) furorem minasque non remittebat.

165 Terror Barbarorum, & ex eo lapsus in Voraginem.

Resumpta, restituit.

166 Crux apparet supra Regnum Angolæ.

167 Gratiæ Deo actæ pro victoria.

168 Quiloangæ perseuerantia in iniusto bello.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat. Quare sic permittente Deo, qui per alternas vices lætorum, ac tristium, contrarijs malis humanæ infirmitatis, desperationi, & præfidentiæ medetur, arctior in dies, tam gloriosè licet victoribus Christianis, fieri cæptares, cum, & bellandi pertinacia in antiquis duraret hostibus, & Transfugæ desperatâ perfidiæ veniâ redire ad spretos Socios post victoriam cunctarentur. Ergo Angolani hactenus tantum clade acceptâ deterriti, vt nequaquam accedere cominus auderent ad eos, quorum fortitudinem, ac fœlicitatem ingenti suo damno probauerant, latè tamen abundante multitudine regionem obtinebant, & præsidijs ad loca idonea validis positis, omne Lusitanis Commercium, cum Loandâ Insulâ, vbi naues, & copiæ Maiores ipsorum erant, facile intercludebant. In his angustijs Prætor Diazius nihil melius factu putauit, quam munitis egregiè loco idoneo, & aquis circumfluo, Castris, auxilia suorum expectare. Nec animus, nec studium obtinentibus Loandam Præsidiarijs deerat suppetias eundi obsessis suis. Sed cum tam exiguo numero essent, vt vix sufficerent tuendo loco, quem vnum in ijs partibus proprium habebant, haud quaquam consultum videbatur, rem vniuersam in apertum proijcere discrimen. Necessario igitur expectata Classis est, quam è Lusitania iam soluisse opinabantur. Nec spes illos sua diù frustrata est. Quatuor plenæ recentibus copijs naues breui adfuerunt, è quibus milites expositi, ad liberandum Obsidione Prætorem, & iam penuriâ rerum omnium laborantem, processerunt. Distabant à Portu obsessa Castra centum quinquaginta milliaribus, & frequentissimi totâ mediâ regione Pagi numerosissimis Barbarorum Præsidijs tenebantur. Per hos rumpendus aditus erat. Duodecim ex his pagis breui expugnati sunt. Quo Rex Angolanus cognito, remittere haud dubie pertinaciam, & spes temerarias damnare cæpit; coniunctusque suis Prætor, maiorem quam vnquam antea fiduciam concepit Angolæ vniuersæ subigendæ. Mox literis Prætoris, aliorumque, vulgata per Hispaniam fama victoriæ, quam retulimus: ingentem gratulationem habuit. Ipse Rex Philippus præcipue motus his, quæ de pietate, industriâ, sapientiâ Balthassaris Barreyræ scribebantur, quibus magno consensu, tam duces, quam milites successum tam mirabilem acceptum ferebant, litteras dedit ad Prætorem aliosque Præfectos Lusitanicæ Rei apud Angolam, quibus significabat velle, & iubere se, nihil deinceps maioris rei politicæ, aut bellicæ ibi agere ipsos nisi communicato Consilio cum P. Balthasare, cuius tantum diuinitus illustrati tamque Deo cari hominis, sententias maximè salutares fore confideret. Hoc toto formidolosi belli tempore alius Sacerdos noster Balthassar Alphonsus, qui, vt indicatum est, apud Loandam, cum Lusitano Præsidio manserat, minimè ibi otiosam stationem habuit. Præter curam quotidianam non exigui numeri cum militum nautarumque, ac seruorum, tum indigenarum eiusdem insulæ, quos ad Religionem, virtutemque omnem laboriosissimè formabat, excurrebat etiam subinde in vicinum Congi Regnum, olim expeditionibus Lusitanorum primis, ad Christi fidem conuersum, sed penuriâ Sacerdotum miserè sylvescens. Huic adiungebatur alia ingens laborum sylua, procuratio ægrorum corporum, in vulgatis passim morbis nihil aliundè, quam à charitate Patrum, solatij habentium. Recens appulsa classe, exhausta nauigationis malis, varioque, ac graui languore corpora passim in littore iacebant. Valetudinarium publicum nondum vllum erat; quod breui postea nostrorum potissimùm curâ industriâque excitatum, instructumque est. Interim igitur in suum angustum humileque tectum ægros hospites è subdiuali strato proprijs manibus sublatos deferebant, omnique obsequio fouebant, eò alacriùs, quod auxilium domesticum quatuor nostrorum Patrum eâ classe appulsorum acceperunt. Lætum magis ad spem futuræ operæ, quam vtile in præsenti subsidium. Fessi enim itineris incommodis, & ægri pleriquè veniebant: quorum etiam vni sedulò impensa diebus aliquot curatio non profuit, quo minus è Loandensi in meliorem æternæ salutis portum, ad beata, vt spes est, præmia transiret, non minus iam exhaustorum, quam in posterùm destinatorum laborum, atque certaminum.

169 Christianus exercitus obsessus.

170 Opportunus aduentus quatuor nauium è Lusitania.

171 Duodecim pagi Ambûdorum expugnati.

172 Castra obsidione soluta.

173 Literæ Philippi II. de P. Barreyra.

174 Balthasaris Alfonsi labores vtiles in Regno Congi.

175 Charitas eius in curandis infirmis.

176 Aduentus quatuor Patrum, & vnius mors.

Tertium

Tertium iam annum Rodulphus Aquauiua apud Regem Mogoris agebat, omnia ille quidem expertus quæ cæcas superstitione gentes excitare ad lucem veritatis possent. Sed maior vis mali erat, libidine atque auaritiâ mollis & cupidæ nationis, omnem ei salutis viam intercludentibus. Perstabat tamen Vir Apostolico Zelo æstuans in sterilis & ingrati soli laboriosâ culturâ. Totas ipse noctes in vigilijs, & cruciatibus corporis, dies, ieiunijs, vtrumque tempus ardente ad Deum oratione consumens, nisi quibus horis audientiæ copiam nactus nefarios impurissimarum sectarum ritus, ac sensus victrici semper, & ne hiscendi quidem contra facultatem vllam conuictis errorum Magistris relinquente, disputatione refellebat. Hinc varij affectus nascebantur: plerisque frendentibus, & importunum exosæ veritatis Assertorem, & quod magis vrebat Mahometis addictissimos cultores, liberrimum eius Pseudoprophetæ contemptorem, cui publicè non semel nec leuiter maledixerat, tollere de medio, & sæua nece vlcisci tendentibus: Echebare contra (id Imperatori Mogoris nomen erat) Doctrinæ, ac Sanctimoniæ Rodulphi summam admirationem præseferente. Erat is Echebar minimè vulgaris ingenij Princeps; præterquam militari scientiâ magnis victorijs probatâ clarus, etiam cupiditate cognoscendi res nostræ Religionis, ad hæc affabilitate, clementia, bonisque alijs dotibus, & artibus præditus, quæ hominem tantarum opum, maximique Imperij potentem, Magni Tamerlanis octauo successionis grudu nepotem, in illo flore fortunæ atque ætatis non parum honestarent. Ad hunc multa de Christiana lege scisciantem, sæpe ac copiosè Rodulphus diuina mysteria disseruerat, sectæque Mahometanæ labes, cæterarumque superstitionum, quæ in vastissimo eodemque populosissimo Mogorum Imperio variè vigent, fœdissimos errores inuictis rationibus demonstrauerat. dubitationibusque ab eo propositis ita occurrerat, vt à nemine se omnium tam multa tamque præclara didicisse palam Echebar gratularetur. Accedebat ad amorem Barbari demerendum insignis modestia, innocentissima vita, ingenuitas mirè grata nobilis in agendo loquendoque libertatis, eminens animus supra humanas spes, & vultus atque oculus diuinum haud dubiè spirans quippiam. Ex his splendor effulgescens cœlestis quidam perstringebat illic quidem Regis oculos, & demulcebat ferum cor: sed munitus arrogantia fanaticâ superbus animus salutares faces ne lacrum ardorem admotæ imprimerent, repellebat. Credebatur initio teneri eum complexu fœdissimarum voluptatum, quibus more gentis, & regni licentiâ innutritus à puero assueuerat, ne lumen ostensum sequeretur; vt quantum Christianæ legis perspecta veritas mentem non hebetem alliceret, tantum immersam delicijs carnem seueritas eiusdem intellecta deterreret. Sed apparuit postea diriori miserum peste constringi, ambitione Satanica diuinæ venerationis. Reputans enim in quantam Mahometes sui promulgatione Alcorani, famæ ac religionis claritatem increuisset, à tot potentissimis oriente toto Gentibus pene pro Deo cultus; autorem se quoque ipse nouæ superstitionis profiteri cogitabat, quæ sectarum tunc in orbe florentium præcipua quæque complexa, magnam apud homines cum immensa nominis sui gloria celebritatem obtineret. Hoc animo de sectatore Mahometis eius æmulus factus, eruditissimos quosque variarum Religionum Magistros vndique accitos cupidè audiebat, scriptosque aut conseruatos ab ijs libros, arcana disciplinarum continentes, studio sumptuque magno congerebat, vt quasi æs corinthium ex confusione metallorum, sic idolum superstitionis nouæ multarum in vnam Religionum monstrosa permixtione conflaretur. Vbi, qua erat perspicacia, introspexit Rodulphus in animo Regis væsanum inceptum, statim intelligens desperandam esse curationem insani capitis, immani & diabolica dementia furentis, magnopere apud Echebarem instare cæpit, vt per eum sibi Goam, quò à suo Præside reuocabatur, redire continuò liceret. Euocabat autem ad se Rodulphum Indiæ Prouincialis eo metu, ne vir excellentium virtutum, & spei per totam Societatem summæ, pretiosam, & magnos fructus Ecclesiæ spondentem vitam in illa barba-

177 Rodulphi Aquauiuæ Apostolici labores in Regno Mogoris.

178 Echebaris Imperatoris Mogorum dotes insignes, & potentia.

179 Gratia Rodulphi apud eum.

180 Licentia vitæ, & superbia obstant ne Rex conuertatur.

181 Rodulphus fructu desperato discessum parat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

barbarie, vel suo immodico feruore, vel alieno scelere perderet. In quo erat Rodulphi contrarium votum, nihil ardentius optantis, quam sanguinem Christi causa profundere. Ac fuit lusus quidam cœlestis prouidentiæ omnia in electorum suorum gloriam mirabiliter temperantis, dum humana studia caro capiti consulentia, eadem illud viâ sanctæ ac gloriosæ neci obijciunt, qua ereptum periculo volebant. Cognita igitur Rodulphus Prouincialis voluntate, desperatoque tam sibi martyrio, quam obfirmatis in praua mente, quæ frustra triennio excoluerat ingenijs salutaris conuersionis fructu, suppliciter eblandiri conabatur ab Imperatore Mogorum veniam discedendi. Reluctatus ille diutius, ad extremum nullum vrgendi finem facienti, dixit: non esse quidem suæ in eum verecundiæ ac caritatis vim afferre ipsi: posse igitur ire si vellet: cæterum denunciare, id sibi molestum ac multò ingratissimum futurum. His Rodulphus auditis, nihilominus in proposito fixus, discessum adornabat: quo comperto Rex accitum eum summa beneuolentiæ significatione rogauit, vt quando nunc certus eundi esset, polliceretur sibi saltem reditum ad se, tum pecuniæ vim, quam offerebat magnam, acciperet in exiguum pignus multo maioris amoris sui. ad ea Rodulphus spem reuersionis non abstulit, aurum constantissimè repulit: disertè negans, vel egere se pecunia, vel Christi paupertatem, quam regnorum omnium instar duceret, quantouis thesauro commutaturum. Vnum libenter admissurum, & gratissimo animo celebraturum se fructum liberalitatis regiæ, si oranti enixè sibi annuere dignaretur Rex quatuor mancipia, quæ apud se haberet, quæ si ducere secum Goam posset, triumphi loco id enimuero habiturum. Erat inter Regis seruos Christianus è Moschouia vxorem habens polonam, duosque ex ea paruulos liberos. Hos longo infidelium conuictu, & seruitutis malis in fidei atque innocentiæ proposito titubantes, in tuto collocare Rodulphus quærebat. Regi perneceſſarius ille seruus erat: pueros vero in obsequio Regina mater habebat multo carissimos, tamen omnes eluctata negandi causas supplicis gratia, quod petebat abstulit. Discessit cum tota familia Christiani Moschi, & Goam expectatissimus aduenies, nostros omnes insolita lætitia Rodulphus affecit. Operario strenuo, & ignauæ quietis impatienti, campus debebatur. Hunc Patres Goënses, sibi quam proximum assignare studuerunt, vt tantæ virtutis si minus præsentia liceret frui, viciniâ certè, ac spe quam illa daret subinde reuisendi, recrearentur. Salseta est peninsula, quasi appendix continentis Indiæ, freto non plus quinque sexue milliarium ab Insula Goa disiuncta, frugum ferax, & portuosa commercijs Regio, ideo in breui viginti millium passuum circuitu, sex & sexaginta pagis frequens, in quibus non minus octoginta millibus hominum degunt. Brachmanes hic plurimi nefandæ superstitionis Magistri, totaque Gens idolorum cultui tam perditè addicta, vt ne homines quidem immani ritu immolare dubitet Pagodibus, ita Deos suos vocant. Initium salutis miseris fuit transisse in ditionem Lusitanorum, concedente Idalcane Oræ illius Rege, quando post longum, & ipsi funestum cum Lusitanis Goam tenentibus bellum, ea inter cæteras conditione sibi necessariam redemit pacem. Multis post hæc annis ita Christianorum imperium Salsetani tolerabant, vt religionem fastidiosissimè respuerent. Donec anno huius sæculi sexagesimo sylueſcentis impurissimis sacris soli culturam Societas aggressa, magnis laboribus vix tandem aliquas frugum primitias ex illo tulit: frementibus errorum Magistris, ac vim contra rebellionemque minantibus. cui contumaciæ domandæ necesse habuit sexto fere post anno Prorex Antonius Noronia delubra plusquam ducenta, præter multas alias Pagodum ædes, solo æquare. His horrendum in modum efferati in nostros, consilij vt putabant illius autores, Brachmanes atque Idololatræ sunt, Infirmitatis tamen conscientia, & metu quiescentes, astu dumtaxat, & fraudulentis artibus ad auitæ superstitionis defensionem grassabantur. Magnis donis pellexerunt regios quosdam Ministros, qui speciosis argumentis causam ipsorum agerent. Ij apud Philippum Secundum Hispaniarum Regem, postquam eius

182 Rex ægrè auellitur à Rodulpho.

183 Redit Goam Rodulphus cum quatuor Christianis quorum libertatem impetrauerat,

184 Salsetanæ Regionis status.

185 Fidei prædicatio per Societatem ibi curata.

Idololatrarũ contra eam artes.

eius Imperio Lusitania est adiuncta, ambitiosè exaggerando periculo defectionis in Gente auitorum rituum tenacissima, & Idalcani Regi olim suo etiamnum præpotenti, Sacrorum quoque sibi communione iuncto, contiguâ, pene peruicerant, vt vsus Salsetanis liber superstitionis antiquæ regio diplomate sanciretur. Discussit negotium forte tunc Olyssipone occurrens, dum Roma Goam repetit, Alfonsus Paciecus noster, & inuictis rationibus manifestè demonstrauit: nihil neque Religioni neque Reipublicæ ignominiosius simul atque damnosius fieri posse, quam si Salsetanis infandorum Sacrilegiorum libera facultas Catholici Regis lege daretur. Fuisse multis se annis Goæ, Salsettam etiam cum Prouinciali Societatis sæpe peragrasse. Multos ibi iam Christianos esse, plures eodem propendere. Sola spe quorumdam ex auaritia nata redimendæ pecunia licentiæ peccandi, pleroſque suspensos teneri. Paucos ista mouere, eosque aliunde tales à quibus timeri nihil debeat. Nam ne in Idalcanis terras immigrent periculum non esse, qui quam dura conditione seruitutis ibi sub Tyrannidis iugo degatur, præclarè intelligunt. Nec vero natales terras, præsertim vberes, sponte vmquam dimissuri sint. Quod tamen si facerent, abunde illis agris colendis pagisque frequentandis Christiani iam sint suffecturi. Goæ vero securitatem, quem non videre maiora illic superstitione id agatur, vt infida Idololatrarum natio maximas in propinquo vires colligere sinatur? Quare videat pro sua sapientia Rex maximus an eius sit, qui tanta sui gloria in Belgio armatis Hæreticorum copijs ingentibus, erroris profitendi libertatem, vel cum extremo periculo neget; inermibus barbaris concedere, vt horrenda immanium holocaustorum, Christiani Principis autoritate, humanis victimis sacra impunè, ac liberè peragant, quorum nidorem, ac detestabilem fumum Goa illarum Gentium princeps Ciuitas, & Christianæ Religionis ibi Metropolis, oculis è vicino, ac sensibus hauriat. Hæc Pacieci oratio ita Regem mouit, vt omnino renuerit, Tabulasque iam conscriptas rescindi iusserit: Magno hinc emolumento in Ecclesiam redituro, quæ inde, vt videbimus, totam illam Gentem est lucrata; sed præcipuo in ipsum Alfonsum optimi consilij autorem fructu redundante, cui glorioſæ pro Christo mortis inde nata occasio est, vt postea constabit. Interim impatientes moræ primùm, mox repulsæ barbari, ex quinque Salsetanis pagis, frustra speratam licentiam vi ac manu præsumere cæperunt, fana & delubra excitare, ac sacra nefaria instaurare palam ausi: qui præterea cum templa Christianorum domosque incenderent, missis à Francisco Mascarenia Prorege cohortibus coërcendi fuere. Multa in eo, & vtili opera Petri Bernæ nostri, qui militibus admixtus, obuia vt fana diruerent autor fuit: repertam vero vaccam quandam, quam Apis olim Ægyptiæ gemina superstitione pro Deo cæca gens colebat, ipse interfecit, eiusque intestinis vas quoddam polluit barbaris sacrosanctum habitum, in quo se in Idoli honorem abluere summæ religionis loco ducebant. Ea causa execrabiles Idololatris cum Societatis omnes nostræ homines, tum præcipuè Petrum Bernam fecit, iam tunc ad cædem impiorum odijs designatum. Ij tamen cum se in præsens impares resistendo cernerent; obedientiam polliciti pacem fecerunt. Hac vice rerum appulso, vt dictum est, è Mogorum terris Rodulpho Aquauiua, cum forte deesset Salsettano Collegio Rector, Rodericus Vincentius Prouincialis, non alibi tutiùs collocandum pretiosum caput ex periculosa peregrinatione tot votis vix receptum existimauit, quam in illa suburbana, & tunc, vt apparebat, in longum tempus pacata prouincia. Rectorem igitur Salsettis præficit; eòque vsque deducere honoris causa ipse constituit. Verum vbi Cioranum, pusillam in Goæ vicinia insulam, venissent, Prouincialis graui oculorum dolore coactus redire domum, officium istud Alfonso Pacieco demandauit. Erat ad id munus fungendum, vel eo nomine aptissimus Alfonsus, quod rerum, ac status Collegij Salsettani, nemo erat ex recenti

Ab Alfonso Pacieco discessit.

186 Rebellio quinque Pagorum in Salsetis.

187 Rodulphus Salsetani Collegij Rector creatur

188 Ab Alfonso Pacieco eò deducitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

experientia scientior ; quippe qui illud ex quo ante biennium è Lusitania redierat, pro Rectore administrasset. Erat id Collegium eò dissimile cæterorum, quæ Societas habere consueuit, quòd circiter viginti è nostris qui illud conflabant, non sub eodem tecto, vnoue in loco habitarent, sed in varias sparsi stationes separatim bini, ac terni ad commodiorem Euangelij prædicationem, & Neophytorum ad fidem recens aggregatorum faciliorem institutionem degerent. Sex ferme illorum præcipuæ sedes erant, à Pagis in quibus statum domicilium habebatur, has nuncupationes nactæ. Vt Curtalina, Verna, Margana, Orlina, Raciolana, Mormugana, dicerentur. Ex his Raciolana Rectoris habitatio est. Vbi duo præter eum Sacerdotes, cum totidem laicis versari consueuerunt. Si quando conuenire opus est, in vnum ex illis locum à Rectore designatum vniuersi aut magna ex parte congreganturi, vti tunc vsiuenerat, cunctis in Curtalinam sedem, semestris, quæ tum instabat, votorum renouationis causa coëuntibus. Progressus eò cum Pacieco nouus Rector, auditis conscientiæ rationibus, & confessionibus nostrorum, post ardentem ad eos habitam hortationem, sacrum fecit, in quo sua cuncti vota de more instaurarunt. Sub ea consilium capitur lustrandi singillatim sedes cunctas, & in singulis ea instituendi, quæ ad profectum cæpti operis conuersionis illarum Gentium valitura videbantur. Ante omnia conuenit nouam sedem in Cuculino Pago collocandam. Erat ea ferociorum quorumdam Idololatrarum Patria, quos cum Lusitanorum armorum metus nuper ad pacem adegisset, vti præsenti tranquillitate ad procurandam infelicium salutem tempestiuum piumque censebatur. Indè igitur initium ducendum visum. Conueniunt eius itineris consilio in Orlinam sedem nouus Rector, cum Alfonso Pacieco, simulque Petrus Berna, & Antonius Franciscus Sacerdotes omnes. Aderat vna Franciscus Aranea Laicus adiutor. Hinc Antonius Franciscus, fiduciâ quam vsus inter illas Gentes diu versato pepererat, scribit ad Cuculini Pagi proceres: Rectorem postridie cum alijs Patribus ad ipsos venturum, ne grauarentur dare operam, vt omnes conuenirent. Afferre enim Rectorem nouum Goâ, quæ communicari toti pago, salutis & tranquillitatis communis interesse. Satis constabat velle Rodulphum (nam id diuulgauerat) Templo Christianorum Cuculini ædificando, & Cruci erigendæ loca opportuna præsenti conspectu designanda capere. Id vero pertinacissimos Dæmonum cultores incredibiliter perculit. Vulgò inter se se mussitabant: non alium finem aut modum externæ Tyrannidis futurum, nisi quem ipsi ignauæ impiæque patientiæ facerent. Excisa nuper templa, combustos Deos, ipsis ne hiscere quidem contra ausis, nondum id satis videri barbaris Dominis, nisi Cruces in oculis figerent, & peregrinæ superstitionis fana, in vestigijs extinctæ religionis, ac pene in ceruicibus oppressorum extruerent. At illa saltem priora delubrorum incendia missâ manu armata peragebant, in quo excusatio nobis tolerantiæ erat: hæc tanto grauioris, & piaculi, & periculi molimina substructionum profanarum, paucis & inermibus mandarunt. Adeo nos ad quiduis perferendum subactos putant. Itaque ne illos quidem obijcere dubitant quos execrabiles nobis sciunt memoriâ sacrilegiorum, quibus sacra nostra polluerunt. Aderit ille Berna cruentus adhuc sanctæ Vaccæ sanguine, vnaque Paciecus interuersor beneficij Regij, quo Deorum nobis rituumque patriorum possessio firmabatur. Veniant cum sui similibus vanæ superstitionis mystis, luituri pœnas si viri sumus, nimis iam diu impunitorum scelerum. Hæc & his similia cum plerique fremerent, Rescripsit ad Antonium Franciscum Magistratus, excusans quandam discordiam ex cæde viri primarij nuper apud se facta pagum in partes distrahentem, ne polliceri, qui petebatur, conuentum posset. Negabat præterea, se ac suos ciues per mala domestica satis æquis esse animis ad Patres pro dignitate excipiendos. Addebat ad extremum si tamen venirent, & oppidum liberet inspicere, id ipsorum commodo fieri licere. His literis acceptis, mirabantur quidem

189 Renouatio votorum celebrata.

190 Quinque nostrorum profectio in Cuculinum Pagum.

191 Cuculinensium murmur, & seditiosa consilia

192 Literæ Magistratus inlidiosæ.

dem Patres frigus insolitum, & aliquid obiectum nouæ offensionis suspectabant: Non tamen, vt atrocius quidpiam pertimescendum arbitrarentur. Confirmabat Paciecus in primis peritus Gentis, quantus ibi terror esset Lusitanorum, sæpe expertum se se à Salsetanis ad conciliandam eorum gratiam iraque leniendas adhiberi vulgo interpretem solitum. Haud igitur verisimile videri tam dementem quemquam, proposito præsenti supplicio, in consilia extrema ruiturum. Ergo postridie, qui dies fuit Iduum Iulij, sacris tempestiuè factis in Orlienſi templo, Patres Cuculinum vetsus iter instituunt. Comitabantur eos, religionis potius quam, aut præsidij, aut humani officij causa, Christiani fere quinquaginta, in quibus Lusitani dumtaxat duo. Peruenitur ad fines, & vsque in ipsos aditus vici: nemo, vt alias erat solitum, prodibat obuiam. Minax & latè suspiciosum omnia silentium tenebat. Euocatur nominatim notus vnus è primoribus loci. Is paucis, & perfunctoriè excusat neglectum officij, ac mox vultu lanè turbato, habere se ait quæ domi curet, & sic abruptè reuertitur. Signa ea erant minimè pacatæ rei, & solicitudo inter adstantes gliscebat. Tamen Patres liberis animis, quod venerant agere cæperunt. Lustrare nimirum oculis locum, qui, & templo ponendo, & erigendo conspicuè Sanctæ Crucis Trophæo videretur opportunus. In hoc intentis illis, Ariolus actis solemnibus Gentis præire præstigijs solitus, bacchabundus prodit in publicum, vlulat inconditè, puluerem spargit, vociferatur: adesse tempus vlciscendi Pagodum numinis. Ad id quasi classicum centuriantur barbari, & armati in ordines coëunt. Pago erumpunt, viarum capita stationibus insident. Ea re nostri animaduersa, sensim cum sua manu retrocedere ceperunt, ne inermem multitudinem obijcere furentibus viderentur. Sic euntes, sedato tamen passu, nec fugæ simili, clamor à tergo infestus interpellat armatorum ferè mille cursu effuso sequentium. Lanceis alij vibratis, alij arcubus intentis, non pauci mucronibus strictis, vocibus omnes sanguinarijs, & ad cædem instigantibus, terrorem intentant. Hic Rodulphus frustra esse fugæ studium in tantâ insequentium vi ac viciniâ facile sentiens, ad comites placidè conuersus; vt video, inquit, vincendi hoc tempus non fugiendi est. Adest tandem vltro, quam frustra tam diu votis optauimus occasio fundendi pro Christo cruoris, & æternæ vitæ breui mortis momento comparandæ, tollamus in Cœlum oculos, & mentes, inde animum & vires ad discrimen præsens fortiter superandum relaturi. Constiterant inter hæc nostri, & plerique aliorum, concipiendis pro se quisque precibus, & confirmandis animis intenti. Iamque intra teli iactum hostibus erant, quod perlatæ in ipsos sagittæ probabant: cum Lusitanorum alter, os fidenter obuertit barbaris, & æneа fistulâ, quam forte tulerat, in manum sumpta, displodere in infestos, & pugnare parabat. Sed eum amplexus Paciecus, etiam atque etiam rogat, desisteret. Non armorum id tempus, nec sic defendi religionem vbi testandæ morte fidei articulus incidit, sed sola patientia, Deum velle. Intempestiuo bellatore his verbis repressо, ipse vultu tranquillo passis brachijs ad Salsetanos procedens, patria ipsorum lingua, quo ruant, quidue petant, percontatur. se ipsis amicos nullam vim, nullam iram ferre. Ipsi nihilominus quo furore cœperant cœci pergebant, Erat in comitatu Christianus Rodulphi familiaris, vt partes ageret interpretis ei linguæ gentis nondum gnaro peculiari officio indiuiduus comes additus. Is pro necessitudine, cum equo frænato ipsum adiens, conscende sis Pater, inquit; & hinc te subtrahe, tu Rector es seruari te interest publicæ salutis. Huic Rodulphus placidè renidens, vtere isto subsidio tu ipse, aut vti volenti offer: me Rectoris hoc ipsum, quod memoras officium fortitudinis admonet, & exempli, quod debeo. Nec sinat Deus; vt sortem oblatam pro Christo moriendi vili vitæ desiderio præteream. Hæc eum vix loqui desinentem circumstetit armatorum globus, succisisque poplitibus stantem in genua prostrauit. quam non inuitus in istum orantis habitum descenderet serenitas frontis orisque monstrabat, oculos in cœlum simul sustulit, simul manibus vestem à sinu deduxit, nudamque ceruicem gladio præbuit. Barbari

193 Aduentus Patrum in Cuculinensium fines.

194 Dum templo locum designant circumueniuntur ab armatis.

195 Rodulphus se, & Socios ad mortem parat.

196 Lusitanus armis resistere volens reprimitur à Paciecо.

197 Rodulphus equum oblatum, & facultatem fugæ recusat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bari eam ipsam quam offerebat partem bis ferro adacto altè percusserunt. Tertiò ictus in scapula est tam validè, vt humerus à pectore discinderetur. Ad has quatuor memoratas hactenus plagas quinta est addita, iaculi transuerberantis pectus. Hoc iam haud dubiè mortuo, in forte illi proximum Sicarij vertuntur Franciscum Araneam, cui præter magnum in ceruice vulnus inflictum, latera hastili transfixa sunt. Ita pro mortuo relictus, adhuc spirans in vepretum irrepsit, ibique delituit. Petrum Bernam pro ingentibus, & ex longo collectis profanæ Gentis in eum odijs, non simplex absumpsit crudelitas. Exquisita rabie in eo cruciando certatum est. Primum vnus è Barbaris altè insurgens gladio cæsim in caput incubuit, partemque occipitis abscidit, tenui ticula dumtaxat à reliquo vertice pendulam. Alius eodem tempore pilo acuto alterum oculum fodit. Fuit qui per aurem mediam caput mucrone traijceret. His coronatus radijs Christi Athleta ad pedes Sicariorum exanimis concidit, nondum satiata feritate. Nam memoria euersorum fanorum, &, quod maximè vrebat, occisæ vaccæ, pollutique profani balnei, corpus extinctum cæci furore lacerare pergebant. Stabat adhuc Paciecus, intrepidè contestans Christi numen, & Idololatrarum dementiam increpans. Cui hoc agenti Lancea pectus aduersum transfigitur. Statim ille brachia extendit in Crucis formam, sublatisque in Cœlum oculis secundum vulnus adhuc erectus constanter excepit in iugulo, quo mortuus concidit. Quintum tragœdiæ actum absoluit Antonius Franciscus, his sanctis nominibus dignissimus: quem multa in capite, multa in corpore vulnera inflicta diuturni compotem voti fecerunt. Hunc enim constat diebus singulis, cum ritè ad aram faceret, petere à Deo solitum, sibi vt sanguinis Christi causa fundendi fortuna contingeret. Inter hæc cum è quinquaginta comitibus Patrum circiter triginta variè diffugissent, viginti reliqui circumuenti ab incurrentibus, miserabili strage campum latè cruentarunt. Nemine iam apparente in quem effundi posset nondum exhausta sæuitia, placuit Barbaris victoribus inire numerum palmarum suarum. Corpora recensent cæsorum Patrum, cum quinque ipsos fuisse constaret, quatuor tantum reperiunt. Vnde ad conquirendum versi, non multo post, indicio mulieris rusticæ deprehendunt Franciscum Araneam inter vepres animam agentem ex duplici vulnere. Hunc extrema singultantem multo emisso sanguine, & Sanctissimum IESV nomen moribunda voce frequentantem, immanes Sicarij corripiunt inter manus: quod ille sentiens collectis extremo conatu viribus Christi laudes celebrabat, damnabatque miserum errorem Deos saxeos ligneosque stultè colentium. Stabat haud procul erectum recens à Barbaris Pagodis signum. Huc raptum Franciscum puerorum mulierumque turba circumstetit Barbaram lætitiam clamore incondito celebrantium. Ibi abiectum semiuiui corpus bis circa Idolum carnifices raptant. Tum immani ludibrio moribundum erigunt in pedes, Ac quoniam mos illic est reos cum aute Iudicem adstant, altero crure suspenso vni dumtaxat plantæ insistere, inde eum ritum fortis Athletæ debile corpus ipsi sustentando, & tenendo componunt. Sicque illi minaciter imperant, Pagodi, vt suo Iudici, humilis supplicet. Hic ille clare. Non sum, inquit tam demens, vt tam stulto præcepto obtemperem, Vos pudeat homini suadere, vt Deo debitum honorem stipiti reddat. Conclamant omnes vlciscendum blasphemum, & edomandum ferocem animum, antequam fugiat è corpore. Ergo pene iam exanguem ad palum ligant. Spatioque captato intentis arcubus, innumeris eum sagittis figunt. Hæc & huius alia generis inter iaculandum insultantes. Nempè hîc templum fundabitis. Hic erigendæ Cruci locus ecquid satis placet? Exhaustis pharetris, & corpore vndique horrente infixis, & extantibus telis, pueri quoque ac mulierculæ (tam væcors phanaticorum furor erat) verutis, acubus, sudibus, ac contis deligatum palo fodere certabant cominus, & colorata cruore tum huius tum aliorum quatuor venerabilium corporum tela coram Idolo suo læti monstrabant, insana spe magnæ ab eo sic ineundæ gratiæ.

198 Quinque vulneribus conficitur.

199 Petrus Berna crudelissimè trucidatur.

200 Alfonsus Paciecus occiditur.

Item Antonius Franciscus.

Viginti præterea Christiani.

201 Francisci Araneæ præclara in morte confessio.

Et heroica in tormentis constantia.

tiæ. Durabat tamen ad patientiæ suæ meritum Francisco Araneæ spiritus adhuc, quoad id animaduertentes quidam multis eum replicatis in iugulum ictibus tandem confecerunt. Nocte super hæc ingruente cruenti latrones domos repetunt, temerè iacentia in campo tot corpora linquentes. Postridie summo mane, consilio raptim habito, reliquorum quidem Christianorum cadauera propinquis ad sepulturam poscentibus concedunt. Patrum quinque abolere penitus decernunt. Seu metu ne indicia sceleris extarent, seu quasimili væcordia. Nam rationem in furore quis requirat? Quinque igitur nostrorum corpora è locis vbi noctem iacuerant ignominiosè tracta in puteum præcipitant, eiusque os congestis vepribus obturant. E reliquis occisis, quinque dumtaxat nominatim memoratos reperio, quos hic debitâ mentione non fraudabo. Lusitanorum, quos dixi Patrum in comitatu fuisse, altero cuiusdam Ethnici misericordia seruato, alter Gonsaluus Rhoterigius scriba regius occubuit. Itemque alius indigenas inter Christianos honesti loci Rhoterigius quoque vocatus, sed distinctus prænomine Francisci. Tertius numeratur Paulus Acosta Christianorum loci curator, & in adiungendis ad Christum Ethnicis Patrum sedulus Minister. Duo denique pueri è Brachmanum gente, prior Dominicus huius ipsius Cuculini Pagi ciuis, cui, quoniam ante Patribus latentia idola, quæ comminuerent monstrauerat, necem sui populares obtulerunt, pœnam sceleris putantes, quæ re vera præmium, & corona recte facti fuit. Alter Alfonsus dicebatur, ministrare Patribus ad sacra solitus, cui cum Paciecus gestandum Ecclesiasticarum precationum librum dedisset, eum extorquere puero, illudendi causa, conati barbari, frustra fuere, quoad arctè hærentem sacro codici manum vtramque amputarunt, tum nobili constantia offensi, puerum irati peremerunt. Interim qui primi fugerant, cursu effuso peruenientes Goam, eodem die sub occasum solis primum indicium cladis fecerunt. Alijs inde atque alijs affluentibus, fama vrbem momento cupidè auditis, & variè miris latè implet rumoribus. Commissa iam nox erat cum Goënses nostros, qui memoriam cæsi ante annos duodecim eo ipso die ab Hæreticis in odium Romanæ fidei Ignatij Azebedi cum Socijs vno de quadraginta, priuata quoad fas erat pietate celebrauerant, nuncius atrox Rodulphum cum socijs quatuor ante paucas horas trucidatum indicans, cura, & dolore subito consternauit. Admiratio miseratione indignationeque confusa ferebat agebatque animos variè miscens, quando & priuatæ quisque religionis instinctu, & moderatorum admonitu, in templum ad venerandum numen coëunt. Hic, mirum dictu! suauissima se cunctis, & quam cœlestem esse constaret, lætitia infudit. Vigebant arcanis gaudijs serena quadam luce perfusæ menres, & redundantibus ex intimo gaudijs, iniusso dulcium lachrymarum fluxu passim oculi natabant. Vna erat vox omnium gratulantium fortunatis Christi Testibus beatam sortem, & similem casum optantium. Non est inter hæc prætereunda mentio legati Regis Mogorum Goæ adhuc agentis, qui pro eo quantum amoris, & veneration is in Rodulphum, partim ex vsu, & conspectu tantæ Virtutis hausturn sentiebat in sese, partim esse in sui Regis animo nouerat, ad nuncium eius cædis primum incredibiliter perculsus, aliquandiu mutus, & immotus constitit, tum irâ eminente frendens detractum captis tegmen abiecit in terram, inde oculos ac supinas manus in Cœlum miserans, & indignans sustulit. Denique humi se totum prouoluit, clamoribus, & gemitibus complens omnia. Ac Rodericus Vincentius Prouincialis ophthalmiam accusans suam, quæ se reuocatum ex itinere susceptò fundendi pro Christo Sanguinis fœlicitate fraudasset, palam edixit iturum se postridie ad cædis locum ad tollenda humandaque cæsorum corpora. omnes certatim Patres se ei comites obtrudunt. Triginta ex ijs lecti, magno reliquorum dolore domi coactorum subsistere. Goâ profectis, ne quid temerè aut inexplorato aggrederentur, visum optimum est Marganum se conferre. Oppidum est ad quartum ab Goâ lapidem, vbi Lusitanus Præfectus Salsetanæ oræ cum præsidio agebat. Hunc consulunt quid opus facto sit. Is tentandos bar-

202 Patrum cadauera in puteū proiecta.

203 Duorum puerorum felix pro Christo mors.

204 Patrum Goensium varij affectus audita cæde nostrorum.

205 Legati Mogoris de Rodulphi nece dolor.

206 Triginta è nostris ad curandum funus occisorum eunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

barbarorum animos ratus, certum ad Cuculinenses hominem allegat, qui reposceret cæsorum corpora. Responsum breui relatum est à Cuculinensibus anceps: dicere ipsos, Patrum cadauera non comparere, nec satis se scire vbi sint. Ac vt maxime scirent, religione Pagodum vetari eareddere. Licere Patribus Goënsibus venire, si vellent, ad ea quærenda, & si reperirent tollere. Hic vero Præfectus negabat committendum videri, vt tot Patres inermes efferatis latronibus obijcerentur: neque enim sibi ad manum præsidium adesse idoneum, quo ipsos securè deduceret. His auditis inopes consilij, mœstissimique ob spei frustrationem Patres Raciolum secedunt, non plus sesquimilliario Margano distantem locum, vbi erat nostrorum domus, inde reditum Goam re infecta paraturi. Verum interim Consilium Salsettanorum è Proceribus Gentis, plerisque Ethnicis, conflatum, ad primum huius tumultus indicium conuenerat. Ibi viri graues, ac locupletes, post querelas acres de Cuculinensibus, qui sua paucorum væcordium temeritate Gentem vniuersam spoliationis, ac seruitutis, vt lenissimè res caderet, internecionis quin etiam, & exitij extremi præsentissimum in discrimen coniecissent, concordi decreto sanciunt, omni ope placandos Lusitanos, & præuertendam deditione autorum sceleris, vltimam totius regionis cladem. Veniunt cum his mandatis Cuculinum viri primarij è conuentu publico Gentis missi. Fregit hæc denunciatio contumaciam. Repente cædis autores collectis vasis cum familijs migrant in vicinam ditionem Idalcanis. Cæteri obedienter, quod iusserat Præfectus faciunt. Extracta videlicet è puteo quinque Patrum corpora imposita cratibus Marganum mittunt. Christianis loci vltro pium efferendi pretiosa pignora ministerium ambientibus. Excepit ea quam potuit honorificentissimè Præfectus. Et quod nuda essent, inuoluta decoris pannis pro loci copia, feretrisque ornatis imposita, suis ipse humeris, & honestissimi cuiusque illic præsentium Lusitanorum, religiosâ pompâ deferre Raciolum instituit. Prodit obuiam Prouincialis cum triginta Socijs. omnibus funalia in manu. Populus post ipsos effusus ex oppido, globulos sacros dextera, læua cereos ardentes gerens. Præibant chori modulatè canentium Ecclesiastico ritu aduentorium Sancti Senis Zachariæ carmen. Sacellum erat S. Antonij Castro Raciolo propinquum. Hic corpora Christi seruorum deponere primum placuit. Euoluuntur è pannis singillatim, & multitudini monstrantur, cunctis ad conspectum notorum vultuum, & vulnerum atrocitatem blando sensu lachrymantibus. Confirmabant multi nostrorum: se numquam in vitâ parem animi dulcedinem expertos. Porro, & si quatriduana iam cadauera erant, & biduum in putei cœno iacuerant, nihil tamen grauis odoris halabant. Nec deerant, qui è Rodulpho præsertim, quem curiosissimè ob famam virtutum plerique obseruabant, se suauem haurire testarentur. color cunctis, velut spirantium, nullo mortis pallore mutatus: Sanguis vulnerum recens, viuo rubore, nusquam tabo liuescente. talis roseus, & roseum spirans è Rodulphi vulneribus, cum ibi à varijs tractarentur fluxisse plurimus dicitur, quod moram à morte reputantibus miraculo haud vacare videbatur. Longum hic spatium concedendum fuit populi pietati, manusque pedesque Sanctorum vt loquebantur Corporum ac vulnera, osculantibus pro se cunctis, nec non à rapere aliquid reliquiarum summo certamine conantibus. Frustra erat obsistentium modestia nostrorum. Nec caueri potuit quin præter vngues, ac pilos sacrorum corporum, panni eorum contactu dignati, ac præsertim intincti cruore, diriperentur, quales, qui nancisci non poterant, vela ipsi propria sudariaque vulneribus appressa cruentabant: domum pro magno munere sanctè asseruanda reportantes. Multa iam nox erat nec sedari æstus concursantis populi, nec disponi funeris pompa poterat. tandem explicata multitudine, prodire incipiunt longo ordine. Portabant feretra humeris Patres, funalibus vndique noctem vincentibus, alterno cantu Psalmorum antiquo ritu aures animosque mulcente. nullus, vt in funere, luctus: intimo potiùs gaudio passim omnes gestiebant, cuius dulcedinem plerique suauibus lacrymis testabantur.

207 Re infecta Raciolum recedunt.

208 Salsettani vltro reddũt Patrum corpora.

Quæ Raciolum portantur.

209 Corporum conspectus, & multitudinis motus.

Sic

Sic peruentum in D. Mariæ ad niues, primarium oppidi Templum, circiter noctem mediam, vbi Arca prægrandi præparata, quinque intra eam Sacra corpora distinctis locis, suis quæque insignita nominibus sunt deposita. Ibique manserunt quoad anno 1597. deportata Goam, in nostro ibi S. Pauli Templo decentius sepulta sunt. Hic finis fuit operariorum excellentium quinque; ipsis felix, quippe clarissimè constitit, etiam epistolâ ab ipsis eorum interfectoribus deinde scripta, quæ causam cædis illorum apertè testabatur, ideò ipsos trucidatos, quod Christianam religionem promulgarent, templaque & Cruces, deletis Pagodum fanis, erigere cogitarent; Ecclesiæ ac Societati luctuosus, quæ in paucitate Ministrorum magna, florem ipsum suæ militiæ, & spem victoriarum de Idololatria ingentium subitò perdebat. Erant omnes aptissimi propagando Christi regno, præclaris animi corporisque dotibus, summa experientia, linguis etiam, & cæteris facultatibus instructi copiosè: quadragenarijs minores: de quibus recepto more quædam sigillatim dicenda veniunt.

210 Sepeliuntur in D. Mariæ ad Niues.

Natus Rodulphus est anno 1551. P. Hieronymo Aquauiua Atriæ Duce, Claudij Generalis Societatis germano: Matre Margarita Pia Carpensi, nobilissimo vtroque. Puericia tradycta in ijs studijs orationum, ieiuniorum, eleemosynarum, frequentationis Nosocomiorum, piorumque id genus operum quæ sanctitatis consummatæ viros ætate iam, & virtute maturâ summè commendare potuissent, animum diuino instinctu ad Societatem applicuit. Obstitit eius voto Pater cum Fratribus acerrimè, frustra Claudio Patruo, iam in Societatem ingresso, fauente. Perrupit tamen omnes obices flagrantissimus ardor animi, miraque in puero constantia, nec desiderij compos minis initiorum degener quidquam ex actionis semper crescentis exaggeratam altitudinem effecit. Sic nouennium Romæ plerumque, in studijs partim Religionis partim literarum posuit, vt omnes virtutis, pleroisque ingenij admiratione compleret. Indicam Missionem ambitu expetitam summo, diuini prærogatiua nutûs, impetrauit à Præposito Socictatis Euerardo, & Sacerdotio Vlyssipone initiatus, anno insequenti Goam tenuit idibus Septembris. Vbi aliquandiu occupatus in Philosophia tradenda, Imperatorem Mogoris, Missu moderatorum, adiens, triennium ibi sanctissimè patientissimèque laborauit, vnica in summis ærumnis se sustentans spe sanguinis pro Christo fundendi: cuius olim sibi promissæ felicitatis cum occasiones vbique quæreret, vbi minimè crediderat compos est factus, anno ætatis tertio, & trigesimo, septimodecimo initæ Societatis.

211 Rodulphi Aquauiuæ ortus. Puericia tradycta

Ingressus in Societatem.

212 Mittitur in Indiam, & inde in Regnum Mogoris.

Æquali ætate parique splendore generis Alfonsus Paciecus Patrem habuit Ioannem Paciecum de Minaya, Matrem Catharinam Alarconiam, Minayæ atque aliorum in Castella locorum Dominos. Minayæ natus; Belmonte à prima pueritia ad pietatem bonasque omnes artes eruditus, Societatem summo expetitam ardore ingressus est mense Septembri anni 1567. Sedecim annorum adolescens; ac magnis Ingenij in scholis, virtutis in religiosa disciplina experimentis datis, anno 1574. Nauigationem Indicam à Deo verius, quam ab hominibus obtinuit, nam contra omnium spem, ac vota, eò est dimissus. Appulsus Goam, Minister id Collegium triennio rexit. Tum Prouinciali comes, & adiutor adiunctus, vbique magni iudicij parisque pietatis documentis editis, Procurator Romam missus, prudentissimè ibi rem gessit: reduxque Vlyssiponem tempestiuè occurrit, vt diximus, ad discutienda consilia Idololatrarum, impunitatem, ac licentiam impietatis pecunijs licitantium. Cuius rectè facti mercedem amplam pretiosa morte adeptus est. Petrum Bernam Ascona dedit in lucem. Est id oppidum ad littus Verbani lacus, Heluetici hodie iuris (olim Mediolanensis fuisse ditionis traditur.) Anno huius sæculi septimo supra septuagesimum in Societatem Romæ admissus quinque, ac viginti natus annos, & iam Sacerdos, ac paucis post mensibus ad Indicam profectionem mira quadam sorte lectus. Octo destinauerat eo anno Præpositus Generalis Euerardus ex Italia in Indiam. Quatuor iam in Lusitaniam

213 Alfonsi Paciecì vitæ summa.

214 Petri Bernæ in Societatem, & in Indiam vocatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcesserant. Nominati, qui sequerentur erant Nicolaus Spinula, Rodulphus Aquauiua, Michaël Rogerius. Quartus desiderabatur. Euerardus Nicolao Spinulæ, qui ætate, ac Sacerdotio præstans, manipuli ductor declaratus fuerat, potestatem fecit eligendi ad explendum eum vnius ex Tyronibus, quem eumque mallet. Adit cum hoc mandato Nicolaus Ioannem Baptistam Piscatorem Tyronum ad D. Andreæ Magistrum, qui vocatis extemplo Nouitijs vniuersis palam edixit, prodiret in medium si quis Indiam expeteret. Illico cunctis proiectis in genua eam sibi fortunam expetentibus, Nicolaus obseruato vultu singulorum vnum ex omnibus Bernam elegit. Goam peruenit Idibus Octobris, perfecto prius, & probato per insolitos feruores in Lusitania tyrocinio, sic enim Generalis iusserat: eaque res illum tenuit ne anno superiore cum Socijs solueret. Statim ad excolendos Salsettanos missus, egregia ibi sedulitate, nec dispari fructu, multos annos laborauit. Linguam Indigenarum citò perdidicit. Percursabat summa contentione barbaras terras, quo semen Euangelicum vbique spargeret; flumina etiam natatu, quando alia transitus copia non erat, per hyemem traijcere solitus. Succedebat illi negotium Euangelicum alibi fere felicius, quam Cuculini. Quare solitus erat dicere: durum id solum non prius concepturum cœlestem sementem, quam esset sanguine irrigatum. Nec dissimulabat sui præsagium animi beatam istam sibi despondentis sortem. Euentus vterque vaticinio fidem adstruxit. Nam & ipse Christi causa ibi cecidit, vt diximus, & Cuculinensium peruicacia fracta denique est. Primùm quinque post hæc annis sacello condito in eodem loco, quem cæde, ac sanguine beatæ Christi victimæ signauerant, & Sanctissimæ Dei Matri, titulo Dominæ Martyrum, dicato, cum iam antea vnus è præcipuis cædis autoribus eiurata ibi solemni ritu superstitione, baptismum suscepisset. Quem alius ex loci primoribus autor olim nefarij consilij, anno demum sæculi huius quinto, & nonagesimo imitatus est.

215 Labores eius in Salsettis.

Dictum eius præsagium de morte sua.

216 Autores necis Patrum conuersi.

Antonius Franciscus, cum S. Antonio Franciscano, Lusitano à Patria, Patauino à mortis, & sepulturæ loco nuncupato, non modo natale solum, & nomen commune habuit, sed vocationis quoque in religionem modum. Vt enim Sancto illi fama sex Franciscanorum apud Marochium Martyrum Sacræ illius amplectendæ religionis cogitationem obtulit, ita nostro Conimbricæ in Patria successu studiorum, & spebus sæculi florenti, vulgata anno huius sæculi septuagesimo fama cæsorum ab Hæreticis in odium Catholicæ fidei quadraginta nostrorum, qui Duce Ignatio Azebedio in Brasiliam nauigabant, Societatis expetendæ ardens desiderium mouit. Concupierat nimirum similem in ea sortem felicis necis, quam anno post duodecimo, eodem omnino die cum ijs quos erat æmulatus inuenit. Secutus post aliquot probatæ in Lusitania virtutis annos Alfonsum Paciecum renauigantem in Indiam, & ibi triennio post Sacerdos factus, nauem in Moluccum soluentem iussu Maiorum libens, & gratulans conscendit. Sed prouidentia, quod de illo felicius destinauerat, immissa tempestate, qua in terram est reiectus, exequi perrexit. Secundo consilio præsides Antonio in Salsettas misso Orliensis Ecclesiæ curam imponunt. Quo munere dum præclarè, ac sanctè fungitur, coronam est nactus, quam erat à Deo solitus quotidie petere. Franciscum Araneam Brachara Lusitaniæ Ciuitas dederat Mundo anno huius sæculi quinquagesimo primo, Goa Societati addidit anno post vigesimo. Is quamquam domo nobilis, quippe proxima cognatione iunctus Gaspari primo Archiepiscopo Goano, infimum tamen in Christi militia, & optauit, & constanter obtinuit ordinem. Architecturæ quadam peritia valebat. Et quæ iam stabant in Salsettis ædes Sacræ, eius ingenio designatæ, manu etiam magna ex parte structæ fuerant. Ea illi res inuidiam Salsettanorum, & ex ea gloriosæ mortis occasionem parauit. Etenim cum antea denunciasset, se propediem venturum Cuculinum ad ponenda noui Templi fundamenta, quo hactenus is pagus careret, Indigenæ eam ipsam ob causam efferati in extre-

217 Antonij Francisci, cum S. Antonio Franciscano similitudo in vocatione religiosa.

218 Profectio in Indiam.

219 Francisci Araneę Religio, & modestia.

extremam rabiem, tot in eum atrocibus contumelijs, quas retulimus, immanitate plusquam barbara debacchati sunt. Nec ille nesciuisse visus est hanc sibi fortem reseruari. Racioli diuersari dudum solitus, arcæ cuiusdam operculo vti pro lectulo consueuerat. De ea sæpe auditus est cum diceret, incumbere se sepulcro suo. Nam olim in odium fidei se perimendum, & intra istam ipsam arcam condendum scire. Dicti veritatem euentus ostendit. Nam delata vti diximus Raciolum eius, & Sociorum corpora, in istud conditorium, quo nullum forte fuit ad manum commodius, incluſa sunt. Quod ad vindictam nefariæ rebellionis attinet, ardebant quidem iusta eius cupiditate Lusitani Goënses: sed suspiciones ab Idalcane, vicino & potente Rege, cuius fiducia Salsettani peccauerant, circumspicere prius cuncta suaserunt. Principio igitur dissimulare iram placuit, quasi fuga paucorum, qui duces factionis ferrentur, satisfactum sibi Magistratus putarent. Verum cum iam abundè ad cuncta prospectum videretur, anno insequente, repente Prorex magnis copijs accinctus in Salsettas proficiscitur, locoque in media regione Arci Regiæ capto, eam per otium extruxit, ac propugnaculis egregiè muniuit; tum validum ei, ac numerosum præsidium imposuit. Hoc fræno rebellibus iniecto, ausos & sic meritos hostilia hostiliter inuadit, ferro flammaque per immissum exercitum late rebellium terras vastans. Nec pacem, ac veniam petentibus prius indulsit, quam captis aut deditis barbaræ cædis auctoribus, præcipuis qui tum reperiri potuerunt, ijsque capitali supplicio affectis, sacrilegi parricidij crimen expiatum est. Tum leges pacis fractis supplicibusque graues dictæ. ablata omnis iurisdictio. impositi mulctatis Lusitani duo Domini, qui proprio & in hæredes transmittendo iure subiectos obtinerent. Quinque numerabantur præcipui Pagi sceleris affines. In horum tria ius supremum, & perpetuum Petro Castrio datum. Duo Ioanni Syluæ assignata sunt. Castrius triennio post Lusitaniam repetens noui sui dominij hæredem ritè consignatis tabulis, & Proregis ac cæterorum Magistratuum assensu comprobatis, Domum nostram Probationis Goanam reliquit. Antequam à Salsettis abimus placet adiungere mentionem Petri Mascareniæ, qui primus è Societate Salsettanis ad Christum conuertendis zelo ardentem operam posuit. Nam admissus Goæ in Societatem anno 1558. biennio post missus est cum adiutore socio ad promouendam in Salsettis Christianam rem; quod eam tum primum curam Constantinus Ducis Brigantiæ filius, eâ tempestate Prorex Indiæ, Societati commendasset. Mille ibi, admodum Christianos reperit destitutos omni ferè cultura, eoque periculosiùs immissos superstitiosissimis Idololatris, ipsisque Philosophiæ, ac religionis veteri subnixis famâ Brachmanibus, qui nullum finem eorum lacessendorum atque ad sacra patria reuocandorum faciebant. Hos non tantum in proposito seruandæ Christo iuratæ fidei Mascarenia firmauit: sed ipsos quoque aggressus Ethnicos, breui tempore centum ex ipsis ad Christum adduxit, non magis diuina eloquentia, quam cœlestium prodigiorum testimonijs de Christianæ Religionis veritate persuasos. Interim Messis Molucensis ad falcem parata strenuos operarios flagitabat. Eò Moderatores Societatis Mascareniam cum quinque socijs destinant. Duobus ex his Amboini, quos præsens occasio poscebat, relictis, cum reliquis Ternatem appellit, sub initium anni 1562. Ibi Mascareniæ prima cura fuit Templum condere, in quo per annos aliquot immensis laboribus congregatam ex vniuersa Ternate, è Tidoris Regno, alijsque finitimis Insulis Ecclesiam sanctissimè gubernauit: Hinc eum veteres Clientes, Salsettani sui, votis desiderijsque reuocarunt. Ijs redditus anno 1568. furorem Idololatrarum vix saluus euasit. Verberibus ab ijs plagisque concisus, ac semiuiuus reportatus Goam, simul Deo volente conualuit ad locum, redijt miles Christi, nihil tam cupiens quam delibatam iam victimam cruoris, ac vitæ fuæ, pleno consummare sacrificio. Sed palma hæc alio eum in campo manebat. Ternatem renauigare iussus, vix eo peruenerat cum in Selebi Regnum, Terram Molucis proximam, duobus recens Christum professis Principibus regnatam, vbi rebellione Idololatrarum contra Sionium alterum Regulorum, insurgentium, Christiana Religio laborabat, cum copijs Lusitanorum suppetias accurren-

220 Vaticinium eius de nece & sepultura sua.

221 Arx in Salsettis extructa.

222 Vindicta de Salsettanis sumpta.

223 Quinque Pagi rebelles Dominis dati.

224 Petri Mascareniæ vitæ summa.

In Salsettis laborat.

225 Templum Ternate condidit.

226 In Salsettas reuersus male mulctatur

227 In Selebi Regno rem præclarè gerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus Mascarenia mittitur. Mira ibi sedulitate parique felicitate rem gessit. Neophytos confirmauit, fidem late promulgauit, regnum pacauit, compositis rebus

228 In Molucis dira patitur

stationi se suæ Ternatensi reddit Ecclesiæ, vnde assiduis excursionibus per vicinas terras atque Insulas, innumerabiles in Cœli viam mortales induxit, maiore Christianorum gaudio, an infidelium dolore, dubium. Horum insultus heroica semper constantia pertulit, insidias sæpe diuina protectione vitauit. Fuit cum ad necem quæsitus ab armata latronum manu, per ignotos tramites obsessæ syluæ incolumis euaderet. Fuit cum in spelunca delitescens, ijsdem obstinatissima rabie vestigia eius cuncta persequentibus, octo ipsos dies sine cibo duraret. Tandem propinato à perfidis veneno, quam diu quærebat coronam inuenit hoc ipso, vt creditur, anno. Nam nec tempus nec locus eius obitus satis distinctè notatus est. Coniectura tantum intelligitur, illum eodem circiter tempore cum Rodulfo, & cæteris Salsettanis Socijs, laboriosam vitam pretiosa morte clausisse. Neque hic finis honoratorum huius anni funerum. Goæ Balthasar Gagus emeritam militiam septuagenario maior absoluit felici obitu. Est eius in rebus Iaponicis celebre nomen. Et quædam inde scriptæ ipsius Epistolæ feruntur, spiritus viri, ac feruoris testes. Inde alijs alibi per orientem fortiter, ac fideliter excultis arbitrio Præsidum Ecclesijs, eorum, veteranam virtutem honorantium, iussu, fractam laboribus, & afflictam morbis senectutem extremis annis Goana requie fouit; votis & pijs mentis exercitationibus deficientis naturæ debilitatem supplens, ac sustinens. Huic ad longorum laborum, vt sperare licet, præmia eunti, comes ibidem adiunctus est Dominicus Fernandez, qui multos annos in Choranæ Insulæ procuratione consumpserat, eo successu, vt cum in eam ingrediens septem dumtaxat Christianos inuenisset, decedens quinque millia reliquerit. Insignis præterea pridie Idus Februarij obitus contigit Francisci Perezij, de quo instar omnium elogiorum esse possit dictum S. Xauerij, cui Perezius diu comes adhæserat, profiteri soliti, se profundam animi demissionem in eo mirari, paremque, omnibus votis à Deo petere. Is post B. Patris excessum regendis Collegijs adhibitus, omnia fere quæ sunt in hac prouincia prudenter, & sanctè gubernauit. Ingraueſcente iam, & fracta morbis ætate septuagenarius ex vrbe S. Thomæ oram Piscariæ, cum peteret, Negapatani consumptus occubuit. Rogauerat ille quidem adstantes moriens, cultæ tota vita humilitatis memor tum maxime, ne corpus suum alibi quam in egenorum eius loci communi Sepulchro conderent. Verum ijs longè aliter visum. In templo maximo, eurantibus funus Franciscanis Patribus, totius concursu nobilitatis honorificentissimè sepeliri placuit. Populus passim fama excitus, ad diripiendas viri, vt aiebant, Sancti vestes, pilos, & si qua id genus: quæ pro reliquijs habere possent, effusè concurrit. Rosarium qui rapuerat, oblatum pro eo statim ab alio eius cupido pluſquam centum aureorum pretium recusauit. Ethnici etiam venerandi senis virtutes experti prædicabant, & desiderium lacrymis testabantur. Nostros inter hæc Goënses consuetis laboribus procurandæ salutis hominum vtiliter intentos, quod inter alia probauit baptismus publicè celebratus die Conuersionis S. Pauli, quadringentorum Neophytorum, eorum prædicatione ad Christum adductorum, incredibiliter exhilarauit aduentus è Iaponia Visitatoris Alexandri Valignani cum quatuor Iaponijs ad summum Pontificem legatis. Reliquimus eos anno superiori Amacai, vbi decem totos menses nauigandi versus Indiam occasionem expectarunt. Ventis tandem ac mari ad nauigationem aptis, Lusitana nauis maioris formæ, optimè instructa rebus omnibus, stabat solutura, cursum Indicum spectans. In hanc ab eius Nauarcho Valignanus cum legatis inuitabatur, & vt annueret plerique autores erant, quòd nauis Ignatij Limæ, quâ è Iaponia Amacaum venerant, & ipsa in procinctu ad idem iter, multò minor infirmiorque apparebat. Etsi ad eam partem haud dubiè Valignanus propendebat, tamen vt in omni deliberatione solebat, spatium rei cum Deo tractandæ sumpsit, ac post orationem, contra suam, & aliorum expectationem, clarè constanterque magnam nauem recusauit, locum in minori sibi, ac legatis retinuit: Vectoribus nauis maioris duos Patres in solatium concessit. Soluerunt simul ambæ naues diuersissima fortuna. Prior enim

229 Balthasaris Gagi pia mors.

Et tandem veneno tolli tur.

Et Dominici Fernandis.

230 Francisci Perezij fama sanctitatis, & felix obitus.

231 Valignanus cum legatis Japonibus Macao soluit.

enim oneraria, tam firmi operis, tamque copiosæ armaturæ, in conspectu Malacæ vrbis cæco in scopulum incursu repente confringitur. Merces omnes pretij sexcentorum millium aureorum, mari hauriuntur. Nautæ ac vectores nudi plerique enatarunt in vicinum littus, cum Patribus duobus, quorum tamen alter naufragij laboribus consumptus, vbi terram tenuit expirauit statim. Nauis Ignatij Limæ tempestatis vrgentis periculo per modicam iacturam defuncta, incolumis attigit Syncapuranum fretum, è regione promontorij in quo sita est vrbs Malaca. Multæ ibi sunt insulæ quibus abruptum mare in Euripos scinditur mirè angustos, & labyrinthea quadam contortuplicatione perplexos. Maximè cum per illos alucos non vltra lapidis iactum plerumque latos, commeent rapidissimi torrentes, subiectis non raro acutis scopulis, in quos ineluctabili profluentis impetu rapta nauis impingitur. Quæ causa facit, vt prudentiores quique Nauarchi longo per apertum mare circuitu istas angustias declinent. Quia tamen felici temeritate quidam eas innoxiè tentarunt, multos tædium longinquæ circumuagationis ad experimentum periculosi compendij trahit. Quorum exemplum Ignatius Lima secutus, aliquantum inter Insulas processerat, cum nauis æstu tumescente supernatans latentes aras, senescente mox malacia in scopulo subsedit, neque illinc quantocumque molitionum conatu dimoueri prius potuit, quam statâ periodo reualescens marinus æstus nouo eam affluente vndarum cumulo tolleret. Sic tandem VI. Kal. Februarias legati cum Valignano Malacam incolumes appulerunt. Inde octauo die Cocinum versus soluunt in naue prætoria: in qua per malaciam, & aquæ penuriam, morbis alijsque incommodis conflictati, venti precibus impetrati beneficio propter errorem Naucleri vti nesciuerunt. Cum enim peruenissent in fretum, Oræ piscariæ, & Ceilano medium, vnde pronus, & facilis Cocinum cursus erat, Gubernator in Septentriones Proram dirigens, in scopulos Colai, naufragijs infames tantum non præcipitauit, ægrè vix tandem impetrante Valignano, vt iaceretur anchora, quæ res, vt postmodum constitit, mox frangendæ nauis calamitatem præuertit. Nec vero facilis ex iniquo loco receptus erat. Quod Valignanus reputans in vicinam terram, Tricandur dictam, legatos secum cimba traijci curauit. Insequenti nocte fractis anchoræ funibus, nauis in scopulos abrepta ferebatur. Nec nisi vltimo sacræ anchoræ præsidio à casu extremo seruata est. Valignanus celebrato cum legatis Pascha in Mana pridie Kal. Aprilis, nondum in Indijs audita exemptione decem dierum quam mense Octobri anni superioris Gregorius Pontifex iusserat, legatos Colanum portari curauit humeris Indorum in certis arcis, aut cistis, vecturæ genere illic vsitato. Colano, quæ arx Lusitana est, Cocinum, mari peruenerunt VII. Idus Aprilis. Ibi sex menses desidere necesse fuit, hybernante mari. Quod simul esse nauium patiens potuit facili trecentorum millium cursu Goam tenuerunt. Franciscus Mascarenia Prorex legatos Iaponios iam Cocini regio sumptu excipi magnificè haberique iusserat. Ipse vt in conspectum venerunt singulos amplexatus, torque quemque aureo donauit, ex quo reliquiaria thecа pendebat. Cæteraque insignis humanitatis prolixè cumulauit officia. Archiepiscopus deinde, & vniuersa Goana Ciuitas exquisitis eos certatim honoribus affecerunt. In Collegio quoque nostro gratulatio aduentus eorum festo carminum apparatu speciosè celebrata est. Abiecit hic spem Valignanus cum quâ è Iaponiâ venerat, deducendi legatos in Europam. Inuenit enim Goæ Præpositi Generalis literas quibus hærere in India iubebatur, & Prouincialis ibi munere fungi. Nec moram interposuit, quo minus impositæ præfecturæ statim administrationem capesseret: cuius illud specimen præclarum fuit, quod lustrans hoc ipso anno Residentiam Vaipicotanam, cum animaduertisset Christianos S. Thomæ è primis illis, qui ab ipso S. Apostolo religionis Doctrinam acceperant, propagatos, limi aliquid in moribus ritibusque trahere, quod purgari expediret: capita notauit in quibus emendatio constituenda videretur; omniaque accuratè cum Gentis Archiepiscopo contulit, quæ re probata, conuocataque Synodo Cleri totius, cui duos è nostris interesse voluit, canones in præsens vtiles sanciuit. Sub hæc duo solemnia sacra facta sunt, prius latino, alterum antiquo Gentis ritu Chaldaico.

232 In Syncapurano freto periclitantur.

233 Tandem Malacam appellunt.

234 In terram Tricandur exscendunt.

235 Perueniunt Cocinum.

Et inde Goam.

236 Valignanus creatur Prouincialis Indiæ.

237 Reformationem Christianorum veterum S. Thomæ dictorum per synodū procurat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

daico. Quibus peractis fidei Catholicæ professionem, de qua cum Valignano conuenerat, Romanæ Ecclesiæ placitis vsquequaque congruentem, ipse Archiepiscopus coram multitudine pronunciauit. Ac statim post legi publicè iussit, quæ à Sancta Oecumenica Synodo Florentina de Sacramentis sunt decreta: quibus adiunxit, quæ Valignanus formauerat capita. Quæ cuncta omnium vnanimi consensione sunt recepta. In vsumque mox redacta maculas, ac rugas Ecclesiæ vetustissimæ tanto æuo inspersas renouata quadam Iuuentute absterserunt. In ora Trauancoris præter consuetos nostrorum labores memorandum hic occurrit diuinæ beneficentiæ documentum perinsigne. Miles conscientiæ perditæ, desperata salute, miser se Diabolo addixerat. Affulsit infelici radius diuinæ lucis, cuius ope salutari sui

238 Exemplum memorabile militis Pœnitentis in ora Trauancoris

status horrore concepto, ingressus templum coram Sanctissima Dei Matris imagine prostratus in genua, eius auxilium multis lacrymis implorabat; cum ecce in gremio Virginis puer Iesus collacrymari visus est, simulque è manibus beatissimæ Matris emicare fons aquæ, qui totam perfudit aram. Exclamat ad visum Miles. comites accurrunt, & miro spectaculo fruuntur; ac imbutum aqua è Sanctissimæ Virginis manibus fluente sudarium inter se partiti ad miraculi memoriam sunt. Hoc tanto diuinæ misericordiæ pignore accepto confirmatus Miles pœnitens in fiducia salutis, prioris vitæ flagitia cum ingenti detestationis significatione apud nostrum Sacerdotem deposuit; votoque concepto promisit; se religiosæ

239 Mors Iosephi Victoriç

vitæ professionem suscepturum. In ora Piscariæ magni, sed consueti, & propter hoc ad alia festinanti prætereundi labores nostrorum erant: è quibus Iosephus Victoria operarius inconfusibilis, vt Apostoli verbo de viro Apostolico loquar, & plurimarum palmarum Athleta, ad præmia hoc anno vocatus est.

In Iaponia Faxiba, ex vltore necis Nobunangæ, successor eius potentiæ, id ambitiosissimis machinationibus agebat, vt ingentis fortunæ solida, & inconcussa fundamenta iaceret. Ferebat ille quidem se tutorem pueri triennis quem

240 Faxiba Iapponiæ Monarchiam inuadit.

Primogenitus Nobunangæ moriens reliquerat, quasi Monarchiam Iaponiæ illi reseruaret: cum satis appareret non diutius in ea simulatione futurum, quam quoad vtilem rebus, ac spebus suis duceret. Id facile sentiens tertius Nobu-

241 Nobunangæ filium, & Xibatadonum vincit.

nangæ filius, coniurat cum Principibus multis aduersus Faxibam, sed præualere non potuit, idcirco quod robur exercitus nouo suo Duci multis beneficijs deuincti fidem inuiolatam præstitit. Igitur Xibatadonus, affinis Nobunangæ, potentissimus coniuratorum, arctè obsessus in arce cum quadraginta millibus à Faxiba, desperata salutè se ipse cum suis post largas epulas occidit, & incendit. Faxiba Victor mira significatione lenitatis omnium animos pacauit, sibique confirmauit imperium, Christianis quoque se mirificè propitium ostendit. Siuè is ve-

242 Christianis fauet.

rus fauor fuit: seu temporis causa simulata beneuolentia, quòd præcipui quique & strenuissimi Duces exercitus palam Christianam religionem profiterentur. Ergo & plurimi facere; & eximio palam gratiæ loco habere iustum Vcondonum, Simonem Conderam, aliosque nobilissimos & strenuissimos Principes, qui cum essent bello fortissimi, tamen pietas eorum in incerto relinquebat, vtra re præstarent, militari virtute an religionis Sanctimonia. Regina quoque vxor Faxibæ Puellas, & Matronas in comitatu Christianas habebat, easdemque lectissimas.

243 Florens status, & profectus Ecclesiæ Iaponicæ.

Quibus rebus fiebat, vt & Nostri aucti animis prædicandi vbique laborem intenderent, & Deo passim fauente, miraculorum etiam editione frequentata, multa in dies hominum millia Ecclesiæ adiungerentur. non modo ferente, ac probante Faxiba, sed etiam profitente se quoque Christi legem amplexurum, si ea paulo exorabilior, & naturæ desiderijs tantillum indulgentior esse vellet. Interim cum simile studium ei, quod Nobunanga dum viueret in vrbis Anzuquiamæ exornationem contulisset, Faxiba nihilo quam ille humiliora cogitans, in vrbe Ozaca magnificentissimè ædificanda amplificandaque poneret, vltro in ea locum, & quidem eximium assignauit Seminario Societatis extruendo, opusque ipsum pecunia iuuit; & accedentem ad se P. Coëllium quem Visitator Valignanus decedens Iaponia ViceProuincialem ibi reliquerat, mirifica beneuolentia excepit. In Bungo quoque res florebant, Rege Francisco latè victore totam vim atque auctoritatem con-

conferente ad propagandum Dei Regnum. Solum laborabatur, in Arimensi regno, atque in ditione Bartholomæi Principis Omuræ. Imminebat enim vtrique perinfestus, & præpotens Riozogus, è Bonzio tyrannus, cuius cum sustineri vis non posset, coactus erat Bartholomæus Omurandonus pacem ab eo emere turpi pactione seruitutis, in cuius fidem tres filios obsides dederat. Solus Protasius Arimæ Rex generosa diuini auxilij fiducia palam repugnare Tyranno ausus, eius arma in se verterat. Nec vires Arimani pares erant. Itaque Riozogus arcem Ximabaram Regni primariam, & vrbes aliquot circumsitas facilè subegit, ipsum haud dubiè regni caput deleturus, nisi subita rebellione Principum Regni Chicungi, quod sibi antea Riozogus subiecerat, reuocaretur. Interim Protasius clam à Patruo Principe Omuræ, palam à Rege Saxumæ, adiutus, exercitum congregat, cum quo Arcem Ximabaram sibi nuper ereptam obsidione cinxit. Riozogus maturè compositis Chicungi turbis, cum viginti quinque armatorum millibus aduersus Arimanum mouet. Non erant in castris Protasij Regis circa Ximabaram plures octo aut decem millibus: quare Riozogus ex alto paucitatem conspicatus, ludibundè minax processit in aciem. Commissum est prælium primo mane die VIII. Kalendas Maias feria sexta, nondum eo perlata emendatione Kalendarij, vsque ad meridiem acerrimè vtrimque pugnatum, neutram in partem inclinante fortuna. Gestabatur Riozogus in acie media suorum, in lato vehiculo, stipantibus quindecim Bonzijs, in quibus vnus erat magni nominis, quem aiebant singulis noctibus colloquia cum Dæmonibus habere. Huius promissis tumida fiducia, supinus increpabat Riozogus vincendi moras: & suis inclamabat: ecquid puderet tanto tempore contendere cum paucis. Hæc eum loquentem Dux Saxumanorum Auxiliarium propius accessit, & cædem circa fecit. Credidit Riozogus rixari suos inter se se, & prolato è lectica capite: Næ vos, inquit, intempestiuè vobiscum ipsi velitamini; qui me præsertim hic prope adesse sciatis: Ad ea Saxumanus: Nos vero te prope adesse gratulamur: diu enim quæsijmus. Quare accipe, quod ferimus. Statim deiectum è vehiculo Regem occidit. Vulgatur mox clamore Riozogi mors, totusque eius exercitus in fugam abijt, insequentibus magna cæde Arimanis. Qui erant in arce Ximabara numero quinque millium, vitam pacti, deditionem Regi Protasio fecerunt; cuius & virtus, & consilium eo die probata sunt: nam & peritissimè aciem instruxit, & fortissimè pugnauit: & præsenti animo inter alternantes vices longi prælij ad omnia incommoda occurrit. Nullam tamen inde appetijt gloriam. Palam professus, diuino se munere vicisse, auspicijs vtique Crucis, quæ in cunctis exercitus sui vexillis altè fulgebat. Postea compertum est libratores Christianos tormentorum nullum globum explosisse quin prius flexo genu Pater, & Aue recitassent. Quo facto strages ingentes Aduersariorum dabant. Multum quoque ad victoriam impetrandam valuisse merito credita sunt Ieiunia, supplicationes, sacra, publicæque id genus religiones, quæ per vniuersas Arimanæ, ac Omuranæ ditionis Ecclesias summo studio his diebus frequentabantur. Fructus vtrique Principi communis ex hoc successu contigit plena, & secura tranquillitas Omurani, & Arimani Regnorum. Illa propria Bartholomæi gratulatio, quod occiso Riozogo tres filios, qui apud ipsum obsides fuerant, recuperauit incolumes, & meritis auctos suæ constantiæ. Nam in aula impij Principis variè, sed frustra semper, tentata puerorum fides, & innocentia fuerat. Inter hæc prospera rerum Ecclesiasticarum in Iaponia non mediocris iactura facta est, morte Ludouici Almeidæ, antiqui, experientis, & strenui huius Ecclesiæ Ministri. Ortu erat Lusitanus. Diu per orientem nauigauerat, quæstus & lucri causa. Venit in Firandensem Iapponiæ portum Chirurgus nauis Odoardi Gamæ anno 1555. ex quo loco missus Bungum accersendorum causa Patrum, qui classiarijs, & militibus sacra ministrarent; aliquot diebus exercitia spiritualia S. Ignatij, Balthasare Gago tradente, degustauit. In eo secessu cœlesti lumine percepto, quam inanes hactenus spes esset secutus, intellexit: ac proposito concepto retexendæ vitæ pecuniam quam collegerat instar quinque millium aureorum, totam obtulit in Constitutionem ptochotrophij, quo pueri à parentibus expositi (quod in Iaponia crebro fit) exciperentur,

244 Riozogi contra Protasiũ Arimæ Regem bellum.

245 Riozogus prælio victus occiditur.

246 Protasij, & Christianorum pietas.

247 Trium Omurani Principis filiorum constantia.

248 Ludouici Almeidæ aduectus in Iapponiam.

Vocatio in Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, & alerentur: & Nosocomij vbi leprosi, quorum & ingens illic numerus, & incredibilis neglectus est, colligerentur & curarentur. Ipse qui præter chirurgicam, in qua perfectus erat, etiam literarum tantum didicerat, quantum clericis officijs sufficere fungendis posset, se ipsum Societati dicauit, in eam post idonea experimenta ritè admissus à Cosmo Turriano. Hinc eum Iaponia totis septem, & viginti annis, maximis in rebus fortissimè contendentem vidit. Lingua erat Iaponica promptus, morumque ac rituum gentis longè supra quam sperari ab externo posset, callentissimus. Adhæc mira homini ars inerat tractandorum hominum, demerendæque gratiæ Potentum. Iam in quotidianis cum aduersantibus sectarum Magistris congressibus, inuictum ingenium, quod non immeritò infusa diuinitus scientia confirmatum videretur. Accedebant familiaria prodigia curationum, cum nullus ferè tam difficilis tam desperatus Almeidæ morbus offerretur, quem ille, non vtique arte chirurgica, sed quod omnes fatebantur, cœlesti potentia depelleret. Sic ille Facatensem, Scimabarensem, Cocinozuensem, Amacusanam, Funaiensem fundauit, & in splendorem maximum prouexit Ecclesias. Christi quoque doctrinam primus, & prædicauit, & latè propugnauit in Regno Gotto. Cangoximæ quinetiam, ac Saxumæ, Christianorum, & numerum, & meritum auxit insigniter. Bonziorum quam plurimos conuicit, & detractis erroribus Christo subiecit. Quantis vero hæc laboribus effecerit, immensum dictu sit. Humillimo vestitu, tenuissimo victu, homo non robustæ valetudinis, perpetuis peregrinationibus circum vndique cursabat, oues Christi quærens. Nec lupi deerant, qui rabiosè arcerent. Sæpe in seditionem consternati Idololatræ inermem male mulctatum abegerunt. Sæpe Bonzij furore amentes ad necem quæsierunt. Horum scelere eiectus Cangoxima totum annum in tugurio deserti litoris delituit, non alio quam agrestium herbarum cibo ægram sustinens vitam. Alias in Regno Gotto cruenta odia persecutorum, longa vastæ speluncæ, horrentis in loco deserto rupis, habitatione vitauit. Nec sic semper manus infestas effugere potuit. Deprehensus aliquando à Piratis Idololatris, spoliatus ab ijs, & male mulctatus inermi, & hianti cimbulæ ad certum exitium impositus, & morbo, ac plagis, & rerum omnium penuria, horrenda insuper in alto tempestate, diu iactatus, tandem mirabiliter terram tenuit. Diabolo porro non suffecit, pro eo quo flagrabat immani in virum Dei odio, per suos eum satellites insectari: Ipse per se se, sic permittente ad eius coronam Deo, indignans quod è corpore puellæ quam annis octodecim insederat, exorcismis Almeidæ pulsus esset, Cangoximæ, quadam nocte in eum insiliens, plagis crudelissimè contusum in multos dies ægrè trahentem animam reliquit. eminente semper in quantisuis malis inuicti herois animo, & fame quadam insatiabili dolorum, quo plus pateretur plura semper, & duriora ferre cupiente. Quoad tandem Amacusæ, morbis & laboribus confectus, inter vota, & lacrymas Christianorum, Deum laudans, post recepta Ecclesiæ Sacramenta, in suauissimis consummatæ caritatis affectibus expirauit, mense Octobri huius anni, quinquagesimi noni ætatis suæ, cum triennio ante Sacerdotio fuisset initiatus. In Brasilienſi, Peruana, & Mexicana, Americæ Prouincijs res Societatis, & Ecclesiasticæ tranquillum hoc anno cursum tenuerunt: consuetis profectibus conuersionum: in quibus cum nihil admodum dissimile superioribus, & consequentibus annis sit, præteruehi modo licebit: summariâ minus notabilium, & si quis distinctè curet exequi, dictu infinitarum rerum, significatione contentis.

249 Dotes eius præclaræ.

Donum curationum.

250 Multas Ecclesias fundat, & auget.

251 Pericula eius, & labores.

252 Spoliatur à Piratis.

A Diabolo cæditur.

253 Sanctè moritur.

HISTO-

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS QVINTAE TOMVS PRIOR

A.C.1584. ## Liber Quartus. Soc. 45.

FELIX hic annus Societati fuit Editione nouæ Constitutionis Pontificiæ, cuius initium est: *Quanto Fructuosius*. Quâ Gregorius XIII. vota simplicia Societatis aduersus quorumdam criminationes Autoritate Apostolicâ defendit. Actis Deo de isto successu gratijs Generalis Societatis Claudius dum circumspicit quemadmodum partes Societatis omnes roboret, ac perficiat, posteaquam operosa cura perfunctus erat, quam emendatissimè edendi Constitutiones, & Canones, & Regulas singulorum munerum, & alia ad communem Societatis disciplinam spectantia, prout postremus Generalis conuentus decrerat, ad rem literariam ordinandam animum adiecit. Quam in rem quid gestum sit abunde docent acta ab ijs edita, quibus demandatum negotium est. Quæ ad verbum sunt, quæ sequuntur.

1 Editio nouæ Constitutionis pro Societate.

Acta Congregationis, quæ anno 1584. iussu adm. R. P. Præpositi Generalis Claudij Aquauiuæ habita est de ratione studiorum instituenda.

2 Origines Ordinis studiorum postea editi.

Constitutiones 4. par. cap. 13. A. De statutis, inquiunt, lectionum horis, ordine, ac modo, & de exercitationibus tam compositionum (quas à Magistris emendari oportet) quam disputationum in omnibus facultatibus, & pronuntiandi publicè Orationes, & Carmina, speciatim in quodam tractatu per Generalem Præpositum approbato agetur seorsum, ad quem hæc Constitutio nos remittit, id dumtaxat monendo, illa locis, temporibus, & personis accommodari oportere, quamuis ad illum ordinem accedere quoad fieri potest, conueniat.

3 Acta Congregationis sex Patrum hoc anno habitæ.

In eadem quoque 4. par. cap. 5. §. 4. & cap. 14. §. 3. sic habetur, senam, & eos Autores, qui eam docent: cuius rei penes Rectorem (qui quantus in quauis facultate securiorem, & magis approbatam Doctrinæ solidioris, autorumque delectum, sicut oportet, informet, ac moderetur, nostrorum omnium Patrum votis, iam inde ab ortu, ac primordio Societatis expetitus est: quod cum in cæteras institituti nostri partes excolendas strenuè ab ijs, qui præsunt incumbatur, pars ista tamen, quæ literarijs studijs rectè instituendis temperandisque continetur, nondum plenè exculta, nec ad eam speciem, ac splendorem, quem in optatis esse doctissimo cuique par est perducta videretur. Duo planè sunt Societatis nostræ præsidia, ac firmamenta, quod statuetur in vniuersa Societate ad maiorem Dei gloriam sequuturus est) cura sit.

4 Constitutionum loca, quę ordinem studiorum edendum præscribunt.

Hic tractatus ijs constitutionibus commendatus, qui & studiorum praxim & doctrinæ solidioris, autorumque delectum, sicut oportet, informet, ac moderetur, nostrorum omnium Patrum votis, iam inde ab ortu, ac primordio Societatis expetitus est: quod cum in cæteras institituti nostri partes excolendas strenuè ab ijs, qui præsunt incumbatur, pars ista tamen, quæ literarijs studijs rectè instituendis temperandisque continetur, nondum plenè exculta, nec ad eam speciem, ac splendorem, quem in optatis esse doctissimo cuique par est perducta videretur. Duo planè sunt Societatis nostræ præsidia, ac firmamenta, ardens pietatis studium, & præstans rerum scientia. In hæc duo capita omnis constitutionum nostrarum vertitur cardo, eo quod pietas, si doctrinæ luce orbata sit, singulis quidem priuatim prosit non parum, at in Ecclesiæ, proximorumque vtilitatem operam penè nullam conferre possit, in concionibus

5 Necessitas eiusdem Ordinis ex desiderio nostrorum, & fine Societatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus, in Sacramentis administrandis, in iuuentute erudienda, in disputationibus cum fidei Aduersarijs, in consilijs, responsisque de dubijs rebus, & cæteris nostrorum hominum muneribus, ac functionibus, quæ doctrinam non vulgarem illam, sed excellentem quandam desiderant. Ad eam vero consequendam interest plurimum, qua ingrediamur via, quibus artibus, quibus vtamur auxilijs, quod nisi ratio facilis, ac solers ineatur, multis consumptis laboribus fructus respondere soleat exiguus: Contra vero si studiorum labor ad sapientem aliquam normam dirigatur, non magnis lucubrationibus magnum compendium, & fructus vberes referantur. Huc accedit, quod non modo nostrates, sed externos etiam adolescentes docendos suscepimus, quorum cum numerosa sit multitudo, præclara indoles, nec rara nobilitas, nostro muneri, nostræque apud alios existimationi facere satis non videmur, si tot pueris nostræ fidei commissis, tanquam nutrices non omnia optimè mansa, vt aiunt, in os inseramus: ne exiguo cum progressu in scholis nostris penè consenescant. Porro nec lene pondus, & calcar ad studia nostra benè componenda accedere debet ex eo, quod res nostræ quotidiè in promptu, atque in oculis omnium sunt, eorum etiam qui non optimè videntur affecti. Horum vero iustam accusationem effugere non valemus aliter, nisi quod nonnullis beneuolentiæ erga nos deest, id rerum benè gerendarum consilio, atque industria compensemus: cum præsertim non pauci sint, qui in hac literaria palæstra cum à nostris vinci non æquissimè ferant, non parum res quidem suas promouere, nostras autem obscurare nitantur. Iam nihil attinet multa verba facere de animorum consensione, quam grauissimè nostræ commendant Constitutiones, in ijs præsertim, quæ publicè geruntur, aut docentur: huic vero assensioni nondum satis potuit esse consultum. Cum enim nullus ordo, forma nulla communis adhuc præscripta esset, licere sibi quisque existimauit, & sentire quæ vellet, & quæ sentiebat, alijs tradere ea methodo, quam maximè probabat, vt aliquando non minus nostri inter se, quam ab externis dissentirent. Illud etiam vltimò, ac præcipuo loco cauendum videbatur, ne rerum nouarum studium, quod aliquando in nonnullis apparet, in aliquod discrimen nostram existimationem traheret, idque hac ætate, quæ cum plus nimio abundet hæresibus, matura potius indiget soliditate, quam parum tuta subtilitate doctorum. Atque hi Doctrinæ tanquam scopuli licet sapienter declinari possint à veteranis Professoribus, consulendum tamen fuit etiam tyronibus, quos veteranis iam defessis oportet identidem subrogare: tametsi hoc cautionis genus ne veteranis quidem obfuturum sit, cum possit interdum multis iam annis confirmata autoritas aliquem audaciorem reddere, & ad res nouas promptiorem. His itaque de causis semper visum est optimum factu, si, tam docendi varietas, quam opinandi libertas certis legibus vinciretur. Id quod cum hucusque confici commode non potuisset, tandem admodum R. P. Præpositus Generalis Claudius Aquauiua postquam primis suæ administrationis annis in Constitutiones, omnium officiorum Regulas, Congregationum Canones, & Priuilegia Societatis emendatissimè edenda diligenter incubuit, anno tandem 1584. adiecit animum ad studiorum rationem firmiter, atque vtiliter constabiliendam: eaque de causa ex disiunctissimis Societatis Prouincijs Patres Theologos sex ad id operis deputandos euocauit. Ex Hispania venit P. Ioannes Azor. Ex Lusitania P. Gaspar Gonzales. Ex Gallia P. Iacobus Tyrius, Ex Austria P. Petrus Busæus. Ex Germania superiore P. Antonius Guisanus, Romæ commorabatur P. Stephanus Tuccius, Omnes administrandarum scholarum vsu præditi, & in omnibus pene facultatibus versati, gnari etiam singuli rerum Prouinciæ suæ: vt variarum gentium auditis, collatisque moribus, ac studijs, id communi consilio statueretur, quod locis, quoad eius fieri posset, congrueret vniuersis. Itaque sexto Idus Decembris, qui Conceptionis Deiparæ Virginis dies est, per R. P. Generalem ad S. D. N. Gregorij pedes osculandos deducti sunt, vt auspicato negotium tam operosum inchoarent. Bene precatus Pontifex sedulitatem-

6 Eumdem exigit cura suscepta educationis iuuentutis. Et æmulatio multorum in Societate.

7 Idem ad consensionem inter nostros statuendam vtilis. Et ad præcauendum nouitatum studium.

8 Ad istum Ordine condendum sex Patres è variis partibus collecti.

Conueniunt Romæ Pontifice in primis probante.

temque, ac celeritatem operi adeo salutari, vt adhiberent, serio est adhortatus. Neque vero Pontifex Maximus solum, sed & Cardinales nonnulli Doctrina, & autoritate præcipui, quos tantæ rei certiores facere oportuit, institutam hanc à R. P. Generali quasi communem studiorum Reformationem vehementissime comprobarunt. Domicilium peropportunum, & commodum hybernis quidem sex mensibns in Pœnitentiaria Sancti Petri, æstiuis autem caloribus per trimestre spatium in Quirinali Monte ad S. Andream, illis est attributum. Horæ trinæ diebus singulis in consultatione ponebantur; temporis reliquum legendis Doctoribus, & Commentarijs, quos aliqui manu scriptos ex Prouincijs attulerant, traducebatur.

Iam vero vniuersum hoc opus duo in capita distributum fuit. In vno de securiorum opinionum delectu, ac censura agitatum est. In altero traditus fuit ordo, ac praxis scholarum, omniumque exercitationum, quibus ad sapientiam, ac bonas artes iuuentus promouetur, institutio. Ac primum in opinionum theologicarum examine, in quo aliquid excogitare, quod multis probetur, arduum semper visum est omnibus, Patrum illorum vnus, qui præerat Congregationi, quæstionem aliam ex alia iuxta ordinem Partium, Quæstionum, Articulorum S. Thomæ in disceptationem vocabat: ordine suam quisque sententiam prodebat. Si suffragia concordabant, haud magno negotio res transigebatur, sin dissidebant, tum disputatio acris oriebatur: diuidebatur quæstio in proprios status: certa secabantur ab ambiguis, lubrica, & obscura à ratis, & definitis. Controuersiæ capite sic explorato, discrepantium inter se argumentorum momenta appendebantur, in chartam sedulo referebantur, copiosa duorum, interdum etiam trium dierum disputatione examinabantur, donec qui aliter senserant in plurimorum sententiam sponte concederent.

9 Opinionum delectus, & praxis scholarum, duo capita operis.

Methodus agendi circa primum.

In constituenda deinde certa ratione, ac methodo, qua scientiæ, & facultates singulæ tractarentur, recitabantur Patrum nostrorum in hunc vsum conseruatæ deliberationes, siue Romæ, siue extra in nobilioribus Societatis Collegijs varia temporum occasione institutæ: percensebantur Epistolæ, & consulta, legesque vniuersitatum, & diuersi generis alia, partim superioribus annis, partim nuperrimè ad R. P. N. Generalem ex plerisque cum Italis, & Hispanis, tum etiam Galliæ, Germaniæ, Poloniæ Prouincijs transmissa. Relegebantur quartæ partis Constitutiones, studioque ad nutum illis parendi sedulò expendebantur: Canones similiter Congregationum, Regulæ, & statuta scholarum, consuetudines præterea, moresque Collegij Romani, quæ liber manuscriptus simul omnia complectebatur. Ex his antiqua plurima retinebantur, recentioraque attexebantur: abrogabantur nonnulla: si qua dubitationem adferebant, singuli Prouinciæ suæ priuatas, vel communes institutiones, vsum, & exempla scholarum, mores, & euenta in medium proferebant: commoda, & incommoda demonstrabant, quibus tot, tamque varijs auxilijs ad disquisitionem, iudicationemque adhibitis, multarum peruestigata sunt remedia difficultatum, iactaque mutuæ inter nos consensionis fundamenta, cum fixum, ac ratum id apud se haberent, nihil esse posse, vel ad scholarum conseruationem, promotionemque vtilius, vel ad gratiam, comparatamque existimationem retinendam accommodatius, quam vniusmodi omnes normam, præscriptionemque in excolendis ingenijs, gubernandisque scholasticis muneribus tenere, ac sequi.

10 Ex quibus fontibus hausta sit ordinatio disciplinæ scholarum.

11 Quanta maturitate in ea processum

Confectus tandem est tractatus duplex, vnus de opinionibus seligendis, alter de scholarum administratione. Vterque deinde sub incudem reuocatus, relectusque omnibus audientibus, & emendatus, tandem etiam subscriptione singulorum firmatus, inque Collegij Romani Theologorum manus iussu R. P. N. Generalis traditus est, vt ab ipsis primum, à reliquis deinde per vniuersam Societatem Prouincijs expenderetur. Atque hic Congregationis de studijs habitæ tam cursus, quam exitus fuit. Anno vertente denique sub

12 Ordo studiorum diu, & diligenter ante editionem expensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

finem mensis Augusti, cum Decembris initio cæpisset, conuentus est solutus. P. Stephanus, P. Azor, P. Gonzales in Vrbe relicti, vt sicubi desideraretur eorum, quæ constituta sunt, interpretationem, vel rationem redderent. Cæteri domum quisque ad consueta munia rediere. Iam vero quamuis optatissimum esset R.P. Generali hanc totam rem cognoscere quam primum, & per Prouincias spargere recognoscendam, tamen impeditus primum Patrum, Procuratorum, & Congregatione, & negotijs expediendis. Deinde aduentu Iaponiorum Principum, moraque diuturna in Vrbe proprer obitum Gregorij Pontificis Maximi: tum quotidianis curis, literisque Prouinciarum, non potait ante exitum pene anni 1585. animum adhibere cum quatuor Assistentibus ad ea perlegenda, quæ à sex Patribus deputatis, & à Romani Collegij Doctoribus acta fuerant. Nunc tandem rebus omnibus perspectis, & ijs quæ Collegij Romani Patres obseruarant, per sex Patres Deputatos recognitis, id quod perpensis vtriusque partis annotationibus compilatum est, in omnem Societatem dimittendum putauit, vt quod in communem comparatur vsum, communi quoque iudicio comprobetur.

Hactenus Acta literarij eius consilij. Sed vt clarius appareat, quanto res studio, & ordine gesta sit, interest etiam cognosci, quæ posita sint toti fabricæ fundamenta. Igitur Patres de opinionum theologicarum delectu disputaturi, ita præfantur.

13 Soliditas, & consensio in Doctrina Societatis per ordinem studiorum stabilita.

Admodum R. P. Generalis sex Patribus quos ad omnem studiorum rationem bene instituendam delegerat, nihil grauius commendauit, nihil se magis optare testatus est, quam vt eorum opera opinandi licentia, quæ quotidianis, & periculis, & altercationibus nostros perturbat, cohiberetur: omnisque Doctrina Societatis duas in primis res consequeretur in nostris Constitutionibus frequenter inculcatas, soliditatem, quæ omni temeritate vacaret, & consensionem, quam tot Professorum contentiones labefactant non parum. His illi mandatis cum studerent obtemperare pro viribus, formulam, quæ sequitur, conscripsere, qua generatim quædam, quædam particulatim recte componi posse visa sunt. Est autem huiusmodi.

1 In docendo corroborandæ inprimis fidei, alendæque pietatis cura habeatur. Nemo igitur quicquam doceat, quod cum Ecclesiæ sensu, receptisque traditionibus non bene conueniat: quodque aliquo modo robur fidei, & solidæ pietatis firmitatem minuat.

2 Expedit etiam vbi nullum pietatis, & fidei periculum imminet, suspicionem vitare studij res moliendi nouas, aut nouæ condendæ Doctrinæ. Quare opinionem vllam nemo defendat, quæ contra recepta Philosophorum, aut Theologorum axiomata, vel contra communem scholarum Theologicarum sensum, à plerisque viris doctis esse iudicetur.

3 Quæ opiniones, cuiuscumque autoris sint, in aliqua Prouincia, aut Ciuitate multos, aut nostrorum, aut exterorum Catholicos, & non indoctos offendere scientur, eas ibi nemo doceat, aut defendat, quamuis alibi sine offensione doceantur. Huiusmodi vero opiniones à quolibet Prouinciali colligendæ forent, audito consilio Doctorum suæ Prouinciæ, vt qui ea docent, nec eas ignorent, nec vllas esse præterea huius generis existiment.

14 Sodalitium Annunciatæ Collegij Romani primarium declaratum cum alia aggregarentur.

Quare id factum.

Eodem hoc anno Sodalitium, quod erat in Romano Collegio sub Deiparæ Virginis clientela, Gregorius diplomate ad eam rem confecto, primarium iussit esse, amplis condonationibus peccatorum ornatum; factaque potestate eadem beneficia cum Sodalitijs, quæ ad illud aggregarentur, communicandi. Nomen ab Annuntiatione Virginis mansit. Anno 1564. cœperat id Romæ sodalitium, inde per Societatis Collegia pleraque fusa alia eiusdem generis; & quædam etiam autoritate Pontificis confirmata, & decorata Indulgentijs erant: verum per se se stabant singula, nec paribus beneficijs fruebantur: ac proinde, vt quodque recens excitabatur, ita ad indulgentias impetran-

petrandas nouo priuatim opus erat voluntate Pontificis, quod non carebat negotio. Vt igitur pronior communicatio esset, atque ex eodem cuncta quasi fonte deriuarentur; adhæc pari iure, ac forma constarent, antiquatis quæcumque ad id loci statuta erant, cuncta inposterum ab Sodalitio Romano Gregorius suspendit: simulque vt certius, ac maiori cum ipsorum, tum Societatis tranquillitate regerentur, summam in omnia Generali Præposito potestatem permisit. Diuinum sane fuisse inuentum hosce cœtus ad discentium, siue morum, siue literarum profectum, passim experimenta monstrabant. Vbique Sodales Virginis vtrâque eminebant laude. Quippe nihil ita alit scientiam, vt vera pietas: ac vicissim nihil opportunam fraudibus Dæmonis, & voluptatum illecebris adolescentiam ita continet, vt accurata literarum tractatio, quæ bonis iucunditatibus amorem prauarum extinguens, occupatione præterea rapaci, & assidua neque corruptori otio, neque Diabolo, aut satellitibus eius aditum nisi angustum relinquit. Adhæc puros, simpliceisque clientum suorum complexa animos Mater Sanctitatis conserit Cœli seminibus, imbribus rigat diuinis, sancto igni ad maturam virtutis frugem perducit: & esse ei curæ hosce alumnos extraordinariæ indulgentiæ documentis passim ostendit. Ergo tam salubre opus, quo firmius staret, latiusque propagaretur, Pontificia fulciendum autoritate, ornandum clementia fuit. Quod Gregorius eo pronius fecit, quod ad Collegij sui Romani haud modicum decus, fructumque spectabat. Vnicus primo Romæ horum Sodalium fuerat cœtus. Verum deinde cum ij ex quibus ortus primum adolescentibus erat, in iuuenes euasissent, alijque inferiores ætate succederent, geminatus est ex ætatum gradibus, tum vt locus pateret pluribus, tum maxime, vt suos separatim conuentus, qui propiores inter se æuo essent, haberent. Accessere deinde alij duo: quibus omnibus, quia sunt veluti membra vnius sodalitij, honos, & nomen Congregationis Primariæ commune est. Ipsius Collegij iam magnifico opere duo ad Gymnasium properata membra stabant, cum ea cohonestare die Sanctis Apostolis Simoni, & Iudæ sacro præsentia sua Pontifex voluit. Exceptus est multiplici apparatu sapientiæ, ipsis vbique parietibus Poëtarum, Pictorumque ingeniosa facundia, autorem consalutantibus, & prædicantibus suum. Qui vbi in Aulam conscendit ornatam vndique descriptis ædificijs Collegiorum ab ipso per totum Orbem terrarum ad religionis amplificationem, & defensionem conditis, atque ea paulisper egregiè picta contemplatus, parata in excelso loco sella consedit. Stephanus Tuccius, quem modo inter Patres studijs ordinandis præpositos numeraui, vir apprime doctus, & eloquens, idem qui duobus quoque ante annis Oratoris voce Beatissimum Patrem Collegium vetus visentem exceperat, modesta laudatione ei de genu gratias egit. Et Pontifex vbi finem Orator dicendi fecit, Soli Deo, inquit, honor, & gloria. Sub hæc scholas omnes singillatim inspexit; visus omnia vehementer probare. Nonis inde Nouembribus literarijs exercitationibus initium factum illustre, & accuratum, vt laxitati, splendorique Gymnasij Doctorum par esset industria. Sex dierum varia prolusione datæ in conspectum ingenij vires, quam postremo clausit Orator Horatius Tursellinus ad amorem sapientiæ iuuenes cohortatus. Biduum quoque solennibus præfationibus datum, quæ non vt moris est, in suo quæque auditorio, sed in Theologiæ schola perampla atque magnifica, ternæ ante, totidem post meridiem, ne qua cui officeret, auditæ. Valuitque ea Gymnasij Maiestas, & Doctorum celebritas ad classes tum vrbanis, tum peregrinis auditoribus frequentandas, vt ex eo tempore haud multo pauciores binis millibus cœperint numerari. Cumularunt horum initiorum lætitiam lecti è singulis Europæ Prouincijs Patres, qui ad Procuratorum Congregationem, quæ prima post Claudium Generalem sub illud tempus habita est, conuenerant, Romanæ Prouinciæ, reuersus ab recognita magna cum laude Sardinia, Fabius de Fabijs præpositus est. Ioanni Nicolao de Notarijs Perusini Collegij, pro

15 Vtilitas Sodalitiorum B.V.

16 Gregorius Pontifex Collegium Romanum à se ædificatum visit.

17 Initia docendi splendida in Collegio Romano.

18 Congregatio Procuratorum prima sub Claudio.

vere-

Universidad de Deusto
Biblioteca

veteri suo erga eam Ciuitatem studio, tanquam ad requietem cura permissa. Ameria quos ante aliquot annos iterum in Collegij spem socios Ciuitas impetrarat, cum nihil expediretur, omnes ex superioris generalis Conuentus decreto abducti. Par egregium Sacerdotum quinque dierum interuallo Nouembri mense dedit Cœlo Professa Domus Romana, Federicum Manricium, & Franciscum Turrianum, ambos Hispanos, ambos æuo graues, ac bene factis. Manricius ex nobili genere dum profanam militiam petit, ad Corticum bellum profectus, ex morbo animum ad religiosam vitam adiecit: auditoque mox Genuæ Lainio anno 1554. & familiariter cum eo versatus, bellatricem 19 indolem ad diuina signa in Societatem transtulit; sub quibus ad supremum vsque spiritum infractus labore, tanquam bonus miles Christi IESV, certauit, Romana continenter in Domo præter sacrarij, templique præfecturam, in statione confessionali assiduitate mirabili perseuerans: cui patientiæ, cum innocentiæ, comitatisque dulcissimæ amabilitates adiungeret, ægris mentibus semper paratum, semper gratum perfugium erat. Ob singulare erga S. Franciscum, ac Bonauenturam studium, initio se Franciscum Bonauenturam nominari volebat: sed quia in Societate nomina mutare moris non est, iussit S. Ignatius prioribus suis nominibus esse contentum. Porro Turrianus is est, cuius monumenta rei Catholicæ apprime vtilia multa extant: qui quod literarum, atque celebritatis 20 longo studio, ac labore collegerat, itemque supremam suam ætatem in sinum religiosæ disciplinæ deposuit anno 1567. Ex quo tempore nunquam positis aduersus Hæreticos telis, in sui victoria, beataque pace persequenda, & perfectæ conatu virtutis, tyronis ardore, constantia veterani, gustu intelligentis vixit, exemplum domesticis, exterisque blandissimum.

Federici Manricij vita innocens, & mors ieiux.

Franciſci Turriani pareruditionis religio.

Non est prætereundum quod à multis obseruatum est, peculiari Deiparæ gratia videri assignatum eius morti diem vndecimum Kalendas Decembris, nempè Præsentationi eiusdem Sanctissimæ semper-Virginis annuâ celebritate Sacrum, quod festum Censores qui iussu olim Pij V. Pont. Max. Romanum Beruiarium, & Missale recognouerant, tamquam antiquitatis suffragatione destitutum expungere cogitarant. Sed re comperta Turrianus qui Romæ tunc erat, oblato Pontifici Libello professus est: luculenta sese testimonia Priscorum Patrum, quæ festi eius veram, & benè fundatam religionem demonstrarent, exhibere paratum si audiretur, quo statim impetrato, facile euicit, vt in Ecclesiasticis fastis illa solemnitas iure quam optimo rerinenda censeretur.

Neapolitani Professi cum parum idoneam vtilitati publicæ sedem haberent dum aptior quæritur, quæ fuerant Salernitani Principis ædes repente vænales propositæ sunt. Situs erat, quam qui optari maximè posset idoneus; nec aliud præter ipsarum magnificentiam ædium ferè quicquam obstabat. Regia moles videbatur præcelsa, ac spatiosa, parietibus vndique opere sumptuoso lapide quadrato extructis, adamantis instar cuspidatim exciso. Sed plerisque ciuium pro ingenita Neapolitanæ genti Religione, animique liberalitate gaudentibus, quod esset in vrbe sua pulcherrimum, id Numini colendo addici, res est Philippo Rege autore, non ægrè transacta. Petrus Giron Ossunæ Dux ea tempestate Prorex suscepit primus negotium, curaque, & studio summo gessit, priuatim quoque, & publicè nobilitatem ad promouendum opus, sedulo cohortatus. Erant multi, qui vbi inita nouæ Domus possessio est, templum in proximo extruendum suaderent, quod & modico sumptu Religiosis aptari vsibus Salernitana domus, & templi de integro extruendi pro voluntate forma describi posset. Cæterum, quanquam ipsa quoque Religiosorum domicilia, vti ipsimet homines Religioni deseruiant, tamen & illa ædificij maiestas congruentior Templo visa est, & priuatæ commoditati præuerti publicam decuit: vt tanto celerius ad solemnia pietatis officia loco, ac gente digna spatia aperirentur. Igitur quicquid intra latera inædificatum erat euerso, ex Iosephi Valeriani ad id Romam missi descriptione peramplum, & elegans conformatum est Templum, & conceptæ Deiparæ dedicatum, vt grati animi aduersum Proregem cuius familiæ præci-

21 Salernitani Principis ædes Neapoli in templũ Domus Professæ mutatæ.

præcipua veneratione ea solennitas colitur, hoc ad Posteros monumentum extaret Neapolitano Collegio, cuius anno superiore à Roberta Carafa fundandum vectigal susceptum narrauimus, tertius nunc primus Philosophicæ disciplinæ Magister est additus. Accessit, & singulare decus tanquam cælitus missum. Guilielmi Elphinstonij, qui in eo decessit, venerandæ reliquiæ. Is postridiè idus Aprilis anno 1563. 22 natus in Scotiâ est, ex vtroque parente nobili. Namque Mater ipsam Scotiæ Regi- Guilielmi Elphinſtonij ortus. nam altero cognationis gradu contingebat. Paternam vero gentem præ cæteris illustrarat Guillelmus Elphinstonius Aderbonensis Episcopus, idemque magnus Regni Cancellarius, sapientia, & sanctitate, studioque incorruptæ religionis inter paucos insignis: qui opibus quoque suis Academiam Ederbonensem, & Collegia aliquot scholasticorum instituit. Hac Natalium claritudine, verum, vt erant tempora, Parentibus nouorum dogmatum contagio infectis, ortus Guilielmus, in ipsdem educatus erroribus, Matre mature extincta, eo diligentius primarum literarum cultura expolitus est, quo maioribus, & Rex ipse adolescens affinem puerum stimulabat promissis, & propter indolem ingenij singularem firmius destinabatur Caluinianæ insaniæ munimentum. Sed alia erant bonæ voluntatis Dei Consilia, quæ modo mirabili per ipsas Hæreticorum iniurias ad suum exitum peruenere. Non persequar longas ambages adolescentiæ miris casibus exercitæ quas Hieronymus Platus, Iuuenis istius sibi notissimi vsque ad admirationem æstimator, diserto Commentario descripsit. Sufficiet dicere, quod argumenti mei est, admissum, cum in Societatem Neapoli cum ibi ægrotaret, & coram Ludouico Massellio prouinciali vota simplicia Societatis emisisse, adeo redundantem cœlestibus delicijs, vt confirmaret nullum in toto orbe terrarum sua sententia reperiri hominem se beatiorem, nec deinceps voluit à domesticis nisi frater appellari: & ac- 23 cito Rectore Antonio Lisio res ei suas omnes, & reliquiariam thecam, & Rosa- Admittitur in Societatem agrotãs Neapoli. rium in manus dedit, rogitans, vt etiam subucula sibi Societatis daretur, vt exuta, quam tum gestabat, seculi hominem planè totum exueret. Iam æstus febrium suaues, morbique supremi cruciatus deliciæ videbantur, dolenti quod sibi, vt loquebatur, nihil aduersi contigisset Dei causa perferre. Tanti enim donum hoc multa pro Christo patiendi faciebat, vt interrogatus an pro duobus, quos præcipue sibi caros profitebatur, oraturus esset, vt in Cœlum quam primum transferrentur; non id, sed potius, vt in hac vita tribulationes multas Dei causa paterentur, oraturum se se responderit. Ex eo Crucis amore cum ingentem aquæ vim iuberetur à Medico in summis febris ardoribus haurire, modeste rogauit, vt id postridie fieret: quod quamquam ipse non explicauit, tamen fecisse intellectum est, vt eo die, sexta enim erat feria, ad reguſtandos Christi dolores, doloribus suis, ne illa quidem leuatiuncula adhibita, purioribus frueretur. Alio die vehementi cordis dolore correptus 24 in latus dolens incubuit, exoptatum calicem quasi complexans, & eius acer- Mira patientia morbum tolerat. bitatem, vti sperabat, eo positu adauacturus. Sed vt ignauos sæpe in dolores ipsa fuga præcipitat, ita magnanimus Christi Athleta leui somno furtim illapso, vbi cruciatum quærebat, ibi reperit sedationem. Et quoniam nunquam vincitur liberalitate Deus, adeo sitienti dolorum seruulo visus est solatia quædam per se quidem vilia, sed immensæ eius caritatis documenta, præter ordinem diuinitus prouidisse. Nocte quadam Guilielmus cum defeciſse malogranatum, quo medici iussu arentes subinde fauces humectabat, significasset, Excubitor, quamquam nullum præterea tota domo restare probe norat, tamen vt functus officio videretur, cubiculo velut alterum quæsiturus egreditur: atque ecce tibi in fenestra malogranatum grande, ac pulchrum conspi- 25 catur; quod postea vnde allatum, à quo eo loco positum, nulla potuit, Materna Dei erga eum indulquamuis diligenti Præsidum inquisitione deprehendi. Itaque constans inter gentia. omnes fuit opinio, vt olim erga Sanctum Thomam ægrotantem in Haleculis, & Honoratum de quo S. Gregorius narrat, in alio pisce; ita erga hunc acceptum sibi adolescentem plusquam maternam, nec vlla ætate exhaustam, Domini indulgentiam miraculo declaratum. Iam eminebat magnus ille animus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus è corpore, quòque exitus propius appetebat, hoc gestiebat magis. Neque cum eo de morte dissimulanter agebatur, sed tanquam cum aliquo, qui magni Regis in aulam discessum adornans multorum studijs ambiatur, certatimque curandis apud Regem mandatis oneretur: quæ Guilielmus mandata volens excipiebat. Cæterum optabat quicquid ab noxis luendum pœnarum haberet, in hac vita potius, quam in purgatorio igni dependere. Narrauit enim ipsemet Petro Antonio Spinello, cui de peccatis confitebatur, Angelum sibi custodem suum apparuisse, & id ipsum interrogasse, vtro mallet loco puniri, in hac, an in altera vita? seque respondisse, malle triginta diebus in hac vita, quam horæ dimidium in Purgatorio cruciari. Vbi cum subijceret Spinellus, vt Purgatorij tormenta longissime superent mortalis vitæ dolores, tamen bene susci pi, quo citius ad beatum Dei conspectum perueniatur: Guilielmus adiecit se pœnas huius vitæ præoptare, non declinandi causa doloris, sed quod ijs præter expiationem noxarum, etiam apud Deum merita cumulentur. Biduo ante obitum tria ex Prouinciali Massellio suppliciter postulauit, Primum vt Salmeron sibi moribundo bene precaretur, & sacrificium pro se faceret, Beatoque Ignatio commendaret. Deinde vt postquam obijsset, nomine suo Massellius de singulari erga se caritate Collegio grates ageret, deque repensis à se exemplis minus rectis veniam precaretur. Postremum, vt cum supremum instaret momentum, vellet suum in conclaue domesticos omnes acciri: summo enim solatio eam sibi coronam illo articulo fore. Quæ cum Prouincialis omnia promisisset, biduo exacto instituit rursus Guilielmus, vt Sacrosancto Viatico muniretur, quod item mirabili opportunitate concessum est. Nam quanquam vulgo credebatur aliquot dies superaturus, paulo post emigrauit. Allato diuinissimo Sacramento, & posteaquam coram eo Vota religiosa renouasset, cum incredibili pietatis gustu suscepto, etiam supremam vnctionem poposcit; quæ item clarioribus iam apparentibus instantis finis argumentis, adhibita est: & domestici conuocati. Quos vt confertim intrantes vidit, in hæc ipsa verba erupit, O quam gloriosa est mors tot agminibus Angelorum constipata. O quanta consolatione perfundor, vbi recordor animam meam Angeli mei Custodis manibus deportandam in Cœlum? Tum vero nunquam cessare: totus in sacra Colloquia, & oscula imaginum B. Virginis, & Christi Domini in Cruce fixi colliquescere, vt appareret, quod in rebus naturæ nutu euntibus vsuuenit, quarum est prope quietis locum concitatissimus motus; ita animam illam, vt proxime ad beatam Sedem accesserat, ita velocissime rapi. Candelam porrigi sibi sacram poscit ardentem, & circumstantes orat, vt suas incendant: tum noua cum B. Virgine, Christo Domino, Beatoque Ignatio colloquia. Ac subito cum magno, & insueto ad astantes gaudio, Non videtis, inquit, non videtis Angelos? Tum quædam cum Angelo suo Custode submurmurans, denuntiasse eum sibi interrogatus, retulit, fore, vt per Purgatorij pœnas transiret, sed breui ex ijs ereptus ad Paradisi gloriam ab Angelo eodem deferretur: Vbi B. Ignatius occursurus esset, vt eum coram S. Trinitate sisteret. Quibus dictis tanta lætitia, & ardore spiritus repletus est, vt iam se ipse non caperet; sed cor, & caro eius exultarent in Deum viuum: totoque corpore quamuis infirmissimo super lectulum exiliret, atque oculos retro post ceruical reflexos circumagens, & dulcedine quadam mirifica gestiens, indicaret aliquid se illic aspicere, quo valde delectaretur. Quod quid esset deficiente iam voce satis explicare non potuit. Solum Angeli, Maria, & id genus nomina ex intermortuis voculis percepta sunt. Inter quæ repente conticuit, recumbensque ita suauiter, vt consopitus videretur, supremum spiritum lenissime exhalauit XVI. Kalendas Maij. Hoc tempore Sacerdoti è Societate viro graui, qui quo attentius oraret, præsens cum cæteris moribundo non aderat, repente quædam oborta est lux, & quasi vox audita, Iam mortuus est. Itaque statim precibus ad animam eius ex Purgatorij pœnis liberandam transla-

26 Vitæ dolores purgatorio præoptat

27 In summis consolationibus moritur

28 Breue purgatorium patitur.

tis,

tis, eo studio rogare Dominum cœpit, eoque commiserationis sensu, ac si ante oculos ignes illos haberet. Vbi autem quarta circiter horæ pars abijt, illico tristitia omnis euanuit, & mirabilis hilaritas animum subijt, luxque certissima, quæ plane, ac sine vlla hæsitatione persuaderet, iam Guilielmum ex ijs pœnis euasisse, & receptum in Cœlum. Postridie ad gratiarum actionem Socij omnes Collegij Eucharistiam sumpsere: quod tale genus mortis, ac virtutis spectare sibi licuisset. Eo die celebratæ exequiæ concursu etiam complurium nobilium ad quos de adolescentis virtute rumor emanauerat. Actum à Consentinis, Præside Calabriæ Hieronymo Vazano inprimis instante, de aduocando Collegio, sed res non nisi quinto post anno maturuit. Permouerat Ciuitatem ardore suo Carolus Mastrillus. Qui Beneuentum item profectus, duos inter se Dynastas vt pacificaret, paucis concionibus ita deiderio Societatis omnes incendit, vt statim consilio publico vnum nobilem, Pompeium Morram, cum mandatis, ac literis, quibus & suas quam studiosissime scriptas Maximilianus Palumbara Archiepiscopus addidit, Romam ad Claudium legarint, templo, areaque ad Collegij ædificationem attributis, & vectigalia certa polliciti. Per hanc postulationem missi quatuor, ardentes Ciuium animos multo magis inflammauere. His præerat Emerius de Bonis, qui & conciones in frequentissimo conuentu habebat, & maximo audiebatur assensu, fructuque, præsertim quod apte explicationem Conscientiæ quæstionum interserebat. Cœpit & hebdomadarius Sacramentorum vsus induci, aliaque gesta de more. Sed Beneuentani Collegij absolutio dum multos in annos, quoad Ciuitas super attributo templo coortas expediat lites, differtur, in Prouincia Veneta Mantuanum iam pridem, vt in loco retuli, ab Cardinali Hercule Gonzaga designatum, incredibili Eleonoræ Austriacæ studio, ac pietate maturuit. Filia erat Eleonora Ferdinandi Imperatoris, Maximiliani Soror, Guilielmo Duci Mantuæ nupta, ob singularem in tanta nobilitate modestiam, religionem, liberalitatem, & omnes Christianarum feminarum laudes, vel sanctissimarum digna Reginarum choro. Hauserat vna cum sororibus, religionis indole plane germanis, à prima ætate erga nostrum Ordinem studium, & perpetuis auxerat incrementis: Collegijque Mantuæ instituendi cupidine, præsertim vt recentes puerorum animas Sanctus Dei timor vna cum rudimentis literarum imbueret, non faciebat modo per se ipsa assidue preces ad Deum, sed late etiam per homines pios, sacrosque cœtus faciendas curabat. Obstabat tamen Vxoris optimæ votis Guilielmi Ducis animus ab Societate ex maleuolorum sermonibus oppido alienus. Nec eam ob rem desperabat Eleonora, sed intentius cunctas obibat animo vias, per quas aperire sibi ad optata aditum posset. Statuit igitur, quoniam nullæ tum erant Mantuæ publicæ scholæ, nonnullas excitare de peculio suo. Cuius rei cum potestatem sibi fieri ab Duce petisset, neque is videretur libenter concedere, illa multiplicandis ad Deum precibus tanto enixius institit. Non desperxit piam perseuerantiam clementissimus Dominus, qui & ad perseuerandum inuitat, quòd suorum precibus delectatur: & postulata differt, quo cumulatiora donet. Ergo inter ipsas preces, quas longius solito, & ardentius protrahebat, Eleonoram repente Dux euocat, & vltro interrogat, num, quas moliebatur, scholas condiderit? Quæ cum aduersus nutum eius nihil se mouere ausam, respondisset, explicata fronte, singulari benignitate, Age, inquit, ne cœptum omitte: placet non modo eas, vt arbitratu instituas tuo, sed vt etiam Societatis Patribus tradas regendas. Inter hæc Prosper Malauolta liberatus regendæ Mediolanensis Domus cura, ad Mantuanum suggestum accitur: vbi præter collatas in populum vtilitates, pia, prudentique consuetudine Ducem ita sibi deuinxit, vt absterfis ex eius animo calumnijs, & Societati eum, & pietati intime conciliarit. Tum vero Eleonora gaudia sua vix capere: mundi sui muliebris, quem luculentum habebat, ad conficiendum annuum censum parte addicta, vrgere Claudium literis suis, & Car-

29 Consentiæ, & Beneuenti Collegia petita.

30 Statio in spem Collegij Beneuenti posita, fructu magno.

31 Eleonora Austriaca Dux Mantuæ impensè Societatem amat.

32 Guillelmus Dux Mantuæ Societati reconciliatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinalis Veronensis Augustini Valerij, cuius interponendam autoritatem censuit, ipsum quoque incitare Ducem: demum omnibus curis in eam curam incumbere. Neque interim manibus suis parcere; sed inter alia, supellectili domesticæ comparandæ, perficiendæque cum feminis suis insistere: quod caritate, benignitateque adeo prouida fecit, vt non modo, quod Religiosorum corporibus, sed quicquid cœnaculo, culinæque & eorum ministris vsui foret, Socij vbi missi sunt, parata affatim regijs illius manibus inuenerint. Ædes Sancti Saluatoris Collegio attributa initio est. Verum cum ad scholas concinnandas proxima Hebræorum Synagoga inter alia tecta redigenda esset in potestatem, reclamantibus Iudæis, ne Synagogâ, quam è primis Italiæ aiebant esse, spoliarentur, eo valuit nationis perfidæ pugnacitas, vt ipsorum impensa Christianæ pietati sedes opportunior quæreretur. Nam Guilielmus terna aureorum millia, quibus pro obtinenda Synagoga eos damnauit, ad ædes coëmendas contulit, in quibus hodieque Collegium magno cum Ciuitatis bono habetur. In ijs ineunte Nouembri, Prospero Malauolta primo Rectore, tradi duabus in scholis, quibus mox addita tertia est, latinæ cœptæ literæ solenni cum exordiorum celebritate, ac pompa. E Prouincia Veneta Paulus Mancinus, cum altero de Societate, Venetarum copiarum Duci Latino Vrsino in Cretam tendenti comes additus, tum apud milites, tum apud Insulanos rem Christianam commode gessit. Apostolico per varias Charnorum Diœceses Visitatori Parentinati Episcopo Rodulphus Florius egregiam nauauit operam. Tertius item Sacerdos in Istriam ad vrbem Polam Episcopi accersitu missus, multa ad pietatem fouendam pia instituta, vel intermissa reuocauit, vel ipse primus inuexit. Continuati consueto cum fructu, & Ragusæ labores, & Cathari. Nam hoc quoque anno Catharum Philippus de Philippis, dum Ludouicus Mansonius Ragusæ elaborat, excoluit. Raphaël Bonellus Archiepiscopus, non solum ipsa in Vrbe Ragusæ, vbi Ambrosius Castanea Clero conscientiæ quæstiones iussu eius explicuit, sed & foris in Diœcesi lustranda secum Patres deducens, vtilium laborum materiam præbuit. Cæterum per totam fere Illyridis oram maritimam, & Epirum, Macedoniæque, & Mysiarum partem, & inde pene vsque Constantinopolim, Visitatorum Apostolicorum autoritate, Pontificis iussu, ac sumptu latinarum Ecclesiarum reliquias recognouere Thomas Radius de Societate, & Alexander Comuleus tum Iaderensis Canonicus, & Cardinalis Sanctæ Seuerinæ domesticus, multis post annis & ipse noster. Principio anni Roma profecti ampla potestate in animarum vtilitatem instructi: dein impetrata ab Imperatore quoque Turcarum publica fide, exorsi ab Vrbe Lisso (Alexium hodie est) ac Diœcesi, Dyrrachiensem Archiepiscopatum, & Antibariensem cum adiunctis Episcopatibus, partim coniuncti, partim, ne quam suspicaci Turcarum genti causam calumniarum offerrent, seiuncti obiere. Multi restabant Christiani circa Antibarium, eaque loca, quæ recens in Turcarum dominatum venerant, rari in olim subiectis. Adeo cum libertate religio sancta sensim amittitur. Neque deplorantur, neque ab ijs, quorum est muneris satis æstimantur hæc damna. Vtinam sicut ad propagandam in Indijs, terrarumque vltimis oris religionem sanctissimo multi studio rapiuntur, ad restituenda quoque in his, atque finitimis gentibus, vbi tamdiu floruit, multi item Apostolici viri per gloriosa pericula tendant. Thomas, & Alexander vbi tractum omnem cis montes quos Ducaginos vocant, lustrarunt, singularumque cognouere Ecclesiarum necessitates, conuocatis, quos commodum fuit, Episcopis tribus Sappatensi, Alexiensi, Sconrensi, & Archiepiscopi Antibariensis Vicario, & sex Cœnobiorum, quæ supererant è Franciscanis Obseruantibus, Custode, quicquid ad remedium, siue ad profectum visum est opportunum consultarunt, atque sanxerunt. Hinc dum Montes transgrediuntur, haud paucos inuenere sparsos per iuga in ritu latino perseuerantes, sed rudes planè, intractabilesque, Oratorijs, & Sacerdotibus destitutos; nec valde

33 Eleonora Collegium Mansuanum Societati fundat.

34 Missiones per Cretam, Charnos, & Istriam salutares.

35 Ragusæ, Cathari, perque oram Illyricæres Catholica curata.

36 Aliquot Diœceses Turcis subiectæ vtiliter visitatæ.

de ob parochorum, & locorum asperitatem potuit ijs in longum consuli. In descensu Montium in eo latere, quod septentrionem spectat, Ecclesiæ complures inuentæ curionibus suis instructæ, quibus inspectis, ordinatisque Petropolim (vulgo Prezren) perrexere, vrbem pulcherrimo loco sitam, vbi & templum stabat Catholicorum, & supra eius culmen ad auras spectabatur veneranda Crux, quod merito attulit cum admiratione lætitiam. Non enim religiosa hæc signa solent Turcæ ferre, vt in sua ditione habeantur: quare & eam Crucem Christiani referebant sæpe eos dejicere frustra conatos. Superiore Mysiâ peragratâ, vbi multa Christianorum millia, plerique, ob nobiles in ea regione auri argentique fodinas, aurifices, præsertim Nouomonte, habitabant, Inferiorem Mysiam, seu Bulgariam petunt, diuque Sophiæ versati, & in vrbe, agroque rebus studiose compositis, Constantinopolim, & inde Romam insequenti anno se recepere. Ante omnia solicitudinem Pontificis de animabus eorum explicantes, Iobelæum promulgabant: quod populi hoc suscipiebant auidius, quo talia dona ad eos rarius perferuntur. Matrimonia item præter Ecclesiæ leges contracta redintegrabant, & conscientiarum nodos difficillimos expediebant, conciliabant paces, & alia quæ in hoc genere consueta sunt. Adhæc vbique dedere operam, vt quæ extabant Ecclesiarum bona conseruarentur, sua Episcopi munera diligenter administrarent. Tridentinum Concilium, & nouum Kalendarium ad vsum reuocaretur: Sacerdotes præficerentur suis Ecclesijs: & ignari Sacerdotalis officij erudirentur: quam in rem Missalia, Breuiaria, Summas quæstionum conscientiæ, aliosque id genus libros ipsi donabant. Denique magnum populis, magnum Pastoribus, & solatium, & adiumentum allatum est. Constantinopoli in Perano suburbio cœpta superiore anno cum Catholicis liberis captiuisque Iulius Mancinellus strenuè promouit. Nam Temparizam mala valetudo plurimum occupauit. Præcipuum extabat pretium operæ cum captiuis, quorum multæ sunt Constantinopoli custodiæ trecentorum, quadringentorum, eoque longè amplius capitum. Ad has Mancinellus vesperi adibat (interdiu enim Herorum occupantur in opere) & statim sub ingressum cohortationem pro tempore habens, cum ostenderet quam necessaria esset Sacramentorum susceptio: quamque salutaris, quam vero periculosum in lethali noxa vel breui momento hærere, & alia pœnitentiæ excitandæ accommoda, sensim eo delabebatur, vt diceret: scire se multos eorum partim ob simplicitatem, partim ob Sacerdotum penuriam, partim ob calamitates, quæ quodammodo miserorum mentes obstupefaciunt, longo tempore diuinis caruisse subsidijs. Ideo se adesse omnes pro virili consolaturum, sed maximè eos, qui grauius laborarent: miserari se eorum vicem, & conari cum diuina gratia velle, vt leuius hujus vitæ ferrent ærumnas, & optima spe æternam felicitatem præciperent. Proinde alacriter tanquam ad Patrem filij summa cum fiducia accederent, mergerent se in Christi Iesu viscera, sacro eius sanguine animarum suarum sanarent vulnera, & ij accederent primi, qui diutissimè confessi non essent. Hoc genere orationis multos, qui plus decem, non paucos qui plus viginti, atque adeo triginta annis nunquam animæ sordes abluerant, ad sacrum Pœnitentiæ lauacrum pellexit. Tota dein noctè in audiendis confitentibus posita, sub auroram in arula, quæ ferè in singulis custodijs stat, sacrum faciebat: & diuinissimo quoque Sacramento paratos impertiebat. Nec solum orthodoxos operâ confirmabat, expiabatque captiuos, sed etiam ab Græco nonnulli schismate abducebantur. Sanè ingentis erat, & caritatis, & laboris officium, cum peruigil nox in tenebricosis Ergastulis traduceretur inter fœdissimas sordes, & odorem intolerandum: verum, & periculi erat nihilo minoris. Nam cum mancipia semper imminerent fugæ, & subinde nonnulla fugerent, arripiebant Turcæ annam in religiosos qui ad illos adissent, tanquam conscios sæuiendi. quamobrem saluberrimum id studium temperandum Mancinello fuit: nec tamen potuit deuitare calumniam. Quidam Christi desertor iam inter Turcas Vexillifer, desiderio paterni soli potius quam studio pietatis, fugam corripuit: qui deprehensus,

37 Iulius Mancinellus Constantinopoli Catholicos excolit, præsertim captiuos.

38 Græcos aliquot à schismate abducit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

39 Calumnia Apostatæ in Mancinellū.

& Trierarchō, traditus, nexusque gratiam aucupaturus, ac libertatem, magni momenti arcana proditurum se profitetur, idque quid esset iussus effari: Societatis homines Constantinopolim venisse nequam mentitur, vt speculatorum operam Papæ nauent. Non latuit Ioannem Franciscum Moresinum Consulem Venetum iniqua delatio; qui pro sua pietate, ac periculi magnitudine, Mancinellum rei totius planè ignarum admonet, vt aliquot dies cum Socijs, abstineat publico: si vero quid noui accidat ad se statim perfugiant. Ad propria religiosorum tela in omnem parati euentum famuli Dei confugiunt, preces, sacrificia, Veneti consulis ope discussa. ieiunia, flagella, & alias vexationes corporis, in quibus dum perseuerant, ad summum Baxam Constantinopolitanæ vrbis Præfectum desertoris defertur indicium, & lata de vinciendis nostris sententia. Sed Deus qui miro cuncta artificio temperat, Baxæ animum præmuniuerat. Namque Moresinus in primò statim nostrorum aduentu diligenter ea, quæ Societas tractaret munera, hominem edocuerat, ex qua iam tum concepta opinione delatoribus in præsentia respondit, notum sibi esse genus hominum: scire viros esse bonos, quique absque vlla mercede iuuandis Christianis laborent. Ita pessimi nebulonis mendacium nihil Innocentibus obfuit, ac ne ipsi quidem ad recuperandam libertatem quic quam valuit. Quædam etiam per Mancinellum Deus præter ordinem gessit aquâ ritu Ecclesiæ consecrata. Cum per æstatem grauis Constantinopolim lues popularetur, ea aqua epota fœminæ inde laboranti valetudinem reddidit; fœminæ alteri parturienti, iamque ad extrema deductæ, adeo vt Medicus (Hebræus erat) ad conseruandam vitam parentis concisum ferramentis fœtum extrahendum frustillatim pronuntiaret, eadem item epota fœlicem masculæ prolis partum expediuit. Eadem aspersa Græci hominis domo, dæmones duos, qui humana figura apparentes vxorem eius, ac liberos male accipiebant, abegit, vt nunquam postea apparuerint. Ad Sacras reliquias quas Patres Româ detulerant mancipium Dæmoniacum perductum adhibita solenni prece liberatum est: postridieque eius Herus Turca duos grandes cereos dono misit, beneficij monumentum. In ijsdem ad orientem plagis Leonardus Sanctangelus, & Ioannes Baptista Elianus cum Francisco Saxo, missu Pontificis, vti supra narratum est, absciss illa, varieque dissecta membra, vt colligerent; suoque capiti redderent, nullis, ærumnis periculisue parcebant. Leonardus cum vana cecidisset ad Antiochenum Iacobitarum Patriarcham legatio, pauloque melius cum Patriarcha Armenorum res gesta esset, dum conuentuus Græcos Antistites Damascenum, & Hierosolymitanum Aleppi iter adornat, venit eo Vicarius Patriarchæ Chaldæi. Huic parentes Christiani fere impium dogma Nestorij tenent. Patriarcha in extrema agebat Perside: nec ipse tum propter longum incertumque iter, tum maxime quod Turcarum, ac Persarum infestis copijs media spatia tenebantur, conueniri potuit. Vicarius non expers Doctrinæ visus est, vitæ autem admodum laudandæ, qui multos dies cum Leonardo collocutus, ab eo de religione edoctus, tandem errores eiecit, vnaque cum altero Sacerdote suo publica cæremonia Aleppi in ædibus Veneti Consulis solennem Catholicæ fidei professionem fecit. Insuper Romam se vt Summo Pontifici vniuersali Pastori obedientiam coram iuraret, venturum pollicitus est. Damascum inde Sidonienſis Episcopus, & Sanctangelus profecti ad Patriarcham Melchitarum (hi quamquam lingua Arabes, natione sunt Græci) & ipsum admodum tractabilem docilemque reperere: valdeque commotus est Sanctorij Cardinalis Sanctæ Seuerinæ hortatoria Epistola. Sed quia in Pago conuenerant vndique Turcis, Arabibusque circumsepto latronibus, spatium Colloquio longo non fuit. Recepit Patriarcha, vbi Pontificij Visitatores Hierosolymis redirent, Tripoli se affuturum, vt inchoata perficeret. Sed adeo leuibus momentis earum res gentium pendent, tot repentinis subiacent tempestatibus, vt reiecta in futurum consilia perraro exitum habeant. Breui post excitata in Melchitas procellâ à Turcis, Rhodum primo, inde Constantinopolim fugiendum Patriarchæ fuit: eoque factum est, vt nouo colloquio locus

40 Miracula per aquam benedictam.

Et sacras reliquias.

41 Vicarius Patriarchæ Chaldæi Ecclesiæ reconciliatus.

42 Patriarcha Melchitarum reditum ad Ecclesiā spondet.

cus non fuerit. Hierosolymitanum Antistitem non alieni, sed sui ab cognitæ veritatis complexu deterruere. Vbi enim Pontificij Nuntij ad Sanctam vrbem progressi, religiosissima illa mysteriorum Christi vestigia venerati sunt, ab Græco Patriarcha peramanter admissi, multum habuere sermonem triduo de processione Sancti Spiritus, de Purgatorio, de Beatitudine animarum, de Azymo, Sedisque Apostolicæ auctoritate, quibus maxime capitibus Schismatici Græci à Catholicis dissident: audijtque rationes Catholicorum eo cum assensu Patriarcha, vt re ipsa facile rediturus ad Ecclesiæ Sanctæ communionem videretur, nisi id Schismaticorum quidam subodorati, turbas ciere, minitarique ab honore se eum deiecturos cœpissent, si præterea cum Pontificijs hominibus ageret. Is turbo cœpta discussit. Non enim omnibus tantum animi, ac roboris inest, vt cognitam veritatem, vel cum capitis discrimine velint amplecti. Quo maiorem ij, quibus inter Orthodoxos nasci, ætatemque degere datum est, singulari erga ipsos clementiæ gratiam debent. Hunc Leonardi Abelæ Episcopi Sidoniæ, & Leonardi Sanctangeli de Societate IESV peregrinationes exitum habuere, non quidem votis æqualem, sed tamen haud sine multiplici religionis emolumento. Nam renouata est memoria Catholicæ Doctrinæ; adeoque ea explicata, erroresque reuincti, vt ferme vbique Patriarchæ, cæterique Antistites, cum quibus disputatum est, nihil aliud profiterentur obstare sibi, quominus plane Catholici fierent, quam turbarum metum siue à popularibus suis, siue ab Turcis in omnem occasionem intentis. Sparsa igitur fidelia semina sunt, quæ haud dubie suas dedere fruges in tempore. Cognita super hæc Catholicorum est caritas, dum plane apparuit, tantum periculorum terra marique, tam longa peregrinatione susceptum nullo plane priuati boni respectu, sed voluntate dumtaxat errantes animas ad salutis æternæ semitam reuocandi. Ipse certe summus Pastor Gregorius suo defunctus officio est, dum nulli parcit impendio, nulli solicitudini, vt commissum sibi Domini gregem pascat, ægrasque, & periclitantes, & aberrantes omni ope curet oues, cogatque in vnum, ac seruet. Profecto admirationi erat vigilantissimi Patris, vbi memorabatur, in omnes gentes benignitas, tam multis vndique dimissis ad omnes iuuandos populos fidis administris, totque per Italiam, Germaniam, atque in terrarum vltimis finibus, ipsaque Iaponia excitatis contubernijs, in quibus adolescentes diuersarum nationum, ad suarum quique gentium subsidium gratuita disciplina, & literis, & moribus bonis informarentur. Quæ omnia multum valuere ad benè afficiendos erga Romanam omnium Ecclesiarum parentem, ac Magistram Ecclesiam transmarinorum animos, vt deinde tanto procliuius in salutare eius obsequium redderent se se, quanto beniguiorem eam, & cupidiorem gentium vniuersarum salutis agnoscerent. Memphi in Ægypto Ioannes Baptista Elianus, & Franciscus Saxus eo Patriarcham Cophtorum anni superioris exitu deduxerant, vt coacta suorum synodo, animum induceret de vero Christi cultu cognoscere. Quippe in primo conuentu Elianus cum exposuisset, quanta cum pietate illuc ab Romano Pontifice destinati essent, vt eos consolarentur, deque religione conferrent, atque eos (quòd vehementer dolerent) deprehendisse ab recta fide per Sanctum Marcum accepta longo iam tempore defecisse, recepta Eutychetis blasphemia, qui duas in Christo Domino naturas negauit, vehementer hortatus est vt inquirere ea de re accuratè vellent. Tum docta fusaque disputatione è diuinis literis, Conciliorum decretis; Sanctorum Patrum testimonijs, eorum maximè, quos ipsimet venerabantur, ostendit necessario agnoscendas duas in Christo naturas: nec stare aliter venerabile Incarnationis mysterium posse; neque id vlla ratione Nestorianæ fauere impietati, quam Catholica Ecclesia execratur, sed planè esse contrarium. Ad ea plerique Cophthorum mirari tanquam noua, & antea nunquam audita. Nam Patriarcha à primis annis in vastissima Beati Macarij Eremo enutritus, planè erat agrestis, ac rudis, vt ne legere quidem satis commodè nosset. Eiusdem erant sortis Episcopi: quin etiam volu-

43 Patriarcha Hierosolymitanus ab agnita veritate profitēda, metu retardatur.

44 Fructus huius peregrinationis.

45 Patrum negotiatio cum Patriarcha Cophtorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

volumina apud eos nulla erant in manu, nisi quoddam, Confessiones Patrum, nomine, erroribus refertum, & fabulis. Itaque cum responsi nihil occurreret, spatium postulant, quo sua scrutentur monumenta, ac meditentur quid concedi possit. Aliquot diebus inquirendo traductis, ineunte Ianuario in Patriarchæ domum iterum conuenitur. Hic vbi Patriarcha, Episcopi quinque, Vicarij duo, aliquot Abbates Cœnobiorum Beati Macarij, & circiter triginta totius nationis facile principes consedere, ad ea quæ in primo conuentu proposita erant, responsuri, aiunt suos vetustos codices sibi diligenter inspectos, euolutos annales, collata inter se omnia: denique confirmasse in eo sententiam, vt à Patrum, ac maiorum suorum religione, ac moribus, quamuis prodigenda vita foret, nullo pacto discedant. Qua adeo præcisa denuntiatione nonnihil territi, tamen fixa in Deum fiducia instant Patres; si quod vestri libri, ac vestræ loquuntur Historiæ ratum, sanctumque est, cumque Sanctissimis Nicænæ Synodi, Constantinopolitanæ, & primæ Ephesinæ decretis consentit, retinete sane, & tanquam diuinum depositum, quam diligentissime custodite. Nam hoc facit Sancta Catholica Ecclesia, hoc à vobis exoptat. Verum cum in superiore conuentu planissime demonstratum sit augustissimum Incarnationis Sacramentum plane solui, euertique, nisi diuina in Christo pariter, & humana concedatur natura, nec aliter posse vllo modo affirmari vere, Deum esse hominem factum, nisi in vna Verbi persona humana simul natura cum diuina subsistat, quæ prudentia est, quòd in aliquo vestro volumine aliter scriptum legatis, velle cum manifesta veritate pugnare? Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est, Cypr. epist. 74. Quod si maiorum vestigia vultis insistere, eos sequimini, qui vobis ad salutem non ad exitium præiuere: qui ante Dioscorum, atque Eutychetem natos, Apostolorum, & Euangelistarum Beatique Marci nominatim viam tenuere. Non igitur quid
46 vestrarum quædam literarum tradant, sed quam verè, congruenterque autoritati diuinæ, & religioni Christianæ tradant, intuendum est. Nam & potuere scriptores illi decipi, & potuere in eorum scripta deinde errores intrudi: in summa, autoritas hominum cedat diuinæ necesse est, vbi præsertim tam euidenti ratione autoritas diuina fulcitur. His auditis iterum conuentus reijcitur in Kalendas Februarias. Eo die post longam horarum quinque disputationem, demum expressum est, vt inposterum confiterentur Christum Dominum vere Deum, & vere hominem esse: & qui vnam tantum in eo naturam poneret, anathema esset, quoniam necesse sit, cum verus Deus sit, & verus homo, & naturam habere diuinam, quam æternam accepit à Patre, & humanam, quam in tempore assumpsit à Matre. Vt autem duas dicerent naturas perpelli non potuere. Visum est tum quidem Eliano, & Saxo multum expressum. Nam re quidem ipsa veram Confessionem videbantur edere, vbi verum Deum, verumque hominem agnoscebant Christum, & vetabant vnicam in Deo poni naturam: tamen rectius considerantibus visa manca ea confessio est, nisi duas diserte distinctas naturas, cum suis quamque proprijs, & inconfusis facultatibus, actionibusque profiterentur. Cæterum
47 aliquid haud dubie promotum erat, & gradus ad vlteriora iactus, quod vel inde potuit animaduerti. Nam Patriarchæ Vicarius Gabriël, is, qui anno quoque altero, & sexagesimo apud superiorem Patriarcham sanæ Doctrinæ obstitit, imminens, vti opinio fuit, Patriarchatui, timensque si res procederet, ne ad quempiam alium à Romano Pontifice deferretur, paucis post diebus solicitare Patriarcham cepit deterrereque à nouis consilijs: demum versare in omnes partes imperitum senem, quoab demum permouit, vt nulla cura sancitæ modo in conuentu sententiæ, cum Patres leniter ad prosequenda cœpta vrgerent, ille primum vacillaret, tum procrastinaret, adextremum in solitudinem Beati Macarij cum suo illo Gabriële clanculum euolaret. Vix Patriarcha profugerat, cum in ipsam Cophthorum nationem sæua ab Turcis procella excitur. Duo Primarij arctissima includuntur custodia, vnus autoritate, opibusque

Duas tamen in Christo naturas negant.

Patriarcha retrahitur ab itinere salutis.

Et clam aufugit.

que præpollens, fortunis expoliatus omnibus in capitis discrimen adducitur: cæteri vel abdunt se, vel ex vrbe proripiunt. Qua re cognita Patriarcha interiora solitudinis petit, vt ne Cophthis quidem per tres menses constare potuerit, vbi gentium latitaret. Vbi procella consedit, & ille apparuit: continuo Patres datis literis per Sanctissimum Christi IESV sanguinem orant, obsecrantque, consulat sibi, consulat credito sibi gregi: ipsos quidem testari Deum, nihil ab se prætermissum, quominus hæreses, & Schismata tollerentur, tantum præsentiam eius desiderari, vt quæ in publica Synodo magno tandem labore, ac studio constituta erant, perpetuis sanctionibus firmarentur. Respondit ille Alexandrinæ Diœceseos lustratione se distineri, propediem rediturum Memphim: ni graue ducerent aduentum eius opperiri, omnia optatum exitum sortitura. Vti nuntiarat, iter subinde Memphim versus intendit: sed vt erat extremæ senectæ, quodam in pago Nonis Septembribus vita defecit, rationem administrati muneris haud dubie seuerius redditurum, quo plus, & facultatis, & stimulorum, ac temporis ad consulendum sibi, ac suis habuerat. Sublato Patriarcha rursus inter Cophthos noua rerum facies: neque suffici Antistes per eius Ecclesiæ leges nisi vertente anno fas erat: quæ fuit causa cur Patres, quemadmodum admoniti Roma fuerant, si res non procederet, repetendam sibi Italiam ducerent. Accepere à Cophtorum primatibus literas quibus communi consilio gratias primum agebant Pontifici Maximo: quod homines eo vsque misisset, qui veritatem ipsis Catholicam aperirent. Deinde vehementer dolebant, quod suæ Ecclesiæ cum Romana Sede, quæ caput, & Magistra est omnium, concordia exitum habere nequiuisset. His acceptis literis Patres,
49 præmisso Alexandriam Mario Amato, qui nauigationi vtilia prouideret, ipso die Beato Matthæo Apostolo & Euangelistæ sacro, mox nauim secundo Nilo, vt deucherentur conscensuri; dum diuina procurant, ac protinus sacrificaturus ad Eliani genua de more conscientiam eluit Saxus, subito Turcarum manus, præeunte quodam personato, fulgentibus gladijs irrumpit: irruunt in Dei famulos magno cum fremitu, ac tumultu: raptant, vexantque & male verberibus acceptos Sacerdotem vtrumque, & Laicum Franciscum Bonum, ac simul Franciscanos duos, qui ad ipsos forte diuerterant, comprehendunt: tum clauso, obsignatoque in quo habitabant conclaui, & scrinio, in quo Pontificis, Generalisque Præpositi, & alias id genus grauiores habebant literas, ablato, manibus post terga vinctis impositos Asinis ad Præsidem Turcarum asportant. Plane quid ageretur seruos Dei latebat, nec poterant suspicari vnde subita vexatio, eo præsertim rerum articulo, extitisset: & quamquam nonnihil commouebatur naturæ infirmitas, tamen conscientia nixi, & ope diuina, iucunde secum agitabant: quando Cophthorum causa non successerat, fortasse Deo cordi non esse, vt ex tam longa procuratione adeo pusillum fructum referrent. Quod si etiam Martyrij palma dignarentur, tum vero peregrinationem, moram, curas, ærumnas suas optime positas, tum se supra vota felices. Has inter cogitationes, & interdum sermones, (nam via longula erat trium fere passuum millium) ad Præsidem perducuntur. Interrogati, qui essent, quid rerum eo loci haberent, quandiu in Ægypto fuissent; respondent se Italos esse, loca sancta Palæstinæ inuisisse: ad quæ cum nemini Christianorum iniusu Romani Antistitis fas sit accedere, ab eodem sibi mandatum, vt ex itinere Ægyptios Christianos nomine ipsius salutarent: deque religionis rebus humaniter, atque fraterne cum ijs agerent. Videbatur haud sine assensu Præfectus audire, cum ex interceptis literis epistola promitur ea, quam dixi ab Natione Cophthorum ad Pontificem exaratam. In ea vbi legit: cupere Cophthos idem sentire, idemque esse cum Sanctissima Romana Ecclesia, constitit, vultuque mutato, nubila fronte indignabundus ad astantes, Nonne ita est, inquit, vt indicatum est? Nempe aduenisse eos significabat, vt Cophthos, totumque
50 inde Ægypti regnum à Turcarum dominatione eriperent. Tum Mahometanarum superstitionum Antistes, cui Mophtes nomen, graui supercilio exurendos

Deliteſcitque per tres menſes.

48 In itinere Memphim versus moritur.

P. Elianus cum P. Saxo à Turcis cõprehenduntur.

A Mophte pronunciatur incendio digni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arctæ custodiæ mancipantur.

dos pronuntiat. Deportantur inde in Arcem, cui nomen Arcana: inque teterrimum carcerem penitus intra quinque clauſtra repoſtum, abduntur. Accuſationis iniquiſſimæ autor nunquam eſt plane compertus: illud fere conſtitit ab ipſis Chriſtianis ortam latinis. Diſceptabant acerrime Paulus Marianus, & Chriſtophorus Ventus de Nationis Gallicæ Conſulatu, quem is repetebat, quod ab ſe Mariano non niſi vicariam eius procurationem, idque precario, traditam diceret: ille contra, ipſum omnino, vti quod optimo iure, demandatum ſibi conſulatum contendebat. Igitur cum lis in graues, vt fere fit, inimicitias exarſiſſet; quod Elianus, ac Socij multis Mariano obſtricti erant officijs, cuius & vſi erant hoſpitio, in eam partem ſuſpicio multorum incubuit, id turbarum Mariani aduerſarios molitos, ſeu veritos, ne reuerſi in Italiam Patres cauſæ illius apud Pontificem fauerent, ſeu vt ipſum Marianum perderent, tanquam conſcium proditionis; quippe qui proditoribus, vti inſimulabantur, receptum apud ſe tandiu præbuiſſet. Fraudis adminiſter Iudæus fuit è Luſitania profugus, fidei Chriſtianæ deſertor, Dauid Mozzus nomine. Is, ſi quid præmij proponeretur, verum autorem editurum ſe profitebatur. Sed quis Iudæo, deſertorique talia auſo fidem haberet? Periculum erat ne quem maxime miſerum vellet, eius infamiam venderet. Certe non defuere, qui in ipſum Marianum originem mali reijcerent: à quo tamen indigniſſimi ſuſpicionem facinoris cum cætera vita ſatis arcebat, tum maxime, quod ſperare inde ipſe nil poterat, ſed potius, quod euenit, periculum, vexationemque timere. Interim Amatus Alexandriæ dum Patres expectat, auditis eorum vinculis, æger animi, morbo corripitur, vnde occumbit. Patres in teterrimo carcere, tametſi, nuda humo cubandum, grauiſſimus odor exhauriendus, rerum omnium inopia, & aliæ tolerandæ erant ærumnæ: tamen ſolatium habebant ex communi conuictu. Itaque confeſſione Generali præparati, in ſanctis colloquijs orationibuſque perſeuerabant, expectantes ſi forte digni haberentur, qui in ſanctæ obedientiæ religioniſque catholicæ cauſa vitam profunderent. Illa grauiter angebat eos ſollicitudo, ne Præſes Turca, quod ſemel, iterumque iactauerat, in omnem Cophtorum nationem crudelitatem, & auaritiam verteret. Inde Patres, quemadmodum viſum eſt Chriſtianiſſimi Regis Venetorumque conſulibus, qui cauſam ſtudioſiſſimè ſuſcepere, de redemptione, paſſi ſunt tranſigi: ij partim numerata pecunia, partim gemmis, ſummam nummum aureorum quater millium pro quinque Religioſorum totiuſque nationis Cophtæ libertate dederunt, quam pecuniam pro ſua benignitate Gregorius Pontifex rependit. Hanc nimirum aucupabatur prædam Barbarorum auaritia. qui quamuis ſatis intelligant nullum eſſe verum crimen, neque vllum tyrannidi ſuæ periculum, tamen per inſolentiſſimum dominatum, vbi quem nudare facultatibus, aut mactare venit in mentem, id genus ſuſpicionum commouent, ſeu delatas excipiunt, quo fit nihil vt in eorum Imperio miſeris Chriſtianis tuti ſecurique ſit. Quarto & vigeſimo die omnes noſtri Franciſcanique liberati cuſtodia: & mox quanquam non ſine mercede, ſcrinium quoque recuperatum cum literis. In quo præter illam Cophtorum Epiſtolam, quæ reddita non eſt, ita omnia recepere compoſita, vt appareret, ne loco quidem mota: quo clarius conſtitit haud abſque indicio in Cophtorum epiſtolam ſtatim manus iectas. Eodem tempore ab Cardinali Sanctæ Seuerinæ Pontificis nomine literas acceperunt, quibus vetabantur diſcedere, ne penitus incideretur negotium: ſemper enim ipſo congreſſu nonnihil profici: præſertim quod ſpes eſſet fore, vt nouus crearetur Patriarcha è Doctioribus quiſpiam, aut forte ex ijs qui ad Catholicam communionem reuocati iam erant. Ad hæc quidam Abaſſinus, Ioannes Maria nomine, Roma in Æthiopiam mittebatur, multa apud ſuos conaturum pollicitus. Hæc quò caderent, & ad regendum iuuandumque conatum, & fortè vltra in Æthiopiam deſtinandus Elianus videbatur opportunè Memphi manſurus. Quare his literis acceptis, ipſe quidem manſit: communi tamen conſilio tum ad minuendas ſuſpiciones Turcis, tum ad reddendam Romæ rationem curandumque,

Suſpiciones de accuſationis cauſa vel Autore.

51 Patres redimuntur.

52 A Pontifice iubentur ibi ſubſiſtere. Id quibus de cauſis.

Saxus tamen in Italiam redit.

que, vt qua redempti erant, pecunia mercatoribus redderetur, Franciſcus Saxus in Italiam nauigauit. Hæc ad orientem ſub ditione Turcica dum tentantur in finibus Italiæ ſeptentrionem verſus, cum veteres continuatæ expeditiones inter Salazzos, & finitimas valles, tum nouæ Rhætos inter ſuſceptæ. Præſul Sanctiſſimus Carolus Borromæus, vti priuata virtute, & caritate erga Deum, ita ſtudio animarum in dies mirabilior, cum iam Mediolanenſis Eccleſiæ res ad antiquæ pietatis ſpeciem ſatis reuocaſſet, adiecit animum ad iuuandas finitimas Rhætorum gentes, ab hæreticis partim corruptas, partim valde periclitantes; idque, eo impenſiùs, quod clauſtra illa Italiæ multùm intererat Catholicarum partium eſſe: tum ne eo hominibus nequam caſtæ religionis pertæſis paratum effugium, tum ne corruptoribus Hæreticis inde in Italiam patens aditus eſſet. Igitur poteſtate Viſitatoris Apoſtolici à Gregorio Pontifice impetrata, ſuperioris anni autumno, egregios adiutores ducens, interque ceteros nobilem verbi diuini præconem Franciſcum Panicarolam è Sancti Franciſci obſeruantium ordine, poſtea Aſtenſem Epiſcopum, & è Societate Achillem Galliardum, in Vallem Meſoacinam contendit. Huc præter alia remedij egena Sanctum Præſulem latè manantia veneficarum maleficia accerſebant. Exceptus vbique, & ſumma cum voluntate, & honoribus maximis; gaudentibus populis, quæ de Antiſtitis optimi ſingulari pietate fama cognouerant, ea ſuis oculis vſurpare: & in fulgore purpuræ maieſtateque ampliſſimi honoris, modeſtia, benignitas, laborum ærumnarumque perpeſſio clarius, & iucundius ſplendeſcebant. Inde factum eſt, vt Panicarola, & Galliardo, alijſque egregiè iuuantibus, cum ipſemet labore continentique opera, & omnium virtutum luce præiret Antiſtes, meſſis vberrima lecta ſit. Difficultatum maxima Curionum penuria erat. Præerant Parochi nomine, Apoſtatæ quidam, noxij magis exemplo, quam vtiles miniſterio. Hiſce ſummotis, ne omnino ſacrorum adminiſtris Fideles carerent: ac paratum ſementi nouale deperiret, inſtitit à Claudio Generali Borromæus grauiſſimis literis, vt adiutores ſibi de Societate ſubmitteret. Multos poſtulanti, per occupationum copiam, & operarum inopiam, Sacerdotes duntaxat quatuor dati: continuoque Mediolano miſſi duo, Carolus Carlantinus, & Iacobus Moreſcus: quorum ille in prima Valle Roboreti, hic in extrema Meſuaci, vnde toti Valli nomen, locatus eſt. Acceſſere ſub anni exortum Ioannes Conſtantius Gamma, & Ioannes Baptiſta Ceccottus, optimi exempli, laborioſæque ambo induſtriæ Roma miſſi: totique expeditioni Gamma præfectus. Cuncta principio, longoque inde tempore dum Cardinalis Curiones conquirit idoneos, obita munia Parochorum: nec lentius inter hæc Societatis proprijs inſiſtebatur. Pueris non elementa ſolum Chriſtianæ Doctrinæ, ſed etiam quo minore cum ſtrepitu, pietatis inſtillarent ſemina, latinas tradebant literas. Diſcurrebant Roboreto, ac Meſuaco, tanquam ex duabus arcibus, in Vallis Pagos, docebant rudes, confirmabant nutantes, vitia extirpabant, expiabant conſcientias, omnes ad ſalutis viam conabantur adducere, populis vbique lætiſſimis. Nec tamen quamuis ſumma cura prouideretur, ne qua Griſonibus locorum Præfectis turbarum materia præberetur, potuere aſtutiſſimo Satanæ aditus omnes occludi. Ineunte Paſchali ieiunio Meſoaceni Magiſtratus Curiam (quæ vrbs eſt Griſonum princeps) accerſuntur ad certa crimina reſponſuri. Qui cum adfuiſſent magnopere ante omnia contenderunt, vt ab Societate Griſa, in quam nominatim Meſoacena Vallis contributa eſt, ſua cauſa cognoſceretur. Quippe Griſonum gens tribus Pagis, ſeu Societatibus continetur: quarum Cadea, & quæ ab octo Præfecturis nominatur, ab Caluinianis, Zuuinglianiſque maximam partem corruptæ ſunt. Tertia Griſa, vnde nomen deriuatum in totam gentem videtur, multos habet Catholicos. Meſoaceni hac ſibi iudice impetrata, trium inſimulantur criminum. Primum quod externum Principem receperint (Borromæum Gardinalem deſignabant.) Deinde quod Ieſuitas genus hominum neque Lutheranum, neque Catholicum, ſed plane perfidum, & cui tota Griſonum ditione interdictum ſit, non ſolum domum, ſed in

53 Viſitatio Apoſtolica Rhætorum per S. Carolum Borromæum.

54 Quatuor Patres, vt carnionum ibi loco eſſent à Generali impetrati.

55 Labores eorum fructuoſi.

Griſonibus Hæreticis ingrati.

56 Catholici ſe purgant à criminibus obiectis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

arcem admiserint (nam Roboreti diuersorium in arce habebant.) Postremo quod Kalendarium nouum introduxerint. Ad quæ Mesoaceni Magistratus, Cardinalem Borromæum honorifice ab se quidem exceptum: cæterum ea se existimare tanti viri merita, adeoque præstantem virtutem, vt ipsimet Domini, si ad eos diuertisset, amplioribus quam ab ipsis potuerint existere, susceпturi honoribus fuerint: Neque illum quicquam attigisse, nisi inspexisse Ecclesias, Diuinum Verbum prædicasse, diuinis populum impertisse mysterijs. Porro ita non venisse cum armis, vt familiaribus eius, ne cultri quidem escarij secando pani essent. Denique Sancto illi Antistiti tantam esse in populo venerationem, vt vel nomen eius priuatim, publiceue auditum multum habeat ad pietatem momenti. Quod Iesuitas excepisse dicuntur, haud plane compertum habere, homines, qui ad se venerint, Iesuitarum ex numero nec ne sint. Illud indubitate nosse: Sacerdotes esse eos, tum religionis omnino secum eiusdem cultores, præconesque; tum idoneos in literis, ac pietate iuuentutis Magistros: Nec denique in eorum actionibus quicquam se obseruare potuisse, nisi quod religiosum, ac recti exempli foret. Quod postremo Kalendarium nouum receperint, existimare à se, cum Catholici sint, quod cæteri omnes religionis eiusdem excepissent, repudiari non debuisse. Vbi hæc audita, ob receptum Cardinalem pecuniaria mulcta damnantur: Kalendarium repetere vetus iubentur: Iesuitas Curiam iubentur sistere: interim nec habere ludum eis, nec sacris operari, nec consuetorum munerum quippiam administrare fas esset. Reuersi Roboretum Magistratus publicum consilium conuocant, quo etiam Gammam accersunt. Is auditis, quæ contra Societatem de monstrosa secta dicebantur, cum paucis ostendisset, quam illa non modo religionem teneret orthodoxam, sed & doceret vbique terrarum, & sanguine propagaret. Ne quid, inquit, res vestra publica nostro nomine detrimenti capiat, parumper tota Valle secedemus: Domumque reuersus discentium gregem ab ludo dimittit. Hi mœsti, lacrymantesque fusi per oppidum tantum exciuere motum, vt parum abfuerit, quin tumultu ad retinendos Patres publico signo concurreretur. Itaque certi homines allegantur, qui vetent se loco mouere. Postridie magno coacto consilio, iussi, qui retinendos Patres censerent, manum de more sustollere, continuo frequentes non solum vnam, sed ambas manus magna alacritate tollunt: nec solum manere, sed etiam in cœptis perstare operibus iubent. Interim cum & Borromæum per literas, & Achillem Galliardum Ioannes Constantius consuluisset, de eorum sententia, vti citabantur, se Curiam cum Ioanne Baptista Ceccotto sistit magno animo, & ardore Crucis experiundæ, nusquam dissimulata Societate. Episcopus aberat. Ab Vicario hospitaliter acceptі: qui vbi Borromæi, ac Generalis Præpositi literas vidit, nulla obiecta mora ad stationes suas, atque exercitationes dimisit. Peropportunus autem reditus cecidit ad suprema multorum subsidia. Nam adulto iam vere haud præter temporis, locorumque ingenium montibus interiectorum, at solito dirius, repentinæ inter immodicos æstus interspirarunt auræ gelidissimæ, quæ multos mortales dolore laterum confecere. Solandis itaque decumbentibus, armandis morientibus, humandis demortuis, pia sedulitate labor impensus. Quæ vbi calamitas desijt, & ad Parochorum munia Presbyteros Cardinalis misit, Patres Roboretum omnes coacti, cum suis congruentiorem legibus, tum populis nihilo minus salubrem vitam instituerunt. Digressi enim per pagos Christianam circumtulere Doctrinam: inque id opus quo plus vacabat ab Curionum officijs, eo intentius insistentes, breui effecere, vt cœlestium vbertate segetum late valles abundarent; passimque legis diuinæ carminibus plana camporum, ardua saltuum, iuga Montium personarent. Adeo excitata suos erga Magistros accolarum beneuolentia, vt anno insequenti cum reuocati sunt, cum publico rei benè gestæ testimonio, publicoque dolore etiam Hæreticorum dimiserint. Hæc, de qua diximus, Vallis, supra Lacum Larium, ac Verbanum interiecta (huic tamen propior) iacet ad fines Italiæ in septentrionem vergentes.

57 Iniqua sententia Hæreticorum in Catholicos.

58 Contra eam PP. Societatis Roboreti retenti.

59 Quatuor Patrum statio collocata Roboreti.

60 In Salassijs, & alijs eius Tractus locis res bene gestæ.

tes. Ad partem Occiduam qua Gallia Italiam excipit Salassij sunt; vallesque in quibus multis iam annis egregie desudatur. Ipsa in Vrbe Salassiorum Sodalitas Misericordiæ instituta, & noua addita docentium rudimenta Christiana, Iulij Modesti inprimis opera. Is, & Cæsar Doria multum Draconerij cum profecissent, per magnum ieiunium digressi, ille Clusam, hic in Oppidum Sancti Petri, vtrobique insignem restitutionem morum fecere. In Pago, cui à Sancto Dalmatio nomen, Federicus Cauacius restaurata Sodalitate Sanctissimi Sacramenti, quodque maximum fuit, resarta inter Parochum, & populum gratia, omnes Sacramentis expiatos, mirificeque ad emendatiorem ordiendam vitam animatos reliquit, ac pueros ita eruditos, institutosque, vt suis quisque domesticis in Christiana Disciplina loco essent Magistri. In Vallem Lucernam, quæ quindecim passuum millia longitudine patet, iterum missus Ioannes Baptista Rosetus, præter consuetam industriam ad excitandam vulgo pietatem, illud opportune excogitauit. Multa sunt in ea Valle Oppida, sed maiora decem: quorum vnicum dumtaxat Mombrunum ea tempestate Catholicum erat. Angronia, quæ alteri Valli, seu Lucernensis Vallis brachio quatuor passuum millia porrecto nomen dedit, Robium, Villurum, Rura plane Hæretica. At Lucerna, Turris, Bibiana, Campilio, Fenile, permistos habebant Catholicis Hugonottos. Præter hæc Pagi ferme viginti, cui maiorum Oppidorum proximi erant, eius religionem sectabantur. Gens vniuersa ad viginti capitum millia, quorum vix quinta pars in antiquis durabant ritibus: in ijs tamen Dynastæ censebantur, totiusque Vallis moderator Carolus Manfredus restituendæ in integrum pietatis percupidus. Hoc igitur in rerum statu Rosetus, quo latius suam explicaret operam, & Catholicorum inter se animos arctius copularet, & publica pietatis specie decepta ab impijs simpliciorum corda compungeret, atque pelliceret, publicas supplicationes hunc in modum multas instituit. Eodem die certum in locum, quam poterant maximo, & religiosissimo apparatu Sodalitates variorum oppidorum, pagorumque additis puerorum in Angelorum speciem agminibus, comitante cætera multitudine contendebant, sacra inter carmina, & preces. Vbi agmina cuncta conuenerant, sacrum faciebat Rosetus, impertiebat Diuinam Eucharistiam, tum adhortationem pro tempore adhibebat, & interdum præ multitudine sub dio: tum demum plenos rectis monitis, & animi gaudijs, interque se gratulantes domum suam dimittebat. Hoc ritu ad B. Virginem cui à Colliculo nomen, ad Montem Sancti Bernardi, ad ædem Sanctæ Margaritæ, quini seniue pagi deducti semel atque iterum. Verum cum ad ædem Sanctæ Margaritæ pergeretur penitus inter Hæreticos sitam, cum plus decem pagi simul pergerent, commouit Hugonottos tanta multitudo. Itaque quamuis nulla eorum cernerentur arma, nisi Rosaria, Crucesque, nullæ audirentur voces, nisi cælites inuocantium, tamen veriti, ne per speciem pietatis vis contra ipsos pararetur, ingentem numerum coëgere Sclopetariorum, qui non procul ab æde, petendo signo, dissimulandæ suspicionis causa, certantes, in procinctu stetere. Cæterum ita res administrauit Rosetus in causa religionis magnanimus, constansque, & interritus, Hæreticorum Magistros lacessens, palamque redarguens; in cætera autem vita submissus, mitis, omnibus etiam Hæreticis, sicubi vsus incideret, benigne faciens, vt etiamsi principio non semel pericula adierit, tamen postea non modo securus vbique, verum etiam tutus esset, ac venerabilis. Idem in Vallem Padanam iussus excurrere; vbi ex octo Pagis tres habebant Hæretici, Catholicis, quos Diuini verbi sitientissimos reperit, plus consolationis, & animi, quam pro mora attulit. Gemina his dum apud alios populos Tractus eiusdem Socij alij conantur, Sanctus Cardinalis Borromæus, qui vberem bene de Christiano populo merendi, & Sacerdotibus reliquis, religiosisque hominibus, & Societati materiam suggerebat, ereptus mortalibus est: Apud Varallum Montem, Sanctorum Palæstinæ locorum pia quadam imagine, atque imitatione celebrem, dum ex Beati Ignatij instituto spiritum exercens,

61 Supplicationum vtilis religio.

62 Mors S. Caroli Borromæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vti identidem consueuerat, nouos ad omnem sanctitatem impetus capit, noxis generali confessione apud Franciscum Adornum, quem in hisce secessibus habere tantus Doctor Magistrum non dedignabatur, ab vltima generali expiatis, tertiana febri corripitur, ex qua demum cum Mediolanum redijsset, Nonis Nouembribus sanctissime, vti vixerat, expirauit, magnum sui desiderium, magnum ex merito nomen, perfectumque ac nullo obscurandum æuo exemplum priscæ Antistitum sanctitatis relinquens. Extant decoræ aliorum literæ Præsulis optimi immortales complexæ res. Eidem Ecclesia Catholica honores rite cælestes matutat: eo mihi pro grati animi officio paucioribus opus fuit. Pro eo tanquam pro duarum Societatis familiarum parente Tyrocinij Aronensis, & Brerani in Vrbe Mediolano Collegij, ab cuncta Societate preces, ac sacrificia persoluta. Taurinensis Collegij Templo ita ad culmen perducto, vt pars vsui sacris foret, decimo Kalendas Ianuarias eo sacræ Thebæorum, Solutoris, Aduentoris, & Octauij Martyrum translatæ reliquiæ, Sanctæquæ Iulianæ, & Goslini Abbatis. Thebæorum vnam Archiepiscopus, qui & sacrum fecit, Cardinalesque hinc & hinc, Guido Ferrerius Vercellensis, & Vincentius Laureus Montis Regalis, instar gestantium tenuere. Duce Carolo Emmanuële Vmbellam cum Legato Veneto, Marchioneque Estensi, & Bernardino Sabaudo Raconisij Domino sustinentibus.

63 Translatio Sacrarum reliquiarum in Taurinense Societatis templum.

Superioris exitu anni Campanus in Polonia Prouincialis ad res Societatis Transyluanicas, vti optabat Stephanus Rex, & populorum causa exigebat, ordinandas intentus, indictis tota Prouincia pro rei successu mille quadringentis sacrificijs, bis mille Rosarijs, Varsauia cum egregio operarum manipulo iter cæpit. Numero quatuordecim ibant, suis, cuique ad conseruandum ordinem, vt domi fit, muneribus distributis, ac nominatim Exercitationibus Spiritualibus in commune proponendis præfecto Ferdinando Capecio. Is erat Neapolitanus genere nobili, quem Philosophiæ curriculum docendo vixdum permensum Claudius Generalis Claudiopolitano Collegio præfuturum miserat, commendatione ea prosequutus: mitti hominem, quem verè dicere posset non solum secundum cor suum, sed etiam omnium, qui illum nossent. Non dubitare quin idem de eius virtute, prudentia, doctrina, & dexteritate in agendo futurum esset in septentrione iudicium. Vna missus est haud dissimili, vt merebatur, cum laude morum atque doctrinæ Hieronymus Fanfonius. Igitur dum pergit plena animi lecta cohors, & tanquam acie instructa, Somlij Natalitia Domini celebrarunt, magno cum & Dynastæ, & populi fructu. Præerat Stephanus Bathoreus, Andreæ, qui hoc ipso anno creatus est Cardinalis, frater, qui post Hæreticam vxorem ductam nutare visus, plane confirmatus in Catholica fide est. De eius voluntate nouum Kalendarium promulgatum est. Institit idem ab discedente Prouinciali, vt Sacerdotem sibi de Societate relinqueret, quod ipsum turmatim accurrens Somliensis populus flagitabat. Sed ante inspiciendum sibi Societatis, ac regionum statum Campanus ratus, spe relicta pro re, pridie Kalendas Ianuarij Claudiopolim intrat. Non domesticis modo, sed Catholicorum vbique reliquijs, tanquam ex densa nocte cæcisque tenebris, tam opportuno subsidio lux oborta. Continuo pro suo more Campanus in communi Socios alloquens, duo præcipue commendauit: vt Beati Ignatij Exercitia ad conseruandum, alendumque virtutum studium permagni facerent. Deinde eo conatus suos dirigerent, vt propriam viuendi Societatis rationem bene haberent perspectam, seque ad eam totos componerent. Ea cohortatione exercitiorum voluntate omnes incensi, eorumque sibi copiam fieri datis libellis postularunt; in primisque Rector Iacobus Vangrouitius, & designatus ei successor Capecius. Nec pepercit labori suo Campanus, tum vt ipsos iuuaret domesticos, tum vt hos in vsu tam salutaris teli ad proximorum vtilitatem erudiret: eoque accuratius Capecium, & aptissimos quosque percoluit. Qua in cura prope mense exacto Albam Iuliam ad Principem, & Regni Præsides abijt. Indolem Sigis-

64 Quatuordecim è nostris eunt in Trãsyluaniam.

65 Claudiopoli Exercitijs Spiritualibus mentem excolunt.

66 Prjncipis Sigismundi spes egregia

gismundus Princeps præferebat, quam fingi votis posset, egregiam, ac religionis veræ studium supra ætatem. Lelesius ad eius institutionem videbatur factus diuinitus: adeo & amabatur, & colebatur à puero: adeo retinebat in Aula solidas, verasque religiosæ Disciplinæ virtutes, & cum singulari modestia constantiam, quæ personæ par esset. Audebat ille (quod necesse erat inter omnia hæretica) murum se opponere pro domo Dei: efficiebatque vt nec pueri imbecillitas, nec paucitas Catholicorum contemptui esset. Magna apud omnes eius autoritas. Itaque in Siculia cum dudum carerent Pastore Catholici, coacti sua sponte velut in Synodum, communi consilio se Lelesij potestati tradiderant: Nec secus inde (quanquam potestatem Pater abnuerat) quam si recepisset, nutum eius obseruabant, magno vtique suo bono. Insinuantes enim se errorum ministros monito eius exterminabant. Vehementer igitur cum aliorum Sociorum, tum præcipue viri huius fideli opera lætatus est Prouincialis. Cum Regni Præsidibus (hi erant tres, omnes Hæretici) multum fuit certamen. Contendebat Campanus, vt Petrus Neotytus, Societatis Catholicæque religionis desertor, ne exemplo, & conatu Christi pusillis noceret, Transyluania omni interdiceretur. Repugnare illi, contendere bonum esse virum (nam quæ noxa videretur Hæreticis ab Religiosa Disciplina, aut recta fide, quæ vtraque detestantur, defectio?) clamare haud fraudem commissam Regni legibus vindicandam. Dum contra perseuerat Campanus, & (quicquid de causa religionis sit) ius in hominem suæ potestati subiectum persequi se profitetur: nec iure se posse auxilio publico aduersus contumacem, rebellemque destitui. Ecce mirum dictu, singulis Præsidibus singuli liberi pene infantes moriuntur. Quique grauius impugnabat, alterum quoque subinde funus liberorum vidit: qua re conterritus Alba aufugit, forte ne tum quidem Diuinam manum agnoscens, cæterum quod per hominis impotentiam maxime stabat, nec sperandum, si Albæ mansisset, erat, eo summoto ab Senatu, & alijs præsidibus impetratum est. Campanus re Albæ ad voluntatem gesta, Claudiopolim reuersus, hic quoque Senatum habuit haud sine aperta Numinis prouidentia (omnes enim erant Hæretici) propitium, ac benignum. comprobarunt Apostatæ exilium. Ad Pontificium, Regiumque Seminarium cum Posseuinus anno superiore Regis autoritate connitens, ægre conductitium diuersorium expressisset, vt multæ optimo loco ædes emerentur, concessere. Additum est, & Cæmeterio instituendo spatium, quod Rex ipse, veritus ne impetrabile in vrbe non esset, extra mœnia condi mandarat. Ita Seminarium recte constitutum, & pauperum quoque adolescentium excitatum contubernium. Harum tractatio causarum, sæpe obtulit peropportunam materiam, tum de Societatis institutis, tum de Catholica fide disserendi: idque & Albæ, & Claudiopoli Campanus luculenter exequutus, & benigne auditus à Senatu est, & honorifice semper dimissus, vt sacrificiorumque Societatis, ac præsertim in sua Prouincia ad hanc rem edictorum aperte fructum perciperet. Sæpius, & Squarcialupum, & Blandratam Hæreticorum Antesignanos nobiles adortus, Squarcialupum ita commouit; vt verbo litesque polliceretur, se plane fore Catholicum, continuoque ab vsuris destiterit exercendis, quas à Beza didicerat. A Blandrata quoque Ariano teterrimo veras aliquando voces expressit, vt fateretur Christum esse verum Deum, ac sempiternum, quem Campanus etiam longa Epistola adhortatus est, vt omnino, ac propalam impietatem eijceret. Interim nouis in dies Ciuitatum, ac Prouinciarum fatigabatur precibus quempiam de Societate postulantium, quarum legati rheda etiam ad deducendos Patres adducta, vndique conueniebant. Primi fuere Somlienses, quibus vt ex itinere spes facta erat, Sacerdos concessus. Deinde Vassarelienses, quorum legatus preces multis lacrymis miscuit. Succesere Varadinenses, quibus hæc ad verbum oratio fuit. Pater, rogant vniuersi Ciues Varadinenses, velis ipsorum misereri. Sumus enim tot Oues circumdatæ lupis, destitutæ Pastore. Concesserat nobis Dominus vnum

Lelesij Magistri eius laudes.

67 Protectores hominis Apostatæ diuinitus plectuntur.

68 Senatus Hæreticus religionifauet.

69 Seminarium Claudiopoli erectum.

70 Squarcialupus, & Blandrata Hęresiarchæ conuicti.

71 Multæ ciuitates operarios è Societate petunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnum Pastorem, is erat P. Georgius, sed nostra peccata fecerunt, vt Dominus vlciscetur in capite, quod membra peccarunt. Alibi Pater, messis quidem multa, Operarij pauci: nos vero messem habemus multam, operarios vero non paucos, sed ne vnum quidem habemus. Georgius, de quo loquebantur, erat is, quem superiore anno Posseuinus ad eos cum Martino Valorra miserat, qui dum strenue Sacerdotis obit partes graui interceptus morbo ex omnium stupore neruorum, iacebat inutilis. Postea accessere Tordenses, tum Fenesenses, deinde Siculi: ex alio quoque eius Tractus loco venerunt quidam primarij Domini, Lazari dicti, cum triginta nobilium comitatu, qui ter, quaterue conuento Prouinciali haud precibus abstitere, quoad Sacerdotem impetrarunt. Traditus eis est Valentinus Ladus, sic adigente penuria, tyrocinio nullo perfunctus: sed tamen, vt Campanus loquitur, Sanctus plane vir, per quem Deus fecit miracula Albæ, & expulit dæmonia. Deinde Valachi duos misere nobiles, per quos nuntiabant: vnicum sibi Sacerdotem fuisse infinibus Moldauiæ, & eum deprehensum impostorem, nec initiatum: itaque vnus saltem de Societate in amplissimum illum, ac Turcis finitimum Tractum, vt mitteretur, orabant. Denique Temesuario, ex ipsa ditione Turcarum, octo dierum itinere adfuit Ragusæus nobilis, apud quem superiore anno P. Bartholomæus Sfondratus pie decesserat, singulari Dei beneficio vsu mentis, quem multis ante mensibus amiserat, sub extremum tempus recuperato. Is denuntiabat: posse Societatem liberrime illuc ire, & Christianos earum regionum excolere: Neque Baxam Turcarum præsidem impedimento, sed potius patrocinio fore; quippe qui & Sfondratum in suam tutelam receperat. Hæc studia populorum, totque animarum auditæ cognitæque calamitates commouebant viscera Prouincialis: & quia aliter non poterat, consolans singulos bona spe, ingemiscebat corde, & clamabat ad Deum, vt mitteret operarios in messem suam: diuque post Campani quoque discessum ardor hic Transyluanos habuit. Certique Pagi fuere, qui à Claudiopolitano Senatu missis Legatis Hæreticis, interrogati vtrum priscæ, an nouæ religionis vellent Magistros, Catholicos se vnos velle dixerunt: & Hæreticos eiecerunt. Eoque magis excitati exemplo Pagi Siculorum ad sexcentos, rursus ab Societate Catholicos flagitare institerunt magistros, quibus quam potuit opem Capecius tulit. Verum Campanus rebus Claudiopoli, & Albæ constitutis, quoniam Varadini cœpta iam sedes à Georgio erat, & plurimum in ea quasi arce religionis agebatur, præmisso Stephano Aratore, cum Laurentio Laico, ipse ad res inspiciendas subsequutus est. Vbi peruenit, accurrere viri nobiles, & honestissimi ciuium quindecim, qui omnium nomine exceperunt, & gratulati sunt. Exceptus & à Præfecto nec dum Catholico est summis honoribus, summaque humanitate. Is primus habetur à Principe. Varadinenses instituere pro impetrando Collegio, de quo cum Stephano Rege, & cum Generali Præposito perstudiose egere per literas. Videbatur omnibus modis peropportuna sedes populis late iuuandis. Audiebatur Arator ab concione frequentissima, ob templi angustias, in Cœmeterio. Ab quindecim, ac viginti milliaribus confluebant Christiani ex Turcarum imperio causa Sacramentorum. Ciues bonam partem Catholici, vel à sanitate minime abhorrentes, pagi vero incorruptæ pietatis quamplurimi erant. Iam Societati sacram ædem, ac reditus consulto Rege tradiderant: quanquam accepta hæc rite nondum erant, cum Stationibus vectigalia certa possidere ius non sit. Campanus rebus & hic ex voto compositis, repetito in Poloniam itinere, ad quinque millia italicorum passuum à Præfecto cum sexaginta nobilium comitatu deductus, Ecziedum biduo venit, Sedem Nicolai Bathorei Comitis. In Cæsaris iam potestate arx erat, media in palude sita. Solus Comes sacra retinebat Catholica, eiusque vicarius, quos Pater Sacramentis refecit, & pijs muneratus libellis, accepto itineris Duce Chisuardam venit: inde sexto die Dinonum in Russia Rubea, vbi Pater Benedictus Erbestus cum Collegij Iaroslauiensis Fundatrice

72 Pagi etiam Hæretici Catholicos Magistros oblatis aliis præoptant.

73 Varadinenses Collegiũ expetunt.

74 Reditus Capani Prouincialis in Poloniam.

ce Vaporouia totus erat in Dei cultu curando, Ruthenisque conuertendis. Postridie Iaroslauiam attigit tempestiue, oppressum ægris Collegium consolatus. Hic actis Paschæ solennibus biduj itinere Leopolim excurrit. Instabat Ioannes Demetrius Solscouius Leopolitanus Archiepiscopus, vt sibi quoque Societatis præsidia præberentur. Nam & ab Societate aiebat se formatum ad eam, quam instituerat, vitam Sacerdotalem, ac proinde ea carere non posse: & quod caput est innumeras dicebat animas curæ suæ commissas, & quidem inter varias gentes, ac sectas. Habitabant enim Leopoli Rutheni Schismatici, Armenique, cum suo vtraque gens Episcopo, Iudæi, Turcæ, Scythæ. Itaque Catholicam plebem versantem inter gentes, & discentem opera earum, regere atque ad emendationem vitæ reuocare operosum dicebat, eratque; præsertim Sacerdotum, qui causa animarum aliquid scirent, vellentque, penuria maxima. Prouinciali vehementer ea sedes probabatur ad late operam non solum in Leopolitanos, ac Ruthenos, sed in Scythas, Valachos, Moldauosque porrigendam, auxiliumque ferendum toti Pocutiæ, atque Podoliæ. Non ausus tamen certi quippiam Antistiti polliceri, rem vehementer Generali Præposito commendauit. Tum aliquot interuisens Collegia, ad Prouincialem conuentum, legendi Procuratoris causa recepit se se Calissium. Quippe Stanislaus Karnkouius Archiepiscopus Gnesnensis, de cuius in Societatem studio multa superiore annali dicta sunt, & nunquam satis dici posset; vbi cognouit conuentum habendum, instituit vt ne alibi, quam apud se haberetur: idque consequutus, & in beneficio summo numerans, gaudio triumphabat. Solebat bonus senex dicere ad populum, idque tanto cum ardore, & maiestate faciebat, vt multum permoueret Hæreticos, quos postea etiam ad mensam vocatos, nitebatur officijs, apposita lectione, omni genere humanitatis deuincire, atque conuertere. Bis eo tempore, quo conuentus est habitus in frequentia maxima dixit, cum ijs Societatis laudibus, vt multum conandum sit nobis ne vanas faciamus. Quod Collegium Posnaniense daretur perficere, Calissiense excitare, pro dono Dei prædicabat singulari reseruato sibi, nec Gnesnensibus antee se Præsulibus concesso. Erumpebat interdum præ ardore animi, quasi gestiens in has voces, Ædificabo Domine, ædificabo tibi domum. Et, multi seculares (certos nominabat) etiam patrimonia sua ad ædificandas domos seruis Domini conferunt: Ego vero Archiepiscopus, Primas Regni id non faciam? Absoluta Congregatione inchoatum Collegium est, moderatore Gaspare Sauicio. Alfonsus Pisanus in bono Cleri, ac religiosorum auditorio tractare quæstiones officij cœpit: tradendæ Latinitati Magistri duo præpositi, quibus tertius subinde accessit. Præfecto etiam Collegij Antistes, de Canonicorum, & Parochorum, itemque Senatus sententia, Scholas parochiales duas subiecit, vt in ijs prima elementa pueri sub patrocinio Societatis, sine periculo prauæ educationis, edocti ad Collegij scholas grammaticæ causa transirent, indeque postea, vt supra dictum est, altiorum disciplinarum causa Posnaniam transmittendi. Hoc iam plenius lætabatur Antistes, Deoque gratulabatur, qui se tanto (sic enim loquebatur) beneficio affecisset, vt videret bona Domini in terra sua. Inter hæc Hieronymus Rozdrazouius Vladislauiensis, seu Cuiauensis Episcopus, multa & ipse in Pomerania moliens, amice expostulabat: sibi affidue clamitanti ne Campani quidem aliquando congressum dari. Literas simul accuratas dederat Romam ad Claudium, quod in præsens de Collegio desperaret, saltem Stationem aliquam rogans. Nec abnuit Claudius, vt Gedani, quasi ad semen Collegij, in spem fructus vberrimam pro Emporij Ciuitatisque nobilitate, ac frequentia, figeretur. Multa præter hæc de sua iuuanda Diœcesi cum Campano Episcopus contulit, dicens, quoniam ea mora Prouinciali ad inspicienda Collegia properanti molesta erat, debere id tempus ab eo pro inspectione maximi Collegij numerari. De eius consilio ad instituendum primo quoque tempore Seminarium ex Concilij Tridentini decreto animum adiecit. Interim dum Gedani adeundi aperiretur occasio, duo Sacerdotes

75 Leopoli Societas expetitur.

76 Conuentus Prouincialis Societatis apud Archiepiscopum Gnesnensem habitus. Archiepiscopi zelus animarum, & amor in Societatem.

77 Initia Collegij Calissiensis.

78 Gedani statio concessa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dotes Ioannes Conouianus, & Sembuuius in oppidum non multo ante ex Hæreticis receptum, Neuburgum nomine, seu Nouam, Bransberga missi, Catholicorum ad sexcentos reperere: quibus expiatis, confirmatisque, & duobus, ac triginta Hæreticis Ecclesiæ redditis, haud minorem Episcopo lætitiam, quam plebi vtilitatem peperere. Sed Prouinciali nulla dabatur requies. Christophorus Radiuillus, sæpe antea memoratus, ex Palæstina peregrinatione reuersus, de statuendo Niesuisij Collegio certabat adeo cupide, vt repulsam sine graui stomacho ferre non posset. Dicebatur in Italia è maleuolorum hausisse sermonibus: Iesuitas magnarum Vrbium ambire nobilitatem, ignobiliora oppida fastidire. Quam opinionem, vt detraheret Claudius, eo descendit, vt Magistri, Sacerdotesque Niesuisium mitterentur: non tamen Princeps impensam in ædes, aut alia diuturna faceret, antequam experimento appareret, quid è re communi esset. Nam omne genus hominum nobis carum esse, scientibus eodem Christi sanguine emptas vrbanorum, & agrestium animas, apparere ex officijs, quæ in vrbibus erga vilissimos quosque obeuntur, ex peregrinationibus per Pagos, & Castella susceptis. Tamen Ordinem nostrum, non item vt aliorum Religiosorum, vbique idoneas posse habere sedes. Operarios nos esse: vbi desit materia operis, desides fore, ac vacuos. Itaque paruis Oppidis, vbi agrestium fere solum turba degit, totam hebdomadam in suis occupata laboribus, multo melius per temporarias excursiones consuli, quam fixa apud eos sede. fraudari enim expectatione sua Collegiorum talium autores, perire sumptus, perire multorum industriam, quæ parem alibi nacta campum fructus ingentes afferret. Nihil horum apud Christophorum valuit. Sine vlla experimenti conditione, etiam atque etiam instat, vt æternum Collegium fiat. Itaque cum iusso planius spectari loco, Claudius demum cognouisset, non pœnitendam eam fore coloniam, voti compotem bonum Principem fecit. Cum quo in assignandis reditibus, scribendisque Collegij conditionibus, non aliud certamen fuit, quam vt nimiam eius indulgentiam religiosa modestia temperaret. Vnica statim schola aperta est, & noui Collegij administratio Alberto Mroscouio, qui eam stationem inchoauerat, demandata. Placato Principe Radiuillo, difficilior cum Rege dimicatio restabat, quod recepto Niesuisiensi Collegio, æquum existimabat, & quæ ipse Brestnæ, Grodnæque moliebatur, non recusari. Iam Brestnæ paræciam cum opimo vectigali in eam rem assignarat volente Pontifice. Grodnæ vero, & similes Ecclesiarum euersarum reditus, & alios paratos habebat: vbi non ad populi solum vsum, sed etiam ad suum, ac suorum aulicorum adiumentum aiebat se Societatem requirere. Multum enim Stephanus ea delectabatur vrbe: ibi arces, ib villas, ibi piscinas ad vsum, oblectationemque extruebat: ibi aptissima venationi patebat regio. Itaque eam sibi viuo, eandem mortuo destinabat sedem, in templo, quod Collegio extrueret, tumulo excitato. Hæc omnia consilia vbi plane, fuseque Campano exposuit, ille de Societatis instituto dicere aggressus, & quam ob causam multa refugeret noua Collegia, ostendit maxime eas causas valere in Polonia. Se enim experiri quantum inesset incommodi tot locis in ea Prouincia recens adiunctis, vbique inchoatis, nusquam perfectis. Olim, inquit, sacrorum locorum Institutores præpotentem Deum imitabantur, qui prius domicilium orbis terrarum creauit, & omnem eius perfecit ornatum, postea hominem in illud introduxit. At nos hac tempestate in incertum vocamur, non domo parata, non re: ita multa conamur, pauca perficimus. En Iaroslauiæ, & ædificare, & pro ædificijs mendicare cogimur. Lublini Varseuitius ante mendici nomen acquirit, quam cultoris animarum, dum intentus ædificationi hos, atque hos Dynastas, & Regiam Vestram Maiestatem fatigat, cui gratias ago de collato in eam rem luculento, subsidio (quina in quinquennium florenorum millia attribuerat.) Pulocense, Rigense, Calissiense, Niesuisiense cœpta opera sunt, non perfecta. Item Derpati, Cracouiæque, & in Transyluania Albæ, Varadini. Hinc fit, vt frustrentur expectatione sua populi, dum necessario

79 Niesuisij Collegium flagitatum.

Metu offensionis concessum.

80 Christophorus Radiuillus Niesuisiensis Collegij fundator munificus.

81 Cur multa simul Collegia inchoare non expediat.

necesse est rebus domesticis prouidendis insumere labores, quos oportebat in culturam animorum impendi. Quod si iustas Operariorum liceret continuo habere familias, minus esset incommodi. Sed explere statim Collegia nullo modo, vt nunc quidem res sunt, licet: primum quod non sunt prompta subsidia: deinde, quod est grauissimum, quod nec idoneæ nobis, neque planè vllæ suppetunt copiæ Sociorum. Nihil ita, Rex optime, (& ante oculos, sunt nimio plura exempla) nihil ita pessundat, autoritatem Religiosorum, obterit disciplinam, mores sensim corrumpit, vt minutos in cœtus dissipatæ familiæ. Quod si omnibus est noxium Ordinibus, nostro certe, cui non intra septa latendum, sed prodeundum in solem, aciemque est, pestiferum planè est. Quis melius, quam Tua Maiestas intelligit, valido exercitui eneruando nihil esse præsentius, quam si in exiguas discerptus cohortes in varias abletur Prouincias. Atenim hic locus periclitatur, & ille alter, itemque tertius: atque hic bene gerendi rem, alibique offertur occasio. Num igitur prudens belli Imperator ipe partium, Summam in periculum dabit? Præterea nobis haud quidem priuata causa, sed ad effectum eorum quæ tractamus, necessaria est hominum beneuolentia, atque existimatio. At rerum imperiti dum vident tam multa quanta opus sunt ad nouorum fundamenta Collegiorum addici, non solum Hæretici verum etiam Catholici, non in ea vocari nos, sed irrumpere interpretantur. Quidam odere, quod sperata sibi interuerti bona putant: denique vulgo fere omnes, non animarum magis nos, quam pecuniarum auidos iactant. Tum vero quid reliquum fit, nisi vt quorum vita (iure, seu iniuria perinde hic est) despicitur, eorum & Doctrina repudietur? Itaque amplexantes toto animo, osculantesque hanc Tuæ Maiestatis erga nos caritatem, & hoc singulare iuuandi populos studium venerantes, precamur, & obtestamur, vt Ordinis huius tibi, si non aliud, addictissimi patrocinium, quod instituisti tueri pergas: pro certoque habeas, tunc recte nos consulturos rationibus publicis, cum leges seruauerimus nostras: tum tuis, bonorumque Votis optime responsuros, cum ipsi fuerimus optimi. Hæc & alia in eandem sententiam cum audisset Stephanus, vario (vt apparebat ex vultu) animi habitu, primum aliquantum hæsit, dein cum graui gemitu, Non debeo ego, inquit, esse iudex, & censor vestri Instituti, quod sancte ordinatum est: dixeram tamen, quod mihi videretur, & addidit pene plorans, Nunc quando vobis non licet, & illi, qui deberent, vel nolunt, vel nesciunt, computrescemus in sordibus nostris. De Bresta non amplius institerim, qui locus tamen erat operæ vestræ egentissimus. Grodnæ vero non mihi denegabitur, quo minus Collegium fiat, vbi saltem viginti alantur, & humaniores tradantur literæ. Nam vt excursionibus iuuentur loca ista (Campanus eas dilaudarat) spes valde exigua est: est enim inuentum Spiritus Sancti, vt tute ipse dixisti, quod de Seminarijs Tridentinum Concilium ad instituendam iuuentutem decreuit. Quippe Senes, qui in excursionibus audiunt aliquid, vel obdurantur magis, vel fides, si conuertantur, non agit tantas radices, vt sine irrigatione perpetua durare possit. Adeo consuetudo in aduersum insedit. Qui ab teneris annis pietate vera solidaque imbuuntur, hi nobis nouam formant rem publicam, planeque Catholicam: eo scholas requirimus, eo Collegia vbi facultas datur, erigimus. Tum rursus ad Grodnense reuersus multam de eo fecit orationem: quod cum perseueraret, datis quoque ad Pontificem literis, petere, Claudius denegare non potuit: sed vnde factum sit, vt exitum non haberet, suo loco scribetur. Sane erat ea tempestate anceps valde deliberatio. Multa quæ numerata sunt ex tam multis ordiendis Collegijs haud dubie consequebantur incommoda: nam re vera nec ad regendum, nec ad docendum, nec ad alia munia suppetebant idonei: neque ex alijs Prouincijs, quamuis multa mitterentur, poterant auxilia mitti, quæ forent satis. Ex altera vero parte videbatur Deus ardentia illa Principum, ac Præsulum studia singulari benignitate excitare, quæ si præteri-

82 Grodnense Collegium admissum instante Stephano Rege

Universidad de Deusto
Biblioteca

terirentur, tanquam si annorum feracitas sineretur inanis effluere, verendum erat, ne postea frustra requirerentur. Ad hæc sacrarum possessionum multæ ex Hæreticis recipiebantur, quæ nisi diuino cultui statim addicerentur, in potestatem veniebant profanorum hominum, vt nec eæ postea facile liberari possent, nec aliæ, quæ ad sacra transferrentur, ad manum essent: tamen Claudius constanter tenebat decreta Societatis, quæ Collegia nec passim, nec nisi idoneus cum rerum, tum Sociorum apparatus præsto sit, recipi vetant. Et verebatur interdum ne flagitantium illa ad indignationem vsque efferuescens auiditas à malo spiritu inijceretur, tentante Satana Societatem, vel nimijs fauoribus obruere, vel si ea via minus procederet, retardare eius cursum offensione, & abalienatione Principum. Campanus benigne tandem ab Rege dimissus, ad reuisendas Liuoniæ Sedes tetendit. Optimo loco res offendit, Diuina clementia extraordinarijs quoque documentis pietatis fauente. Nam præter restitutam ægris lustrali aqua, rebusque sacris valetudinem, ac Dæmonum terricula depulsa, & alia id genus fere consueta, in Balthico mari admodum ante piscoso, posteaquam vicinam oram Hæresis occuparat, querebantur accolæ pisces pene euanuisse. Orant Rigenses Collegij Rectorem Leonardum Rubenum, ei vt benedicat, quod cum factum esset, redijt aquis fœcunditas, sua genti annona; adeo vt rursus, & mari, & flumini Dunæ benedici voluerint. In reuocatis ad orthodoxos vir è prima nobilitate Federicus Ducerus fuit, in quem protinus eam ob rem impiorum odia exarserunt. Itaque vnus item nobilium, posteaquam perpotarat, ad Ebrios Sodales ebrius, Quid agimus, inquit,? Quin ad Ducerum imus, & nouum Papistam confodimus? Iter bacchantes arripiunt: sed prauum consilium in caput recidit autoris: forte inter eundum à Sutore plumbea traiectus glandе illico expirauit, Quæ res vigilare Numen ad suorum tutelam fidem faciens, innocentium animos vehementer erexit. Sæpe Rigâ ab alijs, atque alijs Sacerdotibus in finitimos Pagos, & arces salubriter excursum: sed peregrinationis, quam cum Cardinali Radiuillo per totam Liuoniam ad fines vsque Daniæ, Suetiæ, Moscouiæ Leonardus Rubenus obijt, præcipue fructus extitit. Sub annum extremum grauiter Collegium vexari cœptum: quod fusius insequenti libro dicetur. Lætissima Derpati circaque, Estonum fuit cultura. Hi sunt indigenæ simplex gens, ac semne agrestis, mire ad pietatem, & Catholicos ritus propensi. Præter hos Germani, Polonique regionem habent, cum quibus lentius erat negotium. Est sua Estonibus lingua, qua P. Thomas Busæus iam recte concionabatur. Eosdem Catechismum docebat Ioannes Ambrosius Velcherus, qui egressus in forum, quà turba erat frequentissima in eam se mediam dabat, tum extemplo elata voce, datoque signo circumstantibus, vt sequerentur, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apostolorum Symbolum præibat, dein totum agmen ex interuenientibus continenter auctum, continuans carmina, deducebat in templum. Hic adhortatio habebatur accommoda, & Velcherus iterum egressus in publicum ad Pontem, ad Portas, & frequentissima quæque loca eodem modo terna, quaternaque, ante, ac post meridiem feriatis diebus agebat, eruditeque agmina. Porro circa per agrum amplius tricies excursum lætissimis ijs ad quos diuerteretur: qui & Derpatum profecti, vt secum quempiam reducerent Patrum certatim orabant. Mire delectabantur consecrationibus frugum, domorum, familiæ, panis, salis: & hinc se Romanos, ac regios Sacerdotes, quos summe colebant, ab Hæreticis, quos detestabantur, internoscere dictitabant. Gaudebant quoque suum quisque habere, ex veteri gentis more, patronum è Sanctis (ipsi Apostolos vocant) itaque præter Catechismum, & solennia munera, hic labor erat in rebus benedicendis, distribuendis Apostolis, & baptizandis infantibus: vtique cum alij Sacerdotes deessent Catholici. Hoc anno nongenti septuaginta lustrati, septingentis vero adhibitæ, quas hæretica impietas fastidierat Ecclesiæ Cæremoniæ. Rite quoque com-

83 In Liuonia res bene gesta.

Fœcunditas aquis Sacerdotis benedictione reddita.

84 Dei præsens tutela in hominem conuersum ad fidem.

85 Varia, & fructuosa populorum cultura.

86 Estonum gens bona, & ad pietatem propensa.

Fructus ex ea magnus.

complura iuncta, vel resarta matrimonia: & Confessione, cuius vel nomen ignorabatur, expiati quamplurimi. Ad hæc cœptæ tum Derpati tum Rigæ literariæ scholæ. Quanquam enim vtrobique pauci agebant Socij, tamen quod lecti erant omnes, ac strenui, siue labore, siue fructu multorum vicem implebant. Suas tamen, & ipsi laxare conabantur angustias bonorum iuuenum secularium auxilijs ad hanc rem conductis. Eam ob causam multum reponebat Campanus in Scholasticorum pauperum contubernijs instituendis: quorum cum vnum, vti supra narraui, Claudiopoli excitasset, alterum Polociæ inchoauit. Eadem iam multa per Germaniam contubernia florebant: & nouum Ingolstadij Guilielmus Dux condidit, Bonauenturæ Paradinæ Rectoris Collegij rogatu. Ibidem in nouo Gymnasio Guilielmi impensa magnifice extructo scholæ haberi cœptæ: addita, quæ ad hanc diem desiderabatur, schola Rhetorices. Kalendis Maij Augustæ, Tertio Kalendas Octobris Lanspergæ noua templa rite consecrata. Cæterum in Germaniæ Prouincijs post Kalendarij restitutionem, noua ex eo introducendo difficultas, noua in Societatem inuidia orta est, Hæreticis id Iesuiticum inuentum appellantibus, tesseramque Papisticæ, ac Iesuiticæ sectæ. In Boëmia, in Styria, in Argentinensi Diœcesi, alibique prope tumultuatum: Sed Augustæ maxime eam ob rem vexata Societas. Nam cum Octobri superioris anni, decreto ab Cæsare impetrato, Senatus id Kalendarium promulgasset, Prædicantium instinctu tumultuari populus cœpit. Tum gliscente seditione, & Ciues pro se quisque comparare arma, & Senatus, quem ad subita motuum in procinctu haberet, militem scribere. Feruere varius rumor in Iesuitas, feruere indignissimæ in Senatum minæ, nisi homines rerum nouarum, ac turbarum duces ejiceret, Collegium dirueret, decretum de Kalendario reuocaret. Intemperantissimè Lutherani Dux Gregis, Rabula Georgius Myllerus agere, dictitareque inter suos, propediem in templo Iesuitarum se verba facturum. Tamen Senatûs vigilantia, singulari cura, consilioque, impendentibus malis occursum. Iamque deferbuerat populi furor, cum hoc anno, ineunte Ieiunio maximo, Lanij, qui supra ducentos, omnesque præter septem, hæretici dicuntur fuisse, incendium de integro excitarunt, scilicet Prædicantium inductu obstinati, quoniam ex nouis fastis ieiunium citius multo, quam ex veteribus, inchoabatur, initio Quadragesimæ Catholicæ plenum habere macellum, in Paschate vero vacuas, occlusasque tabernas, vt Paschalium opsoniorum inopia tumultuante plebe, Senatus cogeretur ab emendata temporum ratione discedere. Alij Ciuium Lutheraniſmi maxime pertinaces Spiram ad supremum Imperij Consilium causam detulerunt. Operæpretium est notare Hominum peruersitatem, in æternitate dogmatum mutabilitatem amantium; in mutabilitate temporum æternitatem volentium: prona in deterius, ac deuia semper ingenia! Cæterum stultam contumaciam egregie Senatus elusit, & vltus est, non sine Laniorum detrimento, aliunde comparatis affatim Paschalibus escis. Ex quibus dum attingere Hæretici non audent, quippe quas Iesuiticas carnes appellabant, nec ab suis copia præsto est, minus vnctam quam cuperent Quadragesimam suam peregere. Interim & Spiræ pro Senatu, & instaurato Kalendario iudicatur. Itaque quinto Kalendas Iunias rursus pro Curiæ foribus edicto proposito, octauo post die publica præconis voce seruari id iubet. At Prædicantes vbi rem vident procedere, supremos conatus adhibent: eodem die, & insequenti adeo in Senatum vocantes ad arma populum, rabide concionati, vt Senatus hominum impudentiam stomachatus, præcipuam seditionis facem Myllerum iusserit vrbe quamprimum exire. Tum vero quiritari, vociferarique Hæretici: concursus fieri armatorum. Dumque impositus in Rhedam Myllerus asportatur, in egressu portæ lora equorum strictis ensibus præciduntur. Minister de curru raptus in proximas ædes trahitur, vnde postridie fertur in muliebri amiculo vrbe cessisse. Tumultus inde augetur, clauduntur portæ, milites cum Ducibus præsto sunt, compita armatis implentur, & vt in eiusmodi casibus

87 Contubernia Scholasticorum pauperum vtiliter instituta.

88 Collegium Ingolstadij auctum.

89 Ex Kalendarij emendatione in Societatem inuidia.

Et seditiosi tumultus,

90 Senatus Spirēsis damnat Kalendarij correcti oppugnatores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

91 Collegium Augustanum à Iesuitis periclitans, vano illorum metu seruatur.

mos est, ad prohibendas coitiones cratibus ferreis demissis, partes vrbis aliæ ab alijs secluduntur. Ita Collegium Societatis, quod in vrbe, vt vocant, veteri situm est, omni Senatus, Patronorumque auxilio intercluſum erat. Factiosi in eius area conglomerati, quid potissimum cladis inferant furibundi consultant. Fit concursatio, & fremitus, minæ, conuicia, varia mortis genera intentantur, irrumpere domum decreuerant, cum erroris propugnatores merito error occæcauit. Hæretici duo, vetula & textor, procedunt in medium, grauiterque confirmant; ab Duce Bauaro quingentos in præsidium eò milites introductos: & vetula addebat, se ipsis suis oculis eos vidisse. Hæc inanis opinio totam peruagata Augustam famulos Dei seruauit, qui interim foribus occlusis, nullo alio quam diuino fulti præsidio, necem, si ita Numini cordi esset, in momenta singula expectabant. Postridie ad vesperam cum remotæ essent crates, Duumviri, & Fuggeri, alijque Collegij Patroni misere consolatores ad Patres, spectatumque num quid detrimenti passi essent. Et sane insigne fuit tutelæ cælestis documentum, cum toto anno Hæretici iactassent in circulis, ad vnum se Iesuitas trucidaturos, eo die in tanto tumultus ardore, tamque impunita licentia, nihil grauius ausos. Per octiduum insequens, eadem discrimina, eadem animi suspensio tenuit: sed nunquam vltra probra, scommata, famosos libellos, quæ fuere innumera, processum. Consedit sensim tempestas: sua Patres semper in melius studia promouere. Iactator Myllerus non modo Templum Iesuitarum inuadere, sed nullum è suis potuit obtinere. Inter tumultum Augustæ Theodorus Peltanus, vir libris, vel scriptis, vel è Græco conuersis notus, deque Christiana re optime meritus, è vita concessit quinto Nonas Iunij. Patria ei fuit Pelta Diœceseos Leodiensis Oppidum, vnde cognomen inhæsit. Coloniæ in Societatem anno 1549. receptus, annoque insequenti Romam missus, inde Romano, tum Neapolitano, postea Ingolstadiensi inchoandis Collegijs interfuit. Latinæ, Græcæ, Hebraicæque linguæ interpres, postea altiora docuit, sed ea animi ad obedientiam præparatione, vt pari voluntate in pueris erudiendis confecturus ætatem esset. At Brunense domicilium pestilentiæ genus ignotum prudentibus, quod & vrbem depastum est, euastauit. Vndecim rapti. In his Leonardus Corcelius domus Minister miræ vir obedientiæ, legum custos accuratissimus, in Deum, ac proximos ardentissimæ caritatis. Triduo ante diem supremum ad Rectorem Ricchardum Zantenum accedens, instare sibi mortem significat, Zantenoque rem comiter in iocum vertente, serio se ab duobus iam mensibus vicinæ migrationis habuisse argumenta adiecit. Itaque confessione præparatus eo die, posteroque sacrum facit, tertio, qui erat Dominicus, iam languidior cum fratribus in templo communicauit: feria secunda vnica ante mortem hora decubuit, iterumque eo spatio communitus Sacramentis, extrema quoque vnctione adhibita, intentissimis in Cœlum oculis perseuerans, assidueque orans, sub hæc verba, Iam per gratiam Dei absolui cursum meum, purissimum spiritum Deo reddidit. Dicebatur duos monuisse Fratres, Matthæum Scultetum, & Ernestum Krekouoik, specie vitaque Cœlestibus similes, breui sequuturos: neque aliter euenit. Enituit eo tempore Rectoris erga sibi commissos Fratres caritas, sedulitas, constantia singularis, quæ valentibus incitamento, decumbentibus multiplex auxilium attulit: nec vnam ipsimet peperit apud Deum coronam. Spiræ Petrus Peraxilus, in ætatis, rerumque agendarum prima maturitate, sed Cœlo iam plane maturus, paulo ante Collegij creatus Rector, sublatus est. Ab adolescentia iugo Christi ceruice summissa, generis nobilitatem omni virtutum genere exornarat: præcipua quadam animi propensione in tenera ætate iuuanda, paruulisque ad Christum ducendis intentus. Inchoatum est Fuldæ Seminarium Pontificium, Gregorij consueta in Germanos benignitate. Petrus Lopperſius Romam ob causam Gasparis Abbatis Fuldensis profectus, subiecit Pontifici: multum Germaniæ Religionem à nobi-

92 Theodori Peltani mors.

93 Brunæ vndecim è nostris pestilentia sublati.

94 Leonardi Corcelij Sãctus obitus.

95 Petri Peraxili pię vitę finitis mors.

96 Seminarium Fuldę à Pontifice fundatum.

nobilitate pendere: magnum fore momentum si ipsa in Germania Nobilium institueretur contubernium, quò parentes hoc libentius, quo propius suos liberos amandarent. Cum respondisset Gregorius id esse, quod iam dudum ipse animo agitasset, quamprimum effectum voluit. Existimabant plerique munificentiam Romani Pontificis fore vulgo Hæreticis spectam, ac minus gratam, sed aliter cecidit. Certatim accurri cœptum est: & de aditu impetrando interposita Principum autoritate contendi. Itaque breui plus quadraginta nobiles recepti mire dociles, mire, quanquam ex Parentibus orti nouæ sectæ, antiquæ cupidi religionis. Periclitatus est nouus cætus semel, atque iterum pestiferis malis, sed singulare Dei patrocinium, & pietas adolescentium, adhibitis sedulo precibus, voluntarijs pœnis, sacris mysterijs, & id genus placamentis, haud sine admiratione ciuium, ex quibus multi periere, periculum omne discussit. Actum drama Moguntiæ ab Scholastica iuuentute in arcis area frequentissimo in theatro, Archiepiscopis Moguntino, ac Treuirensi, Augusto Saxoniæ Duce, itemque Duce Casimiro spectantibus, mira gratia: vt Augustus Collegio haud exiguam pecuniæ summam dono dederit, & Moguntinus antistes actores, numero centum ac decem erant, inuitaret. Hasce per illecebras, vt nihil intentatum relinquit caritas, Catholicæ Academiæ splendor, & autoritas quærebatur, & parta est. In Belgio pariter cum Catholica re Societas caput attollens, in ius quoque recepta est, bona, quæ solo continentur, possidendi, vtendique priuilegijs authoritate Apostolica sibi concessis. Anno 1556. vt ibi memoratum est, enixe Ribadeneira Beati Ignatij missu hac in causa contendit: lex enim Prouincialis viginti annis ante lata obstabat, neque tum potuit aditus, nisi admodum angustus, interseptusque grauibus conditionibus aperiri. Quod fecit vt consequenti tempore Collegia Societatis, vel certo fundo caruerint, vel maxima in eo assignando certamina fundatores subierint. Cæterum, quod tum summa contentio non nisi perparce potuit quodammodo extorquere, id non multo negotio, tanquam interiecti temporis æstu maturuisset, satis liberaliter in præsentia tantum non sponte obuenit. Nullus erat hac tempestate paulo frequentior populus, quin ad se Societatem accerseret. Montenses, Insulenses, Valencenenses, Atrebates, Cortracenses Gandauenses, Luxemburgenses, Lirani, Bredani, Aldenardenses, alijque, necdum etiam ad Philippum Regem regressi, flagitabant. Alexandro autem Farnesio Parmensi Principi, & priuati eius consilij viris, ea stabat sententia, vt quæque recipiebatur ex Hæreticis Ciuitas, continuo fere in eam immitti Societatem debere; valere id tum ad pietatem priuatam Ciuium, tum ad pacem tranquillitatemque publicam intelligebant, quod subiecta Deo Ciuitas, & suo volens Principi subdita est. Et causam, necdum finitarum calamitatum respicientibus, ex facili apparebat: nullam, nisi religionis dissidium, vel esse, vel obtendi. Quippe turbulenti homines, iustique impatientes imperij, ad tumultus ciendos, copiasque, & opes sibi conflandas, religionis nomine abutuntur; de qua tamen hactenus curant, quatenus eorum libidini commodum est. Igitur cum vnica ratio sit humanæ parandæ felicitatis, eadem nimirum quæ, & æternæ, vnica, ac vera religio, homines Societatis, qui in eam se curam totos deuouere, latè expetebantur. Quem ad afflatum vela aptans Balduinus Prouincialis, anno superiore libellum supplicem dedit, per quem breui exequutus, quæ Societas plus triginta annorum cursu documenta sui in Belgij Prouincijs edidisset, postulabat ei potestatem fieri possessiones, domosque ad Collegiorum institutionem habendi, quæ ex iure ciuili exempta in Ecclesiasticum ius, & immunitates transferiberentur: itemque vtendi priuilegijs, quæ Sedes Apostolicæ ad salutem animarum vberius curandam, eidem concesserat, quemadmodum in alijs terris cum aliorum Christianorum Principum, tum ipsius Catholici Regis licebat. Hoc dato libello adfuit Visitator Oliuerius, eoque pariter adnitente, ferme omnia ad voluntatem Maio mense transacta sunt. Fauit inter cæteros

Præ-

97 In Belgio meliori conditione Societas esse incipit.

98 Multa ibi Collegia offeruntur.

99 Ius possidendi bona immobilia, & vtendi priuilegijs Pontificijs impetratum.

Etiam Hæreticis gratum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præses Consilij priuati Guilielmus Pammelius. Negotij plurimum cum Academicis Louanienſibus fuit, quibus tradidere conſiliarij priuilegia Societatis ſpectanda: contra quæ cum acre ſcriptum confeciſſent, idque Pammelius Oliuerio tradidiſſet, modeſtia reſponſionis, & conſiliarios mire delectauit, & Doctores in præſens ſedauit; vtique cum Principem, & priuatum eius conſilium, ab Societate ſtare non eſſet obſcurum. Decretum autem priuati conſilij de Societate, & Concilium magnum, quod Namurci, & Brabantinum, & quod Finantiarum, hoc eſt fiſci rationum & Ærarij appellant, expenderunt ſedulò, & commendarunt, vt ea tanto admitteretur honeſtius, quanto cauſa diligentius, & à pluribus cognita probaretur. Statim, vt Brugæ Regi ſe reddidere, Remigij Driutij Antiſtitis flagitatu, quinque de Societate eo reuerſi, in quibus Arnoldus Hauentius, & Robertus Clayſſonius, mox alij additi, ſcholæque redditæ. Ipris quoque Collegium inchoatum. Præſul optimus Martinus Richouius id dudum optarat, egeratque vehementer de certis in eam rem Cœnobiorum vacuorum addicendis reditibus. Sedis priore anno dum Diœceſim ſuam luſtrat, contagioſoſque ſanctiſſimè viſit, ac conſolatur, contagione ſublatus, quod inchoarat in terris perfecit è Cœlo. Simul ac Ipræ rediere ad Regem, duo Sacerdotes eò profecti, ſedulis officijs Ciuitati ſummis adhuc calamitatibus, præſertim fame preſſæ, ſpeciem oſtendere, & vehementer cupidinem incitauere Collegij, quod ſubinde conflatum eſt. In Caſtris perſeuerabat Michaël Hernandus, magno cum ærumnarum pretio. Condidit inter mulieres Sodalitatem in Beatæ Virginis clientela, quæ inter belli fluctus diu coaleſcere ad diuturnitatem haud potuit. Totus erat Hernandus in tollendis diſſidijs, prohibendis flagitijs, coërcenda militum licentia, verborum intemperantia. Præſto erat in conflictu, vt moribundos expiaret: leuabat inopum miſerias: ſacro coram copijs quotidie faciendo, frequenti dictione, alijſque officijs bonum Chriſti militem ſe inter Mundi milites exhibebat. Miſſus ei ab vrbe adiutor, Sacerdos integerrimæ animæ, Matthias Fouatius, eoſdem ſedulo labores vrgebat: ſed morbo paulo poſt vrgente, Terramundæ extinctus ad præmia triumphantium euolauit.

100 Collegium Brugis reſtitutum. Ipris cæptum.

101 Michaëlis Hernandi benefacta in Miſſione Caſtrenſi.

Lutetiæ Pariſiorum peſtifera lues cum apparere inciperet, Iacobum Latrei Prouinciarum Gallicarum Procuratorem, in ſuburbana Collegij Villa forte corripuit. Quæ res in Collegio cognita nobile certamen inter multos excitat, dubiam ægro miniſtrandi prouinciam ambientes. Præcipue duo rei domeſticæ adiutores contendere, quorum Claudius Cuiſſottus, innocentiæ ſingularis, ac diligentiæ, voti compos effectus. Iacobus paucis diebus, quibus decubuit, vti de S. Martino legitur, inuictum ab oratione ſpiritum nunquam relaxauit. Itaque orans, manibus ante pectus coniunctis deceſſit, ea ſecuritate ſimul, & caritate, vt miſſum ab Odone Prouinciali Confeſſarium, vetuerit ſua cauſa in periculum dari: Nam ſe paulo ante confeſſum, & ſacris operatum, nihil per Dei benignitatem, vnde grauius vrgeretur, habere: leuiora Patrum, ac Fratrum precibus expiatum iri. Claudius vero cum alacritate, curaque ſumma Iacobo miniſtraſſet, ipſemet poſt Patris exceſſum eodem malo ictus, alteri etiam Fratri materiam præbuit ſua vota complendi. Qui quidem haud minore ſtudio rependit Claudio, quæ ille exhibuerat Iacobo miniſteria, ſed exitu diſpari, Dei miſericordia pari. Namque huic dilata ad incrementum, Claudio ad celerem fructum repræſentata Cœli eſt merces. Sæuius Niuerni peſtilens flamma debacchata eſt. Quæ vt primum exarſit, cum Biturigas Collegij corpus amoueretur, paucis, qui affectæ Ciuitati ſubſidio eſſent, manentibus, inſtitit Petrus à Rue, vt liceret ſibi in periculi parte ſubſiſtere; & poteſtate facta, abeuntium ſe precibus Sociorum commendans, breui, inquit, de mea ad vos morte perferetur. Nec mora longa. Poſtridie anthrace diro feritur: quinto poſt die ſalutari munitus viatico vitam relinquit: Gaſpari Buchetto, qui ipſi aderat, gaudere ſe multum teſtatus, quod demum à diuina clementia id, quod ſummis

102 Iacobi Latrei mors pia.

103 Claudius Cuiſſotus Peſte affectis miniſtrans moritur.

mis precibus contenderat, vt in Societatis diſciplina extremum ſpiritum funderet, impetraſſet. Quæ vox timidiorem, vt in tanto periculo, Petrum Fayr Laicum ita confirmauit, vt quintodecimo poſt die, & ipſe idem vlcus tanquam diuinum donum exceperit, biduoque tradu&to in precibus, animoque purgando, iucundè migrarit. At Renatus Burgius, qui poſt hos cecidit, vt erat egregiè pius Sacerdos, vbi ſe contactum perſenſit, Gaſpare, vt ſe ad grates agendas adiuuaret, accito, Te Deum laudamus, lætitia geſtiens recitauit. Quem cum ſpiritus intercluſa anima defeciſſet, vbi Gaſparis cura recreatus eſt, ad eum conuerſus, Dominus, inquit, tibi Pater ignoſcat: quid me tam ſuauiter in Cœlum properantem reuocaſti? Cumque Gaſpar, quod differtur, nequaquam auferri ſubiecciſſet, & adhuc indigere opera eius Societatem, & hæc dicens lacrymaretur, Renatus quid, inquit, te feliciores luges? Alios ſequamur oportet, qui Collegium cæleſte incolunt: meæ reſolutionis iam tempus inſtat. Ita plenus gaudio ad beatam Societatem abijt feria ſexta, in eum diem, quo potiſſimum ad mortis Chriſti memoriam à Deo mori optauerat, vita prope miraculo propagata. Omnibus his Gaſpar Buchettus Sacerdos, omnibus humanarum & diuinarum rerum præſidijs, noctes dieſque præſto fuit inuicta conſtantia, & valetudine. Nec vero inter funera, & peſtis ardorem intermiſſa curandarum ſtudia animarum. Haud dictu magnum, ſed nouum, ac periucundum quod addam eſt. Per ſacra Principum Apoſtolorum natalitia cum Dux, & Cardinalis, Guiſij Muſſiponti adeſſent, tum literarum ſpecimen adoleſcentes, tum Chriſtianæ Catecheſeos pueri edidere. Illi præter alia ingenij opera, carminum partim Græce, partim latine ad ſex, & quadraginta millia propoſuere. Hi venere in certamen Chriſtianæ eruditionis cum ruſticis è Diœceſi Metenſi. Nam cum P. Carolus Roſcerius per eam Diœceſim diu, ac feliciter deſudaſſet, ex vndecim Pagis ſupplicantium habitu Matres, Patreſque, Muſſipontum pueros ſuos, ac puellas egere. Hic ipſo ſpectante Duce Oppidani cum Paganis ſeparatim inter ſe pueri, puellæque in ſtatutis ad eam rem pulpitis diſputarunt. Sua victores ferebant præmiola. Varios in vultu Parentum vidiſſes habitus, vt proſpere, aut ſecus ceſſiſſet paruulis cuiuſque certamen. Sed maxime videbatur geſtire Dux lætitia, præſertim quod circa Metas, in regione admodum ad eam diem contaminata zizanijs, adeo lætam videret ſanctarum frugum ſegetem adoleſcere. Itaque nullum faciebat ſibi ipſi gratulandi finem, quod in ſuas terras adeo nauos colonos inuexiſſet. Multæ per omnes Galliæ Prouincias obitæ euangelizando oræ. Collegia multa poſtulabantur. Sed Aginnenſes ſummis opibus contendebant. Et Ciuitas publicè, & Ianus Fregoſus Antiſtes, & Margarita Nauarræ Regina, quæ Aginni degebat, prompta ac parata omnia affirmantes, alijs ſuper alias literis Generalem Claudium fatigabant. Miſſus eſt velut in Stationem cum altero Sacerdote Seuerinus Guyſianus: quo Sacramentorum adminiſtro Regina, & præcipui quique vti cœlatius fundi, expetique videbant, qui ipſorum conatibus obſiſterent. Edidere volumen anonymon Rupellæ, in quo præter conſueta maledicta, & impudentia mendacia de origine, & moribus Societatis, repetita fere ex Kemnitio, & Boquino Germaniæ Lutheranis, Catholica de Indulgentijs, de Purgatorio, de Veneratione imaginum, & ſimilia impugnabant dogmata; & tamen libro titulum fecerant, contra præcipua capita Doctrinæ Ieſuitarum: quo ſcilicet facilius lectori imponerent, quaſi capita illa non orthodoxæ Eccleſiæ, ſed præcipua Ieſuitarum eſſent. Sed dum volebant dogmatum eleuare autoritatem, Societatis pluſquam vellent, fidem laudabant, cui quod Catholicorum commune eſt, tanquam proprium adſcribebant. Ad hæc in conuentu ad Montem Albanum menſe Septembri ſtatuerunt machinas admouendas omnes, vt è Gallia Rex Ieſuitas expelleret, ac Regni deinde finibus diligenter arceret. Ad id autem extorquendum à Rege, non Caluinia-

104 Felices mortes quorumdam ex peſte

105 Doctrinæ Chriſtianæ, & humanæ ſpecimina Muſſiponti.

106 Aginni Collegium poſtulatur.

107 Liber famoſus in Societatem editus Rupellæ.

108 Caluiniſtæ electionem Societatis è Gallia procurandam decernunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nianorum modo, sed Catholicorum etiam quorumdam opibus enitendum, causam, vti putabant, expulsionis ineluctabilem excogitarant. Aiebant Regi in animo esse clauum Regni Gallicani Nauarræo Regi committere: esse autem euidens non modo administrationem, sed ne vitam quidem Nauarræo fore diuturnam, si Iesuitarum natio versaretur in Gallia: Quod confirmabant Guilielmi Nassouij Principis Auriaci recenti casu. Hunc Burgundus quidam nomine Balthassar, per occasionem literarum de Alenconij Ducis morte ferendarum admissus in Aulam, captato tempore sclopi ictu occidit: idemque statim comprehensus post acerbissima tormenta, necem dirissimam constantia supra humanam pertulit. Hæretici, vt quibus, neque quid faciant, neque quid dicant, quicquam curæ est, neque opportuniores in quos incurrant homines vllos, quam Iesuitas putant, dissipare conati sunt rumorem, Iesuitarum consilio interemptum esse Guilielmum: & interfectorem (cum sacræ ceræ agno forte repererant) ab ijsdem præmunitum amuletis, & ad immanem illam peruicaciam veneficijs obduratum: cum tamen re vera, quod ipsemet persancte testabatur, nullo de Societate vllo modo consilij eius conscio, Gaspar facinus perpetrasset. Igitur hoc rumore animum Regis implendum dicebant, assiduisque irritandum obtrectationibus, vt Galliam omnem Iesuitis liberare animum induceret. Coniurabant egregie cum Hæreticis Dæmones. Nam per id tempus Augi Energumenæ ore acriter minitari cœpere se non quieturos, quoad ex Gallia Iesuitas exterminarent. Quod vt multis post annis, & quidem (Deo cuncta in melius vertente) quanto suo cum damno consecuti sint, opportune reddetur.

109 Calumnijs ad eam rem Hæretici grassantur.

Conspirante cum ijs Cacodæmone.

In Sardinia Insula res à Fabio Visitatore compositæ, belle cum vbique procederent, Busaquiense Collegium sublatum est ex proximi Generalis conuentus sententia, eo maximè, vt exiguorum Collegiorum tricis Societas expediretur. Res vulgo benigne accepta, præsertim quod nouum, pleniusque Collegium Alguerij reddebatur. Nam Alguerensis Decanus Carrobira aliquot ante annis fratrem scripserat hæredem moriens, cum eo, vt si is non relicta stirpe decederet, hæreditas ad Collegium Alguerij statuendum transferretur, tandiu illibata, reuolutisque in sortem amplificata fructibus, dum iustæ familiæ in alimenta sufficeret. Ad hæc Helena Antiochi Bellid aliquantum item pecuniæ dudum in eam rem legarat, facta Generali Præposito potestate, si aliunde necessaria subsidia non supplerentur, eam pecuniam alijs pro suo arbitratu intra Sardiniam addicendi. Attributa Busaquiensi Collegio fuerat. His ad Regem Catholicum à Cupidis Alguerienses Collegij perlatis, scripsit Rex ad Claudium Generalem impense commendans vti hæreditatem Carrobiræ cernere, & Helenæ stipem, quando Busaquium deserebatur, transferre Alguerium vellet. Itaque cum Pontifex quoque administrationem hæreditatis Carrobiræ Societati, quamuis nondum iustam summam expleret, tradi mandasset, inita hoc anno possessio est: & Alguerium profecti Leonardus Oliues, qui primus præfuit, Melchior à Sancto Ioanne, Lucasque Canalis Sacerdotes cum fratre Thoma Mallone, vix dum respirantem à luis vastitate vrbem opportunis rerum diuinarum auxilijs recrearunt. Quoad proprias ædes nacti sunt, apud Antonium Surreddu tum Canonicum, & Episcopi Vicarium, postea Episcopum Ales, domicilium habuere. Obijt Calari cum summa animi tranquillitate Franciscus Bernus, rari vir exempli; adeo in omni vita cupidus Crucis, vt supremo tempore inuisentes rogaret, vt male se iniurijs acciperent. Nempe nolebat vltimam sibi perire horam: morbique vitam carpentis dolores non satis existimabat ad famem suam, illo præsertim, quod restabat, breui spatio saturandam. Eo mortuo apparuit quanto plus homines vera pietas, quam humana quædam comitas afficiat. Nam Bernus quamuis non multus esset in consuetudine cum Ciuibus, tum studio religiosi secessus, tum occupatione regendi Collegij, & instituendorum Domi Tyronum;

110 Busaquiense Collegium in Sardinia dimissum.

Alguerienſe fundatum.

111 Francisci Berni mors pretiosa.

Et funus celebre.

num; tamen affirmat Melchior Valpedrosa Proprouincialis Sardiniæ, sua quidem sententia nullam fuisse Calari domum, quæ non boni Patris excessum grauiter deplorarit: quam caritatem etiam optime patefecit ingens ad iustæ eius Ciuium concursus, ingens copia lacrymarum. Bilbilitanum in Aragonia Collegium cœptum communi Ciuium studio, nullo certo fundatore, nulla conditione posita. Præcipuus autor eius Rodericus Zapata fuit, non solum re collata de suo, quam potuit, sed etiam multorum annorum perseuerantia corrogatis è multis locupletum adiumentis. Nec mediocriter iuuit Ioannes Petrius Ciuis item Bilbilitanus è primis, eo præcipua dignus grati animi memoria, quod primus ex ea Ciuitate Societatis fautor, & hospes fuit. Prægressi veris extremo Antonius Ramirius, qui fuerat Rector Valentiæ, & Ioannes Palomerius ambo Sacerdotes, dum & Catechesi, & concionibus, & cætera id genus sedulitate ciues excolunt, simul domicilio noui Collegij, sacelloque componendo institere. Quæ vbi satis parata sunt, die Sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum, Ioanne Zapata Roderici Auunculo sacrum festo apparatu faciente, nouæ domus natalitia cum magna ciuitatis approbatione celebrata. Quaterni Sacerdotes, ac Laici Antonio Ramirio Præfecto, Coloni primi fuere. Ingens in Bœtica præcipuas vrbes, quæ nondum imperarant Societatem, eius habebat ardor, Astigin, Vbedam, Caciorlam, Lerenam, alias: in quibus omnibus hoc anno per ieiunij quadragintadialis conciones res pietatis præclare gesta. Astigitanis singulari pietate instantibus, dum perpetuæ sedi dotem conficiunt, statio concessa. Lerenæ concionatus Ioannes Frias antiquæ vir, saluberrimæque facundiæ, afflatu sub initia nonadmodum secundo vsus. Nam residebat adhuc in multis opinio, damnatos olim pro Illuminatis in ea Vrbe presbyteros, homines de Societate fuisse. Itaque etiam puerorum petulantia toleranda principio fuit. Sed breui reliquias erroris omnes eximia concionatoris oratio, & virtus absterfit, tanto Societatis nobiliore excitata fama, quanto perfectæ laudis imago ipse erat illustrior. Dedit Hispalis Cœlo dignum sancta illa Ciuitate par Rodericum Florium quotidianæ operæ administrum, & Georgium Aluarium Sacerdotem: in suo vtrumque ordine exactum, & artificio gratiæ Christi subtiliter expolitum. Rodericus quo nihil pauperius, nihil humilius, nihil tota vita seuerius, assidui operis molestias perenni ieiuniorum, ciliciorum, & flagellorum vexatione condiebat. Voluisset alicubi inter Indiæ ignota loca Dei causa, necessarijs tuendæ vitæ destitutus subsidijs agere. Fingit enim sibi caritas ærumnarum varias formas, & ad ea se simulacra exercet. Tanto est ordinariâ materiâ superior. Alebat Florius duritia vitæ mortalis immortalis cupiditatem; quoque se altius supra humana tulerat generoso fastidio, hoc Deo arctius, & iucundius inhærebat. Quouis in opere, loco, ac tempore nihil habebat suauius, quam de Deo cogitare, cum Deo versari. Vbi sua manuum opera diligenter explerat, ad diuina Colloquia, tanquam Ceruus ad fontes aquarum sitiens, festinabat: quibus quo diutius frueretur, spatia somni contraxerat. Quin adeo sæpe nulla per noctem erat afflicto eius corpusculo quies, nisi quæ vigili in preces perstillabat ex animo. Nec raro supera vi terrena ipsa corporis moles raptum in ecstasim animum sequebatur, & sublimis pendebat in aëre, adeo stupente sensu, vt confixis acicula pedibus, nihil sentiret, nec posset loco moueri, aut membra aliter, quam sita erant, inflecti; vt aliquando à prima vespera Feriæ Quintæ Maioris hebdomadæ, ad insequentis diei lucem, brachijs in Crucis modum protensis, rigidus, & immobilis pependerit. Inuentus etiam interdum suo in cubiculo foribus obstructis abiectus in genua orans, totum os splendore cælesti aspersus, toto pariter collucente cubiculo. Quibus Cœli suauitatibus vtens ille magis, quam fruens, quanto dulciora experiebatur cælestia, tanto amarorem casuum humanorum auidius appetebat. Precatus fertur vehementer ab Deo, vt graui, diuturnoque aliquo morbo, tanquam fornace vellet scoriam omnem

112 Bilbilitani Collegij initia.

113 Astigitanis statio in spē Collegij concessa.

114 Ioannis Frias ſij conciones vtiles Lerenæ.

115 Roderici Florij excellens virtus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem sui cordis excoquere, seque limare, ac perpolire, quo dignius in-
Et pia mors eius conspectum veniret. Audijt preces Pater Cælestis, semestrique elaboratum tabe, corpore sensim detracto sincerum spiritum ad se se recepit. Sub extrema Rodericij rogauit eum Georgius, impetraret sibi solennia Christi natalitia, quæ instabant, vt liceret in Cœlo peragere. Quod cum recepisset Frater, cumulate etiam præstitit. Quarto Idus Decembris decubuit Georgius, pridieque Natalis Domini primis tenebris ad lucem beatam diuinis præparatus mysterijs lætus excessit. Vir fuit omni virtutum genere, sed ante omnia studio salutis animarum memorandus. Ortus Vbedæ, à puero valde ad diuina propensus, & orationi deditus. Decurso Philosophiæ, Theologiæque studio, ad hæc biennio in docenda grammatica versatus, Granatæ maioris diuini obsequij studio, magnis Cœli suauitatibus, motibusque interorandum pellectus, in Societatem venit anno quinquagesimo octauo seculi, de quo scribimus, septimo & vigesimo suæ ætatis. Vt cæteris in rebus, ita in disciplina virtutis solent initia progressus ostendere. Continuo Georgij inter Socios, obedientia, compressio cupiditatum, contemptio sui, & cætera religiosæ professionis insignia spectabilia cœpere esse. Sed iam tum ardor ille eminebat errantes homines ad salutis callem reuocandi. Ad opus hoc factus, ad hoc totus incitabatur diuinitus. Nihil habebat iucundius, quam improbi hominis reditum ad virtutem, aut boni in virtute progressum. Nihil ita eundem angebat intimeque excruciabat, vt Dei offensa, & æterna hominum Christi sanguine redemptorum pernicies. Nihil adeo arduum, ac formidandum potest cogitatione fingi, quod Dei fretus ope summo cum gaudio susceпturus non esset, si adiumentum animarum inde speraret. Idque vehementer à Præsidibus rogabat, se se vt mitterent ea in loca, quæcumque tandem forent, vbi vel quiduis pateretur, quo proximi salutem consequerentur, quæ est in Christo IESV. Cœpit in publicis foris, & compitis docere Christiana rudimenta, assiduus esse in Confessionaria sella, nunquam quietem capere. Si laboris materia adesset in templo, nunquam inde pedem efferre. Vbi vltro conuenientibus satisfecerat, exire in plateas, in vias, in agros, ac sepes, inuitare, pellicere, compellere omnes ad Magni Regis cœnam. Et vt sincera plane mente pro Deo laborabat, atque cum Deo, difficile dictu est, quam mirabiles morum commutationes effecerit, quam grauia sedarit odia, quam multas resarserit amicitias, quam multorum effrænatas cupiditates infregerit: quot inopum aliorumque calamitosorum succurrerit angustijs, quot ægris animi salutem, corporisque reddiderit. Primos annos Granatæ, reliquos ferme Hispali exegit. Assumebat sibi libertatem, ac fiduciam Magni Dei ministro dignam. Obuios, & ignotos compellabat, & interdum tanquam pro potestate iubebat sequi se, & protinus confiteri, incendens interim verbis, iuuans industria, vt nunquam melius parati absoluerentur. Prout ferebat vsus locupletes conueniens, Tu, inquiebat, illum vesti nudum: illi tu obærato, carcereque clauso succurre: tu ægro illi subsidia cura, & medicamenta, & alia id genus. In ludentium circulos incidens, inferebat se medium, aleas, talosue postulabat, & tradebantur. Iubebat ipsis in compitis si quem execrantem, deierantemue audisset, flectere in eodem vestigio genua, & solum exosculari: & habebat fere omnes mirabiliter obsequentes. Et sane magna Christiani operarij virtus est, nullum putare tempus non aptum sementi. Mane, inquit, Ecclesiastes semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriatur hoc aut illud, & si vtrumque simul, melius erit. Seminator Euangelicus non modo in terram bonam, sed & in viam, & in spinas, & in saxa semen proiecit. Et solebat dicere Georgius, descripta ab Apostolo venisse iam tempora, cum homines sanam Doctrinam non sustinerent: quare instandum opportune, importune: non quidem quod proijciendæ sint margaritæ ante porcos, sed quia cauendum est, ne cauta nimis, potiusque car-

116 Georgij Aluarij obitus, & virtutes.

117 Studium eius, & industria efficax salutis hominum procurandæ.

118 Sancta eiusdem libertas, & assiduitas in opere.

carnis, quam spiritus ex offendendi metu prudentia præclaras occasiones corrumpat. Qui enim obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet. Non est illa modestia, sed mollitia: non considerata maturitas, sed stulta lentitudo. Verum enim verbum est, Qui corripit hominem gratiam postea inueniet apud eum magis, quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Sed quanto plus libertatis, ac potestatis vsurpas, tanto necesse est clarius emineat in te persona, quam sustines Dei. Tum cedunt monitis mentes humanæ cum extat in monitore diuinum quiddam, vt appareat non homini obtemperari, sed Numini. Neque ad eam colligendam autoritatem necessaria habemus miracula, & prodigia, sed constans virtus, & æquabilis in re omni loco ac tempore tenor sanctitatis abunde est: & ante omnia si constet, te non quæ tua sunt quærere, sed quæ Christi IESV, quæque animarum salutis. Hæc extabant in Georgio, his scelera expugnabat, hæc successum præclaris dabant incœptis. Fertur in Sacerdotis domum pellicem pessimo exemplo palam habentis, ingressus, cum ambos accumbentes mensæ deprehendisset, primum obiurgasse, tum seuera, ac libera voce iussisse feminam extemplò facessere: turbatoque presbytero, ac cæteris, & principio etiam vim parantibus, cum ille perseueraret interritus, ita omnes fractos, vt inciperent precari tantillam moram, confestim quam minimo strepitu amandaturos polliciti: nec tamen abstitisse Georgium, quoad omnibus attonitis præ se feminam agens confusam, ac trementem eduxit; quantoque fieri maximo silentio potuit, collocauit in tuto. Per agrum Hispalensem iter faciens in Veterinarios quosdam incidit, à quibus equum iussus conscendere, cum simul pergerent, audiuit post tumulum, cui appropinquabant, periculum ab latronibus esse. Bono eos animo iussit esse, ac Deo fidere. Vbi ventum ad tumulum, latrones apparent, ac Georgius comitibus iussis subsistere, ex equo delapsus, pergensque ad homines prædæ auidos, quem primum obuium habuit, vultu, ac voce terribili ita affatur, Fare age bone vir, est ne tibi potestas à Deo viatores expoliandi? Quæ vox ita illum, ita cæteros, qui proxime sequebantur consternauit, vt tanquam Agni mitissimi Patrem circumstantes, cœperint suam inopiam excusare, ac deplorare calamitatem, quod militiam olim professi, manuum insueti laboribus, cogerentur iam vitam alienis iniurijs tolerare. Miseratus Pater homines, à Veterinarijs, quod habebaut commeatuum sumpsit, ijsque dedit. Demum post refecta corpora, egregie monitos, ac sua dolentes facinora dimisit. Alio tempore hominem insontem insimulatum nefandi criminis, addictumque ob eam rem flammis, cum cognouisset, exorata à Iudicibus quatuor ac viginti horarum dilatione, ad conquirendum calumniatorem discurrit: reperto in agro, accidit supplex ad pedes, humiliter per IESVM Christum obtestans, ne innocenti vitam, & famam per summam iniuriam ereptam vellet: qui cum negaret à se quicquam commissum, repente Georgius exurgens sua illa vi, maiestateque oris, ac vocis, intonat, Non paues improbe, non paues supplicium tibi instans à Deo? I mecum, nec tibi quicquam à Magistratu timueris: sed tu periculo, in quod coniecisti, exime innocentem. Sequitur homo confusus tanquam occulta vi tractus, domum Professorum adducitur: publico excipiente scriba coram testibus idoneis accusationem retractat: innocenti salus conseruatur: libertas, ac fama integra redditur. Sed calumniator, quanquam secreto eum Pater in tutum dimiserat, tamen Deo iustas expetente pœnas, paucis post diebus datus in carcerem, quam alteri molitus erat iniuste, pœnam incendij sustinuit. Melius cum quodam periuro actum est, quem Pater ad periurium suum publicis actis rite reuocandum adductum, pœnaque legum liberatum, ipsummet contra se vehementer accendit. Itaque maximo cum dolore sua vniuersa crimina ad Sacramentum Pœnitentiæ detulit, ac multis cum lacrymis expiauit, adeo in tempore, vt tertio post die repentina morte conciderit. In his quam potens verbo esset apud homines Georgius

119 Insolita eiusdem ausa miro euentu.

120 Orationis ad Deum præsenti experimento comperta vis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gius apparuit : in eo quod sequitur, quam simul apud Deum valeret. In hominem male gestis negotijs totum desperabundum, ac furentem cum incidisset, ex turbato vultu rem suspicatus, comiter accedens, insinuauit se leniter in sermonem, sensimque elicuit quicquid animo miser coquebat: non tamen vllæ, seu blandæ, seu graues voces durum pectus emolliuere. Tum Georgius ad comitem versus, hic opus est, inquit, præsenti manu Dei: flexisque vterque genibus pro obstinato homine dant se se in preces. Precum ea vis fuit; vt quamdiu illi perstitere orantes, gressum homo non mouerit, ac deinde totum se Patris in sinum coniecerit. Cuius consilio inprimis generali expiatione conscientiam, deinde etiam negotia recte vtiliterque composuit. Minus negotij, haud minus Diuinæ clementiæ fuit in illo. Egressurus domo Pater ad suas de more venationes animarum, cum paulum moræ, quam postularat, comiti concessisset, mutata repente voluntate, sequi iubet. Haud multum progressis occurrit homo nunquam ante, quod scirent, conspectus. Appellat eum vltro Georgius, conuersoque domum itinere in templum deducit. Instat alloqui, quoad miser laqueum protulit, quem ad se se perdendum gestabat. Expiatus, & ipse confessione est, & ablato laqueo liber onere conscientiæ, plenus consolatione dimissus. Hæc & alia id genus non sine multis laboribus, & ærumnis, & interdum contumelijs, iniurijsque gerebantur. Nam connexa fere sunt, multa præclare facere, ac dura perpeti. Neque præda tam multa de Satanæ extrahi faucibus poterat absque graui certamine. Sed hæc magnis animis sunt incitamenta virtutis. Anno 1580. cum dira illa terrarum vexatrix grauedo tantum mortalium strauit, confecitque; annisque deinceps consequutis duobus, cum Hispali pestis desæuijt, habuit latum se se fundendi campum Georgij operosa caritas. Obibat vicatim vrbem: vt quisque maxime destitutus iacebat, ita curabat studiosissime. Pestilentiæ tempore cum plurimi Nosocomio non reciperentur, siue Ministrorum culpa, vnde nil sperarent negligentium, siue ægrorum multitudine abundante, horum sibi præcipue curam assumpsit: distribuit per curias: Medicos, pharmaca, alimenta conquisiuit: multaque vno tempore virtutis exercebat opera, emendicans vnde mendicos pasceret, dans in periculum se, vt pereuntibus subueniret: his animi: his corporis, illis vtramque salutem reddens. In his, & talibus ministerijs, vt qui soli Deo laborabat, plausum apud homines, gratiam, & emolumenta, quàm mercenarij quærunt, tam ipse refugiebat. Dum Hispalensem per agrum aliquando euangelizat, nocte interceptus prope villam viri nobilissimi, sibi addictissimi, occultato suo nomine, per internuntium id modo rogauit, vt in paleario sibi receptum præberet. Plus aureorum nummum triginta millia eo autore Hispali distributa in pauperes sunt. Ex quibus non modo nihil ad suas intercepit vtilitates, sed ne ad suas quidem venire manus volebat res, verum per fidei perspectæ personas conseruari, ac diuidi; data insuper opera, vt autor ipse beneficij ignoraretur. Hos inter bonos labores ad glorioſum eorum fructum, quo supra dictum est, die peruenit. Ad persoluendum amantissimo Patri supremum officium ingens multitudo affluxit. Dum vero ad contingendum venerandum corpus Rosarijs, & pedes exosculandos accurritur, homo qui forte interuenerat, paulo certam ob causam viro Dei offensior, diu stimulis interioribus incitatus, vt & ipse pium exequeretur officium; denique potius circumstantium oculis, quam suæ pietati seruiens, accessit; Patrisque manus, ac pedes exosculatus, retulit postea miram se odoris suauitatem è sacro manantem corpore hausisse, & alia eo die admiranda ad viri testandam vitæ probitatem eueniſſe narrantur. Dum vero corpus tumulo inferendum aufertur è medio, sublato repente in circumstante turba ploratu, eiulatuque, tanquam suum quisque parentem auferri sibi videret ex oculis, concursus ad rapienda certatim, quæ pro reliquijs asseruarent, est factus. Etiamnum effusius honorauit Ocania Fernandi Mar-

121 Georgius peste; afflictorum curam gerit.

122 Mors eius, & funus frequens.

123 Ferdinandi Marchesij pius obitus.

Marchesij suprema. Vbi migratio eius audita est (in quintum nonas Iulias incidit) vltro Curiones vrbis omnes funebre campana signum dedere. Tum ad visendum, exosculandum, rapienda monumenta populus ardentissimis studijs conuolauit. Fuit is Sacerdos ex Hormilla Calaguritani Episcopatus oppido, lenitatis, & mansuetudinis in nullam partem mutabilis, quæ cæterarum quasi chorum virtutum ducens, hominem supra modum amabilem toti Ocaniæ venerandumque faciebat; ita vt sæpe ipse postularit veniam alio commigrandi, vbi obscurus, ac vilis esset. Vt fidelis ille animus exijt è corpore, supra cubiculum clara conspecta lux pro argumento est habita eius lucis æternæ, ad quam ferebatur in Cœlum. E tumulo post aliquot annos ad alium condendum Sacerdotem patefacto, magna cum omnium admiratione suauissimus odor afflatus est. Septimo Kalendas Nouembris in Toletana Domo Franciscus Strada consentaneum laudatissimæ vitæ finem imposuit, inter prima Societatis Columina merito numerandus. Excelluit in eo donum Sacræ prædicationis. Adolescens per Italiam, iuuenis in Belgio, dein per omnem Hispaniam matura ætate, & facultate, cum singulari grauitate, vi motuque concionis vbique frequentissimæ auditus est. Interrogatus aliquando à Ribadeneira vnde eo dicente, tantus existeret vbiuis locorum in auditore motus? ingenue respondit, sibi inter dicendum radium quendam, & impulsum illabi cælitus, quo totus præcordijs intimis commoueretur: inde fieri, vt audientes motu eodem afficeret, inde postea morum sequi commutationes. Sane ad recipiendam diuinam vim se ille impigre comparabat. multis annis ter in die flagella repetijt, semel pro animabus, quæ post hanc vitam purgantur: iterum pro conuersione in lethali noxâ iacentium: postremò pro Ecclesia vniuersa. Alia præterea cruciamenta corporis: ad hæc singulare orandi studium, secessum, rerum omnium humanarum contemptum adhibebat. Creditur illibatam ad extremum spiritum pudicitiam custodisse. Mirum quam magnificè, &, vt aiebat, diuinitus sæpe edoctus de Societate sentiebat. Ad eam perpaucos, ne se quidem, putabat idoneos. Quid sanctitatis in eius requiratur alumnis, ægrè verbis exprimi dicebat posse: tamen neque verba necessaria multa esse, cum ex ipso nomine constet si recte intelligatur, quid sit, haud vtique nomine tenus, sed re vera esse dignum Socium Christi IESV. Fuit ipse multæ patientiæ, facilis ad alienas commoueri calamitates, ad opem ferendam egenis acer, ac promptus: prudens in rerum publice administrandarum consilijs. Verum hæc, & salutarem illam facundiam postremis annis voluntaria quadam solitudine inter Sanctorum Patrum monumenta, sibi vni, Deoque viuens abscondit: maiore fortassis cum animi sui quiete, minore certe cum Ecclesiæ fructu. Dum hi ad beatas emeritorum sedes euocantur, superstites in militia Socij strenue virtutis bella bellabant, satana contra, clam, palam omni ope pugnante. Præter Peredi procellam alibi narrandam, vt diximus, aliæ tumebant, quæ in consequentes erupere annos: in præsens, quod superiore motum, hoc anno transactum in Vrbe Victoria est, iuuat describere, vt appareat, quam contra hominum spes, cogitationesque sæpe incœpta cadant. Gens quam Hispani vocant linguæ Vascongadæ, modicis tribus continetur Prouincijs inter se finitimis, Guipuzcoa, Biscaia, Alaba, Hi olim Cantabri fuerant. Gens vniuersa, vt fere per saltus, montesque dispersa, & ingenio ferox, cultura supra modum indigebat. Et Societas, quæ maxime destitutos, vel in ipso nouo conquirit orbe terrarum, hoc propensius hisce populis sua dedicare cupiebat obsequia, quod & nobilitas merebatur gentis, & ipsa inde Ignatium Parentem suum acceperat. Videbatur enim patria illa suo iure partem repetere fructuum, quos terris omnibus peperisset. Hæc faciebant, vt dum vbique locorum in repudiandis, quæ offerebantur Collegijs laboratur, si aperiretur in Cantabriam aditus, eundum absque mora Patres censerent. Maxime opportuna sedes iudicabatur Victoria: vt inde

124 Itemque Francisci Stradæ.

Vnde concionum eius efficacia.

125 Terna quotidiè flagellatio.

Cæteræ Stradæ virtutes.

126 Oppugnationes Societatis variæ.

127 Societas officio grati animi erga S. Ignatium, eius populares iuuare studet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de commodius excurri per circumiectas posset oras, & iuuentus virtute, literisque institui eo fructuosius, quo plus auditorum loci celebritas suppeditaret è suis, è peregrinis acciret. Itaque cum Iacobus Morus de Alaba Canonicus Victoriæ in eam rem domum donasset, & alij quidam summis precibus & promissis Collegium postularent, fecit potestatem Claudius Generalis Antonio Marcenio Prouinciali Castellæ rem in nomine Domini aggrediendi, translatis eodem Ognatensis Collegij principijs, vti per vltimum Generalem conuentum licebat: cum Ognate haud tanta in commune vtilitas, quanta

128 Collegium Ognate in Vrbem Victoriam translatum à Victoriensibus reiectum.

Victoriæ sperabatur, extaret. Marcenius, quò res maiori cum auctoritate gereretur ab Ioanne Ochoa Salazario Episcopo, ab Philippo Rege, ab sorore eius imperatrice Maria commendatitijs literis acceptis, Ioannem Osorium cum aliquot Socijs Victoriam mittit. Hi paratas à Canonico ædes ingressi, & adornato sacello, omnia legitimæ possessionis vsurpant iura: dant signum ære Campano, sacrum faciunt, dumque alterum maiore apparatu cum cantu sacrum peragitur, ad Magistratum cum Regis, & Antistitis accedunt literis, suam in Ciuitatis, totiusque nationis adiumentum operam dedicantes, responsum re magis, quam verbis datum est. Mittunt Sacerdotem, qui diuinissimum Sacramentum in nouo Sacello iam collocatum in Paræciam proximam transferat: tum altare dissoluunt: sacellum ad communes vsus restituunt, & donatam insuper Societati domum occludunt, summo cum dolore Canonici Alabæ, & aliorum, qui Societatem haudquaquam talem in spem acciuerant; sed à plerisque obuijs vlnis exceptum iri prædicauerant. Res continuo ad regium defertur Consilium, & incipit disceptari. Victoriani anno 1577. (vt quidam aiunt Societati aditum intercluſuri) cum regium Consilium edocuissent bina sibi virorum, ac feminarum Cœnobia esse, Sacerdotes præterea supra centum viginti, & Ciuitatem inopem, decretum abstulerant, nequa noua Religiosorum familia iure Victoriam introducta censeretur, nisi Ciuitas decem ante dies admonita esset. Quod cum Patres non obseruassent, immo se clanculum obtrusissent, Victoriani aiebant, se ijs excludendis suum ius defendisse. Pro Societate præter cætera apertè faciebant summorum iussa Pontificum, quæ in domiciliorum eius institutione, neutiquam secularis potestatis assensum requirunt. Itaque pro hac parte responsurum Consilium regium haud dubia erat coniectura, præsertim quod Rex satis perspectas habebat locorum necessitates, & Maria Imperatrix enixè certabat. Verum

129 Claudius Generalis abfisti negotio iubet.

vbi Generalis Præpositus rem cognouit, vehementer quidem doluit, adeo præter spem malè grata accidisse eo loco studia suorum ex mente profecta optima. Cæterum minime pro Collegijs multiplicandis suscipiendas lites intelligens, tum quia tanto amplior Societati locorum suppetebat, quam hominum copia, tum quod violenti ingressus proposito nobis fini iuuandarum animarum consentanei minime sunt, protinus incœpto desistendum existimauit. Itaque absque mora ad Ægidium Consaluium, & Antonium Marcenium eiusdem sententiæ literas dedit, vt etiam si forte iudicatum pro Societate iam foret, cum eæ perferrentur literæ, nullo tamen pacto, nisi Rex disertè mandaret, Victoriam ingrederentur. Longè enim abesse à seruis Dei, vt veluti per vim velint irrumpere. Societati proprium esse ad publicam vtilitatem fortiter quidem eniti: at vbi tanta perturbatio, atque offensio obstat, modestè recipere se, deque suo iure concedere. Neque pertimescendam inde ignominiæ notam: nam præter testimonium conscientiæ, satis manifestum esse, quam multa eodem tempore in loca accerseretur opimis cum vectigalibus; cum triennij spatio ipsemet ad quinquaginta repudiasset. In eandem sententiam scripsit ad Regem: fusiusque cum eo agere Franciscum Porrem iussit. His datis literis ab ipsa Ciuitate Victoriæ literas mense proximo accipit, rogante, vt iuberet à causa desisti, quibus ille in hæc verba respondit, Quarto ab hinc die literas vestras quinto Kalendas Nouembris datas accepi. Nouit Dominus, quæ istic cum Societatis nostræ hominibus gesta sunt, quan-

quanto me dolore affecerint. Id adeo vel ex eo licet intelligi, quod statim vt rem cognoui, fieri mandaui. sine mora enim desiderijs vestris obsequendum censui, & id dandum, quod in præsentia postulatis literis vestris. Castellæ, ac Toleti Prouinciales continuo, etiamsi forte causam apud Regium consilium obtinuissent, absistere iussi, vti iam credo eos fecisse: atque ita Deo bene iuuante semper ero paratus, quod vobis gratum fore intelligam, in alia re quauis agere, vt in hac egi: in qua sane pro certo habeo haud recte vobis expositum consilium nostrum, totiusque Societatis fuisse: cum nihil nisi inseruire vobis, satisfacere officio nostro vellemus. Etenim nostra hæc Societas inde vsque ab eo tempore, quo Deus illam per sanctæ memoriæ Parentem nostrum Ignatium genuit, quemadmodum cæteris nationibus suam operam cum Dei ope fideliter præstat, ita eiusdem sui Parentis causa ad istam eius patriam, nationemque Vascongadam, tum Ecclesiasticis ministerijs, tum institutione, atque educatione iuuentutis in virtute, ac literis iuuandam præcipua semper cum pietate, ac propensione tetendit. Hæc mens adeo est efficax, & sincera, vt cum istam vrbem existimaremus maxime idoneam sedem ad earum rerum effectum, ac propositum finem, impulerit nos ad id cum ea agendum, quod cum alia nulla in Europa est actum. Id erat, vt non solum operarios idoneos, verum etiam quingentos aureos nummos annui vectigalis ad eorum alimenta istuc transmitteremus: alijs priuatim multo plus pollicentibus: adeo vt nihil Ciuitati Victoriæ decederet, nihil ex ea expectaretur. Verum adeo res aliter cecidit, vt contraria, quemadmodum reor, suspicio fecerit, vt adeo male Societas istic exciperetur: nihil equidem tale merens, aut timens: quin potius sperans fore, vt benigne, cumque actione gratiarum exciperetur. Hæc pollicebantur non ea solum, quæ agebat, & amor, ac sincera mens, quibus agebat, cum re vera nihil, nisi quod dictum est, spectaretur; sed etiam quia ea agebat tempestate, qua cum accerseretur, & flagitaretur multas in oras admodum opimis oblatis reditibus (vt poteritis ex quouis cognoscere) eas inuitationes, flagitationesque ob penuriam operariorum prætermittebat, ac tempore eodem istam deligebat vrbem, in quam cum operarijs, & vectigalibus ad obsequia Dei, Regis, totiusque Ciuitatis se se conferret. Quæ cum ita sint, spero in Domino vobis ipsis iam cognitum, quam pio, rectoque studio istic Societas, quam item iuste, legitimeque veniret: Quemadmodum habeo persuasum, quod aduersus eam actum est, eo solum factum, quod causa non bene cognita esset. Verum vtcumque fuerit, certum habetote, nos de voluntate, deque amore, quo studemus in Domino inclytæ vestræ nationi deseruire, nihil immutaturos, neque cessaturos, tum ei communiter, tum propriè isti Ciuitati Diuinam Maiestatem bonam, ac propitiam comprecari. Hæ literæ dum perferuntur, iam suas Rex acceperat. Quibus perlectis, & à Porre fusius de tota re edoctus, respondit. sibi admodum probari Præpositi Generalis administrationem, & fructum, quem vbique locorum Societas afferret. De causa Victoriæ cum Præside Consilij agendum: quæ cum singulari beneuolentiæ significatione Rex dicere visus est. Voluere Consiliarij etiam literas Generalis Præpositi ad Prouinciales scriptas inspicere: quas cum quinto Idus Februarij vna cum datis ad Regem publice recitari iussissent, omnes consensu vehementer probauere modestiam, prudentiam, & sanctas voces (sic enim loquebantur) quibus P. Generalis suis in epistolis vtebatur: adijcientes satis apparere, caput esse, ac ducem adeo sanctæ familiæ. De summa rei haud secus statuendum, quam ille censuisset. Ita Marcenius cum & ipse per literas seperatim Ciuitati Victoriæ, Canonicis, Cleroque satisfecisset cum pace Socios reuocauit, haud ingrato pleriſque modestiæ exemplo. Quan-

130 Eius ad Victorienses literæ.

131 Liber famosus Victoriæ vulgatus titulo Decalogi Theatinorum.

quam per idem tempus Victoriæ apparuit, ac tota dein celebratus Hispania est, libellus famosus, autore incerto, quo Theatinorum (ita nos vulgo appellant) præcepta decem diuinis aduersa per scurrilem contumeliam ficta de-

scri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pompeioli Collegium apertum. Angræ restitutum.

scribebantur. Eodem tempore sedatis iam prorsus turbis, quibus iactata sunt Pompeiopolitani quoque Collegij initia, in eo literarius ludus, summo omnibus lætis, apertus est.

Angræ in Insula Tertia Lusitanæ Prouinciæ restitutum est Collegium. Ad duos, qui superiore anno redierant, Ludouicus Vasconcellus Rector cum Socijs tribus accessit: qui certatim ab omnibus summo honore, & gratulatione excepti. Res admodum præteriti belli afflictas calamitatibus reperere. Vbi dum quemadmodum discipulos Christi decet, iuuare omnes impensè student, eosque nihilò secius, à quibus maiorem patientiæ materiam in obsidione nuper habuerant, vt sunt hominum demum pectora ad humanitatem facta, cæpere ij Religiosorum caritatem mirari, ac prædicare.

132 Sodalitium iuuandis animabus defunctorum conditum.

Præsidiariæ militum cohortes nominatim, cum publicâ vtilitate, ad Christianum officium, ad venerationem B. Virginis, ad quotidianum spectandum sacrificium, ad frequentem vsum salutarium mysteriorum fœliciter institutæ. Eboræ sodalitium conditum, quod præcipuè in animis mortuorum iuuandis exerceretur. Olysippone condita domus habendis instituendisque Cathecumenis, è sectâ Saracenorum. Id sæpè ante tentatum hac occasione perfectum est. Serijj, eius Africæ Regis, pro quo restituendo Sebastianus Rex Lusitaniæ perijt, filius propè Olysipponem degebat, è cuius comitatu nobiles aliquot, Christianorum Sacrorum cupidi, cum professos Patres adijssent, Petrus Fonseca Præpositus primum ijs ab Alberto Austriaco, Regni pro Philippo Moderatore, diuersorium, & impensas ad Baptismi celebritatem impetrauit. Tum per eundem à Rege tenuit, vt perpetuum domicilium in eam rem conderetur.

133 Domus Cathecumenorum Olysippone.

Eidem Fonsecæ leges domicilij scribendi negotium datum; & Societati, quoniam rei curam domesticæ recusauit, quæ ad pietatem pertinerent commissa:

134 Eduardi Menesij in Tyrocinio constantia.

In Angolæ Regnum quatuor missi. decem in Indiam. Redditi aliquot Cælo in quibus Duardus Menesius. Cui cum sex annis ante etiamnum tyroni euenisset Patrimonium amplius denis millibus nummûm annui census; rogantibus vtrum vellet hæreditatem adire, respondit se non eo animo sæculo renunciasse, vt deinde Cœlestia terrenis permutaret. Cæterum gaudere se, eas opes obuenisse sibi, & amplius gauisurum si ampliores forent, quo plus Christi causâ posthaberet.

Legati Iaponiorum Regum hoc anno Cocino versus Lusitaniam soluerunt x. Kal. Martias, biennio euoluto, ex quo Iaponiâ exierant. Prorex tum

135 Legati Iaponij Cocino versus Europam soluunt

Indiarum Franciscus Mascaregnas tria ipsis aureorum millia in viaticum Olysipponem vsque numerauit; iussitque, vt quæ optima instructissimaque nauis habebatur, inter quinque destinatas in Europam, eisdem tribueretur. Ei naui à S. Iacobo nomen erat: in quam P. Iacobus Meschita, cui Valignanus in Indiâ, vt diximus, præter spem detentus, suas ducendorum Romam legatorum partes commiserat, vnà cum ijs conscendit. Nunnius item Rodericius

136 Nauis eorũ Diuino fauore casuum maris expers.

totius ipsorum comitatus præfectus. Nauigatio ijs contigit in paucis fœlix: quod ne placidiori tum mari, & tempestati forte commodiori possit imputari, obstat quod aliæ quatuor, quæ eodem tempore cursum eundem incæpta-runt naues, varia, grauiaque Cœli, ac sali passæ incommoda sunt, quibus vna S. Iacobi nauis caruit, Deo illam peculiari fauore prosequente. Quo magis, quam vento, aut arte Gubernatoris freta, cum scopulos ad Insulam Madagascarem S. Laurentij multorum naufragijs infames prosperè vitasset, sexto Idus Maij Promontorium bonæ spei mirâ facilitate flexit, nullam passa earum procellarum, quæ sæuire illic horribiles solent. Ad insulam inde, cui à S. Helenâ nomen est, in medio iacentem Oceano, pari propè interuallo inter Promontorium bonæ spei, & æquatorem, cum appulisset, eò ad aliquot dierum opportunam quietem exscendere visum est. Modico hæc ambitù, quippe haud plus nouem milliaribus patens, adeò tamen arborum fructibus,

137 Insulæ S. Helenæ situs, & commoditas.

adeò carnibus, piscibusque, ac reliquis humano victui vtilibus, ac præsertim frigidorum aquæ dulcis in primis salubrium scatebris fontium abundabat,

vt

vt possit intelligi stationem ibi, ac diuersorium vasta illa sulcantibus Maria indulgentiâ quadam Prouidentiæ Diuinæ præparatum. Fama est anno huius sæculi duodecimo, Lusitanum militem redeuntem ex Indiâ, solitariæ vitæ in Dei exactiori obsequio apud eum secessum degendæ studio incensum, ibi consedisse, ac delatis è naui secum aliquot paribus altilium auium, quadrupedumque mansuetorum, qualibus plerumque ad cibum Europa nostra vti solet, succrescente mox in Solo ac Cœlo felici mirificè sobole, vniuersam Insulam istarum animantium gregibus implesse. Terræ quoque cum mandasset mitium frugum, atque arborum, illata item è nostrati solo semina, prouentum eorum benignissimum tulisse. Quo Lusitani Reges cognito, vetuerunt ne vlla illic colonia statueretur; nec quisquam in eâ Insulâ præter vnum, alterumue Anachoretam degeret, quo cuncta illius copia reficiendis ex longo cursu classibus abundaret. Ibi loci, Iaponici Adolescentes iucundam amœnamque stationem habuerunt diebus vndecim, venatu piscatuque facili, prædâ passim obuiâ, longæ nauigationis tædio leuato. Inde Rectoribus cursum incœptum repetentibus, solicitudo incessit, ne Piratis circa Insulam Tertiam insidiari solitis nauis vna prædæ foret: nam alias quatuor, quas ibi se reperturos sperauerant, earumque comitatu, ac mutuo præsidio tutius ituros, biduo ante, quam illuc appellerent vela fecisse cognorant. Id quoque periculum Diuina potius benignitas, quam humanum consilium, & ipsum eodem adhibitum, discussit. Ea cautione clauum gubernator moderatus est, vt quam longissimè à suspectis prædonum receptaculis recederet, ad tertium vsque, ac quadragesimum versus septentriones gradum. Verùm præterquam hæc deerratio, propter inde secutam intemperiem frigidi Cœli, valetudini vectorum nocuit, morbis ex eo vulgatis, quibus triginta tres è comitatu perierunt, parum etiam, quod timebatur cauit. Etenim in conspectum nihilominus venerunt piraticæ classis. Verùm, nescitur qua causâ, cohibiti Piratæ ab impetu faciendo temperarunt. Tandem eluctatis omnibus aduersis, quarto Idus Augusti, Legatis incolumibus, nauis S. Iacobi portum Vlysipponensem fœliciter tenuit. Ibi nuncio ab antegressis quatuor, quas dixi, nauibus de aduentu Iaponum perlato, parabatur ad eos excipiendos publicus honor. Cæterùm literæ quoque Valignani ad nostros præcesserant, quæ modum eiusmodi exceptionibus honorificis adhiberi quam maximum, multis ac grauibus de causis; præcipuè ne inuidorum liuor in Societatem nimio isto splendore inflammaretur, magnopere suadebant. Quod iudicium, quamquam Gregorius deinde Pontifex communicatis sibi à Claudio Generali simili argumenti literis, non probauit; deditque mandata, vt quàm honoratissimè, vbique publicis occursibus exciperentur: tamen nondum Vlysipponem perlata huiusmodi Pontificis voluntate, nostrorum tum modestia præualuit; eo etiam plausibili prætextu adiuta, quod cum trienni iam fermè nauigatione fessis, nihil expetibilius quiete foret, iure timebatur ne amplissimæ, ac Regiæ Ciuitatis consalutatio frequens, gra-uis adolescentulis tanto cursu vexatis, strepitu ipso, concursu, ac reddendi cuique debiti honoris solicitudine, accideret. Occursus igitur solum domesticus fuit nostrorum in lintribus obuiam euntium. In eos accepti Legati per Tagum flumen, in Vrbem, ac Domum professorum silentio noctis sunt deducti. Multa, & beneuolentissima fuit vltrò citroque complexatio gratulatioque. Postridie salutato Cardinali Alberto Archiduce Austriæ, Lusitaniam Philippi Regis vice gubernante, ab eoque percomiter, perque honorificè acceepti Principes Iapones, paucos inde dies recreandis viribus, interimque opulentissimæ illius vrbis cognoscendæ magnificentiæ dedere. Illud autem vbique curabatur, vt in spectandâ Europæarum rerum Maiestate primitiæ illæ Iaponicæ Sanctitatis, Sanctorum in primis operum amplitudinem, ornatum, ac religionem mirarentur; quo sic intelligerent, maximam Christianis Gentibus gloriam sitam esse in Religione verâ cultuque Sacrorum. Nonis Septembribus iter Vlysippone Romanum ingressi, Eboram proficiscuntur, quo

138 Periculum à Piratis.

139 Legati Vlysipponem appellunt.

140 Priuato dum taxat occursu nostrorum excipiuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

141 Eboræ ab Archiepiſcopo humaniſſimè tractantur.

per vnum è primoribus ad eam rem miſſum à Theutonio Archiepiſcopo humaniſſimè inuitabantur. Deducebat eos Iacobus Meſquita, & Sebaſtianus Morales Prouincialis. Nunnio Roterigio, cui etiam proſequendi eos munus impoſitum vidimus, nunciando eorum aduentui, & negotijs alijs vrgentibus, naue celeri recto itinere Romam præmiſſo. Archiepiſcopi officia erga hoſpites ſingularia expreſſere, vt dies Eboræ ſeptem morarentur. Tum ad Brigantinum Ducem beneuolentiſſimè item acciti, eiuſque Matrem Catherinam, Villauezzoſam Archiepiſcopi rhedâ deuecti, non modo, vt nobiliſſimi Legati, ſed etiam velut Filij amanter indulgenterque ſunt habiti. Inde varia ex itinere cum alibi, tum præcipuè Toletanâ in Vrbe experti documenta ſingularis humanitatis, Madritum, Regem ibi Philippum adituri, ſub extremum Octobrem ingrediuntur. Morbus ibi Martinum è Legatis vnum lecto affixit, qui dum curatur, longo tempore expectandum alijs fuit antequam ad Regem admitterentur, coram quo non niſi cuncti ſimul apparere cupiebant. Interim incidit feſtiua ſanè, ac ſpecioſa viſu celebritas. Cuncti Dynaſtæ, ac Ciuitates Regni Caſtellæ per ſe, aut ſplendidis legationibus miſſis, Madriti conuenerant, vt Philippo Principi, qui deinde Rex tertius eius nominis fuit, fidem velut Paternæ ditionis legitimo hæredi, rite iurarent. Rem magnâ cæremoniâ peractam ad III. Idus Nouembris Iapones ex obductâ velis feneſtrâ ipſi inconſpicui ſpectarunt. Poſtridie regijs eſſedis per confertas omnium ordinum frequentiâ vias in Regiam vecti, ad Philippum Regem Catholicum introducuntur. Rex more ſuo ſtans, vti agere cum Legatis Summorum Principum Dynaſtiſque maioribus ſolebat, hærede filio, Eliſabethâque, & Catherinâ filiabus circumſtantibus, adeuntes humaniter hilariterque admiſit: nec paſſus eos ſibi manum exoſculari, benigniſſimè amplexatus eſt: quod, & regij liberi præſtitere. Tum literis Iaponiorum Regum ad Philippum Iaponicâ, & Hiſpanicâ linguâ recitatis; & quæ coram legati de eorumdem erga Romanum Pontificem, ac regiam eius Maieſtatem obſeruantiâ breuiter dixere, auditis: vultu placidiſſimo reſpondit: Se Iaponios Reges, ac Principes eiuſdem Religionis orthodoxæ neceſſitudine ſibi deuinctos, nouoque germanitatis nexu coniunctos ferre inſcriptos in pectore; lætarique ſummoperè, quod tales mutuæ ipſorum erga ſe beneuolentiæ teſtes, atque interpretes ad ſe miſiſſent: Sperare quoque in poſterum huius conſuetudinis iucundiſſimæ vſum magis ac magis in dies augendum. Sub hæc familiariùs agens, multa de Iaponicis rebus interrogare: Veſtes (nam patrio in cultu comparuerant) diligenter ſpectare; pendentes ab latere enſes in manus ſumere, ac vaginis nudare; calceos ipſos, eorumque formam cum curâ inſpicere. Ad vltimum oblata munera multâ gratiæ ſignificatione accepit; elegantiam, & ornatum eorum verbis pluribus commendans. Inde inuitauit ad veſpertinas preces in Regio Sacello audiendas. Rarò alias Rex ille ſapientiſſimus ad tantam deſcendere hilaritatem eſt viſus. Poſtridie Mariam Imperatricem ſalutarunt; tum alios, atque alios, vel Eccleſiaſticâ, vel Politicâ dignitate inſignes Aulæ Proceres. Iuſſit præterea Rex quidquid in opibus, operibuſque regijs maximè ſpectabile eſſet, ijs oſtendi; & in primis magnificentiſſimum S. Laurentij Cœnobium & Templum Scoriacenſe. Tum per literas diligentiſſimè commendatos Comiti Oliuarezio ſuo ad Pontificem, Romæ Oratori, datoque negotio regiæ Claſſis ad nouam Carthaginem, & Alonam procuratoribus, ac Murciano Prætori, vt eis opportunum ad traijciendum in Italiam nauigium, commeatumque præberent, ſummè lætos dimiſit. Madrito digreſſi Complutum adiere, vbi Ciuitatis, & Academiæ nobiliſſimæ eximijs cohoneſtati officijs; dein per conſimilia publicæ, priuatæque humanitatis experimenta Villaregio ac Belmonte tranſitis, Murciam, cum honeſtiſſimo Prætoris nobiliumque virorum occurſu intrarunt. Hic ſolemnia Domini Natalitia egere, & literas in Iaponiam dederunt: quo nos quoque ad res huius annalis Iaponienſes conquirendas inſtituti ratio vocat:

Item Villauezzoſæ à Brigantinis Ducibus.

142 Madriti beneuolentiſſimè auditur à Rege Philippo.

143 Ab Imperatrice Maria alijſque proceribus honorantur.

144 Diligentiſſimè commendantur à Rege.

145 Murciæ nauigationem Romanam expectant.

cat: vbi tamen prius, ſi quæ memorabilia per Indias occurrent, obiter ſubleximus. Goæ in Collegio Societatis, Kalendæ Ianuariæ Sanctiſſimo IESV nomini ſacratæ, vt auguſtiori hoc anno cæremoniâ celebrarentur, Archiepiſcopi Goani præſtans religio, & beneuolentiſſimus in noſtrum ordinem animus fecit. Is cum eſſet, è ſacrâ Prædicatorum familia, magnis ſuis meritis recens in eam Cathedram euectus, quam primam ad populos paſtorali ſuæ curæ ſubiectos, habiturus erat è ſacro pulpito orationem noſtro in templo tali die pronunciare voluit, in eaque tam multa de inſtituto Societatis, deque ſucceſſu miniſteriorum eius in hominum ſalute procurandâ, cum laude, ac commendatione magnificâ dixit, vt & verecundiam audientibus noſtris, & curam non mediocrem incuſſerit, omni contentione conandi, ne tanti Præſulis iudicio, atque expectationi parum deinceps reſpondere viderentur. Sacris peractis, cum idem ad benignitatis cumulum, cibum etiam in Cœnaculo communi apud nos ſumere non eſſet dedignatus, à Iuuenibus noſtris ſedecim linguis Orientalium illarum gentium ſuper menſam conſalutatus eſt, eâ voluptate animi ſui, quam exquiſitis gratiæ, atque approbationis ſuæ ſignificationibus declarandam Antiſtes optimus putauit. Baptiſmi deinde celebres ſolemni apparatu habiti ſunt, ſemel nongentorum, in quibus Brachmanes nobiles complures, iterum triginta ſupra trecentos. Archiepiſcopus, & Prorex vtramque pompam ſuâ præſentiâ cohoneſtare, ac Chriſtiano ritu renaſcentes è ſacro lauacro ſuſcipere in fidem, atque adoptare grauati non ſunt. Priuatim præterea plures in vitam meliorem ſacro fonte regenerati, quidam ita opportunè, vt cum mox à ſalutari myſterio, nequaquam apparentibus antea cauſis, eſſent mortui, detenti ad id momentum in vitâ beneuolo Decreto Diuinæ Prædeſtinationis putarentur. Cathecumenis colligendis continendiſque ſimul, quoad cuncta ſatis Chriſtianæ Religionis dogmata percepiſſent, ædes pij cuiuſdam viri benignitate conceſſæ ſunt, cum ad cœtera commodæ, tum vicinià noſtri Collegij, Patrum frequentibus ad eos docendos acceſſionibus opportunæ. Interim Collegium haud adhuc idoneis inſtructum cenſibus, non facile centum viginti capitum (tot enim in eo noſtræ Societatis homines numerabantur) alimentis ſufficiebat. Prorex forte diſceſſurus in Luſitaniam, valedicendi officio cum illud inuiſeret, & neſcio, quid de eius inopiâ ſenſiſſet, non modicam ei pecuniam partim liberalitate propriâ, partim ex antea neglectis ſolutionibus aſſignatarum à Rege penſionum, benigniſſimè curauit. Iam pridem noſtri cogitauerant de Domo Goæ Profeſſorum excitandâ, in qua explicati è Scholarum, & iuuentutis tumultu maturiores Societatis operarij, miniſterijs confeſſionum, ac concionum ad Ciues vacare quietius addictiuſque poſſent. Ad eam rem ne Templum aliud ab eo, quod iam peramplum, perque bene inſtructum, Collegio contiguum Societas habebat, quæreretur, multa diſſuadebant: illud in primis, quod multi, ijdemque ex florentiſſimis, Goani Ciues, ex quo illud templum erat conditum, ædes ſibi peramplas in proximo conſtruxerant, iſtam ipſam eius vicinia ſecuti, quos iam deſeri, aliò translatâ præcipuâ ſacrarum ad Populum functionum ſede, durum ingratumque videbatur. Res igitur ſic temperata tota eſt, vt paratis ædibus à Collegialium quidem habitatione diſiunctis, cæterùm, quæ Templum idem, amplitudine ſuâ vtriuſque Domus vſibus abundè ſuffecturum, aliâ ex parte contingerent, aditumque ad id facilem haberent, in eas è Collegio Patres Socijque ad quadraginta ſegregarentur, ibique ſub curâ Præpoſiti alterius, fortuitis eleemoſynis piorum, ſine vllo certo cenſu, viuerent, & impensè adminiſtrationi Sacramentorum, & Verbi Dei ad plebem, expoſitioni operam darent. Ad diem XII. Kalendas Octobres nouæ Domus Encænia celebrata ſunt. Concurrit frequentiſſima panegyris in Templum, cunctis ordinibus Magiſtratuum in veſte feſtiuâ præſidentibus. Archiepiſcopus de vniuerſo Inſtituto Societatis, deque graduum in eâ differentijs, diuersâque conditione Domuum à Collegijs, eruditè ornateque ad Concionem egit, magnâ

146 Prima Concio Archiepiſcopi Goani in templo Societatis.

147 Honores ei à noſtris habiti.

148 Baptiſmi ſolemnes Goæ capitum mille ducentorum.

149 Alij multi priuatim baptizati.

150 Ædes excipiendis Cathecumenis addictæ.

151 Res Collegij familiaris liberalitate Proregis adiuta.

152 Domus Profeſſa Goæ à Collegio ſeparata communi cum eo templo vtes.

153 Archiepiſcopi & Ciuitatis in eam rem fauor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnâ plerorumque admiratione incomperta sibi hactenus audientium. Cæterùm concordi admurmuratione cunctorum, attentior inde constantiorque in Templo Sacrorum officiorum assiduitas, communi vrbis applausu, obseruata est. Placuit maximè, quod profestis etiam diebus, pomeridianisque horis, certum Sacerdotum numerum in Pœnitentiæ Tribunalibus continuè sedere deprehenderunt; oratione, aut lectione piâ totum illud tempus explentes, quod à pœnitentium accessu vacuum haberent. Qua opportunitate illecti non pauci, quibus aut otium, aut animus accersendi absentem confessarium non suppeteret, Conscientiæ onera in longum alias trahenda, fructu suo maximo ponebant. Constitutio S. P. Ignatij de tertio Probationis anno, nostris, qui studia in Societate peregissent, assignando, hactenus propter multitudinem occupationum, & operariorum paucitatem in his locis, non satis certâ fide, ac tempore obiri solita, hoc primum anno iuxta staram, & communem cæteræ Societati formulam redacta in vsum est. Salsetanus ager irrigatus anno superiore quinque Patrum sanguine, Quingentorum supra mille ad Christum ex superstitione prophanâ transeuntium, opimam supra priorum experientiam temporum segetem tulit. In ijs Brachmanes fuit nobilitate, ac sapientiæ famâ, in canâ ac venerabili senectute commendatus, nefario Dæmonum cultui tam perditè antea addictus, vt quocumque pergeret multa secum idolorum simulacra circumferret. Alius præterea veneficus, & magus, quem sæpe cum apparente coram sensibili specie sermones miscuisse Diabolo constabat. Hic diù reluctatus, in vltimo morbo denique, Deo illuminante, veritatem ab vno è Patribus propositam agnouit, & animo magno professus est, iusso afferri ad se, coram amicis magno numero circumstantibus, peculiari suo quodam Idolo, quod in omnium oculis conspuit: ac biduò post cum optimâ spe salutis æternæ cessit è vitâ. Bazaini, & in quatuor subiectis ei Collegio sedibus bene res gesta, Ethnicis ferè quingentis Ecclesiæ adiunctis. Cocini P. Ludouicus Goueanus probatæ virtutis operarius obijt, non sine suspicione veneni ab Idololatris in odium prædicatæ ab ipso fidei propinati. Et præter alias coniecturas, fauebat ei opinioni immanis in nostros infidelium rabies, atroci vnius laniatione monstrata. Cum enim ad Regem, Christianis alioqui parum æquum, causam horum acturus, in exortâ cum Ethnicis controuersiâ, quidam è nostris mitteretur, oppressus insidijs in itinere, pro mortuo relictus est, capite in tres quatuorue partes fœdè dissecto, confracto dextro brachio, truncoque ipso corporis à pectore ad dorsum mucronibus transuerberato; ex quibus tamen vulneribus, sedulò curatus, Diuinâ misericordiâ conualuit. Coulani, & in Orâ Trauancoris: in Orâ quoque Comorinensi, & Malacensi Collegio, magnis laboribus & periculis, præter patientiæ fructum, non pœnitenda quoque responderunt animarum lucra. Multis locis erectæ Cruces, Templa Christiana excitata, Mahometana euersa, minæ, & iniquæ vexationes infidelium Principum, constantia Patrum, & opportunè intentato metu alienandi Lusitanici Commercij, repressæ.

154 Tertij anni probatio stata tum in vsum redacta.

155 In Salsettis mille quingenti baptizati.

156 Ludouici Goueani mors.

157 Bazaini, Cocini, Coulani, Malacæ res bene gesta.

Ecclesia Iaponica pace aurea florebat, fauente impensè Faxibâ, cuius opes ad summam in dies potentiam proficiebant. Arx erat in primis ferè totius Iaponiæ munita, in quam se tertius Nobunangæ filius, cum Patruo Micabæ Rege receperant. aderant vnâ copiæ non contemnendæ veterum Nobunangæ amicorum, ac clientum; quibus se adiungebant, quos noui hominis in nimiam fortunam excrescentis inuidia pungebat. Eò Faxiba celeritate summâ, cum septuaginta millibus armatorum mouit; & obseruato situ arcis, in edito vmbone agri Montibus septi, præterquam ex parte vnâ, quâ fauces quædam, iugis inter se vicinis, planum aditum dabant, istud ipsum ostium, lato altoque solidè obstrui aggere curauit, irridentibus primùm inanem molitionem, qui arcem tenebant. Quoad Opere perfecto, deriuatus in clausum vndique campum supernè fluens amnis, subiectum latè agrum inundauit. Iamque aliquot dierum continuo affluxù tantum aqua excreuerat, vt naues ad id paratas cum militibus, & Machinis

158 Fauor noui Imperatoris in Ecclesiam Iaponicam.

159 Eius victoria de filio Nobunangæ

chinis, propugnaculis arcis admoueret. Hoc nouo genere belli perculsus Micabadonus se suosque dedidit Faxibæ, qui omnes terris, quas possederant multatos, assignatis pensionibus ad victum, apparere deinceps assiduos in Comitatù suo iussit. Ozaca interim noua Ciuitas, continuo innumerabilium labore operarum, in incredibilem magnificentiam exornabatur. Eam Imperij sui Metropolim, & regij comitatus domicilium Faxiba destinabat. Quam ideò, vt non minus securam haberet possessione finitimarum regionum, vnde aditus ad eam quoquo modo posset esse, quàm ædificijs visendam, & omni genere ornamentorum admirabilem effecerat, egit cum Iusto, & Simone Christianis Dynastis sibi caris, vt ille Tacacuquiensem, hic Tanganam arces præclaras, cum subiectis ipsis ditionibus peramplis, cum alijs non minus opulentis, sed ab Ozaca remotioribus commutarent. Hoc quoque ad bonum Religionis Deo fortunante profecit. Isti Principes, omnes iam ferè subditos suos ad Christi Religionem adduxerant, quibus eâ in parte nullam à se molestiam futuram sanctè promittebat Imperator; & ab eo, vt tum erat à Bonzijs, & Iaponicis superstitionibus alienissimo, nihil tale timeri prudenter poterat. In eas autem vterque translati regiones sunt, in quibus pauci, & à potentioribus oppressi, Christiani numerabantur. ac Simon quidem in opimam Regni Mino Ciuitatem translatus, magno ibi solatio, & patrocinio egentibus vtroque Christianis fuit. Iustus antequam Tacacuquiensem Præfecturam permutasset, ediderat cunctis suæ potestati subiectis (ij non pauciores triginta millibus erant) nolle se ferre inter eos quemquam, qui Deum Cœli Creatorem, & Christum eius Filium non veneraretur; quare si qui patrijs adhuc superstitionibus inhærere vellent, ij vasis collectis aliò migrarent. Vnde plerorumque ad Christi Religionem accessio secuta fuerat. Fama igitur noui Domini ad Bonzios perlata, qui multi, ac præpotentes in terris degebant cum Tacacuquiensi Tetrarchiâ permutatis, ingens eos consternatio incessit, paria non sine ratione, metuentes. In eâ trepidatione consilio raptim habito, decernunt conferre se Ozacam, allatis secum Fotoquium suorum Idolis plurimis, & inter illa ijs maximè, quæ in primis venerabilia putabant. Cum his ad Reginam Faxibæ coniugem aditum nacti, (nam Regem ipsum rectà conuenire non sunt ausi) miserabiliter supplicem exorsi orationem, haud sine lacrymis obsecrarunt, vt sibi, suisque Dijs aduersus nouum Dynastam cautum à Rege vellet. Recepit causam Regina, sed cum eâ de re Faxibam interpellasset, tale ab ipso responsum tulit, quo Bonzij facilè intelligerent maturasse ipsos sibi perniciem sedulitate istâ, & nouum Principem incerta Imperatoris voluntate fortasse cunctaturum, eâ perspectâ ad quiduis in se audendum authorasse. Facessant hinc, respondit, cum suis simulacris, quæ si, vt aiunt, non habeant vbi collocent, in mare per me licet, vel ignem iaciant. Ego bonâ fide cum Iusto transegi, & plenum ius ei esse volo in eâ Prouinciâ, quam in suæ mihi traditæ compensationem à me accepit. Ex his apparet, quam vtiliter ad Dei gloriam conferret Iustus vim omnem authoritatis in subditos suæ. Cæterùm eiusdem aduersus æquales comitas, & familiaris consuetudo sermonis, nihilò minori Ecclesiam fructu ditabat. Erat Iustus Vcondonus in flore fortunæ, atque ætatis, eâ nobilitate, eâ gloriâ rerum gestarum, ijs præclaris omnis generis artibus præditus, quæ accedente summâ Imperatoris gratiâ, mirabilem illum, ac venerabilem etiam ijs facerent, qui humanis tantum, & aspectabilibus intenti dotibus, maximam, optimamque partem laudum eius, Religionem, & virtutes Christianas vniuersas, vel ignorarent, vel parui penderent. Ergo Domus eius celebrari, amicitia expeti. Certatim nobilissimi quique, quos Ozacam ex cunctis Iaponiæ Regnis spes, aut metus ex nouo Principe trahebant, eum colere, ac sequi, vni se quam familiarissimos esse studere. Ex his hoc anno supra quinquaginta præstantis indolis, & primæ nobilitatis iuuenes, studio Christianæ Religionis à se incensos, Laurentio nostro erudiendos ad fidem dedit. In quibus eminebat is, quem Faxiba

160 Ozacam Ciuitatem ædificat.

161 Christianos Principes in alias Prouincias trãsfert magno Ecclesiæ bono.

162 Tacacuquiẽses opera Iusti Vcondoni conuersi.

163 Bonzij ad Faxibam confugiunt metu Vcondoni.

164 A Faxiba repelluntur

165 Iusti Vcondoni fides omnis, & gratia ad Dei obsequium conuersa.

166 Nobiles Iustiopera ad fidem allecti

Præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præfectum maris creauerat, Augustinus in baptismo nuncupatus, qui breui Patrem, Matremque ad imitationem sui pertraxit. Ille Ruyzius in sacro fonte, hæc Magdalena nominata est. Ambo apud imperantes gratiosi. Nam Magdalena in Reginæ comitatu, cui à secretis erat, principem autoritatis habebat locum. Insignis quoque inter illos fuit Condera prius dictus, cui Simonis dum regenerareturr, inditum nomen est. Erat autem in exercitu Faxibæ Magister Equitum, siue equestrium omnium copiarum Dux, ac Tribunus summus. Horum, ex quo Christo nomen dederant, mutatio morum spectaculo erat. Passimque mirantium, & impensè laudantium sermonibus ferebatur, ex quam arrogantibus, & tumidis, quam comes affabilesque cernerentur. Vnde popularis fauor in religionem, quæ tantum posset, & præstans existimatio increbescebat.

167 Eorum post baptismum sancta vita.

Hoc anno stabilem in Regno Sinarum sedem Magistratuum permissu Societas habere cæpit; tum primum eius voti compos, in cuius appetitione, ac conatu, & S. Franciscus Xauerius ante hos annos duos supra quadraginta vitam exhauserat; & ex eo tempore nunquam relaxata solicitudine, Socij, filijque eius, labores & molitiones innumerabiles, vt pertinaci instantia, ita successu semper casso adhibuerant; forti videlicet armato, vt est in Euangelicâ parabolâ, nempe Diabolo, tam acri vigiliâ custodiente istud atrium suum, vt quoad illo fortior Christus, Numen suum ostendere, statuto per suam æternam prouidentiam momento, dignatus est, irritæ omnes eò penetrandi contentiones euaserint. Hic quamquam angustijs vrgemur, quas rerum infinitarum in vnius huius scriptionis argumentum necessaria complexio facit, euagationibus styli, nec spatium, nec animum indulgens liberum: tamen lege ipsâ cogor historiæ, informare hoc loco notitiam vniuersalem quandam gentis istius, atque imperij, cuius deinceps rerum mentionem, & quasi pensionem hice nostri Comentarij Lectori annuam debebunt. Sinarum, aut quod verius puto, Cinarum, etsi vsus contra præualuit, quæ increbuit apud nos appellatio, peregrina Indigenis, & ferè ignota est. Ipsi suum Regnum Chungoa, vel Chungque vocant; priori vocabulo medium regnum, posteriori medium hortum, aut florem indicante. Sitos se se videlicet in meditullio terrarum orbis opinantur, & terræ suæ tantum ipsis amœnitas, feracitasque placet, vt horti eam, ac Paradisi dignandam appellatione putent. Exteri, cum quibus rarum, & non nisi suspicios cautionibus solicitum, ac propterea superficiarium fere vsum habuerunt, eos à Regiâ familiâ Cin dictâ, quæ quod Imperij habenas iamdiu tenuit, in ore, vt fit, ac prædicatione frequens erat, Cinas indigitatos; istâ per nostrum orbem nomenclatione celebrarunt. Per nostrum inquam orbem. Nam Tartarorum fusa per immensum Asiæ spatium gens, à Ponto Euxino ad confinia Sinarum, horum Regnum ipsis olim cognitum, & sæpe non infeliciter bello tentatum, superstite hodieque in ipsorum vsu vocabulo, Cathai dixerunt: Vnde Marcus Paulus Venetus diu apud Tartaros peregrinatus, Regni Sinensis nomine Cathai meminit. Patet vastum hoc Imperium paulò plus viginti gradibus latitudinis à termino eius australi, Insulâ Hainan, quæ septentrionem ad nouendecim gradus sublatum videt, continuo tractu, vltra quadragesimum aquilonaris altitudinis gradum excurrens. Huic par longitudo diuersis lunarium maximè defectionum obseruationibus deprehensa est. Quindecim istius Regni Prouinciæ numerantur, totidem singulæ Regnorum instar: quarum hæc sunt nomina. Pachin, Nanquin, Sciantum, Scianſi, Scienſi, Chianſi, Honam, Cechian, Huquam, Siciuon, Fuchien, Quamtum, Quamſi, Iuonnam, Queiceu. Oppidorum in his quatuor genera sunt: Præcipuas Ciuitates, & quasi Metropoles Fu vocant: secundas ab his Ceu. Tertij generis, & ipsæ cinctæ muris vrbes, Nien dicuntur. Alij pagi, aut vici plerumque vrbibus frequentia non impares, sed munitionibus nudi, duplicis sunt appellationis, & ordinis. Partim enim Guei, partim Su vocantur. Fu hoc est maximæ Ciuitates, quinque, & quinquaginta supra centum

168 Ingressus in Sinas diù frustra à Societate tentatus.

169 Sinarum nomen Europæis vsitatũ ipsis ignotum.

170 Vnde ductum.

171 Fines Imperij Sinici.

172 Prouinciarũ numerus, & nomina.

173 Vrbium Varietas, & numerus.

tum sunt. Ceù, hoc est vrbes secundæ dignitatis, ducentæ quindecim. Hien videlicet oppida murata tertij generis, centum viginti octo supra mille. Inter Pagos, Guei, & Su, dictos celeberrimi quadringenti quadraginta numerantur. Sed aliorum eiusdem Ordinis ignobiliorum innumerabilis multitudo est. Præter quam Villæ ac Rusticanæ domus plenæ populo, passim quoquo versum euntibus occurrunt. Vt nulla in tam amplo tractu quamuis exigua terræ portio deserta, incultaue relinquatur. Iam in amnibus maximis, ac lacubus, sinibusque maris vndique affluentibus tanta nauigiorum diuersæ formæ, piscatoribus, mercatoribus, militibus, nautis, omnisque generis vectoribus plenissimorum innumerabilitas continuè cernitur, vt quorumdam id oculis vsurpantium opinio fuerit, mihi quidem incredibilis, non pauciores in aquis Sinas, quam in terrâ degere, quæ qui omnia prudens reputauerit, haud planè opinor fidem abrogabit ei, quod in libris censualibus publico Regni Tabulario seruatis nostri legerunt: vno (nam in exemplum vnum sufficit) vno inquam totius imperij condito lustro, censa fuisse quingenties, & octies centena hominum millia; prætereaque quinquaginta quinque millia centum octoginta. Cum tamen nec Mulieres, nec Pueri, nec Eunuchi, nec Literati, nec Milites, hoc est quinque diuersa immensarum ibi multitudinum genera, in eum censum relati fuissent. Terræ fertilitas, etsi satis inde intelligitur, quod tantæ multitudini, non ad victum, & cultum solum, verum etiam ad delicias, & luxum abundè omnia ex se se suppeditat, tamen hoc videtur ad captum forte nostratium accomodatius commemorari de illâ posse: fere nihil eorum non illic nascitur, quæ apud nos vitæ vtilia proueniunt, plurima verò ignorata, & desiderabilia nobis in hoc genere ingenti copia succrescunt. Nec verò Sinensi solo fœcundissimo parenti metallorum, succorum, herbarum, arborum, reptilium, pecoris, ferinæ, notarum, ignotarumque Europæ specierum, aut Cœlum varietate simili, copiaque auium, aut piscosissimo prouentu natatilium infinitorum, Mare, ac flumina concedunt. Adeò cuncta ibi opima, & pinguia dixeris præter ingenium gentis, tenue, perspicax, acre, curiosum, experrectum; artibus vbi desunt excogitandis solers; percipiendis vbi monstrantur velox. Constat è certæ autoritatis monumentis, calcographicas formas, & præla, nitrati pulueris, magnetis item & acus nauticæ artificia, longè prius apud eos in vsu frequenti fuisse, quam in Europâ, & cum circiter annum millesimum trecentesimum sciamus Europæos aliquot, vt Odericum, Marcum Paulum Venetum, & alios, per Tartariam ad Sinas penetrasse, non vana coniectura est, Typographiæ, tormentorum bellicorum, bombycum vermium alendorum, & metaxæ ex ijs educendæ, nauigationumque per acum magneticam regendarum præclaras artes, post illud tempus diuersis locis & temporibus in Orbe nostro primum vsurpatas, non tam inuentas à nostratibus, quam exemplis inde clam sumptis imitatione propagatas. Argumentum etiam magnum est ingenij Sinensium cum ad inueniendum acris, tum ad doctrinas si ostendantur rapiendas facilis, & celeris, Mathematicarum disciplinarum, & præsertim astronomicæ subtilitatis, tentata ipsis antiquitùs, vt ex libris, & vsu veteri eorum cernitur; & cupidissimè hodieque appetita cognitio. Sanè non alia ipsos attraxit illecebra pellacior ad vsum, congressumque patiendum Exterorum, à quo semper superbo fastidio abhorruerant, quam ostentata spes cuiusdam ex ijs istarum rerum vberioris percipiendæ notitiæ. Philosophiam quoque, tum quæ in naturæ consideratione versatur; tum quæ morum rationem exequitur, à Sinis nec seriùs, nec remissius, quam à Græcis cultam, fateri cogunt superstites ibi antiquitatis vltimæ commentarij eius generis præclari, plurimique. Politicen quidem exquisitam in primis, & subtilem, non otiosis speculationibus magis, quam vsu praxique celebrarunt. Monarchica Imperij forma est; sed consilijs Aristocraticæ non carens. Regiæ curiæ duæ sunt, Pacchinum Borealis, Nanquinum Australis, hoc est Prouinciæ, in quarum alterâ Rex Regius-

174 Multitudo populi innumerabilis.

175 Fertilitas terræ Sinensis.

176 Ingenij Sinensium specimen in artibus.

177 Et in Mathematicis disciplinis.

178 Philosophia Sinensibus culta.

179 Ijdem in Politicâ excellunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

giusque comitatus ferè semper degunt : Vtrobique ampliſſima , & lectiſſima concilia Senatorum ſunt , ingenio doctrinâ , rerumque vſu præſtantium, ad quos grauiſſimæ toto ex imperio cauſæ deferuntur . Hi eligunt Præfectos , & Magiſtratus grauiſſimis Reipublicæ muneribus præponendos . Rex , quos illi ſapientiſſimos , aptiſſimoſque iudicauerint, Prouincijs præficit . Porrò in honoribus mandandis nulla nobilitatis ratio habetur : ſola virtutis , ac Doctrinæ commendatio valet . Quiſquis ibi quacumque ortus domo excellit in literis , ad opes , & dignitates promouetur maximas. nec filios relinquit potentiæ hæredes , niſi fuerint imitatores induſtriæ . Ita nuſquam gentium honoratior, celebriorque profeſſio litterarum eſt : & cum ingenio ſibi quiſque fortunam fingat , opumque , ac dignitatum maximarum vnum , ac certum iter in exercitatione lucubrandi , ac ſcribendi elegantiâ , lege , vſuque perpetuo ſignatum ſit ; facile cuiuis æſtimatu eſt , quam acri contentione ſtudiorum in eas illic artes incumbatur. His tantis affluenti copijs Gens , ne beata dici poſſet vna res deerat ad felicitatem neceſſaria maximè , vera Religio : Quatuor vigebant ibi ſuperſtitionum ſectæ : Prima litteratorum Confucium quemdam ſequentium ſcriptorem perantiquum , cuius multa multumque ipſis laudata volumina feruntur. Hi ſupremum quoddam numen ſe noſſe profitentur ; ſed vltra mentionem honorificam non colunt : parum ea curantes , quæ ſub ſenſus non cadunt . Morum eatenus diſciplinam tractant , quoad tuendæ in ſpeciem honeſtati , proſperæque famæ , quieti quoque priuatæ ac publicæ muniendæ , quæ vna ſpectant bona , conducere arbitrantur. Altera obſcurior infrequentiorque Schola eſt , cuius Princeps Tauſus dicitur, & Sectatores Tauſi. Communiter in Cœnobijs viuunt , nuptijſque abſtinent. Duos agnoſcunt Deos, vnum alio maiorem ; vtrumque corporeum , & alia quædam incondita nugantur de Paradiſo , quem ſuis meditationibus , & ritibus arcanis repræſentaturos volenti , etiam ante mortem, iactant . Sed fruſtrâ experti ludibrium debent . Quin non raro à deluſis iracundè mulctantur , vt Pechimi anno 1622. cum de frugibus ſiccitate areſcentibus ſollicitæ Ciuitati auſi polliceri certa die pluuiam , adeo ſibi male cum Cœlo conuenire demonſtrarunt , vt tempore condicto pro imbre optato, lapidatio atrox horrendæ grandinis latè agros crudeli ſtrage fructuum , animantium , hominumque , miſerè occiſorum vaſtaret , funeſtaretque .

180 Nobilitatem è virtute, ac Doctrina nō ex genere cenſent.

181 Quatuor ſectæ ſuperſtitionum apud Sinas . Prima Confucianorum

182 Secunda Tauſorum.

Duabus hiſce ſectis in Sinenſi terrâ natis totidem aliæ reſpondent aliundè importatæ , Xachæ , & Mahometis ſuperſtitiones . Xaca , vel Xechia (nam ita variè ſcribitur id nomen) vnus fuit ex ijs pſeudoprophetis , quos per orbem terrarum plurimos , ſub initium prædicationis Euangelij , Sathan Chriſti operum Aduerſarius ei fruſtrandæ impediendæque ſuſcitauit . Natus apud Indiam in eâ parte , quæ Indoſtan dicitur , parata inter ſuos ingenij , doctrinæ , ac Sanctitatis famâ ingenti , Diſcipulos per Orientem quoquo verſum ſuorum dogmatum præcones innumeros miſit . Horum tricies centena millia (ſi credere fas eſt : tamen ſic Annales memorant) per Imperium Sinarum ſparſi , regnante ibi Rege Hanmim , cuius fauorem , ſomnij ipſi per Diabolum oblati commendatione , nacti erant , magnam celebritatem habuerunt . Contigit , hoc , prout ab ijs , qui Sinenſium faſtos cum noſtrâ Hiſtoriâ compararunt , deprehenſum eſt , circiter annum æræ Chriſtanæ ſexageſimum tertium : ex quo tempore licet multum de primo illo ſplendore , vitijs eorum vſu perſpectis , perdiderint Bonzij : tamen , & apud Sinas , vſque ad tempus , de quo ſcribimus , ſuum exiſtimationis non vulgaris locum tuebantur : & in Iaponiâ , quo propagatis Sinarum Colonijs olim tranſierant , regnum ſuperſtitionis obtinebant . Eorum ex præſcripto Doctoris ſui Xachæ , pari videlicet ſpiritu inſtincti cum æquali eius Apollonio Tyaneo , aliiſque impoſtoribus Antichriſtis , princeps deſtinatum erat , confirmare credulas gentes in cultu Idolorum : præoccupareque falſis Doctrinis animos hominum , ne proponendæ per Apoſtolos Euangelicæ Doctrinæ faciles , docileſque ſe præberent. Nec dubium videtur quin

183 Tertia Xacham venerantium .

Huius ſectæ origines .

id magno impedimento fuerit Eccleſiæ per Apoſtoli Thomæ prædicationem apud Sinas quoque fundatæ (quod indubitatæ autoritatis teſtimonijs ſcitur) ne propagari , ac ſtatum ſuum ibi tueri diù poſſet . Mahometana prauitas è Tartariâ irruptionibus earum Gentium in Sinas penetrauit : nec repulſis inde Tartaris , & muro immanis operis , ſeucarum trecentarum , ingreſſu prohibitis , ita defecit , vt non ad hæc vſque tempora , tenues quidem & contemptibiles , tamen aliquæ Mahumetiſmi reliquiæ , traditione domeſtica per manus à Patribus ad filios tranſmiſſæ ſupereſſent . Hoc loco res erant Sinenſis Regni , quando S. Franciſcus Xauerius , promulgationem Euangelij apud Iaponas aggreſſus ; & excitatâ ibi magnis laboribus Eccleſiâ , nodum , moramque conuerſionis integræ illarum gentium non aliud magis eſſe competerit , quam Autoritatem exemplumque Sinenſium . Ab ijs enim ſe Iapones oriundos prædicabant : vitæque , ac reipublicæ leges , Religioniſque Doctrinam , non aliundè ferè hauſiſſe meminerant . Porrò eos pax , & copia , floſque , ac ſplendor Principis terrarum , vt ibi quidem credebatur , Imperij , tam venerabiles Iaponibus fecerat , vt poſtquam nihil ſupererat , quod hiſcerent contra manifeſtam Chriſtianæ Doctrinæ veritatem : tamen ſuſtinendum aſſenſum putarent : illudque paſſim exciperent : Se iſta quoque recepturos vbi probata Sinenſibus audiſſent , quorum de ſapientiâ , deque ſanctitudine inſtitutorum eam animis præiudicatam & originis conſcientiâ , & famæ commendatione , opinionem ferrent , vt nefas arbitrarentur , ijs inconſultis , & aliud exemplo monſtrantibus , peregrè allatæ religioni nomen dare . His Xauerius cognitis , nihil præuertendum ſtatuit tentandæ conuerſioni Sinenſis Regni . Ab eoque Conſilio perruptis inuictâ fortitudine animi immenſis molibus ſe ſe vndique obiectantium difficultatum , ad Sancianum denique peruenit ; Inſulam modicam , & incultam Ditionis Sinicæ , quò Luſitani ad condictum certo tempore cum Sinenſibus mercatum naues appellere conſueuerant . ibi quod omnes ſciunt , Sanctus Pater beatum laborum finem inuenit . Sed vt plerumque cum in oppugnatione munitiſſimæ cuiuſpiam arcis Generoſus quiſpiam Dux cecidit , tamen manipulares eius , & contubernales viri fortiſſimi cæptum opus vrgent , & monſtratâ Conſilij viâ graſſantes deſtinatum Imperatoris mortui viuentes ipſi vigenteſque totis perſequuntur viribus ; ita non deſponderunt animos Societatis Patres , res animarum , & Cœlorum Regni per Orientem curantes , quo minus obfirmatiſſimâ conſtantiâ in idem illud propoſitum conniterentur inferendæ Sinarum finibus prædicationis Euangelicæ , cuius conatui Apoſtolum Indiarum immortuum viderant . Ergo Luſitanis Mercatoribus quando annua cum Sinis negotiatione paciſcebantur, cupidi ſe addebant comites , explorabundi, acrique vigiliâ intenti , ſi quam forte rimari viam poſſent , quâ Sinenſium fines inexorabili ſemper inſuperabilique cuſtodiâ exteris clauſos , ad Chriſti nomen eò importandum penetrarent . Et commodè accidit ad iſtam ſpem mutari ſedem , conditionemque Nundinarum . In Sanciano quippè Inſulâ primum à Sinarum vrbibus remotiori ; deinde , in quâ nullum fixum habere domicilium à ſuſpicioſiſſimis Sinis Luſitani ſinebantur, ſatis erat difficile in eo genere quidquam profici : quòd , & pauci , & exiguo tempore , & negotiationis abſtracti curis eò Sinæ ſtatis conuentibus nundinabantur . Et noſtri, qui eius , quam dixi captandæ occaſionis causâ, eò venerant, non alibi , quam in excitato ad paucorum dierum vſum , moxque diſturbando Tabernaculo , ſacra noſtra , quæ ad ſui venerationem ſuperbiſſimis Sinarum ingenijs incutiendam , ſplendidiorem apparatum poſcerent , tractare cogebantur. Erat vltra Sancianum ſexaginta ferè miliaribus Cantonem verſus , primam ab illâ parte occurrentem Regni Sinici Prouinciam , alia Inſula Gauzan à Sinis vocata , tam intimè admota continenti Sinicæ , vt eius appendix à pleriſque , ac peninſula dicatur . Eam portu naturali commodam , & rupibus abruptis tutam , Piratæ magnâ manu occupauerant ; & ex eo latrociniorum receptacu-

184 Quarta ſecta Mahometanorum.

185 Autoritas Sinenſiū apud Iaponios.

Dat occaſionem S. Franciſco Xauerio cogitandi de conuerſione eorum.

In cuius procurandæ conatū S. Pater moritur .

186 Societas deſtinatū S. Xauerij perſequitur .

187 Sancianum Inſula parū commoda , conuerſioni Sinarum .

188 Inſula Gauzan prope Cantonem à Piratis occupatur .

Universidad de Deusto
Biblioteca

lo quotidianis grassationibus erumpentes, oram illam vniuersam infesti agebant, ferebantque: opimisque, ac facilibus de opulentâ, & imbelli gente direscentes prædis; fundamenta in dies maioris, & formidolosioris potentiæ struebant. Facile apparebat Proregi Prouinciæ Cantonis, cæterisque loci Magistratibus politicæ doctrinæ consultissimis, molem istam publico periculo crescere; nec dubitabatur inter eos, quin opprimenda quam primum augescens factio, elidendaque tenera semina mali nascentis forent. Sed cum robur, numerumque duratorum bello, & successibus audacium latronum reputabant: homines, & ipsi longâ pace desides, & satis conscij, quam inexercitatam militiam haberent, in expediendo rei aggrediendæ conatu, consilioque cunctabantur. Tandem omnia circumspectantibus venit in mentem; sæpius expetijsse Lusitanos, vt sibi figendi apud Sancianum Domicilij potestas fieret, apothecarumque mercibus ibi seruandis struendarum; ne tanto incommodo è remotissimis Indiæ Portubus ad Mercatûs diem, alieno plerumque tempore, & infesto ventis mari, eas periculosè importare cogerentur. Esse illàm Gentem; & quietæ indolis, & quantum ex commercijs perspiceretur, fidei probatæ; vt nihil à talium hominum vicinià magnopere metuendum videretur. Porrò Lusitanorum eorundem latè celebrari fortitudinem, & Naualium præsertim industriam pugnarum. Quid multa: cum Mercatoribus ad imminentem tum forte Sancianensem mercatum Naues Cantone soluentibus, certum hominem mittunt, qui Proregis Cantonensis nomine Lusitanis Nauarchis offerret Prouinciam belli Piratici suis ipsorum viribus, & auspicijs gerendi: proposita in præmium si latrones è Gauzano insulâ exterminassent, potestate insulam eandem ædificijs quæ vellent, & coloniâ frequentandi. Nullam moram promittendæ operæ Lusitani fecerunt; dictoque citius armatâ classe, expositisque in insulam, quam Piratæ insederant copijs, eos ita concluserunt, vt sine vllo suorum damno multos ipsorum interfecerint, omnes eiecerint. Post hæc consideratâ loci naturâ, cum animaduertissent fanum quoddam Idoli *Ama*, quod vnum in insulâ vetus ædificium erat, opportune imminere in stationem optimam tuti portus, eum situm legerunt Vrbi fundandæ, quam Amacao nominarunt, adiuncto ad nomen proprium modo memorati Fani, vocabulo, *Gao*, quo stationem nauium, qualis ibi est optima, Sinæ significant. Hæ sunt Origines Amacaensis Ciuitatis, quæ deinceps Christianæ Religionis quasi Metropolis in vltimo illo Oriente fuit. Inter primos huc aduolarunt Patres Societatis; & vt ex propinquo, attentius, ardentiusque in antiquam, & quasi hæreditariam curam incubuerunt, aperiendi Christianæ Religionis aditûs ad Sinas. Prima via tentata est exemplo Xauerij per legationem Regis Sebastiani nomine ad Sinarum Imperatorem decretam. Sed cum res semel, & iterum è magnis cæptis in irritum abisset, prout nostri a Annales in loco memorant, Ioannes Baptista Ribera noster, aliud extremum à S. Xauerio tentatum iter, furtiui nimirum attentandi aditus, ingrediendum ratus, Nauiculario Sinensi, partim numeratâ, partim promissâ pecuniâ, persuasit, vt se clam in Vrbem Quamcheù primariam Cantoniæ, indeque in aliam, vbi prædicationis Euangelicæ facere initium constituerat, Ciuitatem maximam nomine Languim, importaret: Verum ab Amacaensibus, concitandam in se se Sinarum iram Riberæ facto metuentibus, cum iam vltra Quamcheù processisset, redire coactus est. Multi sic anni fluxerunt inter laborioſos apparatus, conatus audaces, successus semper irritos: vt Alexander Valignanus Præfectus nostrorum summus in illis partibus, & inferendæ religionis in Sinas vnus omnium cupidissimus, postquam omnia expertus nihil profici cernebat, aliquando auditus sit cum è fenestris Amacaensis Collegij scopulosos Montes, qui claustra Regni Sinensis eâ parte sunt, intuens, exclamaret perfusus lacrymis: semperne semper Christi gloriæ obstabitis æternæ rupes; neque vmquam eius nominis Præconibus accessum laxabitis? Hic tamen idem Pater, alijs iam ferè desperantibus inui-

189 Lusitanis ea Insula offertur si piratas expulerint.

190 Origines Amacaensis Coloniæ.

a Pars 2. Hist.Soc lib. VII. n.128. & seq.

191 Riberæ in Sinas profectio irrita. Part.3 lib.IV num.281. & seq.

192 Valignanus operarios in Sinas destinat.

inuicto animo in proposito perstitit, ac cum anno 1578. in Iaponiam profecisceus Amacao transiret, omninò imperauit designari quosdam è nostris, qui linguæ Sinicæ addiscendæ diligentem operam darent. Verùm istius Consilij effectum, præter alias angustias, etiam operariorum penuria morabatur. Quare cum nemo Amacai satis ad eam curam meditandæ perdifficilis linguæ expeditus reperiretur, scripsit Valignanus ad Prouinciælem Indiæ, vt aliquem ad id mitteret. Elegit is Michaëlem Rogerium Italum, qui Amacaum peruenit mense Iulio anni 1579. statimque in opus incumbens, adhibitis quos reperire Amacai potuit Sinicæ literaturæ, linguæque peritis, sensim aliquantum proficiebat; quæ ipsa initia, vt firmaret, promoueretque, comitari Lusitanos dum ad Vrbem Quamcheù Cantoniæ præcipuam ad statos Mercatus tenderent, statuit. Solebant Lusitani bis quotannis eò se conferre, mensibus nimirum Octobri, & Martio, ibique vtroque tempore per trimestre circiter spatium commutationibus mercium attendere. Sicque congregare quæ sequentis mense Ianuario in Indiam nauibus imponerent; quibusque rursus Classem in Iaponiam ituram onerarent, cui statum nauigandi tempus mense Iunio redibat. Sic porrò in ijs Nundinis per suspicioſissimas Cautiones Sinarum arctè circumscribebantur, vt pernoctare extra nauem, aut hospitium in terrâ capere ipsorum nemini liceret. Cæpit anno 1581. in eum commodum se immiscere Rogerius, cum iam biennium cum rudimentis linguæ Sinicæ, labore improbo luctatus, aliquid efferre quod intelligeretur posset, quod ipsum vsu, exercitioque elimabat. Itaque sensim successu gliscente plus confidens, progressus ad salutandos magistratus, Gubernatores Vrbis, vnum ex ijs obseruauit plus fortasse quam cæteros officio isto delectatum, aut alioqui humaniorem, qui magnâ ipsi fauoris significatione responderet. Erat is Maris Præfectus, Hai-tao Sinis dictus, cuius potestatis est dare facultatem domicilij figendi. Hunc, experientiâ benignitatis inuitante, cum aliquoties adisset, semper eo honore excipiebatur, cuius similis ne ipsis quidem Regni Magistratibus ab illo habebatur. Iubebat enim eum surgere, & sibi ad latus stantem confabulari: cum nemini etiam Mandarino aliter cum alloqui, quam positis humi genibus liceret. Hæc in omnes occasiones intentus Rogerius cum etiam atque etiam secum reputasset, tandem inuinico concinnat: eumque ipse Haitao offert. In eo exponebat: colere se se Deum Cœli & terræ Creatorem, ac Dominum; eique quotidie, vbi facultas esset, sacrificare consueuisse, ritibus ab ipso Deo præscriptis: Id se non posse in Naui præstare, quòd inter alias suæ Religionis sanctiones vna illa sit, vt Deo sacrificium in terrâ fiat. Præterea se se à puero cupidissimum sciendi, hausisse patrijs disciplinis non pauca Mathematicas artes, & astronomicas rationes attinentia. Sibi esse compertum Doctrinas eàsdem manæ doceant, tum communicare vicissim, quæ domo afferat. Ad ea poscecto iustâ mercede fiat. Æqua, & Ciuilis postulatio Haitao visa est. Itaque, & Domum ei assignari iussit in quâ diuersaretur; & edicto per præcones vulgato, propositâ capitis pœnâ, vetuit; ne quid iniuriæ hospiti fieret. Rei nouitas, & Europæi Doctoris, quem Præfectus maris magni faceret gliscens repente per Vrbem fama, magnam ad eum desidis, & curiosæ gentis frequentiam conciuit. Omnes auidè spectare cultum, & vultum nouum, multi percontari varia. Omnibus Michaël humanitate, modestiâ, Doctrina quoque, atque ingenio satisfacere. Nec deerant odiosi, ac protervi, quos vix ab externo homine violando Præfecti minæ deterrerent. Clanculum insidijs grassabantur, palam irridebant. Fuit, qui non obseruatus nocturum noctu perfoderet. Perque illum mox hiatum alius nequam intrò penetrans, testâ quam manu gestabat, triplici ipse sibi inflicto ictu, elicuit san-

193 Rogerij primus aditus ad Sinas.

194 Hospitium primum Societatis in Vrbe Quamcheù.

195 Calumniæ in Rogerium Vanitas deprehensa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinem, erumpensque foras vociferabatur se à Falanco Bonzio male mulctatum. Re ad Præfectum tumultuosè delata, is Rogerium accersens, ex eo quærit; an istum hominem pulsarit: negauit Pater eo vultu, qui vim prolixæ defensionis, apud æquum præsertim, & fauentem, haberet. Itaque statim persuasus Iudex: credo, equidem ita esse, ait, vt dicis. Nam hunc iam ante noram Nebulonem esse. Inde aucta existimatio Rogerio; vt iam Mandarini quoque, ac literati ipsum adirent: Munuscula offerrent, quæsita de Doctrinis, quas in Europâ tractari audiuerant, proponerent. Quibus ita Pater respondebat omni officij diligentiâ, ac sermonis comitate, vt beneuoli, placidique, ac ferè cum reuertendi proposito discederent. Sic Trimestre Nundinarum Cantoniensium eo anno Rogerius transegit, sacrum quotidie Missæ Sacrificium Deo palam offerens, frequentibus circa Lusitanis; quibus etiam cætera Ecclesiæ Sacramenta loco eodem ministrabat. Ad extremum gratijs Haitao actis, Lusitanos Amacaum redeuntes soluto mercatu secutus est. Anno eodem, recurrente mercatûs Autumnalis tempore, redit in Vrbem Quamcheù Rogerius cum nauibus mercatorum. Erat tum ibi Prorex, aut Supremus Gubernator, Tutanum Sinæ vocant, quem non sine curâ Rogerius adiens, vt quam per mercatum superiorem ab Haitao inferiore Magistratu obtinuerat, iterum impetraret facultatem habitandi extra nauem, mirè illum facilem prolixeque beneuolum inuenit: Respondit enim vultu, gestuque humanitatem spirante, rectè, atque ordine fecisse Haitaum, quod ei copiam hospitij fecisset; in vno minus fuisse liberalem, quod parum lautè diuersari eum passus esset: Domunculam illam superioris anni angustiorem esse, quàm Maiestati Sacrorum, quæ ibi tractaret, propriæque ipsius dignitati conueniret. Quare in istud quidem domicilium redire ipsum nolle: prouisum à se aliud amplius, commodiusque, ad quod deducendum patrem Ministris continuò commendauit. Erat id palatium, quo Regis Sian legati cum honorarium vectigal Regi Sinarum deferentes in Cantoniam veniunt, excipi consueuerant. Accidit hoc cunctis eò admirabilius, quod meminerant paucis ante annis in Tutani Cantonienſis Consilio fuisse decretum, vt nullo vmquam prætextu quisquam Falancorum Bonziorum (sic nostros appellabant) ad congressum, multò minus ad hospitium admitteretur: quòd quidam è nostris Patribus, Lusitanos in Mercatum comitatus, filium cuiusdam Sacerdotis Sinæ Christianæ Religioni nomen dare cupientem, Amacaum insalutato Patre, Lusitanis nauibus reuertentibus, duxisset. Hoc secundo Trimestri, ijsdem quibus prius artibus, & moribus Rogerius plurimos Mandarinorum intimâ sibi familiaritate deuinxit. In his exercitûs Prouincialis Supremum Ducem, Zumpium ibi vocatum, cui rotatam horologij machinam donauit. Quo munere, & cæterâ significatione beneuolentiæ ita se is deuinctum ferebat, vt magnoperè optare præ se ferret, admitti Patrem vlterius in interiora Regni; eiusque conficiendæ rei se rationes indagaturum, captaturumque occasionem, si qua offerretur, vltrò reciperet. Sequente anno Trimestre per Nundinas hospitium in Domo eâdem Rogerius habuit, patienter cæptum promouens, & vt apud suspiciosissimam, & iniquam exteris gentem, cautè, ac circumspectè fundamenta iaciens Commorationis ibi securioris, liberiorisque. Verùm eo tertiùm reuerso Domum, conturbata, ac pœne disturbata res tota est. Venit priori reuocato nouus è Regis curiâ Tutanus, cui priuatum nomen Cinsui erat, cum mandatis (nam querelæ de Amacaënsibus in aulam perlatæ fuerant.) Cum mandatis inquam seriò consultandi: Ecquid expediret Sinensi Regno istam Externæ potentiæ arcem in finibus ipsis, atque adeò intra sinum Imperij tolerari. Tum si periculum in eo aliquod prouideretur, daret operam omni ratione, atque adeò exercitibus si opus esset immissis, vt Falancos inde deijceret. Sic Lusitanos Sinæ vocant. Cuius appellationis semel explicanda origo est. Cum primum nauigare per illa maria Lusitani cæperunt, quærentibus inter se

196 Secunda commoratio Rogerij in Vrbe Quamcheù.

197 Lusitani Falanci Sinis dicti, quam ob causam.

se Sinis quodnam id genus hominum esset, à Mahometanis, quos diximus ex irruptionibus Tartarorum paucos ibi permansisse, audierunt esse illos Francos, hoc est Europæos Occidentales Francorum vno fere nomine Asiaticis notos, ex memoriâ sacrarum expeditionum, Ducibus plerumque Francis, ad Terram Sanctam à Saracenis vindicandam susceptarum. Id nomen cum Sinæ linguâ suâ, quæ Caninam literam in suo alphabeto non habet, efferre nequirent, R. in L. commutato extensâque syllabâ Falancorum ex Francis formarunt nomen, quo deinceps Lusitanos, Castellanos, Anglos, Batauos, & quoscumque alios ex Occidente profectos eò ferri contigerit, designare sunt soliti. Sed è diuerticulo in viam redeamus. Missus Amacaum est, qui hæc indicaret à nouo Tutano quidam eius familiaris: qui minaciter increpans præfectum Vrbis, & Episcopum, quod iniussu Regis, vt aiebat, in Sinensi Regione Ciuitatem condere, eandemque augere quotidie numero, atque operibus munire non dubitarent, eosdem ambos ad Tutani Tribunal citabat; venireque continuò secum Sciauquinum iubebat, vt ibi Actorum, & consiliorum rationes redderent. Amacaënses hoc nuncio trepidi non parùm anxiè deliberabant, quid tali rerum articulo factu optimum foret. Erat tunc ibi Alexander Valignanus recens è Iaponiâ, vnde, vt diximus, legatos Christianorum Regum Romam ad Pontificem ducebat. Is, vt habebatur exquisitæ vir prudentiæ, & rebus Sosietatis per Orientem vniuersum summa potestate præerat, cupidè ad id Conclus, Principes Ciuitatis, superbæ genti ad ludibrium obijcerentur. Eandem silium adhibitus, primùm negauit committendum, vt Episcopus, & Præfeomnes sententiam domo attulerant: sed irritandum, nisi ad nutum obediretur, noui Tutani animum, & fortasse in aliquod extremum consilium erupturum, magnoperè verebantur; rebus nouæ coloniæ teneris adhuc, atque infirmis, vixque per se se constantibus; ne dum, vt Imperij potentissimi armatis contra opibus pares sustinendis forent. Hæc memorantes Valignanus stare animis, & Deo confidere iubebat; addens habere se ad manum Patrem Rogerium hominem suæ potestatis, cui nonnullus vsus tractandi ingenia Sinarum, & aliqua isthic gratia non desit. Illum offerre se se, & autorem esse, vt ad Proregem cum aliquo alio rerum perito Lusitano, Episcopi, & Præfecti vice mittatur. In hanc sententiam cunctis euntibus, responsum Nuncio Tutani est: Episcopum, & Præfectum cum alijs distineri rebus ne proficisci Sciauquinum possent, tum ob ignorantiam linguæ Sinicæ minus esse idoneos ad reddendam isthic, quam reposcebantur rationem. Eâ causâ duos alios esse lectos, qui id commodius præstarent. Assentiens ille sine morâ reuertitur cum Rogerio, & assignato illi comite ministro quodam Reipublicæ Amacaënsis, ex illo genere, quos Auditores vocant, cui Matthias Penella nomen erat. Hi coram Tutano apparentes, graues primum minas audierunt. Verba is fecit: mirari vehementer, & offendi Regem, nouam non iuris sui in suo Regno ab exterâ gente fundari munirique Ciuitatem: quare si saperent maturè desisterent, antequam malo suo experirentur, quæ vis, quæque fit potentia maximi Sinarum Imperatoris. Hæc simul adducto supercilio graui voce pronuncians nictu oculorum signum dedit Prætorianis trecentis, qui circum tribunal stabant, terribili hinc inde dispositi specie, cuaginandorum ensium, quod illi statim non sine minaci fremitu fecerunt. Tum dicere iussis Lusitanis, sedate modesteque Rogerius ingressus, docuit: Nihil Lusitanos iniussu ausos. Inuitatu, quin etiam hortatuque Magistratuum Sedem Amacaensem perduellibus Regis periculo suo purgatam, tenuisse. Cæterum ita ibi hactenus fuisse, ita porrò victuros, vt veneratione erga Regem magnum, fide erga Rempublicam Sinarum, ne indigenis quidem, ac Ciuibus cederent. Citare se se conscientiam Sinarum omnium, qui aut Amacai fuissent, aut in vrbe Quamcheù, vel alibi quidquam rationis, aut negotij cum Lusitanis transegissent, an vmquam in quoquam illorum, non dico iustitiam, sed beneuolentiam, sed cari-

198 Amacaenses Magistratus ad Sinarum tribunal citantur.

199 Rogerius ab Amacaensibus ad Tutanum Sinam mittitur.

200 Tutani minæ in Amacaenses.

201 Modesta, & prudens Rogerij oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

caritatem verè fraternam requisissent. Hæc, & alia in eam sententiam plura Lusitani cum dixissent, recedere sunt iussi. Tutanus cum Consilio loquutus audiuit, à multis, quos Rogerij comitas maximè, simplexque ac fuci expers consuetudo ceperat. Vera Falancos memorasse: modestam, & tranquillam vsu probari gentem, viderique viciniam, & Societatem eius, non modo fidam, tutamque, sed quæstuosam quoque Cantonicnsi Prouinciæ, atque ad multa vtilem. Ea mirum in modum Tutani animum mutarunt. Reuocatos Rogerium cum Socio verbis lenibus affatus est, eo vultu prolatis, qui facile absterſam omnem offensionem testaretur. Dimissos officiosè, ac perhumaniter, muneribus mox missis honorauit, epulis excepit, per dies quindecim, quibus Sciauquini substiterunt, omni genere honoris prosecutus est; quotiesque occasio fuit pollicitus prolixe est fauorem ad quiduis suum paratum ipsis fore. Denique quo die discedere ipsi constituerant, portari ad eos palam iussit per Ministros, muneris nomine, magnum argenti pondus, comeatum præterea varium. Tum imperauit Magistratibus, militibusque vrbis, vt eos honorificè per celeberrimas vrbis plateas ad tibiarum concentum deductos, vsque ad nauem comitarentur. Hic inexpectatissimus Tutani fauor Amacai, Rogerij, ac Penellæ reditu vulgatus summâ omnes lætitiâ perfudit: maturauitque baptismum multorum Sinarum, qui dudum Amacai commorantes, & cognitâ Religionis Christianæ veritate eius profitendæ cupidi, timidius hactenus admittebantur ad Mysteria nostra: Magistratibus semper timentibus, ne alisâ omni formidine, cum palam sacris aquis abluti non pauci Sinæ fuissent, quo ira Regis, & Mandarinorum concitaretur. Quare tunc absterad id satis instituti sunt reperti, cumque alij plures id ipsum ambirent: egit Valignanus cum Proceribus, vt Domus excipiendis Cathecumenis assignaretur. Electus ad id locus Collegio vicinus, ad ædiculam S. Martino sacram, vnde nomen nouo seminario factum, cui statim frequentato idoneo numero, Rogerium præsidem imposuit, eo animo, vt ista cum Sinis domesticâ consuetudine, magis, magisque in linguæ Sinicæ parandâ facultate iuuaretur. Non multò post hæc idem ille Auditor, qui Rogerij Comes fuerat, publice missus ab Amacaënsibus, munus Ciuitatis nomine Tutano detulit. Accepit exporrectissimâ fronte etsi id, vti & cætera, quæ deinde sunt oblata, non donata gratuitò, sed iusto à se pretio empta credi voluit. Adiunxit tamen non sine blando arrisu, gratiora illa futura, si tuus quoque, inquit, Socius (Rogerium indicans) tecum venisset. Respondit Penella venturum fuisse illum, nisi ex graui morbo Amacai decumberet. Cæterùm ne sic quidem occasionem omisisse testandi studij, atque obsequij erga Tutanum sui; munuscula enim, sibi commissse, quæ suo nomine eius Excellentiæ offerret. Statimque specularia quædam, & similis generis reculas protulit, ipsique dedit. Ad ea officiosissimè Tutanus, dolet sanè, inquit, mihi talis viri morbus; ex quo illum recrearì quamprimum opto, voueoque. Munera eius magni facio; sed fac ei à me significes, præsentiam ipsius omni munere iucundiorem fore. Adiunxit opportunè Auditor (nam ita Rogerius mandauerat si Tutanum sui memorem fortè obseruasset) adiunxit inquam, testatum sibi discedenti Rogerium, se destinasse, simul Dei ope conualuisset, Sciauquinum proficisci, ad gratum suum animum tam benefico Patrono declarandum oblatione Machinæ ex Metallo Automatæ, quæ perpetuo vigens motu, diei, ac noctis horas sono enunciaret. Abi Tutanus ait, dic à me illi, ne moram veniendi faciat. Hinc cum aliquantò tardiùs, vti ex acutâ, & malignâ febri, reualescceret Pater, Tutanus desiderio ferendo impar officiosissimis ad eum literis manu propriâ scriptis, vt venire maturaret, quoad sine periculo incommodoque posset, inuitauit. adiunxit in ijs disertè: se se potestatem ipsi facere, Templi Deo quem coleret ædificandi. Hærebat adhuc Amacai, nauigationis opportunitatem opperiens Valignanus cum istæ sunt literæ perlatæ: quibus visis, Deum oculis, & manibus in Cœlum sublatis, laudans, fortunâ, inquit, Domine augurium spei meæ con-

202 Mutatio Tutani, lenitasque eius, ac beneuolentia in Rogerium.

203 Domus excipiendis Sinarum Cathecumenis Amacai fundata.

204 Reuocatur Rogerius à Tutano.

Etiam literis officiosissimis

confido venisse horam tot annis expectatam tuæ magnæ gloriæ Sinicæ genti manifestandæ. Tum ad iam satis consistentem viribus Rogerium: I Pater, inquit, quo Christus vocat, melioribus ni fallor auspicijs, quam vmquam, & ostium tot antehac seris firmatum, nunc bono casu dehiscere incipiens, quâ prudentiâ industriâque valueris totum Euangelio pande. Discessit sine morâ Rogerius, socio auctus Francisco Pasio Societatis Sacerdote Italo & ipso, qui destinatus in Iaponiam, quòd eò transmittendi præsens opportunitas non erat, in istam interim expeditionem commodare operam iussus est. His quid euenerit antequam reddimus, vltima Valignani cogitantis Indiam, & Romam, Amacai in rem Sinensem acta memorare opus est. Iam tum ab anno Superiori cum moraretur in Iaponiâ, scriptis inde in Indiam litteris curauerat Matthæum Riccium, qui studijs Theologicis manum vltimam Goæ imponebat, Amacaum mitti, Sinensi linguæ operam illic parandæ daturum. Peruenit eò ille mense Augusto anni 1582. Cum iam, vt dictum est, ibi esset Valignanus, qui viri indole perspectâ, consultoque, vt solebat Deo, magnam in eo spem Sinicæ Missionis collocauit, iussitque cunctis alijs omissis in vnam eius rei meditationem, ac curam totis viribus incumbere. Paucis inde post mensibus, perlato, vt dictum est, Proregis Cantoniæ diplomate, quo Rogerio, & Societati Domicilium Sciauchini, cum facultate extruendi templi offerebatur; discedentèque ad eam spem Rogerio, Valignanus in Matthæum Riccium Præfecturam Cathecumenorum transtulit, Rogerioque mandauit, vt si posset impetrare à Prorege adiunctionem tertij socij, confestim Riccium accerseret. Sub idem tempus animaduertens Valignanus aliquem iam numerum Sinensium Baptizatorum Amacai versari, præcipui momenti esse ratus ad reliquam eius gentis Conuersionis spem, istas primitias ad omnem virtutem sedulò excoli, Sodalitium instituit eorum, in quod vetabat Europæum quemquam admitti, præscriptoque ipsis certo numero conuentuum, exercitationumque ad eorum captum, vsumque intenti finis accomodatarum, enixè rem totam loci præsidibus discedens commendauit. Sciauquinum Sinensis Regni in Cantoniâ vrbs est centum quinquaginta miliaribus Amacao distans, non illa quidem prouinciæ primaria, hæc enim Quamcheu vocatur, sed inter Ciuitates secundæ dignitatis eminens, & quinquaginta millibus familiarum frequens. In eâ Prorex, vel, vt Sinæ appellant, Tutanus Cantoniæ commorari solet, quòd Prouinciæ Quamsi contermina sit, ex quâ, licet Proregi proprio subiectâ, ius habet Prorex Cantoniæ, si qua eius rei necessitas incidat, militis legendi. In hanc vrbem accitu Proregis, vt dictum est, Rogerius, & Pasius peruenerunt die S. Ioanni Euangelistæ sacro anni 1582. Ibi accessu primo nihil minus repererunt, quam sperauerant: quin etiam Prorex multiplicandis inusitatæ beneuolentiæ documentis contendere videbatur, vt expectationem de se motam factis superaret. Admisit hospites semel iterumque ad conspectum, colloquiumque præter Sinarum morem familiarissimum. Machinæ horariæ dudum promissæ tunc oblatæ, vitrei quoque trigoni speciosissimâ colorum varietate cuncta quæ trans ipsum spectarentur depingentis, dono, ac visu mirificè delectatus est. Denique, quòd more illic recepto magistratuum summorum vulgare familiaritatem ad quotidianos congressus prohiberetur, inuito similis significauit, haud se posse sine periculo notæ, indulgere cum ipsis frequentiæ colloquiorum. Irent in à se prouisam, instructamque ipsis domum, ibique læti, ac securi degerent. Assignauitque curandis, ac crebrò visendis ijs duos ex familiaribus intimis, quibus vti possent interpretibus ad à se petenda, quæ opus haberent. Admonuit quasi suâ causâ, peterent ex interuallis ab se audientiam: se se enim, quoad per leges patrias liceret, cum ijs libentissimè acturum. Sic dimissi in ædibus percommodis ad fanum suburbanum sitis, à Ministris Proregis publicè deducti, collocantur. Fanum ipsum, cui nomen erat Thiennizci, Christiano ritu expiatum, Incruento quotidie

205 Rogerij, & Pasij profectio ad Sinas.

206 Matthæus Riccius in Sinas destinatus Amacaum peruenit.

207 Sodalitium Sinensium Christianorum Amacai institutum.

208 Rogerius, & Pasius Sciauquini beneuolè excipiuntur.

209 Benignitas Tutani erga nostros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

die sacrificio, cæterisque veræ religionis ministerijs sedem idoneam præbebat. Iam varij commeatus, & exquisita lautorum illic ciborum fercula, continuè à Tutani Prætorio ambitiosis Ministrorum eius officijs affluebant. Est Gens Sinarum supra omnes cæteras Regum, ac Principum suorum demissa obnoxiaque veneratrix. Quo fiebat, vt ista tam palam demonstrata, tamque illustribus indicijs eminens, Magistratus inter Regni proceres maximi (nam Cantonienſis Præfectura maioris est, quam pleræque aliæ dignitatis) in homines aduenas beneuolentia, multam ipsis apud omnes conciliaret autoritatem. Præsertim cum ista mirantibus, occurrebat: hunc priuato nomine Cinsui dictum, qui tunc ibi Prorex erat, proprijs suis virtutibus, ac dotibus, insignique super omnes laude prudentiæ, ferè supremum in Regis intimâ gratiâ locum tenere. Sic enim de illo, toto latè Regno percrebuerat. Ergo nostri

210 Sinarum humanitas in Patres.

præcipuâ in veneratione, non vulgo magis, quam primoribus Ciuitatis esse. Salutari officiosè, audiri beneuolè, etiam cum de Religione dissererent. Sermonesque istos commendabat genus vestis. Nam suasu Tutani ambo Patres cultum Mandarinorum, augustum illic, & eximiè honoratum induerant. Ardebant cupiditate Patres Proregis ad veram Religionem adducendi. Sed obstabat fastidiosa Maiestas, & illa patria superstitio, raros tantum, & breues indulgendi congressus. Tamen quoties licebat occasionem arripiebant, inferendæ mentionis Diuinarum rerum, Tutano neutiquam aspernante: qui etiam aliquando interrogauit: ecquid tantum suis sacris confiderent, vt maleficum Dæmonem, qui non rarò in illis partibus formâ terribili se ostentaret, multosque vexaret, abigere illorum obiectu se putarent posse? Ac cum nostri fidenter affirmarent, paratosque se ad experientiam ferrent, delectari, ac probare visus est. Menses iam quatuor fluxerant tam secundo rerum cursu, & fiduciam Patres non dubiam conceperant, propriam ipsis, perpetuamque hanc habitationem fore. Quare haud oblitus Rogerius commendatæ sibi à P. Visitatore curæ Matthæi Riccij euocandi, maturum putauit eius rei facultatem à Tutano petere, quam & statim impetrauit. Scripsit igitur Amacaum ad Riccium, vt quamprimum veniret. Verum is dum itineri se comparat, superuenit tristis Nuncius mutatæ inopinatissimo casu fortunæ. Tutanus Cantonienſis delationibus Aduersantium apud Regem gratiâ exciderat, & ad causam dicendam subitò in aulam euocabatur. Is minimè proviso circumuentus malo, misit raptim, qui Patribus diceret: esse ipsis continuò migrandum. Sibi enim, & ipsis exitiosum fore, si successor ipsius mox adfuturus, Externos contra Regni leges Sciauquini Domicilio proprio constitutos reperisset. Institit Rogerius per sibi fidos interpretes, ne se saltem è Regno funditus exterminaret, sed quod citra periculum suum posset, daret sibi veniam consistendi in aliquâ saltem vrbe Prouinciæ, quoad explorassent, quo animo futurus in ipsos esset Tutanus nouus, qui expectabatur. Ad ea Cinsui, ne in tanto quidem suo periculo beneuolentiæ quam hactenus ostenderat oblitus, aut pœnitens, respondit se attentius considerato negotio putare tentari posse à Patribus reditum in Vrbem Quamcheu, in quâ nutu, & gratiâ decessoris sui sedem antea fixissent. In eam spem diploma misit à se conscriptum ad Haitaum, siue Præfectum maris, in eâ plerumque vrbe commorantem, quemque nostris beneuolum intellexerat: quo admonebat, vt si ei videretur, antiquis hospitibus priorem stationem in istâ Ciuitate redderet. Soluunt confestim Sciauquino cum hoc diplomate nostri Quamcheù versus. Sed perincommodè accidit Haitaum inde tunc abesse. Nemoque aliorum Magistratuum illic est repertus, qui tam trepido cardine rerum quidquam conscisceret auderet, quo aduentantis è Regiâ Proregis in se commoueri seueritas posset. Quare Patres ne breuis quidem hospitij copiâ factâ, facessere sine morâ è Regni finibus iussi sunt. Sic reuersus Amacaum cum Rogerio Pasius, in Iaponiam, quo prius destinabatur, nauigauit. Interim nouus Tutanus, qui priuato nomine Co vocabatur, Sciauquinum appul-

211 Dæmon malus terribili specie Sinis apparet.

212 Tutani subitus è gratia lapsus, & euocatio ad Regem.

213 Patres conantur regredi in Vrbem Quamcheu.

214 Sed inde excluduntur.

appulsus, & regiminis habenis in manus sumptis, dum quod ante omnia, recentes illic Magistratus solent, inquirit, ecqua extet in eius tabulario præscriptio, quæ executioni mandata non sit, reperit exemplum diplomatis, quod diximus à Tutano Cinsui nostris Sciauquino discedentibus datum, ad cuius pariculi calcem cum non esset de more adscriptum, effectum id fuisse, quod illic iubebatur, mittit nouus Prorex continuò ad Haitaum, cui edictum illud inscribebatur, percontatum an feciſſet, quod Prorex mandauerat? Haitaus eius rei planè inscius, idcirco, quod vt diximus, ei ex Vrbe Quamcheù tunc absenti, Patres nostri diploma reddere non potuerant, suspicatus id quod erat, fuisse id scriptum delatum Amacaum, mittit confestim ad Præfectum Vrbis, quem Sinæ Hiam-xan, Lusitani mollito in suum vsum vocabulo, Ansanum vocant, Magistratum cuius curæ peculiari res Amacaënses erant commendatæ, interrogans num de isto diplomate aliquid ad eum notitiæ veniſſet? Is confestim ad militum Præfectos, qui Amacaensi Portui præsunt, expedit mandatum inquirendi de diplomate, quod illi cum sedulò feciſſent, illud demum in Societatis Collegio ritè obsignatum reperunt: ac cum illud sibi dari poscerent, referendum in Vrbem Quamcheù, quò necessarium ipsis iter erat, rogati sunt à nostris, vt paterentur, Patres Rogerium, & Riccium ipsis adiungi comites; eos enim velle, sicut mandatum ipsis ab Exprorege fuerat, Diploma Haitao iam reuerso reddere, cui propter eius absentiam antea nequiuiſſent. Negarunt illi suæ potestatis esse quemquam externum in Vrbem Quamcheù ducere. Sed esse in illo itinere aliam Vrbem Ansam vocatam, ad quam vsque se Patres deducturos receperunt, ibique repræsentaturos Magistratui loci, qui si causam probaret, eis facultatem dare posset vlterius pergendi. Præfectus Vrbis Ansan Ci-Hien dictus, auditis Rogerio, & Riccio, potestatem ferendi ad Haitaum diploma ipsi inscriptum petentibus, haud familiari sanè vultu, negauit id se facturum: at iussit, diploma sibi redderent; se enim perferri, quo esset opus curaturum. Cunctantibus nostris dare, ac magnoperè instantibus, vt veniam deferendi daret, ille indignatus, diploma è Rogerij manu raptum proiecit in terram, increpauitque vltrò, quod sperarent quidquam ipsis profuturum edictum exautorati Proregis. Hac acerbitate in hospitium remissi decernunt clam in Vrbem Quamcheù progredi. Res erat illis locis, & moribus periculi, & difficultatis non vulgaris, nec perfeciſſent vmquam, nisi casus opportunus adiuuiſſet. Commodùm accidit per eos dies deferri ad Ci-Hien Vrbis Ansanis Præfectum, Nuncium de morte Patris sui. Sinarum more filij Parentum obitum trienni luctu prosequuntur, & per id tempus omnis potestatis incapaces sunt. Redacto igitur in ordinem priori Præfecto dum nouus instituitur, occasionem impunè latendi, & vtiliter negotiandi, quod volebant, nostri fœliciter captarunt. Successorem Præfecti nequaquam tam seueri virum ingenij, non magnâ pecuniâ expugnant. Is cum scriba quodam talium perito, & ipso largitiunculâ aspersо, scriptum verbis ambiguis componit, quo ita fiebat potestas Aduenis duobus in Vrbem Quamcheù pergendi, quò se diploma nescio quod habere perferendum dicerent, vt si res non probaretur, ipse Præfectus Ansanensis extra periculum esset. Hac arte aditu inuento Haitaum conueniunt, diploma reddunt, potestatem Domicilij figendi postulant. Respondet Haitaus benigniſſimè, sui hoc iuris non esse. Hospitij dumtaxat temporarij facere se gratiam exteris posse. Perpetuam habitationem à Tutano, vel à Visitatore Prouinciæ, Ciai-Yuen appellato, solis concedi. Responderunt nostri vsuros se interim ea, quam offerret hospitij precarij copiâ, & eo annuente in Palatium legatorum Regis Sian, vetus Rogerij diuersorium, iuerunt. Verum ne ibi quidem diu quietis esse licuit. Eodem die venit ad eos Haitai familiaris eius nomine nuncians, nouo ei indicio compertum Censorem Prouinciæ lustrum suum solemne mox inchoaturum. Huic ius inquirendi in acta omnium Magistratuum esse. Ve-

215 Diploma à Tutano abeunte relictum nouam occasionem Patribus offert reuertendi ad Sinas.

216 Sed ij prohibentur à Præfecto Vrbis Ansan.

217 Fauore alterius præfecti Patres Quamcheù appellunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reri se se, ne si permissu suo Peregrinos homines in Cantonià commorantes inuenisset, grauiori se aliquà notà configeret. Eius censuræ vim longè maximam, & indelebilem maculam haberi. Rogare ideò Patres, vt cederent tempori; neue facilitatem in ipsos suam, sibi ipsi pernicioſam esse vellent. Pronum arbitratu est, quam hæc acerba denunciatio Patribus fuerit. Abeunt mœrore pleni, & dum per Vrbem Ansanem Amacaum repetunt, legunt in-portâ Ciuitatis expositum recens edictum noui Tutani Co, multa de Amacaënsibus conquerentis; multa item, & grauia minantis Interpretibus Sinis, qui Falancos patrias literas docerent, eisque animum facerent, & vias indicarent penetrandi in Regnum: Vnde intelligebant, quam alienus à spebus, & rationibus ipsorum noui Proregis animus esset. Cum his tristissimis cogitationibus, pudore pleni doloreque tentatæ toties frustra rei tam optatæ, Amacaum-Patres redeunt, Dei iudicia venerantes, nec spem deponentes tamen apparituri aliquando in suâ tantâ causâ Diuini Numinis. Ecce autem subitò ingens, & inopinatissima mutatio. Dies ab his vix quinque sex-ue fluxerant, cum-peruenit Amacaum miles è Prætorio Tutani, qui Patres humanissimè Sciauquinum inuitaret, allato diplomate, quo eis ibi à publico assignatæ commodæ, perpetuæque habitationis libera potestas offerebatur. Res transacta-in hunc modum est. Iussi à Prorege Cinsui abire Sciauquino Patres dum-amicis in digressu valedicunt, in magnâ eorum turba discessum eorum ægrè se ferre significantium, cum alia multa, quæ mutuam ipsorum voluntatem-testarentur, tum illud dixerunt: se certam pecuniæ summam ei numeraturos quicumque à nouo Tutano ipsis reditum exorasset. Aderant Prætoriani aliqui Proregis, quorum vnus non è maximè conspicuis, cum dictum annotasset, paucis diebus post initum à Tutano Magistratum, libellum ei obtulit Interpretis Patrum nomine, quo Patribus dari facultatem habitandi Sciauquini, & aream assignari, vbi Domum sibi, & Deo suo Templum extruerent, postulabat. Hæc legente Tutano apparuit, si vmquam-alias, eius oraculi veritas: *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit inclinabit illud.* Cum enim consentaneum esset ab eo, qui edicto recenti Sinas Interpretes Amacaënsium proscripsisset, oblatum sibi nomine vnius eorum libellum non sine indignatione reijci; longè aliter ille, benignè admisit, & ad calcem adscripsit: remittere se rem istam ad inferiorem Præfectum, quem Sinæ Cocumsù, conseruatorem Ciuitatis, vocant, vt quod ei videretur statueret. Erat in istâ tum Præfecturâ quidam Guam-puon nomine, è Prouinciâ Cequianâ, Ciuilis vir ingenij; cui cum miles libellum-, quem diximus à Tutano subscriptum reddidisset, consideratis maturè omnibus, æqua postulari censuit. Statimque officiosissimas ad Patres literas dictauit; quas idem miles continuò Amacaum detulit. Patres his supra-modum læti, strenuè incumbunt in eleemosynas conquirendas, vnde, & promissam mercedem tam bene merito soluerent militi, & cæterum itineris ædificationisque Domus, ac Templi conficere sumptum possent. Erat tum-Amacaënsis Ciuitas exhausta iacturis, quòd in eum forte annum multa-onerariarum varijs ex locis merces magni pretij non paucas importantium-naufragia concurrerant. Redegerat præsertim ad incitas plurimos, fidemque de foro sustulerat Iaponiensis Classis miserabilis casus, quæ ad Insulam-Leuciqueum tota cum onere perierat, fortunas maximæ partis Amacaënsium in extremam penè desperationem trahens. Ad hæc amicissimi quique-liberalitatem exhauserant in trium irritarum expeditionum, de quibus diximus, impensis conferendis: & ex earum vano successu, malè de hac ominantes, à proijciendis in spem tam incertam pecunijs abhorrebant. Quo maior, & commemorabilior extitit tunc pietas Gasparis Viegæ, qui nihil his deterritus, tam profusè largitus est, vt non propriæ solum benignitatis obire-partes, sed vnus omnium vices explere voluisse videretur. Suppeditauit etiam ex domesticâ inopiâ largiter Franciscus Capralis Collegij Rector, instru-

218 Coguntur Patres Amacaum regredi.

219 Reuocantur Patres Sciauquinum miro euentu.

220 Liberalitas Gasparis Viegæ in-prosequêdis viatico Patribus.

structosque benignè, ac prudenter admonitos, Rogerium, & Riccium-, mense Septembri cum aliquot amicis Sinis, deducente Prætoriano Milite-, qui accersitum eos venerat, dimittit. Sciauquinum, vt primum attigerunt sistunt se ad Tribunal Cocumsù flexis genibus, non enim aliter coram isto Magistratu quisquam apparet, interrogatique ab eo blandè, ac clementer, quid vellent? Responderunt se se missu magni Patris (hoc nomine ibi notus erat Romanus Pontifex) profectos ex Europâ, eò venisse instinctos cupiditate cognoscendi literas, linguamque Sinicam; quò sic mutuæ communicationis facultate paratâ, cum audire ipsi possent, ac discere, quæ à Sinis, vt fama erat, de Doctrinis varijs copiosè prudenterque tradebantur; tum suggerere vicissim, quæ de ijsdem Europæi non paruo, nec breui studio elaborata commentati essent. Bonum hoc, atque vtrisque vtile fore commercium, nec apparere causam; cur cum Sinenses Magistratus mercatus, & Nundinas suorum cum Externis Institoribus, ad mercium peregrè apportatarum cum ibi abundantibus commutationem permittant: non similiter approbent magis etiam salutarem bonorum mentis, fructuumque-ingenij communicationem. Petere se igitur, vt sibi ad eam rem figere domicilium Sciauquini liceat; solumque assignetur, ubi suo sumptu Domum-sibi construere, & Deo Cœli, quem colerent, cuique quotidie sacra facerent, Templum excitare, ornareque possent. Ad ea Cocumsù, placido renidentique vultù. Ite, inquit, quod bene vertat, lustrate Vrbem, ac suburbia, & qui vobis maximè situs arriserit, ad eas, quas dixistis structuras, notate, mihique indicate. Mea erit cura impetrandi à Tutano, vt eius autoritate suprema istius vobis loci, quemcumque optaueritis, propria-, & perpetua possessio firmetur. Ab hoc colloquio digressis Patribus Miles, qui eos Amacao duxerat, alijque, quos priori aliquot mensium commoratione Amicos Rogerius parauerat, auctores fiunt eum locum petendi, quem-ipsi monstrabant. Vastus patebat extra Vrbem Campus ad ripam amnis ingenis, villis suburbanis sparsus, quas felicium arborum speciosa nemora, & hortorum amœnissimi prospectus, cum ciuibus è Turrium fenestris spectantibus, tum aduenis per fluuium commeantibus miro latè spectaculo monstrabant. Huius in agri eâ parte, quæ flumen contingebat, mille ferè passibus ab Vrbis muro, surgere cœperat sumptu publico turris ingens, quales apud Sinas multæ antiquâ superstitione tolli solent studijs populorum, vanâ fiduciâ sperantium, pacem, vbertatem, fœlicitatemque regionis istiusmodi molium speciosâ perennitate contineri. Prope Turrim iam ad primum cuectam tabulatum, & versicolori exterius tectorio fulgentem, vnde ei floridæ nomen adhæserat, designabatur templum magnifici, vt ijs locis, & elegantis operis, quo in Templo conseruatori Ciuitatis isti ipsi Guampuon statua-decreta fuerat consilio publico literatorum, ac plebis, sexennium eius præfecturæ inoffensâ prudentiæ, ac benignitatis famâ laudatum, istâ grati animi significatione honorantium. Eò nostri deducti ab amicis locum animaduerdeunt igitur ad Cocumsù, eique referunt: locis exploratis, vt ipse pridiè iussisset, nullum ad suas rationem accomodatiorem reperisse, quam eum-, qui turrim floridam proximè tangeret. Hæc nostri autoritate adducti amicorum verecundè, ac timidè dicebant, multum verentes, quò res caderet. Cum ecce haud dubijs indicijs sentiunt exhilaratum istâ mentione Conseruatorem, cui videlicet amplum, glorioſumque videbatur, locum illum-in quo suæ virtutis monumentum æternum ponebatur, nouâ, & mirâ in-illis partibus Europæorum Sacerdotum habitatione nobilitari. Benignè igitur arridens: rem, inquit, mihi quidem gratam, & ni fallor impetrabilem-optatis. Adibo Tutanum, & vestro ei voto expositio, quod ille annuerit renunciabo. Istius responsi moram benè Patres collocandam putauerunt in Arâ requirendâ, quam Rogerius Sciauquino discedens iussu Prore-

221 Cocumsù humanissimè Patres excipit.

222 Et locum-aptissimum ipsis ad ædificium conse dit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gis Cinsui, apud amicum depositum erat. Erat is Ciuis Sciauquinensis, nomine Nico, cognomento Ciu, quicum nostri, quod vicinus esset domui, quam Prorex ijs habitandam dederat, familiaritatem contraxerant, & docilem experti, Christianæ Religionis elementis imbuere volentem cæperant. Huic cum subitâ necessitate ad discessum vrgerentur, sacrum altare seruandum commiserant. Eius igitur cum Domum adijssent, Nico amplexus hospites, & constantem amicitiam omnibus officijs prolixè testatus, duxit in conclaue pro copiâ ornatum, cuius in medio sacrum altare stabat, octo thuribulis perpetuò fumantibus halans. Eminebat supra inscriptio literis ab ipso cubitalibus splendidè formata, duas has voces exprimens Thien Chù, quæ hisce latinis respondent: *Cæli Domino*. Referebat bonus Cathecumenus; se se quotidie, ex quo Patres discessissent, in eam Aulam statis locis venerabundum orasse Deum Cœli, vt suos Sacerdotes reuocaret, seque illuminaret. Delectati Patres viri humanitate, reditum in hospitium parabant: cum ille: nequaquam, inquit, patiar vos quamdiu propriam Domum non habebitis, alibi diuersari, quam apud me. Partemque illis ædium ostendit, Aulæ, in qua erat Altare coniunctam, in quâ sine familiæ incommodo, degere interim possent. Acceperunt Patres, quod vero affectu offerebatur, & sarcinis ex hospitio eò traductis, fruentes opportunitate offerendi Deo quotidiani sacrificij, responsum illic Conseruatoris expectabant: quod non est diu moratum.

223 Supellectilem sacram priori discessu relictam sanctè custoditam reperiunt.

Dies inter hæc illuxit decimus octauus Kal. Octobris, anniuersariâ per Ecclesiam Catholicam Sanctæ Crucis exaltatæ memoriâ Sacer. Eo die adfuit à Cocumsû Nuncius, qui Patres accerseret. Subitò profecti ab eius renidenti placidoque vultu primum omen concessæ, quam optabant gratiæ sumpserunt. Audiunt mox ab ipso, impetrasse se ipsis à Tutano, quæ petierant. Quare postridie constitutâ horâ ad Turrim floridam adessent: se eodem occursurum, & Ædis extruendæ metaturum solum. Conuenitur vtrimque ad condictum. Sed Cocumsû more Sinis vsitato, qui exquisitas in negotijs rite conficiendis solemnitates adhibent, Collegam alium suum virum maximæ authoritatis secum adduxit; & cum eo tres è primoribus Ciuitatis, quorum vni tum priuato, sed Magistratibus alibi primarijs cum laude functo, ædificatio eius, de qua diximus Turris, à Concilio Vrbis publico commendata fuerat. Is alioqui austeri vir ingenij, vbi audiuit hoc agi, vt in viciniâ Turris suâ curâ structæ, stabilis & perpetua sedes Exteris hominibus tribueretur, caperare frontem cæpit: adductoque supercilio, itane, inquit, Amacaënsibus mox turbâ magnâ secuturis, ostium pandimus, & nouæ ipsorum hîc in nostris ceruicibus fundandæ coloniæ locum, vltrò damus? Trepidare hic nostri, & rem tacitè Deo commendare. Conseruator, in quem omnium oculi obuertebantur, tranquillè respondit: omnia Tutano, & sibi prouisa satis esse. Nec quidquam hîc periculi talis apparere. Duobus hominibus singulari, nec vim exempli habituro, priuilegio concedi stationem in commodum publicum. Tum versus ad Patres: Videte, inquit, ne quemquam Amacao sine nouâ facultate euocetis, atque legibus Sinensium subiecti sitis. Annuentibus ijs, ipse Cocumsû metas designauit Domicilij. Area videbatur angustior, quam vt templum simul, & Domum commodè caperet. Quare modestè interpellat Rogerius: non videre se in tam arcto spatio locum ædi sacræ. Cui Cocumsû equidem vestræ dumtaxat, inquit, habitationi hos circumscribebam fines: nam templum quod iuxta, vt videtis, sumptu publico tollitur, vobis commendare, ac proprium addicere statui. Erat id templum, in quo, vt diximus Conseruatoris statua collocanda erat. Quare deducendum maturè ab errore absurdo Rogerius hominem ratus, Atqui solus, inquit, Deus noster in illo, quod meditamur colendus templo est: neque in eo vlli hominis viuentis signo, aut simulacro locus esse potest. Constitit aliquandiu defixus ad

224 Area ædificandæ domui, & templum nostris assignatum.

hæc

hæc verba Cocumsû: & cum seducto Collegâ, alijsque, quos adduxerat arcanò locutus est. Tum ad nostros consuetâ serenitate se conuertens. Ne id quidem, inquit, quod obijcitis obstabit, quo minus templum, quod iuris esse mei publica liberalitas voluit, vobis conditione quam optimâ condonem. Vos cui voletis Deo, quibuslibet cæremonijs sacrabitis. Nec vobis eâ in re quidquam molestiæ à nobis erit. His dictis, aream præterea quam ædi nostrorum priuatæ descripserat laxari aliquantulum præcepit. Nostri exquisitis verbis prout res poscebat gratias egerunt; & quoniam sarcinulas ad possessionem assignatæ sedis continuò adeundam, eò secum tulerant vitreum trigonum inde promptum Conseruatori obtulerunt: simulque pictam tabellam Deiparæ Virginis, cui sacram ædem dicare constituerant, in loco conspicuo defixerunt. Spectauit Trigonum cum admiratione Conseruator, alijs etiam certatim effusius laudantibus. Nec minus cunctos rapuit Virginis species Christum puerum vlnis amplexæ: intueri, hærere, passim omnes, nullum finem commendandi, venerandique facere. In primis Cocumsû nullo non indicio prodebat se mirificè rerum earum aspectu delectari. Memor tamen abstinentiæ, qua summam in eo magistratu laudem meruerat, palam negauit se vitreum Trigonum, aut omninò quidquam aliud, dono acceptarum. Petijt tantum, vt si graue non esset, sinerent Patres Imaginem Virginis Dei-Matris, & Triangulum vitreum deferri tantisper in Domum suam. Se enim liberos, & familiam tam miro spectaculo recreari cupere Prolixe videlicet assenserunt Patres. statimque tabula, & vitrum Conseruatoris Ministris portanda sunt tradita; adiunctis alijs quibusdam, quæ etiam, atque etiam Conseruatorem rogabant, vt sibi habere dignaretur: se enim in beneficij parte numeraturos, si aliquid à se oblatum acciperet: multo vero maximè iucundum habituros si admittere omnia vellet. Sed frustra hæc fuerunt. Nam Conseruator vbi satis domi spectata illa sunt, cuncta remisit: ne sudario quidem acu picto, Europæo opere, in quod vxor eius muliebris cupiditatis oculos adiecerat, retineri ab illâ permisso. Post hæc conductâ in proximo domunculâ instabant operi nostri, festinandum rati, ne qua voluntatum mutatio existeret. Ergo iam positis in areâ sibi assignatâ fundamentis, muri lateritij surgebant: Cum ecce Turris floridæ structores ex primo illo specimine certius æstimatâ crescentis ædificij formâ, & mole: palam vociferari, obstrui luminibus operis publici, & totam elegantiam ceptæ turris, quæ in salutis, ac fœlicitatis publicæ auspicium surgeret, priuatâ externorum hominum ambitione corrumpi. Hæc illis assiduè querentibus, facilè primores Ciuitatis, suburbanas eò ambulatiunculas frequentantes, assentiebantur. Ergo de horum Consilio Præfectus operis Turris floridæ, ille ipse quem diximus coram Conseruatore contra nos obnunciasse, viatore publico ad Patres misso, desistere illos ædificatione iubet. Rogerius hoc audito, Proceres Vrbis singillatim conuenit, quâ mente, quoue consilio, quâ Magistratuum Sinensium voluntate, ædem vtilitatibus magis publicis, quam suis ipsorum vsibus seruituram condat, accuratè, ac modestè docet. Probabant audita plerique; & Conseruatoris autoritate, impetratoque per eum Tutani diplomate præsertim mouebantur. Addebant tamen dehonestandum non esse publicum monumentum adstructione priuatâ. Componi rem ex æquo posse, si Patres paulò remotiorem aliquem situm optarent, summâ statim omnium voluntate concedendum. His cognitis Patres, qui frustrâ se perfecturos domum viderent, si odio, inuidiaque populari ab eâ frequentandâ Sinæ abhorrerent, consilium à necessitate capiunt descendendi ad conditiones oblatas. Et Deus ita rem fortunauit, vt longè accomodatior rationibus nostris, quam prior ille fuerat, locus assignaretur. Cæterùm frustra consumptis cæpto in opere pecunijs, Rogerius Amacaum redit subsidij conquirendi gratia. Vbi dum moratur, Riccius dirâ calumniâ periclitatus, conuictis Diuinâ prouidentiâ falsis testibus, & calumniatore grauissimè

225 Tabella Virginis Matris puerum IESVM vlnis gestantis admirationi est Sinis.

226 Abstinentia Conseruatoris dona recusantis.

227 Iactis iam fundamentis Patres loco assignato cedere coguntur.

228 Alium impetrant commodum.

229 Riccius dira calumnia liberatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simè à Conseruatore mulctato detractum honorem cum gloriæ accessione recuperauit. Perfecta denique Domus, & Sacellum est, & vtrique appensum diploma Tutani, quo solum illud in stabilem possessionem, quam optimo iure Patribus dabatur, & inquilinorum securitati quietique, regiæ tutelæ interpositione cauebatur. Misit etiam Cocumsû vtriusque valuis affigendos sinico more titulos, ingenio, & manu designatos suâ. Ædis quidem sacræ hæc erat inscriptio: *Templum, & flos nouellus Sanctorum*. Domicilio Patrum appensa tabella hæc habebat: *Ab Occidente venerunt ad nos Patres, homines candidissimi*. Addidit Epigramma panegyricum septendecim versuum, stylo pereleganti, omnibus Sinicæ poëseos suauitatibus conditum: quod item manu eruditâ suâ in ornatâ pigmentis tabulâ graphicè pictum proponi publicè voluit. Quæ res magnam nostris existimationem, & venerationem conciliauit. Interim Rogerius, quam ante hos annos quatuor scribere linguâ Sinicâ cæperat Christianæ Doctrinæ summam, Mandarinis amicis Domum nostram amicissimè frequentantibus videndam, & si quid in grammaticæ regulis peccatum erat, emendandam commiserat. Eorum concors iudicium fuit, librum esse præclarum, & quamprimum typis publicis edendum. contulerunt quin etiam in id operam. Itaque illorum maximè studio sub finem anni 1583. perfectâ editione, vulgari cæpit. Eius libri capita quotidianis scholis ad densam, & perattentam coronam nostri disserebant; cunctis admirantibus, credentibus non paucis, & aquam peccatorum deletricem (sic baptismum appellabant) concedi sibi flagitantibus. Patres nihil cupidè in istis initijs festinandum rati, rem in longum trahebant. Vnum tantum mendicum hominem morbo afflictum à suis crudeliter eiectum domo, & miserè in publico iacentem, cum in tugurium commodè ad id ipsum structum prope domicilium nostrum deportassent, & humanissimè aliquamdiu fouissent, illo ipso caritatis miraculo apud Sinas rarissimo permotum, ad Christianæ veritatis ipsi eodem tempore propositæ lucem amplectendam, volentem, poscentemque, baptizarunt, & mox cum suaui ipe salutis æternæ mortuum honorificè sepelierunt. Laudantibus plerisque benignitatem in miserum impensam: Nonnullis tamen absurdâ in vulgus sparsâ fabulâ rem ad auaritiæ suspicionem trahentibus. Aiebant enim callidissimos Falancos ex istius languentis aspectu intellexisse, gemmam ingentis pretij in eius capite latere, quare illum laborantem curasse, vt mortui cadauere potirentur. Vergebat inter hæc ad finem trienne spatium Magistratui Cocumsû Sinicis legibus præscriptum: metusque cum Ciuitatem vniuersam, tum nostros priuatim solicitabat, ne tam impensè fauente Conseruatore priuarentur. Hoc formidantibus lætissimus è Regiâ Nuncius superuenit, diploma ferens, quo Guampuon, hactenus Cocumsû, Lancitanus deinceps ibidem esse iubebatur. Est Lancitani tanto superior illa priori dignitas, vt non nisi genibus humi positis quicumque est Cocumsû Lancitanum alloquatur. Gratulatio ergo ingens publicè fuit, nec vllorum, quam nostrorum verior, ac maior. Vnum deerat ad legitimam Residentiæ iuxta vsum Societatis institutionem, vt adiri ea lustrarique à superioribus eius posset. Adeunt Rogerius, Ricciusque Lancitanum. Exponunt: degere Amacai P. Franciscum Capralem Collegij Societatis illic Rectorem, cuius potestati, atque imperio ipsi subiecti sint. Eius iuris, officijque esse visere, & explorare quid sui, vbicumque sint, rerum gerant, Nec quidquam nostro more rite fieri, nisi eo dirigente probanteque. Petere idcirco sese à Lancitani perspectâ tot beneficijs humanitate, ne sibi addictissimos clientes summâ consolatione, domum, & templum, quòd sibi tam munificè dederit, istâ, quæ vna deesset, iuris solemnitate fraudari velit: Sed quâ polleret, vi noui Magistratûs, plenâ eius rei potestate, annuere ne grauaretur vt Capralí quoties vellet Sciauquinum ad nos venire, inspiciendi causa ordinandique, quæ è re viderentur, libera facultas esset. Concessit id solitâ facilitate

230 Perfectum ædificium inscriptionibus ornatur.

231 Christianæ Doctrinæ summa lingua Sinica à Rogerio edita.

232 Primus baptismus ægri inopis.

233 Conseruator in Lancitani dignitatem promotus.

te Lancitanus: & statim Rogerius, relicto Sciauquini Riccio, Amacaum profectus Capralem deduxit, Lancitanoque stitit. Is hospitem exporrectissimâ fronte, benignissimis verbis excepit; addens se mox missurum, qui eum domi suæ à se salutaret, paucis post horis eodem die venit in Domum nostram nobilis Aulicus Dux Prætoriæ cohortis, qui conuento Capralí dixit, se à Lancitano adesse, gratulandi nomine ipsius eius aduentûs causa. Simul ab eodem munera obtulit, quæ honestissima illic præstantibus viris dari solent. Volumen panni serici candidi, ventilabra sex, & mappas quatuor. Tantundem Patri quoque Rogerio donatum. Concursus inde fuit Mandarinorum re per vrbem vulgatâ, hospitem, quem Lancitanus tanti faceret, certatim colentium. Horum erant variâ humanitate officiosæ voces, adhortantium, vt quandoquidem vrbem suam, & nouam Patrum Domum honorare aduentu suo dignatus esset, ne breue id gaudium esse vellet, sed duorum saltem mensium indulgeret hospitio moram. Mensis erat Nouember anni 1584. & præsentatæ in templo Deiparæ Virginis anniuersarius imminebat dies, quem primæ in ijs partibus publici baptismi cæremoniæ solemniter celebrandæ idoneum Capralis credidit. Baptizauit igitur eo die nostro in Sacello, quanto maximo apparatu licuit, duos è multis delectos. Prior ortu erat, & literis clarus, quem cum Primi nostrorum Patrum recens Sciauquinum appulsorum sermones cæpissent, ita ipsis familiariter adhæsit, vt etiam vltrò petitâ cum ijs diuersandi facultate, quinque circiter menses eodem cum ijs tecto eâdem mensâ vsus sit: quo tempore totus erat in recognoscendo describendoque compendio Doctrinæ Christianæ Sinicâ linguâ, vt dictum est, à Rogerio composito. Eius libri lectione illuminatus, Diuinâ operante gratiâ veritatem agnouit; scriòque induxit in animum profiteri eam, & in propriæ, ac quoad posset alienæ quoque salutis vsum adhibere. Nomen illi Paulo factum est. Alter Sciauquinensis fuit Ciuis, Sinico nomine Nico, cognomine Ciu, idem ille, cuius in domo expulsi primum Sciauquino Patres, Sacrum Altare deposuerant, vt diximus: Cui Sanctum illud depositum nonminus, quam olim Obededoni Arcæ testamenti hospitium profuit. Nam ex eo tempore magis, magisque incensus desiderio Christianæ Religionis, cum vniuersa eius elementa probè percepisset, ad Fidelium cœtum aggregari, studio & perseuerantiâ meruit. Huic regenerato nomen Ioannis nouum est additum. Qui cum lætitiâ gestiens à Sacro mysterio in suam domum redijsset, vicini magno concursu eum adierunt, etiam, atque etiam rogantes, vt ipsos iuuare ne grauaretur, in nouâ, quam suscepisset Religione cognoscendâ amplectendâque. Paulus ex Prouincià Fuchien oriundus, Sciauquini ob quæstus, cum ob cæteram prudentiam, tum præsertim ob insignem in literis, disciplinisque Sinensibus profectum. Ad hunc, vbi Christianum factum percrebuit, Primores ipsi Principesque Sciauquinensis Vrbis gratulatum concurrerunt: certatim pro se quisque contestantes, se factum eius collaudare, ex eoque ipso intelligere bonam, & sanctam nouam istam religionem esse, quam vir tantæ Doctrinæ, ac virtutis, tamque excellentis ingenij sibi suscipiendam iudicasset. Post paucos dies idem Paulus iter in Vrbem Regiam suscepit, vbi promouendus ad Mandarini dignitatem existimabatur. Aiebat tamen nostris, se prius domum suam reuisurum, vxoremque ac familiam inuenti thesauri participes facturum, ijs ad Christi Religionem, vt sperabat, adiungendis. Hactenus tantum necessariæ moræ traximus in enucleatè, ac distinctè repetendis originibus Sciauquinensis Domus, quam primam intra Regnum Sinarum Societas habuit: in quo si aliquot retrò Annorum memorias coniunximus, boni consulere debebit æquus lector, id quod eius plenius commodiusque docendi causâ innouatum hic semel à nobis est, alias non facilè limites Annalis transgressuris.

234 Rectori Amacaënsi potestas visitandi Patres Sciauquini degentes facta.

235 Lancitanus beneuolentissimè Capralem excipit: & eius exemplo Mandarini.

236 Primus Baptismus publicus Sciauquini celebratus.

In Brasiliâ hoc anno à centum, & quadraginta socijs Regni Dei negotia

stre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

strenuè, ac feliciter procurata sunt, Infidelibus ad fidem, Fidelibus ad vitæ Sanctitatem inuitandis. Barbarorum ad duo millia Ecclesiæ per baptismum adiuncta sunt. Christiana Iuuentus præcipuè curata, excitatis saluberrimo euentu sodalitijs. Inter hos labores duo ad mercedem, vt speramus, euocati sunt. Alterius horum notabilis mors fuit inopinatâ celeritate. Relaxans animum à prandio, familiari cum fatribus sermone, in Pernambucensi Collegio Balthasar Fernandez XI. Kal. Iunias, dum signum Angelicæ salutationis meridiè insonuit, repente corruens expirauit; valens eatenus, & vegetus. Eum, etsi morte præoccupatum, in refrigerio fuisse, (vt sacræ literæ loquuntur) cum ex cæterâ eius bonitate confidere licuit; tum quòd ijs ipsis forte diebus promulgato illic Iubilæo, ad eius participandas vtilitates peculiari se religione præparauerat. In Peruuiâ Synodum celebrarunt earum partium Episcopi, ad quam etiam Prouincialem Societatis aduocare sunt dignati. In eâ cum esset animaduersum, quæ ibi vsu terebantur Christianæ Doctrinæ linguâ populari explicatæ volumina, multis locis mendosa circumferri, quòd, qui primi Prouinciam interpretandi suscepерunt, non satis adhuc in Idiomatum illorum intimâ notitiâ profecerant, datum Societati negotium est nouæ summæ conscribendæ, quæ non tantum elementariam declarationem mysteriorum, & dogmatum Christianæ Religionis, ad informationem Neophytorum; sed etiam ad vsum Sacerdotum Parochias curantium, rituum sacrorum, officiorumque præcipuorum, breuem dilucidamque præscriptionem traderet. Liber is magno studio compositus, & tum Hispanicâ, tum duabus illic vigentibus indigenarum linguis vulgatus, mirè omnibus probatus est, & vtilitates habuit ingentes. In Mexico ijsdem, quæ annis prioribus meminimus studijs, Gentilium ad fidem adducendorum, Neophytorum excolendorum diligenter hoc anno operarij Societatis, nec minus fœliciter institerunt. Natio indigenarum bona, & docilis, ad hæc beneficijs allecta nostrorum, qui morbis per eos tractus vulgatis, obsequijs ægrorum pauperum se liberalissimè impendebant, non ægrè sequitur ad meliora inuitantes: miris etiam euentis; & Diuini fauoris claris significationibus ad idem excitata. quarum rerum narrationem fusiorem in Annuis dudum editis relinquimus. Sua quoque culturæ Hispanorum, vel peregrè profectorum ex Europâ, vel in ijs colonijs natorum, pars curæ tributa: & fructus ibi quoque benignè respondit.

237 Mors subita vnius è nostris Pernambuci.

238 Christianæ Doctrinæ summa Peruuiano idiomate conscripta,

239 In Mexico res hoc anno bene gestæ.

HISTO-

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS QVINTAE TOMVS PRIOR

Liber Quintus.

A.C.1585. Soc. 46.

ANNO 1585. lætum Romæ, & post hominum memoriam plane nouum spectaculum præbuere Legati Iaponici: quanquam Gregorij XIII. excessus haud modice lætitiam temperauit. Legati solennibus Natalitijs Murciæ in Hispania exactis; quoque magis fama increbescebat, hoc maioribus quacumque præterue herentur studijs populorum cohonestati, Alonam, hodie Alicantum, Nonis Ianuarij peruenerunt. Hinc in Italiam traiecturi, semel, atque iterum Naui conscensa in eundem repulsi sunt portum. Cum tertio conscendissent, & neque progrediendi, neque Alonam redeundi potestas esset, ad Maiorem Balearem, in portum vrbis Alcudiæ, magno conatu se receperunt. Cuius rei fama cum statim Insulam peragrasset, multi accurrêre equites, peditesque, tum spectandi causa, tum vt hospites comiter, honorificeque tractarent. Post quartum diem placido iam inuitante mari, in altum prouecti, secundo cursu ipsis Martij Kalendis in Italiam ad Ligurnum portum appellunt. Apparuit deinde reflantium moram ventorum haud frustra fuisse: namque per eam Regis Aligerij, qui maria illa magna classe percursabat, effugêre manus: nec multo post turcica quædam erupere nauigia, quæ nauim Christianorum optime armis instructam, & formæ maioris cæpere. Ita suos Christus Legatos, quos tandiù, tamque multis seruarat periculis, prope finem laboris perire non siuit. Franciscus Dux Magnus Hetruriæ vbi appulsos cognouit, salutatores misit, ac Rhedas, ad se se Pisas, vbi tum agebat, accersens. Quò cum postridie veniissent, post alia magnificæ humanitatis præludia, Franciscus ad eos excipiendos ad medias Palatij Scalas occurrens, & irruens in amplexum, magnopere lætari se dixit, quod tales Proceres, adeoque longinquis ab oris, adeoque pia causa aduectos primo sibi Italorum Principum contigisset complecti, suisque tectis, ac terris excipere. Cui ipsi responderunt, sibi quoque gaudium idem fuisse, quod tantum quæsita tandem Italia potiti, vbi primum Naui descendissent, in ditionis eius terris pedem posuissent, cuius de amplitudine iam tum ipsa in Iaponia ex Patrum Societatis commemoratione multa cognorant. Inde Magnus Dux Mancio manu prehenso, vt erant in Iaponico habitu, ad Magnam Ducem Coniugem suam omnes deduxit. Ea quoque materna singulos caritate complexa est. Tum considetur sellis ita dispositis, vt primo loco Mancius, deinde Dux, tum alij ordine, postremus Ducis Frater Petrus Meliceus consideret. Ita enim his, alijsque Hispaniæ, Italiæque Principibus placuit Christi causam in peregrinis adolescentibus honorare. Instantibus iam Cineralibus, adeò instituit Magnus Dux, vt lætiores illos ante ieiunium dies apud se agerent, vt saluo officio, quamuis properarent, proficis-

1 Legati Iaponici ex Hispania soluunt.

2 In Italiam perueniunt vitato periculo Turcarum.

3 Magnificè excipiuntur à Francisco Duce Magno Etruriæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ci nequiuerint. Ipsis Cineralibus ad Sancti Stephani templum vecti, primisque tum loco, tum ordine sacri suscipiendi cineris secundum Ducem dignati honoribus, plenam maiestate Cæremoniam spectarunt, qua Sancti Stephani Equites in candidis togis ad solum vsque promissis, purpurea ad pectus Cruce insignibus, Magno Ordinis Magistro, hoc est ipso Magno Duci, Obedientiam profitentur. Neque satis habuit Princeps Hetruscus genus omne liberalitatis in eos Pisis expromere, sed idem voluit Florentiæ, totoque dominatu suo cumulate præstari, misso ductore, qui lautia vbique præberet. Florentiæ non solum venustas Vrbis eos delectauit, sed etiam cum cætera, tum Pratolinæ Villæ ingeniosa amœnitas in admirationem adduxit, quamquam magnificere potius illi Europæas res, quam suspicere se præ animi excelsitate, gentis more significabant. Cum ad id loci, vbi Societatis domicilium erat, alia omnia modeste remissa essent, euitari non potuit, quin Florentiæ, ac Senis, ad publicas ædes deducerentur Magni Ducis imperio. Iam dudum Nunnus Rodericius, quem suprà prægressum dixi, peruenerat Romam: ex eo Iaponum aduentu cognito Gregorius, haud facile dictu est, quanta lætitia completus sit. Auxit deinde iam in Italiam peruectorum, iam Hetruriam peragrantium, & ad Sanctam Vrbem appropinquantium fama Romæ expectationem: & Sanctissimus Pater, tanquam breuem sibi præsagiret vsuram vitæ restare, per nuncios magnis itineribus obuiam missos accelerare iussit, Horatio Celso Prolegato Viterbiensi dato negocio, vbi primum Pontificij patrimonij oras contingerent, vt honestum ijs comitatum, & cetera ad vitæ commoditates prolixe suppeditaret. Simul de genere honoris, quo excipi eos Romæ oporteret; deliberauit. Priuatum satis fore congressum Societatis Patres dicebant, tum quòd hac tantum spe missi Iaponia erant, tum ne magnificare per honores eorum industriam ipsi suam viderentur. Verum Pontifex, cum quas legati afferebant literas, & mandatorum summam videre prius voluisset, vbi cognouit Mancium quidem à Francisco Rege Bungensi: Michaëlem à Protasio Rege Arimano: Martinum à Bartholomæo Principe Omurano mitti, vt ipsi tanquam Christi Vicario obsequium, & venerationem deferrent, statuens nihil ad regiæ legationis formam deesse, de sententia aliquot Cardinalium, quos item consulendos putauit, publice ijs Senatum, eumque in Aula regia dandum decreuit; ratus id non solum muneri, quod obibant, deberi; sed etiam, quò ornatius fieret, eò maiorem in Apostolicæ sedis gloriam cessurum; Nouellæque Iaponum Ecclesiæ incitamentum, ac probrum hæreticæ contumaciæ. Interim legati, quò propiores Romæ fiebant, hoc maiore tum hominum ad excipiendos obuiam procedentium, tum pietatis, seu nouitatis causa affluentium concursu, inter ingentia agmina iter habentes, spectatis vbique, Vulsinij, Viterbij, Bagnaiæ, Caprarolæ, quæcumque se ad sanctitatem, magnificentiam, & amœnitatem memoranda obtulerunt, cum ad bidui ab Vrbe iter duas à Pontifice præmissas Equitum turmas obuias habuissent, deinde alias submissas à Iacobo Boncompagno Generali Ecclesiæ Sanctæ Imperatore XI. Kalendas Aprilis metam sui longissimi cursus Deo propitio contigere. Eo die quanquam de industria dilatus in noctem accessus erat, & curru velis vndique demissis inuehebantur, ne decreti in posterum diem publici ingressus gratiam eorum conspectus deflorauret, tamen & ad portam Flaminiam turba expectabat ingens, & exciti strepitu Equitum, & tubarum clangore multi per vias accurrêre. Conuenerant ad Professorum Domum, vbi paratum ijs domicilium erat, de Societate facile ducenti; temploque iam clauso, Germanici Alumni concentum in gratiarum actionem parauerant: ipse Claudius Generalis ad portam Domus opperiebatur, cuius vt in sinum, complexumque Iapones, velut in parentis amantissimi se se dedere, non potuit inter tantam, tamque nouam lætitiam, dulcissimumque pietatis sensum oculis temperari. Multo plus lacrymarum cecidit, vbi statim exclusa, quantum potuit, turba, ex domo in templum introducti, hymnusque gratulatorius suauiter, ac pie decan-

4 Pontifex eorum aduentum in Vrbem vrget.

5 Decernit eos excipere vt legatos Regum.

6 Perueniunt Romam.

7 Excipiuntur à Generali Societatis.

decantatus est. Subibat animos Diuina clementia, quæ ex tenebris illis Iaponiæ tot seculorum, tantam lucem fecisset: quæ tam longinquo ex Orbe, vbi paulo ante Christi ne nomen quidem erat auditum, hæc veræ religionis pignora ipsis spectanda oculis transtulisset: quæ, dum refrigescit in Europa multorum caritas, ad eam excitandam inde vsque ab extremo Oriente faces accerseret. Ipsis Iaponibus multiplex erat summæ seges lætitiæ, reputantibus vnde, quò, quanta per temporum, ac locorum spatia, quam mirabili Dei custodia, omnes demum ad vnum sospites peruenissent. Nam tres euoluti erant anni, diesque insuper tres, ac triginta, cum è Iaponia Romanum hoc iter capessiuerant, totumque decursum iter propter varios anfractus, atque circuitus, vicies semel millium passuum millia fertur colligere; quantam amplitudinem peritiores Geographi ne toti quidem tetrarum, ac maris Orbi concedunt. Postridie ad Villam Iulij Tertij Pontificis extra portam Flaminiam, vnde mos est legatis in Vrbem solenni cum apparatu inuehi, tecto in curru delati, dum instrueretur pompa, Cardinalium nomine missis salutatoribus responderunt. Adfuit, & Oeconomus Pontificius Alexander Musottus, Imolensis Episcopus, qui significans Patris Sanctissimi nomine: lætum ei, gratumque accidisse eorum aduentum; & cuncta large officia deferens: addidit præterea missum se cum cæteris ex Aula, vt eos, quo par erat honore ad Sanctitatem eius deducerent. Vbi maturum fuit, præcunte equestri custodia, & Heluetiorum cohorte, dein alijs de more, inter festum tympanorum tubarumque sonitum tres Iaponij adolescentes, (namque Iulianum morbus prohibuerat) patrio ritu vestiti, suo quisque acinace succincti, insidentes equis holoserico nigro egregie phaleratis incessere. Mancij, qui ibat primus, Archiepiscopi duo tegebant latera, Michaëlem duo Episcopi, Martinum alij nobiles medios deducebant. Sequebatur inde flos nobilitatis Romanæ, & aduenarum: plenæ erant spectantium viæ, plenæ ianuæ, fenestræque domorum; & faustæ voces mirantium, beneque precantium, passim exaudiebantur. Festa de more ad molem Adrianam, & ad Vaticanum salutatio facta tormentis explosis. Interim Pontifex cum Cardinalibus ad Aulam regiam descendit, vbi Præsules, & honoratior populus ita cuncta complerant, vt in summouenda turba, viaque aperienda laborandum lictoribus fuerit. Tum demum legati introducuntur, qui vt primum apparuere, arrecta capita, oculique in eos multitudinis vniuersæ coniecti: variusque animos peruasit sensus admirationis, lætitiæ, pietatis, Addebat legationi gratiam tum peregrinus, & plane ab nostro Orbe abhorrens corporum vultus, tum flos ætatis, & indoles, eminensque siue generis, siue morum nobilitas. Item succurrebant ærumnæ adeo longinquæ peregrinationis, & pericula ea ætate (nam duodeuigesimum nondum exierant annum) fidei dumtaxat, & Christi Vicarium venerandi causa suscepta. Quæ simul, aliaque obiecta spectantium animis, pias multis excussere lacrymas; multasque multi Cardinalium, & ipse Pontifex fudit. Illi per confertam turbam sui quisque Principis literas propalam deferentes, ad Pontificiam sedem magna veneratione, modestiaque progressi, Patri Sanctissimo pedem exosculantur. Quos Gregorius vultu blandissimo, oculisque lacrymarum plenis excipiens, semel iterumque dulcissime quasi filios amplexatus est: spectaculo frequentissimæ illi celebritati haud minus iucundo è Senis Sanctissimi lacrymis, paternaque quadam indulgentia, quam è religione, peregrinitateque adolescentium. Tum paucis primùm Mancius, deinde Michaël, aduentus sui causam per interpretem Iacobum Mesquitam exposuere, Regum suorum nomine, suoque, verum ac fidele obsequium tanquam vnico, ac summo Christi Vicario, & vniuersali Ecclesiæ Sanctæ Pastori deferentes. Quibus cum grauiter pro re Pontifex respondisset, traditis literis in destinatos sibi gradus extra Cardinalium consessum deducuntur. Ibi dum aperto capite starent, versas Italice literas clara voce Secretarius Pontificius reci-

8 Solemni pompa deducuntur ad Audientiam Pontificis.

9 Dato Senatu à Pontifice in Aula regia causas legationis exponunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

recitauit. Summa voluptate auditæ sunt. Primum agebant gratias ij Principes Deo, quod per Societatis homines ad fidem Christi perducti essent. Id supra omnia beneficia, quæ possent diuinitus accipere, numerantes. Deinde, vel ætatem, vel turbidas suarum Prouinciarum res excusabant, quò minus ipsi coram (vti peroptabant) adesse potuissent: & capita sua (ita enim loquebantur) pedibus Beatissimi Patris subijcere. Postremo significabant hos legatos à se mitti tanquam ad communem Pastorem, ac Patrem. De cætero, quæ ipsi Legati, & Visitator Societatis adijcerent, tanquam ab se se audiret. Recitatis literis, Legatorum nomine Gaspar Consaluius de Societate Lusitanus, Doctrina, & pietate clarus verba latine fecit. Audita est Oratio magno cum assensu, nec sine multorum lacrymis. Vbi peroratum est, Antonius Buccapadulius, Pontificis mandato respondit: Postquam Antonius dixit, iterum ad Pontificem Legati deducti: inde rursus impressum sacris vestigijs osculum, eundem in sua recedentem conclauia sequi, Pontificijque pallij syrma, quod Cæsarei Legati, cum adest, munus est, sustinere iussi sunt. Eo die excepti conuiuio à Cardinali S. Sixti, cui & Vastauillanus, & Iacobus Boncompagnus interfuere, haud modica ediderunt modestiæ, munditiæque, & vbi loquendum fuit, prudentiæ documenta. Non satisfecerat publica illa significatione pietati suæ Gregorius: itaque secundum epulas priuatim reuocatis, liberius, effusiusque totum paterni sui animi sinum, & caritatis flagrantissimæ dulcedinem exposuit. Multa de Nauigatione, de rebus Iaponicis, de conuersione, de Ecclesijs earum regionum interrogauit: cumque diu tenuisset, admonitos vt Diuum Petrum salutarent; eique de viæ successu grates agerent, haud sine sensu dimisit. His Sabbato gestis, die Lunæ, qui Annunciationi Deiparæ Sacer erat, cum de more ad templum B. Mariæ supra-Mineruam Pontifex iret, iussit adesse in Comitatu Iaponios, & proxime ante se, qui primæ autoritatis locus est, collocari. Eo quoque die in Iaponico vestitu conspecti sunt. Deinceps cum ille cultus à nostro more plurimum dissideret, Italico vsi sunt habitu: quo ex genere terna singulis continuo parari Gregorius vestimenta iusserat. Posthæc salutationes Legatorum, Romanarumque potestatum exceptæ. Sed Gregorij animus expleri non poterat: rursus accitis, grauissimam personæ Maiestatem remittens, diu se tanquam Pater cum filijs familiariter oblectauit. Septem mox Basilicas inuisuris ita patere adyta, eosque haberi honores voluit, vt ipsimet Pontifici vix quicquam posset fieri honorificentius, quam ipsi singulis in Basilicis honorati sunt. De Iuliani autem decumbentis salute sic laborabat, vt præter curam Medicis præstantissimis demandatam, singulis diebus vellet de statu eius edoceri. Ecce autem dum tota gestire Vrbs videtur lætitia, nec quicquam fere, nisi Iaponia versatur in Ore, maxime autem omnium triumphat Sanctissimus Pater Gregorius, repente is ex humanis auferetur. Quippe vt erat ætatis exactæ, quartum, & octogesimum decurrens annum, paucis ante horis de fugiente vita à peritis admonitus, quo breui spatio accurate ad præmuniendum sibi ad beatam vitam aditum instituit, quarto Idus Aprilis magno cum omnium dolore decessit. Sane Pontifex ob multas, egregiasque virtutes immortalitate dignissimus, communis omnium gentium pater: inopum, & calamitosorum perfugium: conseruandæ, restituendæque, & amplificandæ religionis studio Pontificibus Sanctissimis adæquandus. Hæc illi prima, hæc summa curarum erat. Eam ob rem Societatem, quæ se præcipue sanctum in hoc opus deuouit, adeo paterne complectebatur, & fouebat, tamque multos ad vsus adhibebat. Plurimum illi Ordo hic debet, cum humanis, tum diuinis auctus, & communitus ornamentis. Sed ante omnia erat illa singularis benignitas, per quam non solum larga beneficia tribuebat, sed ipsemet animum faciebat modestiæ nostræ, onusque leuabat pudoris, præueniens necessitates, inuitans ad poscendum, obuia semper, lætaque, & inexhausta pietate occurrens: ita ad futura intentus officia, ac si

omnia

10 Conuiuio excipiuntur.

11 Priuatim alloquuntur Pontificem.

12 MoritурGregorius XIII. 10. Aprilis 1585.

13 Virtutes eius, & merita erga Ecclesiam, & Societatem.

omnia deberet, & nihildum præbuisset. Multum etiam Gregorio gentes omnes debent: multum Roma, quam cum alijs decoribus illustrauit, tum excitatis Nationum Seminarijs, omnium gentium, & Magistram, & parentem esse ostendit. Laudauit Sanctissimum Patrem in Exequijs ad Diui Petri Stephanus Tuccius, quæ edita in vulgus extat Oratio: Sed ingenium quamuis magnum, & eloquens, & obnoxium superauit materia. Censuit eidem Claudius quoque Generalis, apparatu decoro, à Societate iusta soluenda. Quibus cum sacrum ipse faceret, Adolescentes Iaponij atrati interfuere. Tota vero Societate multum meritissimæ animæ sacrificiorum, precumque persolutum est. Non defuit Romæ qui diceret: Gregorium lætitia ex Iaponum Legatorum aduentu exanimatum. Quod, vt longe absit à vero, cum duodeuigesimo ab eorum aduentu die excesserit: tamen prorogatam in eum vsque diem proprio Dei beneficio vitam ei interpretari fas est, vt quam lætissimus emigraret. Quippe adeo propagandæ religioni intento Antistiti hoc maxime conueniebat supremum gaudiorum, vt legatione post orbem conditum honestissima, maximeque longinqua, ab nouis vltimarum terrarum Ecclesijs exhilararetur, & Christi religionem, pariterque ditionem Romani Pontificis vltra fines noti Orbis longius, quam vllum vnquam humanum pertinuisset imperium, productam, abiectis ad suos pedes Legatis Iaponiorum Regum videret. Tam benigni Patris desiderio mœstos adolescentes Iaponios opportune solatus est Claudius; diuino factum consilio admonens, vt ipsis præsentibus vegetioris æui sufficeretur Antistes, cui patrias res commendare ipsimet coram possent. Cardinales quoque penes quos summa rerum in interregno potestas est, Episcopum Ripæ Transonis Lucium Saxum (qui postea fuit Cardinalis) misere consolatorem, iussum nomine omnium denuntiare, quicumque ipsorum succederet, repræsentaturum illis Gregorij benignitatem, & curam.

Successit paucis post diebus Gregorio Felix Peretus è Sancti Francisci Ordine, qui Sixtus Quintus vocatus est. Ad eum Claudius Generalis biduo post cum Assistentibus introductus, ita locutus est, Beatissime Pater vna cum his Patribus Assistentibus, qui me adiuuant in Societatis ferendo pondere, adsum, vt Sanctitatis Vestræ sacra vestigia osculemur, & gratulemur hac de sancta lectione, tum reipublicæ totius Christianæ causa, tum etiam nostra priuata, quòd persuasum habemus singulare patrocinium Societati nostræ in Sanctitate Vestra futurum. Præter hæc iubent Constitutiones nostræ vbi Pontifex nouus creatur hoc nos defungi officio, ac pariter denunciare, præter commune obsequium, quod Christi Vicario vniuersi Christiani debent, Societatis nostræ professos præcipuo se voto obstringere, ituros quocumque ille iusserit, sine inter Hæreticos, siue alios infideles, paratos in Sanctæ fidei defensionem, & amplificationem sanguinem ipsum, si opus fit fundere. Ad quæ clementer Sixtus, Felices, inquit, veneritis, delectat nos vester conspectus: nouimus vestra Societas quam salutaris sit Ecclesiæ Dei: itaque ad nos libere adite, libenter accipiemini: clementiam in nobis, & opem reperietis. Iaponij vt valent? cumque respondisset Claudius recte valere, deque eius Pontificatu gaudere, memores quam officiose, & amanter ab eodem nuper Cardinali accepti essent: subiecit Sixtus, curate, vt eorum commoditatibus nihil desit. Quòd si quid opus sit, nos conueniant, omni ope iuuabimus. Non semel deinde ad se adeuntes multa humanitate, amplisque promissis excepit. Tum ad quaterna, quæ tribuebat Gregorius aureorum millia Iaponiæ Ecclesijs, & Seminarijs, bina in singulos annos adiecit. Idem digna & Romano Pontifice, & Principibus ad quos mittebantur munera dedit, & ipsos legatos solenni ritu equites, qui ab calcari aureo vocantur, creauit pridie Ascensionis Dominicæ: postridieque ad sacrum, quod priuatim fecit, admissis, sua manu Diuinissimam Eucharistiam porrexit. Ab Romanis in Patriotorum adscripti sunt numerum, cuius rei testes literas singulis dedere affabre

14 Sixtus V. creatur Pontifex Max.

15 Adit eum Generalis Societatis cum Assistentibus.

16 Pontificis ad PP. Generalem, & Assistentes oratio.

17 Eius cura paterna, & liberalitas in Iaponios.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bre minio pictas, aurea bulla prægrandi insignes. Denique rursus salutato Pontifice, ornatique commendatitijs literis ad obuios Principes, impetrata etiam liberali consecratione granorum, atque Numismatum, addito per Italiam ductore de Societate Hippolyto Volia, tertio nonas Iunij Roma discesserunt. Iusserat quoque Sixtus, quacumque Pontificiarium terrarum tenerent iter, honorifice, & gratuito excipi, deducique. Itaque Narniæ, Spoleti, in Montefalco (quo ad Beatæ Claræ incorruptum spectandum corpus, mirasque alias Virginis eius reliquias diuerterunt.) Tum Fulginij, Assisijque festa vbique humanitate, & gratulatione publica certatim excepti sunt. Perusini iam dudum, necdum Roma digressos impense rogauerant, ad ipsos vt modico diuerticulo vellent ascendere. Quod vbi facturos cognouere, nisi Ioannes Nicolaus Collegij Rector prohibuisset, decreuerant ad eorum cohonestandum ingressum, & triumphales excitare fornices, & alia magnæ impensæ moliri: tamen venientibus ad ipsos territorij fines, cum tres è primis communi Ciuitatis nomine occurrissent, ad pontem Sancti Ioannis Tyberi impositum nobilium frequens equitatus adfuit, cum quatuor egregie instratis equis auro multo fulgentibus, in quos, quò facilius populi qui ex circumiectis quoque pagis affluxerat, oculis satisfieret, ab rhedis Iaponios transtulere. Alijs inde, atque alijs tum à legato Philippo Spinula Cardinali, tum à Magistratu Decemuirûm occurrentibus, inter continentem tubarum, ac tympanorum ærisque campani sonitum, & tormentorum bombos, recta ad Episcopale templum Sancti Laurentij deducuntur. Hic supplicantium habitu Clerus, & Canonici ad gradus progressi, peramanter, pieque exceptos introduxere in templum, vbi cum præclaro vocum, Organorumque concentu grates Numini actæ. Inde per frequentissimam turbam, & splendidum comitatum ad Societatis Collegium ducti. Dederat hoc Ioanni Nicolao Ciuitas, vt diuersorium in Collegio haberent; at conuiuij ordinandi ipsa sibi partes desumpsit; multique Nobiles, tanquam in Nouellis illis Christianis Christi ipsius famularentur, & blandirentur infantiæ, mensæ administri esse voluerunt. Quidam item digredientes comitati ad inclytum vsque templum S. Mariæ Angelorum sub vrbem Assisium, ibidem pariter cum ijs, sacrum faciente Ioanne Nicolao, diuinæ mensæ accubuere. Haud absimili gratulatione interiectas vrbes preteruecti ad Lauretanam ædem peruenerunt. Hic salutata religiosissime Dei Parente, miratique, ac venerati cellam illam Sanctissimam primam è terris conscíam cælestium sacramentorum, Deique hominis templum, ac regiam, ac rursus in ea diuino pane refecti, Anconam iter intendunt. Cuius ciuitatis perhospitalis humanitas, tum occursu multiplici, tum festa militarium simulacrorum lætitia, tum conuiuijs, & id genus lautijs perspecta est. Nam non solum ineuntes vrbem læto bombardarum tumultu consalutarunt, sed etiam, instaurarunt gratulationem sub noctem ludicris ignium, strepituque vario tormentorum, cum hinc colles ingeminarent, inde littus, æquorque longe prouoluerent fausta tonitrua, & fixis, seu volucribus ignibus vndique omnia collucerent. Cæterum haud vacat ire per singula, quæ & olim diligenter memoriæ tradita extant, & coniectare pronum est, cum in pulcherrimo hospitalitatis certamine ciuitates Principesque Christiani, & suam quisque priuatim agi dignitatem censerent, & omnium pectora tacitis Numen ad gratulandum ciere impulsibus videretur, & tanta omnium mentes pietas impleret, vt sæpe simplicior turba tanquam diuinos homines intueretur, & coleret, & contingere vestes eorum manu, vel rosarijs tanquam sanctum quiddam ambiret. Non igitur, quæ Senogalliæ, & Pisauri ab Vrbinate Duce, quæ à Bononiensibus Ciuibus, ac Legato Saluiato, & Archiepiscopo Paleoto Cardinalibus, non quæ ab Ferrariensi Duce magnificæ documenta humanitatis edita sunt euoluam pluribus. Eo minus Veneta officia, quæ cogi in pauca nequeunt. Nam præter cætera Veneti, cum adfuturos ad Corporis Christi solemnia Iaponios coniectarent, solito magnificentius diei

eius

18 Legati Iaponij discedunt Roma.

19 Perusiæ, & alibi magnificè excipiũtur.

20 Visitant Lauretanam ædem.

21 Excipiuntur Venetijs splendidè ac religiosè.

eius supplicationem instruxerant: hæc maxime rati spectacula à veteribus Christianis nouellæ soboli proponi decere. Sed cum ad eam diem Legati non adfuissent, supplicationem quam in apparitionis Sancti Marci memoriam quotannis habent, distulere in eorum aduentum: in eaque, cum iam venissent, apparatum, quo Christi Domini Corpus deduxerant, totum multis partibus auctum explicuere. Cætera inde magnificentia æstimetur, quod religiosa fercula, ac pegmata, in quibus, vel sacra, vel pretiosa reipublicæ, vel argumenta è veteri, nouoque instrumento sacrarum Historiarum, multorumque Martyrum statuis expressa, auro, gemmisque, & vnionibus distincta, Sodalitates, quas scholas maiores appellant, gestabant, plus centum quadraginta ducta sunt. Quorum in postremo ipsorum quatuor Iaponum ad Summum Pontificem Legatio scite repræsentabatur. Eandem Legationis Historiam, singulosque adolescentes in Curia, quam magni Consilij vocant, depingi accurate iusserunt: & Iaponicam vestem, gladium, duosque pugiones dono ab ijs acceptos, dixerunt conseruari publice velle cum titulo. Dona autem ijs numero, & pretio dedere insignia, bina tota holosericæ vestis volumina, bina damascenæ, totidem è serico raso, quatuor è textili auro: capsas præterea ingentes duas plus quingentis è vitro pellucido egregie in multas figuras elaboratis operibus refertas: specula item maxima octo, quatuor ebeno circumtecta, totidem tabulis auro pictis inclusa, minioque illuminata: ad hæc quatuor ex ebore Crucifixi signa nobilis artificij, decretis ad vltimum vbique locorum Veneti iuris honoribus, hospitijs, impensisque publicis. Quæ Patauini, Vicentini, Veronenses, tum Reipublicæ, tum sua voluntate cumulatissime præstiterunt. Veneto egredientes imperio nouæ excepere officia Guilielmi Gonzagæ Mantuæ Ducis, eiusque filij Vincentij. Recipi, haberi, dimitti liberalius, benigniusue haud facilè potuerunt. Certarunt inde, cum regio Philippi iussu, tum insita sibi liberalitate Mediolanensis Prouinciæ Ciuitates, ne quæ de alijs audierant Italarum Ciuitatum officijs superiora suis essent. Itaque inter continentem gratulationem, occursum, comitatum, festos fragores, ac sonitus, & alia publicæ hilaritatis non vsitata modo, sed etiam noua exempla, quæ Cremona, & Laus Pompeia maxime ediderunt, progressi, Mediolanum appropinquarunt, cum ante multos à Ciuitate, ab Archiepiscopo Gaspare Vicecomite, ab Duce Terrænouæ Gubernatore, veste, armisque fulgentes præmissos in equis habuissent obuios, & præmissos sibi equos magnificentissime instratos inscendissent. Ad suburbij portam Dux ipse cum duobus filijs, ac nepote suo Marchione Aualo, Senatu, Magistratuque, & plus quingentis Equitibus, aduenientes excepit. His ordine vrbem ineuntibus, longum specie nobili explicatum est agmen. Dexter ibat Duci Mancius, regio Visitatori Michaël, Magno Cancellario Martinus, Senatus Præsidi Iulianus. Ita ad Breranum Collegium, vbi diuersorium Dux sumptuose exornauerat, deducuntur. Inde singillatim pro se quisque magnatum secularium, & sacrorum, nobilis, & Christiani pectoris liberale specimen edunt. Gratum fuit Iaponibus Vicecomitis Archiepiscopi (is B. Borromæo successerat) officium, quo in proximum diem Dominicum inuitauit ad sacrum, quod primum in sua illa Diœcesi solenni cæremonia peracturus erat. In eo illi de manu eiusdem diuinissimum Christi Corpus accepere. Hoc enim subinde cælesti cibo vires animi, & corporis ad labores itineris, & ad populorum bene ferendos plausus instaurabant. Sancius vero Padilla Arcis Præfectus, ita honorauit explosione varij generis tormentorum, & bellicis simulacris, vt ingentis prælij terrorem iucunde assimulans, abunde ostenderet, quæ inter Italica munimenta eius Arcis gloria sit. Mediolano profectis haud minores Papiæ, Dertonæ, tum in Genuensium terris humanitatis apparatus exhibiti: inter quos Genuam demum perhonorificè, ac multiplici præoccupati occursu, Nonis sextilibus peruenere. Hic perbreuis fuit mora: nam classis in expedito stabat, altum continuo petitura. Quæ angustiæ quam-

quam

22 Mantuæ ità ac Mediolani.

23 Legati Iaponici Genuæ soluunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam fecere, vt Genuenſes ſua, vti decreuerant, explicare non poſſent, ſed velut in compendium conferrent officia, tamen nihil ad ſummæ benignitatis experimentum reliquum factum eſt. Ac denique diſceſſuros non fauſta modo celebritate lætitiæ publicæ, ſed etiam omni genere nautici comeatus, vnde ipſis ac cætero comitatui Barcinonem vſque ſatis ſuperque fuit, largiter honorarunt. Sexto idus Auguſti quatuor Senatoribus deducentibus, cum clangerent tubæ, bombardæ crebris ictibus intonarent, optimè inſtructam triremem (quam nepos Principis Auriæ Ioannetus Spinula claſſi illi Præfectus ad cætera monumenta officioſiſſimi animi detulit) conſcenderunt. Ingens auexere ſecum Italiæ deſiderium, ingens relinquerunt ſui. Valuit hoc gentium Iaponicarum ſpecimen præter cætera ad excitandum in hominibus regionum harum ardorem illis alijſque in errorum nocte iacentibus populis ſuccurrendi. Nemo ferme erat qui, ſi licuiſſet, non aueret illos ſequi. Opifices vltro ſe haud pauci offerebant noſtris, vt illuc inuehendis artificijs vſui Euangelio forent. Multò acrius in hominibus Societatis exarſit hic ignis, guſtu delibato cœleſtium fructuum quos fratrum ſuorum ærumnæ inter aſpreta illa inueteratæ impietatis genuerant. Trahebat itaque generoſa pietas ad proſequendum, & promouendum inceptum: verum ex multis competitoribus pauci delecti. Non parum etiam autoritatis ad Europeos addidit Societati, ſpecies adeo fructuoſorum eius laborum. Præ ceteris magni nominis viris, Sanctæ Seuerinæ Cardinalis vehementer commotus eſt, ac profeſſus cum Romæ Iaponios vidit, tum demum apparere ſibi cepiſſe, Societatem ſeriò agere, & vera eſſe quæ de rebus indicis ferebantur.

24 Quos ſenſus legatorum Iaponiorum conſpectus animis hominum impreſſerit.

Interim ex occaſione noui Pontificatus gliſcere vulgo per Vrbem, multoque tumultuoſius per Prouincias, cœpere ſermones: Pontificis animum ab Societate alienum eſſe, eiuſque velle inſtituta mutare. Id prout cuiuſque ingenium erat, alij coniectura inani, quod è diſſimili Sixtus diſciplina prodierat, ignari, quam hæc tametſi diſſimilia, tamen vnius Chriſti Corporis membra vnus inter ſe ſpiritus nectat: alij quod ita cuperent, interpretabantur, ac diſſerebant. Nec aberant nonnullorum praui conatus, quibus cum ſingularia Gregorij officia Societatem dudùm inuidioſam feciſſent, eo ſummoto, nactos ſe locum arbitrabantur dolorem veterem expromendi. Graue quibuſdam erat quòd penes Societatem Seminariorum procuratio eſſet, præſertim Germanici, quod facultatibus Gregorij pietas copioſe inſtruxerat. Non nemo in totum Seminariorum inſtituta damnabat; facultates Pontificias in nutrimenta alienigenarum abſumi conquerens, qui reuerſi ad ſuos nibilò cæteris meliores, ſæpe deteriores, reique Chriſtianæ pernicioſiores euaderent. Quæ voces Pontificem magna molientem, eoque in pecuniaria ratione peruigilem, & alioqui per ſe ſe ab eo ſenſu non abhorrentem, permouere, vt ſignificaret, quod pecuniæ ad Seminaria ſuſtentanda è Pontificio ærario conferebatur, nolle poſt hæc conferri. Verum ab Cardinalibus Comenſi, & Madrutio, Claudio Generali inſtante, diligenter edoctus tota de re, cognitiſque etiam aliunde eorum Contuberniorum, tanquam Catholicæ Eccleſiæ Arcium, infinitis vtilitatibus, ſententiam volens mutauit. Itaque ſeptimo Idus Iulij adeuntem ad ſe Claudium omni præcipuo honore cum accepiſſet, poſt multos, varioſque collatos perbenignè ſermones, dixit: Seminaria à Gregorio excitata non modo conſeruare ſibi in animo eſſe, ſed & perpetuis reditibus, quæ nondum eos habebant, ſtatuere, Sacerdotijs, vbi facultas daretur aſſignatis. Interim darent operam Patres, vt ipſum, vbi occaſio vacuorum Sacerdotiorum offerretur, admonerent: tum nominatim de Societate adiecit, effecturum ſe ne ea Gregorium deſideraret. Ac ſcito, inquit, non multis antè diebus ad nos ſcriptum ab noſtrorum Nuntiorum quibuſdam, non deeſſe, qui Gregorio mortuo putent, idoneum ſibi tempus oblatum ad veſtros vexandos; quibus reſpondimus (& literas ipſas ad cumulum bonæ voluntatis oſtendit) nos rebus ipſis effecturos, vt omnes intelligant, quantum Societatem hanc

25 Vani rumores de alienato à nobis animo Pontificis.

26 Cogitationes obortæ Pontifici de Seminarijs extinguēdis ab eo reiectæ.

27 Benignus ſermo Pontificis ad Claudium Generalem.

amemus, & complectamur. Itaque id ipſum, quibus oportet, plane declarent, ac perſuadeant. Hæc, & alia clementiſſime fatus, ad extremum Societatis pro ſe preces etiam, atque etiam poſtulauit. Hac res tranquillitate ibant, cum inde vſque ab Stiria defertur calumnia, quæ Sixtum vehementer pupugit, Emerico Forslero Græcienſis Collegij Rectori excidiſſe, ſi Pontifex in Ieſuitarum inſtitutis mutare quid vellet, eos citius ab Religione deſcituros, quam vt Inſtituta noua ſuſciperent. Hoc itaque Sixtus, vt audiuit grauiter cum Cardinali Carafa expoſtulauit, tales audiri voces ex hominibus, qui tantam profitentur Sedi Apoſtolicæ obedientiam, adeoque de ſe ſe, qui nil tale cogitaret, opinionem inuidioſam ſpargi. Cumque Carafa, ſi Sanctitati eius probaretur, ſe Generalem Præpoſitum alloquuturum, rem totam diligenter exploraturum diceret. Quin, inquit, affare eum noſtro nomine. Recta ad Claudium Cardinalis, & mox Claudius ad Pontificem. Poſtque gratias actas, quod admonendum ſe tali de re Sanctiſſimus Dominus putarit, vehementer exaggerare crimen aggreditur. Rem eſſe grauem, noſtro in Ordine nouam, ſupplicioque notabili dignam. Nihil Societati obedientia carius, in qua ſummum ſuorum decorum, & velut inſigne collocarit. Nihil Sede Apoſtolica inter homines ſanctius, ac venerabilius, cui proprio ſe ſe voto addiceret. Publico, & inſigni demonſtrandum exemplo quanta veneratio quantum obſequium Vicario Chriſti à Religioſis, ac præſertim noſtris, qui parati ſemper debent eſſe pro eo ceruices dare, debeatur. Se adminiſtrum ſupplicij, quem æquum eſſet, fore. Hac grauitate orationis, parendique alacritate vbi delinitus eſt Pontifex, adiecit, fieri tamen poſſe, vt Forslerus non plane ita, vti ſcriptum ſit, pronuntiarit: Si Beatiſſimo Patri videretur acciturum ſe hominem Romam, vt vel ſe ſe purgaret, vel ad voluntatem Pontificis plecteretur. Nam fieri poſſe, vt vel omnino innocens ſit, vel plane nocens, vel medio quodam modo occaſionem præbuerit talia ſuſpicandi: dignum pœna eſſe, vel ſi ſolum hoc fecerit. Vbi Pontifex, Quid ſi Romam accerſas, parebit ille, ac veniet? Non ſe illi Principes interponent? (cognouerat enim eſſe apud eos in ſumma gratia, ac veneratione.) Veniet, inquit Claudius, Videbit Veſtra Sanctitas, quæ Dei gratia, in hac ſua minima Societate obedientia vigeat: ipſemet ſi qua ab Principibus mora inijciatur, perrumpet. Hæc Sixtus cum admirabundus, ac multum probans audiſſet, vt in nomine Domini acciret, adiecit. Nulla fuit in Forslero cunctatio. Vbi literas à Claudio accepit, eſſe cur primo quoque tempore Romam accurreret, aduolauit. Reſpexitque ita innocentiam eius, & obedientiam Deus, vt Pontifex, cum & ab alijs diligenter in eum inquiri iuſſiſſet, & ipſemet alloquutus eſſet, ſua ſponte multum Claudio per Cardinalem Azolinum Secretarium commendarit, virum bonum, & fauore dignum eſſe conteſtans, proinde ornaret eum, & honoraret. Cæterum Seminariorum obtrectatores nullum faciebant calumniarum finem. Grauiſſime querebantur turbulenti quidam ex Anglicano eiecti Collegio. Quorum, aliorumque ſermones, quemadmodum ipſemet Sixtus poſtea dixit, vt extingueret, & Societatis innocentiam publicaret, omnia iuſſit Seminaria Vrbis recognoſci, quæ ſub diſciplina Societatis continebantur. Alij credidere hanc Sixtum viam ingreſſum, cauſam quærentem Seminaria abolendi: Nam ad id propenſus omnino etiam ante Pontificatum ferebatur: eamque maxime ob cauſam Cardinales Sanctæ Seuerinæ, Comenſis, & cæteri, qui talium præſidiorum interius commoditates norant, ſummeque probabant, in Pontificijs Comitijs operam dederunt, vt inter capita, quæ de more Cardinales pro ſe quiſque ſi creetur Pontifex, præſtituros iurant, vnum eſſet de Seminarijs conſeruandis. Ea per id tempus quatuor in vrbe ſub diſciplina, & procuratione Societatis erant, Germanicum, cui adiunctum Vngaricum eſt, Anglicanum, Maronitcum, & Romanum (hic Clerici, & Conuictores degebant.) Deſtinauit his inſpectandis Pontifex Philippum Segam Placentinum Epiſcopum, quem

28 Calumnia contra P. Emericum Forslerum.

29 Forslerus accerſitus Romam inſons agnoſcitur, & laudatur à Pontifice.

30 Sixtus inſtituit Seminariorum Viſitationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

31 Visitatio Seminariorum in eorum laudem desinens.

subinde Nuncium ad Cæsarem misit, postea Innocentius Nonus Cardinalem creauit, & Iulium Ottinellum Episcopum Castrienſem. Hi singulis in Collegijs templo, domoque omni, & rationum tabulis, opera peritorum adhibita, diligenter inspectis, omnesque viritim Alumnos alloquuti, adeo cuncta probarunt, adeo calumnias, & nominatim libelli contra Anglicanum oblati capita refutarunt euidenter, adeo de Societatis integritate prudentiaque honorifice retulerunt, vt emenda illi fuisse ea occasio videretur. Testabantur, & Oeconomicas rationes, & formam cætus eos recte administrandi tum primum se didicisse, & aliquot regularum exemplar suos ad vsus excripsere. Cæterum per hanc opportunitatem Claudius vehementer institit, quod alias frustra tentatum erat, vt liceret Conuictorum procurationem deponere. Cum studiorum iactura, & valetudinis, multos ibi occupari Sociorum, vel ex longinquo Romam à Prouincijs missos, vt pietatis, & literarum præsidijs ad magnas res instruerentur. Cumque Pontifex id si faceret, maleuolorum sermones confirmaturum dixisset, adiecit Generalis: quoniam tum aliud Domicilium quærendum conuictoribus erat, posse ædes conduci haud multum capaces, perque earum angustias multos dimittti, ac paulatim deinceps omnes. Quòd cum Pontifex quamuis ægre tamen permitteret, multi Cardinalium reclamarunt, grauiter conquerentes nationem Italam posthaberi cæteris: nec sinendam hanc plane incultam, studijs adeo in externorum culturam intentis. Ita ea quoque procuratio, quamquam propter domicilij angustias valde tum imminutus est adolescentium numerus, retenta est, haud pœnitendo cum fructu. Et Clemens postea Octauus plane vetuit deponi.

32 Societas petit exoneri se cura Rom. Seminarij.

33 Sed non impetrat.

Collegij Maronitici suscepta nuper administratio erat. Instituerat id Collegium anno superiore Gregorius, nouo ad eam rem ædificio inchoato, magnam in spem publici emolumenti, tum ad excolendam ipsam Maronitarum gentem optime erga Romanam sedem affectam, sed grauiter ab insciti laborantem, tum ad alias per Orientem nationes adiuuandas. Quippe cum linguas Maronitæ passim calleant Arabicam, & Chaldæam toti Orienti communes, plerique etiam græcam: si solida imbuerentur religionis doctrinâ, magno vsui sperabantur futuri, & per se se, & interpretum opera ad obeundas legationes, & Apostolicas peregrinationes Pontificis nomine, & ad Schismaticorum, & Hæreticorum sectas redarguendas. Præterea ipsi Romanæ Vrbi, & Apostolicæ Sedi prompta linguarum talium copia decus afferebat, & commodum. Quas causas cum Gregorio Cardinalis Carafa proposuisset, summo studio Beatissimus Pater instituendum Collegium suscepit: & quarto idus Martij, superiore anno inchoatum est, administratione tum hactenus ab Societate recepta, vt per externos id procuraret. Sed cum Maronitæ adolescentes grauiter ferrent ab alijs, quam ab Societatis hominibus, quos se vnos Patres agnoscere dictitabant, regi, multum ijs apud Carafam Cardinalem instantibus, eoque tum apud Pontificem contendente, vt demandaret, tum apud Claudium ne diutius declinaret id onus: neque tam benemerito de Societate Cardinali, neque optimorum adolescentium voluntati, minimeque omnium Gregorij mandatis fas fuit obsistere. Itaque susceptus omnino labor, Ioannique Bruno, qui apud Maronitas fuerat, demandatus. Visitatores Pontificios cum cætera noui huius Collegij delectarunt, tum adolescens Cyprius genere Marcus Moronius nomine, qui paucis post annis nondum domum receptus, sed tamen Societatis obstrictus Votis decessit, honoratusque est suffragijs tanquam vnus ex ea. Huic cum Actus Apostolorum, græce conscripti traditi essent explicandi, Chaldaice eos, & Arabice, & vernacula hoc tempore Græcorum lingua, adhæc latina, atque Italica commode explicauit. Nec sublato Gregorio Sixtus præclarum cœptum omisit. Nam præter dissolutum æs alienum, quod erat contractum, & iustam summam pecuniæ ad alios vsus donatam, sua sponte Abbatiam illi millenum ferme nummum annui vectigalis addixit, cum antea certo vectigali careret.

34 Collegij Maronitarum procurationem Societas suscipit.

35 Sixti Pont. in id Collegium liberalitas.

Illy-

Illyricorum quoque Alumnorum turbulenti quidam Laureto fuga elapsi, Romam vsque querelas delaturi contenderunt. Sed ita contra se omnia reperere Romæ, vt in maximo beneficio posuerint, venia suppliciter petita, pœnaque susceptа, rursus in Collegium recipi. Verum Rectorem huius Collegij Lauretano Societatis Rectori Generalis posthæc subesse iussit. Idem Seminariorum per septentrionem conditorum, in quæ potestatem Gregorius Posseuino commiserat, curam omnem ad Prouinciales in sua quemque Prouincia transtulit. Ita enim cum tantis essent interuallis dissita, à pluribus, ijsque potestatem habentibus, commodius quam ab vno quopiam, eoque priuato homine, regi poterant.

36 Illyrici apud Lauretum Collegij turbæ compositæ.

37 Seminaria septentrionalia Prouincialibus subiecta.

Transmarinæ ad Orientem expeditiones finitæ; eo maxime, quòd diuersam ab Gregorio Sixtus viam ingressus, pecuniam in alia destinabat opera. Redijt igitur ex Ægypto Ioannes Baptista Elianus, cuius ad Cophtos profectio, quamquam non plane votis respondit, plurimum tamen valuit ad multa gentis vitia emendanda, quæ nouus Patriarcha ex eius ante congressu cognita, omni ope instituit abolere. Raguſa quoque Philippus de Philippis, deinde Horatius Passardus, qui præclare per quadragenarium ieiunium rem ibi gesserat, & Ioannes Ambrosius Castanea desiderio sui magno relicto, rediere. Horum reuocandorum etiam Gregorius Claudio potestatem fecerat, cum Stationum proprium sit non esse perpetuas.

38 Missiones transmarinæ non continuatæ.

Cæterum Constantinopolitana Sedes hoc etiam anno stetit. Huc anni superioris exitu in supplementum missi Ludouicus Chizzola, & Petrus Antonius Casatus Sacerdotes, tempestate in Cretam expulsi, totum ieiunij magni tractum, dum nauigij copiam opperiuntur, exegere Insulanis instituendis: in ipsa vrbe Candiæ Latinus Vrsinus apud se perpetuo habuit. Alternis ante, postque meridiem verba faciebant. Vtilitas publica consecuta est maxima; vt Ciues Diuinæ prouidentiæ gratularentur, quod id sibi extraordinariæ opis adeo in tempore, nec opinantibus misisset. Decorauit Patrum labores præmiorum abstinentia. Nam cum supra consuetum concionatoris stipendium pecuniæ Ciues bonam summam, quam eis traderent, corrogassent: denique quia, & hæc, & stipendium reijciebantur, alia beneuolentiæ nomine obtruderent, omnia Patres Societatis more constantissime recusarunt. Adulto iam vere prosequuti iter tandem Constantinopolim sospites tenuere. Hic vero ingens domi, & inter fideles gratulatio facta est, quæ parem exitum non habuit. Nam vt demum homines omnes sumus, visus est Chizzolæ Iulius Mancinellus, qui præerat, nimia seueritate vti in domesticis continendis: quod cum paulo liberius eidem significasset, Iulius eam opinionem ingressus, parum se regendis illis idoneum esse, ne Seruis Dei, quos, vt quidem ipse opinabatur, nesciebat ferre, grauis foret, statuit ab ea statione se se subducere, & nactus idoneum ductorem, via Poloniam versus suscepta, Leopolim in Prussiam Octobri mense peruenit. Nullo modo Claudio Generali ea profectio probata est. Nam ipsum præsidem ita repentino motu discedere, & stationem tanti momenti relinquere, & adeo periculosum iter de sua senrentia ingredi, non poterat videri nisi ex spiritu minus recto, vehementique ægritudine animi, sub pacis, & quietis obtentu. Adeo vel Sanctissimis viris conatur Satan imponere: Et his maxime constanter regia obedientiæ tenenda via est. Tamen simplicem Iulij mentem respexisse visus est Deus, qui haud sine aliquo comitum, & obuiorum fructu sospitem in Poloniæ Prouinciam tandem illum perduxit. Chizzola, & Casatus Constantinopoli relicti in omnem sui muneris partem cura intenta, cum aliquot adolescentes etiam literas edocere Casatus (namque erat ipse natione Græcus) instituisset, minorem tamen spe, & labore fructum retulere. Redijt inde Romam & Marinus Tempariza ob assiduum languorem in ea sede inutilis, quem vt Episcopum sibi impetrarent Posslegani datis Romam literis, contenderunt: sed edocti quam ab Societate abhorrerent id genus honores aliò vertêre consilia.

39 Missio Constantinopolitana tamen durat.

40 Iulius Mancinellus in Poloniam Constantinopoli proficiscitur.

41 Marinus Tempariza in Episcopum petitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc longinquarum missionum cursu multæ per Italiam obitæ inprimis salubres. Magnam Latij partem, Albanam Diœcesim, & circumiectos populos peragrauit Paschasius Romualdus, homo ad rudes formandos tanquam diuinitus factus. Is quocumque adijt Catechesim ita vulgarem fecit, vt non teneræ modo paruulorum ætates, sed grandium quoque natu in inscitia obduratæ, nihil haberent promptius, quam legis diuinæ carmina. Introducta adhæc sacrorum mysteriorum veneratio, & vsus: pietas excitata erga Dei parentem, succursum pupillis, alijsque calamitosis. Similia his par Sacerdotum Basilius Fidus, & Hieronymus Lauia in oppido Amatrice gesserunt. Est id nobile Samnitum Oppidum ad elegantiæ formam recentis extructum in Insula, quam Truentum amnis protinus à fonte modico diuortio labens, pauloque post confluens efficit. Asculano subest Episcopo, cuius postulatu, & summo ipsorum Amatricensium studio missi Patres. Operæ pretium multifariam constitit, præsertim in sedandis odijs, grauibusque inimicitijs extinguendis. Illud vniuersus populus singulari Dei indulgentiæ tribuit; quod cum sub Patrum aduentum (extremo Maio venere) segetes pusillæ, & graciles annonam infaustam minarentur, quadraginta horarum, autoribus ijs, supplicatione habita, ita repente grandescere, pinguescereque cœperunt, multis vt ante annis vberiorem messem nunquam habuerint. Neque certandum leuiter fuit cum Oppidanis, vt eos tandem autumno extremo dimitterent: neque anno insequenti aliud Sacerdotum par potuit denegari, Petrus Braccinus, & Petrus Paulus Montius, qui oppidanorum adeo inflammarunt animos, vt perpetuam Societatis Sedem apud se se vehementer obtulerint, quæ tamen recepta non est.

42 Paschasius Romualdi Missio per latium frugifera.

Hoc anno decimo tertio Kalendas Iunias cœpta Collegij Montis Sancti ædificatio, summè læto populo, summeque studente. Iam inde ab initijs Lauretani Collegij cognita summo suo cum fructu Societate is populus (abest enim Laureto non plus quinque millia, in colle peramœno, inprimisque salubri degens,) amore eius apud se Domicilij statuendi exarsit. Oblata deinest facultas rei vrgendæ anno 1574. cum Antonius Casagrandis indidem Ciuis vita decedens suas id ipsum in opus facultates legauit. Tum institere Oppidani publico consilio collaturos se quoque polliciti, vt hæreditas cerneretur. Iuuit eorum preces, & Felix Perettus hac tempestate Pontifex, illâ Firmanus Antistes, cuius in Diœcesi Mons Sanctus est. Itaque adita hæreditas receptumque Collegium: & hoc interiecto tempore fructibus hæreditatis cumulandis dato, cum iam ægrè ferrent longiores Oppidani moras, & ad ædificationem quingentos florenos in annos quinque conferrent, posita demum rite sunt fundamenta.

44 Collegij Montis Sancti ædificatio.

Die S. Catharinæ Virgini sacro post longa certamina, multiplicesque palmas B. Ludouicus Gonzaga, expresso ab suis consensu abdicato Marchionatu, Romæ Tyronum in numerum adscriptus est: de quo fusius referetur eo anno, quo emigrauit in Cœlum. Egregium quoque præbuit exemplum magni animi, supraque mortales opes, & honores elati Ioannes Baptista Lambertinus Bononiensis, qui cum esset in Romana Curia Referendarius Apostolicus, omnia quieto Christi Domini obsequio, sanctæque humilitati posthabuit, Societatem ingressus, in qua recto cum exemplo etiamnum vitam agit. Amisit Neapolis, & Cuncta Societas Alfonsum Salmeronem, alterum è duobus, qui ad hanc diem superstites erant è primis decem. Iam dudum compositis libris tanquam breui venturam præsagiens, ad supremam se se comparauerat diem. Sub extrema rogatus, vt Socijs benediceret, cum aliquandiu recusasset, rursum instantibus post susceptam Diuinissimam Eucharistiam suam erga omnes charitatem ante professus, Precor, inquit, (nam hæc ipsa verba latine fecit) Dominum Nostrum IESVM Christum, vt dignetur vos protegere, manutenere, & benedicere, vt possitis respondere huic beneficio vestræ Vocationis, & peruenire ad Regna Cœlorum, in nomine Patris, & Filij, & Spi-

45 B. Ludouicus Gonzaga ingreditur Societatem.

46 Et Io: Baptista Lambertinus.

47 P. Salmeron moritur.

48 Vltima eius verba.

Spiritus Sancti Amen. Inde dum sacra Vnctio affertur, quia Pater præcipuo cultu Sanctam Agatham venerabatur, quidam astantium, memineris, inquit, supremum sacrum te die festo Sanctæ Agathæ fecisse. Et Salmeron, quam mox erit dies octauus? cumque responsum esset, postridie futurum, proinde, inquit, crastinus dies est terminus: neque aliter cecidit. Nam hora decima noctis, quæ sequuta Idus Februarias est, expirauit. Cum eam noctem dulcibus cum Deo colloquijs, Beataque Virgine, & Cœlitibus exegisset, animo tranquillissimo, & ad beatam illam lucem auidè aspirante. Nam cum sæpius aliquando diceret, lætatur anima mea, lætatur: quærenti cur lætaretur, quia, inquit, incipit Deus misericordiæ suæ mihi vias ostendere: ac subinde ingeminauit, ad vitam æternam. Multa nobilitas honoradis eius iustis interfuit, & ipse cum Clero Archiepiscopus. Nec sane immerito. Nam post obitos Catholicæ rei causa multos, arduosque discursus, Neapoli demum consedit, quam & principio à serpente furtim hæretica peste seruauit, ac deinceps Diuini verbi pabulo, doctæ insuper, ac frugiferæ prædicationis forma inducta, multos annos aluit. Adhæc cum valeret multum autoritate apud Dynastas, atque Proreges, gratiam omnem ad calamitosorum leuamentum conferebat. Nec semel magni fuit vsus ad concordiam sacræ inter profanæque ditionis administros. Sed angustum theatrum laudi, ac famæ Alfonsi Salmeronis vna quamuis ampla ciuitas videri potuit. Viri vtique suo sæculo celeberrimi, qui fermè omnia Europæ Regna meritis impleuit. Hispaniæ cui ortum debuit, Toleti natus, decus vicissim immortale ingenio, & eruditione reddidit. Galliam inde Belgium, Hiberniam, Germaniam, Italiam laboribus Apostolicis excoluit. In Poloniam primus Societatis nomen notitiamque intulit; eiusque morum, doctrinæ, ac vitæ rationis tam amabile illic, ac vulgò probatum inforiam salutemque mortalium Socij gessere, haud modicâ ex parte istis initiorum exemplis; ac quasi cuidam felicitati auspiciorum imputanda videantur. Mirus in hoc viro concursus ægrè ac rarò coëuntium rerum; Lucubrationum, cum Peregrinationibus, lectionis immensæ cum infinitâ scriptione, subtilitatis scholasticæ, & eruditionis (vt sic loquar) acroamaticæ, (cuius experimenta illustria edidit Parisijs, Romæ in Gymnasio sapientiæ, & in Academia Ingolstadiensi) cum eloquentiâ populari: præsertim vbi ei necesse foret adhibere linguas à suâ naturali dissidentes; puta Gallicam aut Italicam. Et hanc quidem, licet non nisi iam grandis natu cognoscere cepisset, quam feliciter arripuerit, testes sunt assidui concionum plausus ei de sacro pulpito agenti dati, Romæ, Neapoli, Senis, Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, Patauij alijsque in præcipuis Italiæ Vrbibus. Quas inter cum nemo nesciat vnam è politissimis, & optimè de eloquentiâ iudicare solitis esse inclytam Venetorum Ciuitatem, in eâ Salmeron tantum dicendo apud omnes æquè ordines potuit, vt præterquam quod per vrbem incedens ab omni passim conditione atque ætate (quod paucissimis euenit) monstrabatur digito, & æui sui disertissimus prædicabatur; etiam cum semel questus inter perorandum esset, quod Hæretici quidam illic impune nundinarentur; statim ab illo sapientissimo Senatu perlatum decretum fuerit, quo illa est licentia repressa. rursus cum fuisset inuectus in morem ibi tunc vigentem Feminarum prodeundi sinu aperto, & obtutibus occurrentium parum pudenter expositò, ipso die decem è primarijs Matronis Societate initâ modestiæ, vela ex composito sumpserint, salubrèque id exemplum mox sensim in cæteras propagarint; cuius rei vestigium hodieque superesse aiunt in vocabulo, quo id velum designatur. Non facile alium ampliora honestarunt summorum iudicia Pontificum. A Paulo III. in Hiberniam primùm deinde in Scotiam Nuncius Apostolicus. Tridentum ad Concilium Theologus Pontificius, in Bauariam denique grauium negotiorum procurator missus est. Iulius III. & Pius IV. eumdem iterum, & tertiò Theologi

49 Præclari eius Acta Neapoli.

50 Celebritas eius per orbem.

51 Concursus in eo dotium penè contrariarum rarus.

52 Successus Concionum Salmeronis Venetijs.

53 Honoratur à Summis Pontificibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

logi Pontificij partes Tridentinâ in Synodo obire iusserunt: quod cum vltimò fieret S. Carolus Borromæus literas adiecit, quibus eum impensè commendabat. A Paulo IV. comes assignatus est Aloysio Lipomano in Poloniam legato, vti & Cardinalibus de Motulâ primùm, inde Carolo Caraffæ missis in Belgium. A Pio IV. idem coram eloquentiam & doctrinam gratulante laudatus, & proficiscens Neapolim Nuncio illic Apostolico per literas studiosissimè commendatus est. Pius denique Quintus eum Neapoli ad hoc ipsum euocatum Aulæ Pontificiæ concionatorem esse iussit. Domesticam etiam Societatis gubernationem attigit non minori sapientiæ laude, Rector, Prouincialis, Vicarius Generalis semper felix, & omnibus probatus. His tot, ac tantis Domi foriſque exantlatis fractus laboribus, quo non concedente potuisset, extremam ætatem in quiete honoratâ bene feriatus agere? Ille tamen debilitatem exhausti senio corpusculi in occasionem vtilissimæ meditationis vertit; nam tale studio spatium nactus sedecim illos Tomos eruditissimarum in Euangelia, Acta, & Epistolas Apostolicas commentationum elucubrauit, quæ sæpius recusæ doctorum manibus teruntur. Hi Tomi cum ad editionem pararentur Electus à Præposito Generali ijs recognoscendis Censor, Româ Neapolim vbi erat Salmeron, mittitur Robertus Bellarminus. Is libello, quem habemus manu ipsius scriptum, testatur; Se quinque totis mensibus ei labori insudantem annotare solitum quotidie Patri Salmeroni quæ sibi in eius operis parte quam eo die legerat, minus probarentur: eaque illum omnia postridie emendata exhibuisse, etsi non rarò rationes ijs tuendis idoneas habere sibi videretur. Quod ni fallor in tantæ autoritatis Patre erga tantò iuniorem insignis demissionis memorabile in paucis exemplum est. Vnde patet quam altè quamque in solido positum Alfonsus habuerit perfectionis fundamentum, quod esse humilitatem Sancti agnoscunt. Huic porro basi virtutes cæteræ omnes inædificatæ surgebant, Obedientia, Patientia, deuotio, zelus animarum, Orationis assiduitas, & Christi præsertim Passionis continua, & affectibus mixta consideratio. Religio tum eminebat maximè cum de Christo Domino, de Beatissimâ eius parente, de cœlesti denique Beatitudine loquebatur. De horum trium aliquo vbi sermo incideret, extra se se rapi diceres; adeò afficiebatur, & verba ex pleno redundantique fundebat pectore. Magnitudo eius animi, simulque otij odium apparuit in eo, quod cum Septuagenarius opus ingens de quo diximus in nouum Testamentum peregisset, aliud maius in vetus inchoare non dubitauerit, quâ in molitione strenuè satagentem, & fortis spe alacrem, vires cum vitâ defecerunt, decem tantum Libri Geneseos Capitibus vberi Comentario pertractatis. Vir fuit iustæ corporis Staturæ, virium firmarum, laboris omnis, præsertim literarij, patientissimus: Operarius vineæ domini planè sedulus, & frugifer, cuius similes vtinam Ecclesia numeret plurimos.

54 Optimè gubernat Societatem.

55 Senectutem studijs dicat

56 Modestia eius in subeũda censura.

57 Virtutes eiusdem.

Grauis admodum hoc anno fuit Neapoli caritas rei frumentariæ, atque inopia, vnde incitatus ad tumultum populus, cum diris modis in Ioannem Vincentium Staracem Tribunum Plebis desæuisset, periculum erat, ne tota Ciuitas immane vulnus acciperet: nec erat qui concitatæ, & impune debacchanti multitudini se se auderet opponere. Dynastæ aliquot domum Professorum trepide aduolant, admonentque Patres periclitanti Ciuitati si quid opis possint, ne cunctentur afferre. continuo Antonius Lisius Domus Præpositus & Carolus Mastrillus ad Collegium, vbi Prouincialis Massellus erat, descendunt Cogitur ingens numerus Sacerdotum, quidque agendum sit raptim deliberatur. Erant qui censerent in æstu illo tumultus haud quicquam mouendum, ne ipso remedio cruda plaga fieret asperior, personæque etiam sacræ violarentur: præsertim quod verendum esset, ne dum multitudo in rei publicæ administros furit, inuidia Societatem quoque opprimeret, cui summe studere Proregem vulgo erat notissimum. Alij contra, quandonam tempus fore ostendendi curæ esse Societati salutem publicam, tamque gratæ Ciuitati insignem

58 Neapolitanæ contra Staracem.

59 Generosum Caroli Mastrilli facinus ad eas sedandas.

signem nauandi operam, si tempore illo cessarent? Maximis malis periculosa etiam tentanda remedia. Tum Carolus Mastrillus, ita mihi, inquit, temperanda videtur res: præibo ego solus; si mactor damnum haud fiet in me, sin autem, vt spero, quod plerisque è populo, & notus sum, & videor non ingratus, locus aperietur remedij, vos pariter succurretis. Probato ab eis, Numinique commendato consilio, Carolus conscientiæ labes confessione curſim repurgat, festinat in templum, Sanctissimum Christi Corpus salutat, pacem sibi, populoque expoſcens, ac suum pro salute publica caput deuouens, tum crassum funem in laquei modum collo circundat, & arcte pileolum vertici adprimit. Inde sine alio tegmento capitis, sine pallio, sacrum Crucifixi signum manu gestans, in paucorum nobilium comitatu procedit in publicum. Plenus ibat animi, diuinæque fiduciæ. Vbi prope tumultuantes venit, admonitis nobilibus, vt prout se se viderent accipi, Patribus renunciarent. venirent, vel se domi continerent; repente progressus, Crucifixi sublato signo, Quid hoc rei, Fratres, est, intonat, Viuat IESVS, viuat IESVS, quid rei est hoc? Vt agnitus est, & eo conspectus in habitu, tanquam angelus Dei excipitur: tanquam ad parentem proximi quique vertuntur quere bundi, hi manus, hi pedes exoſculantur. Quos ille consolans, ac bene iubens sperare, ingeminanſque easdem voces, Viuat IESVS, & veneramini Crucifixum. In confertissimam tumultuantium turbam, inter fulgentes gladios, & infesta tela penetrauit. Multa erant furentium millia, plena omnia omni armorum genere, omnia inconditis vocibus, probroſisque, & minacibus perstrepebant clamoribus. Stabat eodem forte loco fragmen columnæ, in quod vt Carolus conscendit, cumque illo ad collum sune Crucifixum prætendens conspectus est, audientiam plerique fecere. Quare edito signo Nobilibus, vt cæteros Patres aduocarent, interrumpens crebris vocem gemitibus, pluſque lacrymarum quam verborum fundeas, miserabiliter incæpit admonere; Quò ruerent, quò se Satanæ instinctu rapi sinerent? Fiduciam in Deum erigerent, qui vel mutas bestias pascit: eam esse viam vitæ tuendæ, non vim, & arma. Meminissent Neapolitanæ nobilitatis, meminissent fidei quam Deo semper, quam Principibus suis præstitissent. Considerarent, quò demum euasura seditio esset. Hæc atque talia dum summo ardore animi peragit, ecce longum agmen Patrum (longè plus centum erant) ex Professorum Domo, & Collegio congregati, spectaculo omnino lugubri, atque terrifico, bini incedebant lacrymabili ore, pleriſque pendebant funes impliciti collo: his Christi effigies in varijs cruciatuum argumentis gestamen erat: illis Beatæ Virginis: alij mortuorum caluariæ, alia alij ad terrorem, ac pœnitentiam apta præferebant, & solemne litaniarum carmen mœsto murmure succinebant. Elanguit ad hanc speciem plebis furor: ac Patres statim intermisti turbæ, solando, demulcendo, hortando trifariam diuiduntur. Alij ingens agmen in Episcopale templum auertunt: alij parem cæteruam in sacram ædem Annunciationis Deiparæ trahunt, paratis vtrobique sacris concionatoribus, qui è suggestu apta oratione mitigarent feroces animos, & ad obedientiam, spemque bonam à peruicacia, ac desperatione traducerent. Ita dissipata præcipua tumultuantium acie, seditio, quæ numero valet, eneruata est. Pars Patrum tertia, quæ cum Carolo mansit, ad ipsas Staracis ædes se se conuertit. In eas improbissimus quisque rapacissimusque impetum fecerant: clausoque intus ostio, vt soli præda potirentur, tanquam in summo otio arcas, & abacos, ac receptacula omnia, cellasque olearias, ac vinarias, ac demum totam domum vacuam faciebant. Alij dein atque alij superuenerant, qui tentantes ingressum, adacta securi validis fores ictibus perfringebant. Ad quas cum Carolus peruasisset, nec quisquam aditum panderet, per foramen, quod prædatores vi fecerant, brachium, & Crucifixum audacter immisit, vt Christo aperirent, inclamans: ac repente nescio vnde (diuinitus existimari par est) pat efacta Ianua est. Ingreditur ipse cum manu sociorum, & in prædantium glo-

60 Oratio Caroli Mastrilli ad Concionem seditiosorum armatam.

61 Mira nouæ supplicationis pompa. Cuius spectaculo flagrans seditio restinguitur.

62 Domum Staracis ab vltimo exitio, matrem à morte PP. Societatis seruant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

globum occurrit inter se se de Damasceno Conopæo digladiantium, quos cum pacasset, dari sibi Conopæum iussos, paulum progressus conspicit infelicem Anum, Staracis parentem, horrificum spectrum, timore ac stupore attonitam, abiectam in angulo, nudam, ita cum partim senio, partim valetudine decumbentem reperissent, direpto lecto latrones abiecerant. Injcit in eam stragulum Carolus: tum iuuantibus Socijs tabulæ impositam, vicinam in domum nobilis Matronæ Briatici Comitis defert. Nec solum id officium præstitum Anui, sed etiam conseruata supellex multa, ac pretiosa. Prudenter dicitur fecisse Prorex, qui præsidiarios milites inter seditionem continuit. Nam si vim vi inhibere tentasset, sanguisque fieri cæpisset, haud dubie stragis funesta impendebat. Licet hic ex fine Salmeronis, & Staracis, ponderare, quam sit beata sors famulorum Dei: licet insuper in eo Tribuno plebis notare quam incerta, & commutabilis sit humanorum bonorum conditio, quam seculum fallax. Nam cum in Foro (quod ab Ephippiariorum officinis Sellarium vocant) diem Sancto Ianuario eius Ciuitatis tutelari sacrum omni præcipuo honore, excitato etiam fornice in arcuum triumphalium morem, celeberrimum tanquam ipse triumphans peregisset, paucis post diebus in idem forum ab templo Sancti Augustini, vbi populus suos habet cœtus, raptatus, miserisque excruciatus modis, alliso ad fontis marginem capite plebis furentis impetu mactatus est. Intestina dein mortuo extracta, & cuspidi hastæ infixum cor, velut insigne gestatum, & cadauer per summam ignominiam tota vrbe raptatum. Hoc eodem anno Neapoli gemina ad Professorum Domum Sodalitas, quæ incrementum, & successum optatissimum accepere, altera Nobilium, altera Opificum, instituta. Addita & Nolano Collegio Sodalitas Sacerdotum Aletinæ similis; quam ipsimet Sacerdotes non minore laude sua instituendam curarunt, quam populi deinde vtilitate coluere. Qui superiore anno Beneuentum, Collegij inchoandi causa missi fuerant, quanquam multis enixe retinentibus, & ad id impetrandum à Deo complures piæ fœminæ pane & aqua sæpius ieiunarint, tamen reuocati sunt, quia litigiosum erat templum, quo vtebantur, nec ad perpetuam commorationem domicilium aliud erat in promptu.

63 Mors Staracis funesta.

64 Duo Sodalitia in domo Prof. Neapnoua instituta.

In Sicilia calamitas Mamertini Collegij pietatem erga illud Ciuitatis egregie illustrauit. Nam cum decimo Kalendas Aprilis per incuriam fabri lignarij, in templo veteri, vbi sedilia conficiebantur, maioris in vsum sodalitatis, ex neglecta scintilla in multam vim materiæ incendium exarsisset sub horam quintam noctis, Magistratus, & nobilissimi quique eadem hora accurrere, & ex populo facile tria millia. Non potuit tamen prohiberi, quin bonam Collegij partem magno damno flamma, quæ inualuerat, absumeret. Ipsi Religiosi Dominicani, Carmelitæ, Augustiniani, Capuccini, si eorum deflagrarent cœnobia, non plus curæ, laborisue sumpsissent. Nec deinde resarcire iacturam Ciuium benignitas liberali stipe destitit. Per hanc calamitatem, vicini inter se domo nobiles è primis duo, qui ex graui dissidio nulla grauissimorum hominum pacificatione abduci poterant, cum repentino ardentis Collegij tumultu perculsi mutuo se se appellassent, vt scalas, & alia necessaria curarent, ac pariter opitulaturi accurrissent, finito ea re dissidio, deinceps coniunctissimi perstitere. Alium quendam, annum iam tertium vltioni imminentem, conspecta flammæ immanitas, obiectaque inde tartareorum imago ignium vsque eo permouit, vt remissa vltro inimicis iniuria, expiatisque vitæ totius noxis, accuratius post hæc consulere sibi in æternum statuerit. Adeo per omnes occasiones trahendis ad se mortalibus benignum Numen insistit: salutique animorum Collegium Mamertinum, vel conflagrando seruiuit. Delectauit Ciuitatem, quod vbi illuxit (erat dies Dominicus) in templo sacra facta, auditi confitentes, concio ante, postque meridiem habita, & cætera administrata perinde, ac si nihil molestiæ præcessisset. Haud multo post rependendi beneficij oblata occasio est. Nam cum vrbis domos quas-

65 Collegij Mamertini calamitas ab igne. Subleuatur benignitate Amicorum.

66 Mira reconciliatio duorum Inimicorum.

67 Peccatoris conuersio ex flammæ conspectu nata.

quasdam ignis comprehendisset, eò cum duodecim Socijs Angelus Sibilla Rector accurrit, egregiamque operam, nec labori, nec periculis parcens, nauauit. Panormum ad Professorum domum haud dubia Dei voluntate Cranium vnius è Sanctis Innocentibus deportatum est. Id & alia quædam religiosa munuscula ad eam domum ferenda Iulius Fatius Mercatoribus, quos fideles fore opinabatur, biennio ante tradiderat. Illi fidem in ea re fallere pietatem rati, inter se tradita diuisere. Cranium Nauclero obtigit, qui vbi peruenit in Siciliam, expositque merces, aliò cursum intendit: ac primum nulla omnino apparente causa morbo corripitur; dein longo errore per maria iactatus, nec vsquam terra potitus, magna tandem coorta tempestate, in Siciliæ portum, quem Milacium vocant, ejicitur. Hic omnes in terram egressi vectores, Deo grates acturi. Nauclerus etiamnum æger; & ipse descendit, diuinamque iram ob interuersas sacras reliquias aduersum se concitatam intelligens, de peccatis Cœnobitæ Sacerdoti confitetur, eidemque cranium vna cum literis, quæ de eo fidem faciebant, tradit, vti primo quoque tempore Panormum ad Patres mittat: ac subinde vt causam mali manifestiùs comperiret, liberata conscientia Nauclerus conualescit. Confessarium contra noxa, & pœna corripuit. Cum enim circiter sesquiannum sacrum depositum differret reddere, eo tempore valetudinarius perpetuo, decolor, & exanguis fuit. Itaque reputans, conferensque quod gubernatori illi euenerat, quodque ipse patiebatur, statuit ipsemet Panormum religiose reliquias deportare, quod fecit.

68 Cranium vnius è SS. Innocentibus Panormum defertur.

69 Depositi fides lasa morbo aliisque pœnis vindicatur.

In Prouincia Veneta obijt Franciscus Palmius Benedicti frater, probitatis, industriæque memorandæ Sacerdos, qui Bononiense Collegium inde vsque ab ortu primo rexit, certa in sede constituit, certo vectigali firmauit: multum non de vrbe solum Bononiensi, sed vniuersa etiam diœcesi meritus. quam sæpius Paleotti Archiepiscopi eiusdemque Cardinalis iussu recognouit, & ordinauit. Neque enim habebat magnus ille sapientia, ac religione Antistes, cuius consilio operaue libentius, quam Francisci Palmij vteretur. Eiusdem eximia caritas vel maximè erga Socios hospites patuit sub initia Collegij cum res domi angustissima esset, & hospites non solum plurimi, quia tota sæpe Collegia nouas in Colonias pariter mittebantur, & ex omnibus Romam Prouincijs plerique accersebantur, sed etiam propter egestatem pessime ad faciendum iter instructi; tum Palmius, & tanquam filios alacritate summa, dulcissimaque excipiebat, habebatque, & vestibus calceis, & qua re alia opus foret, etiam quo posset viatico muniebat, ex Apostoli voce multos locupletans cum nihil haberet. Respiciebat quippe Pater cælestis fiduciam eius, & caritatem, & Ciuium aperiebat corda, vt quoniam ille in benedictionibus seminabat, de benedictionibus & meteret. Si quidem danti datur, riuusque caritatis auctior cò vnde fluit recurrit. Francisco sublato, Collegij administratio ni Bernardinus Confalonerius præfectus est. Et in hac Prouincia peregre multorum mores populorum exculti cum fructu. Sed Rauennæ in primis acer, exemplique rectissimi Concionator, extremo superiore, & hoc ineunte anno desudauit Marius Fabritius: vbi tum rem Catechisticam valde promouit, tum pia instituta complura, quæ pene obsoleuerant, reuocauit: quæ deinde Iacobus Leuantus extremo anno prouexit.

70 P. Franciscus Palmius moritur.

71 Marius Fabritius concionator Rauennæ.

In Vallibus pedemontanis salubres continuati labores. Nouariensis prætera Diœcesis tota oppidatim, pagatimque à Sacerdotibus quatuor, postulante, & grates agente Episcopo, lustrata.

Sed plus rerum cum cura dicendarum Polonica offert Prouincia. Initio anni Iacobus Vviechus Vangrouicensis, ex Congregatione Procuratorum ab Vrbe in Poloniam rediens, septem inde in supplementum, auxiliumque deduxit, quos inter Fabritium Pallauicinum, qui statim Posnaniæ philosophiæ docendæ initium fecit. Gratum fuit id subsidium non Prouinciali solum Campano, sed etiam Stephano Regi, cuius noua in nos officia in dies exta-

72 Stephani Regis Poloniæ studium ingens in res Societatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant. Habebatur eo tempore Varsauiæ Regni conuentus. In eo Rex cum de confirmandis Polocensis Collegij fundis referret, ita sermonem instituit, vt post laudes Societatis non vulgares, diceret vitam sibi ereptam malle, quam eius voti compotem non fieri. Itaque tum confirmata est ea dos, tum Academiæ Vilnensis priuilegia recepta, ne externo Cancellario subiaceret, eiusdemque bona à collatione in bellum, & quæcumque alia indiceretur, excepta. Quæ omnia cessante omnino Societate gesta sunt. Quodque plus habet inopinati, hæreticorum plerisque ita fauentibus, vt non plus facturi fuerint, si in eam rem fuissent mercede conducti. Nimirum suam humanarum arbiter voluntatum causam Deus administrabat; qui indita Regi illa propensione, dum ad eam accommodant se se procerum studia, æterni consilij sui per molliſſimas vias rationem exequebatur. Egregiam ijs Comitijs in causa religionis tuenda operam Posseuinus, ex Gregorij Pontificis, & Stephani Regis sententia nauauit. Is annos iam aliquot septentrionem percursabat, maxime controuersijs inter Polonum Regem, & Cæsarem tollendis desudans: de quo hæc plane comperio. Sane præclara ab eo gesta toto hoc tempore, tum in Germania, tum in Polonia, & alijs, quas peragrauit, Prouincijs: Verum offendisse non neminem, quod agere videretur imperiosius: alios vero qui in eisdem causis maiore cum specie, ac spe versabantur, ægre tulisse per priuatum hominem Dei seruum, quod ipsis non succederet, ad effectum perduci. Hique maxime, & alij rerum ignari, ex leuissima coniectura studij in nos Stephani Regis, dissipabant; non paribus in ea re Posseuinum vti lancibus, sed omnia ad Polonum trahere. Qui sermones cum Societati ad animarum causas parum commodi forent, rogatu Claudij Generalis Gregorius illa eum graui cura exoluit: deinde etiam Seminariorum, vti supra dictum est, procuratione expeditus est, eoque postmodum liberius Prouinciali vacauit, maiorique ad curam domesticam vsui fuit. Res per hanc tempestatem ita successere ex optatis Cracouiæ, vt messis affluentia annorum superiorum tristitiam abunde compensaret. Constituta ibi Sodalitas sub magnæ Matris tutela inter scholasticos Academiæ publicæ: alteram item Scarga conflauit (cui nomen à misericordia fecit) separatim è viris, ac feminis. Per hosce Sodales, & ægrotis, & carcere inclusis, & pupillis, & male domi constitutis, præsertim pudore super incumbente, & id genus calamitosis delinimenta, & remedia curabantur. Ibidem ad domicilium Tyronum condendum grauis femina Vidua Anna de Lipuik Cormanicia, Castellana Czechouiensis, fundum attribuit. Dudum id moliebatur, sed expedire nesciebat moras: nec deerant certorum hominum, per quos à proposito auocabatur, sermones. Verum cum Cracouiam hoc anno venisset, templum Societatis ad Sanctæ Barbaræ ingressa, munditiaque, & ornatu delectata, & Sacrorum celebritate, & populi concursu, & ardore, statuit illico rem effectam dare, postridieque transegit. Paratæ Tyronum domui contiguum adiunctum est S. Matthiæ Sacellum, vt esset ei, loco Ædis sacræ; venia quorum intererat ad id impetrata: In eo cœptæ germanice haberi conciones. Fauit his quoque cœptis suo more Stephanus Rex: per quam occasionem, quia & de Professorum domicilio agebatur, cupienti cognoscere, quid hæc familiarum in Societate distinctio sibi velit, ita Prouincialis Campanus rem omnem exposuit. Quos Sancti Patres ad virtutem perfectam tendentium gradus statuunt tres, inchoantium, proficientium, perfectorum, hos hac domiciliorum varietate cerni. Quippe esse in Societate eos, qui purgantur à vitijs, moribusque profanis, & solida virtutis iaciunt fundamenta, Hos esse Nouitios, & horum domicilium Cracouiæ ad Sanctum Stephanum fore. Esse deinde alios, qui post rudimenta posita virtutis, in eaque magis, ac magis proficientes illuminantur, & morum sanctitati, ad proximorum commoda ingenij ornamenta, & literarum lumina addunt, Hos in Collegijs haberi. Verum quia multa habet Cracouia Philosophorum, Medicorum, & Iurisprudentium Collegia, idcirco non fieri

73 Posseuinus in Comitijs Varsauiensibus præclaram operam Religioni nauat.

74 Inuidiosæ suspiciones in Posseuinum.

75 Res Cracouiæ feliciter gestæ.

76 Domus Probationis Cracouiæ initiū.

77 Stephanus Poloniæ Rex de causis distinctionis domuum Societatis edocetur.

fieri de Collegio ibi Societatis excitando mentionem. Supremos esse, qui multum progressi, iamque illustrati ipsi, atque in religiosa disciplina tanquam perfecti, iuuandis alijs, purgandis, illuminandis, cumque Deo iungendis per Diuinum verbum, & Sacramenta insistunt, & hos in Societate esse Professos, certoque in gradu cooptatos, quorum familiam ad Sanctam Barbaram fore. Qua oratione magnopere delectatus est Rex, & sua esse cuique vt vitæ religiosæ incrementa, ita tecta distincta, oppidò probauit. Sub idem tempus Leopolitana Sedes, Antistite flagitante cœpta. Missus primo, vt ab Vrbe redijt, Iacobus Vviechus vna cum Gaspare Nahaio Tartaro. Is enim puer ex Tartaris Nahaiensibus à Polonis militibus captus, & in Russia, Poloniaque educatus egregio cum profectu in literis, (demum Societati nomen dederat.) Successit deinde Vviecho Benedictus Erbestus: per cuius Sanctam industriam lætissima fuere initia. IArchiepiscopus, Canonici, alijque Sacerdotes Exercitijs Spiritus expoliti, & generalibus expiati confessionibus: rationes officij publice explicatæ, Catechesis vulgo introducta: carcere vinctis, alijsque calamitosis consultum: domus hospitales legibus, & moribus ad formam mansuræ pietatis redactæ, expiatis viritim hospitibus, tectisque purgatis. Non pauci, vel à Rhuteno Schismate, vel alijs erroribus abducti. Catechesis etiam in pagis adiacentibus introducta. Domicilium initio apud Archiepiscopum fuit: qui deinde Patribus rogantibus domum paruam attribuit, idem ad impensam suppeditans. Missus, & Gedanum Gaspar Sauicius est, in locum eius Rectore Calissiensis Collegij Ioanne Leopolitano suffecto. Sed Gedani nihil initio, vt inter omnia fere hæretica, magnopere promotum. Sub hæc Campanus in Transyluaniam abiturus, substituto sibi in Polonia vicario Iacobo Vviecho, quem ad id Leopoli reuocauit, Posseuinum in Lithuaniam misit, cum potestate Collegia Polocense, Derpatense, ac Rigense visendi. Tam enim vastæ Prouinciæ vnius Præpositi par esse nequibat cura: præsertim quod, vt inter hæreticos, repentinæ exsistebant procellæ. Et Rigæ quidem sub anni superioris occasum, & huius exortum, grauis tum Ciuitatem, tum Collegium tumultus concussit. Ferre non poterant ministri tenebrarum sensim redeuntem Euangelicæ lucis splendorem: nullum oblatran-di finem faciebant, & maledicta congerendi: cum tamen prouocati ad res religionis disputatione examinandas, certamen omne defugerent. Habuit deinde per Cardinalis Radiuilli absentiam, qui Grodnam ad Regem concesserat, Lemchenius Lutheranus rabula conciones aliquot non modo mendaces, sed etiam seditiosas, ac turbulentas, quibus Collegij Rector Leonardus Rubenus cum animaduerteret semina pietatis planè obrui, exiguum bonorum gregem in periculum, vera sacra in inuidiam, & contemptum vocari, Senatum admonuit, vt autoritate publica Ministrorum inhiberet audaciam: Senatus impense operam suam detulit: conuocatisque ministris seuere modestiam commendauit. Verum eò profecit commonitio, vt furentium rabies magis efferaretur. Biduo post, quo die peruigilium erat Natalis Domini, Lemchenius ad concionem progressus, cum Romanum Pontificem Hæresiarcham Antichristi vociferaretur, & quam carum haberent Christum, tantum Papistas odisse debere: ante Rigenses fuisse vexatos à Mosco hoste corporum, iam habere intestinos ipsa intra mœnia animarum hostes, à quibus esset eò cauendum acutius, quod hi Diabolum pro magistro haberent, omnium artificiorum peritissimum. His, & talibus maledictis multorum è plebecula infima iam ante satis exasperatas mentes tanquam oestro perculit. Adiunctum est templo S. Iacobi Cœmeterium, quod cum adhuc fuisset peruium, nouas ad id, cum oporteret, claudendum valuas Rubenus ædificarat: in his affixus pendebat index autorum, ac rerum, quæ in Gymnasio explicabantur. Hunc indicem turba furens conspurcat, laceratque, & pro eo famosos affigit libellos, & valuas item ipsas fœdissimis contaminat sordibus. Nocte, quæ insecuta est, cum in templum Catholici ad solennia Christi nascentis conuenirent,

78 Leopolitanæ Sedis initia.

79 Gedanensis missio.

80 Posseuinus in Lithuaniā mittitur.

81 Turbæ Rigenses.

82 Concio seditiosa Ministri Lutherani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

83 Hæreticorũ irruptio in domum, & templum Collegij Rigensis.

nirent, ingressi & Lutherani quosdam è Scholasticis adolescentes alapis male accipiunt, & vnum de Societate: mox in Odeum incipit fieri lapidatio, & adolescens Lithuanus feritur. Tum alia ausi, deijciunt vas aquæ lustralis, & velut ad respirandum in Cœmeterium se recipiunt: quod Patres nacti laxamentum, templi fores occludunt. Increbescit inde tumultus, iamque totam ante templum aream multiplex hominum turba complerat fulgentibus ferox gladijs, & sclopetis intentis. Minitari, insultare, omnibus modis stimulare Catholicorum, ac tentare patientiam. Auebant enim sanguinem facere, sed volebant videri ab Catholicis cœptam vim. Sed vbi (Deo haud dubie cohibente suorum manus) deest optata furori materia, in templi fenestras, & ostia Cœmeterij debacchantur. Alij nostrorum hominum, alij Cardinalium imitantes contemptim habitum, etiam sacras Cæremonias eludebant: & nominatim Rubeno necem minitabantur, cum superueniens ad sedandas turbas vnus è Magistris, vt vocant, Violentiarum, & ipse malè accipitur. Denique quanquam intermissa erant sacra, non tamen ante seditiosorum quieuit insania, quam templi Campanâ magna editum signum tumultûs est. Eo latrones sacrilegi dissipati, & ad custodiam publica cohors aduolauit. Postridie cum Præfectus vrbis iussis occludi portis, & autoribus seditionis conquiri, quieta fore omnia esset pollicitus, Patres ne tam celebri die Catholici sacrificio carerent, Michaëlem Morianum ædituum iubent templo patefacto necessaria præparare. Accurrunt illico facinorosi, pugnis, & colaphis Morianum contundunt, in terram prouoluunt, conculcant pedibus: Vas aquæ lustralis ante deiectum confringunt, aliaque ausi proripiunt se in Cœmeterium, omnino sibi Iesuitarum vnumquempiam enecandum esse clamitantes. Venit Custos Arcis cum aliquot è suis: insultant & illi, palam iactantes, haud quaquam satis per noctem se se bacchatos, velle tragoediam luce palam peragere. Sed cum Vrbis Præfectus maius misisset præsidium, & ipsemet Aduocatus Ciuitatis aduenisset, se & Senatum curaturum recipiens, ne quid negotij facesseretur, sacrum vnum peractum est. Inde adhibitis à Senatu custodibus dies aliquot pax Collegio fuit. Quo tempore duos item primores ad Rubenum Senatus misit, qui denunciarent: Senatum vehementer dolere de vi, & iniuria Patribus, & Catholicis illata: omnino nihil à se prætermissum ad eorum tutelam, templi etiam fenestras suis sumptibus refecturum. postremo ne grauiter ferret audire, quæ viderentur seditiosis tumultus ansam dedisse, Primum nouam visam rem, quod publice affixisset scholarum Elenchum: deinde quod ostia Cœmeterij interdiu clausisset. Addidere cupere Senatum, ne posthac signum tumultus magna Campanâ daretur. Ad hæc Rubenus gratijs de bona erga Catholicos voluntate actis, præfatusque iam Cardinali se declarasse, suo muneri Senatum nulla ex parte defuisse, Elenchum à se Regis mandato bona fide propositum, nulla suspicione tumultus, respondit: quod si cui res minime probaretur, potuisse Senatum admoneri, neque non difficile fuisse cessurum: non autem debuisse homines turbulentos mandato regio ita illudere: Cœmeterio valuas solum biduo ante fuisse appositas, toto biduo patuisse: signum campana Polonum quendam Catholicum vltro dedisse, nemine consulto, sed fortasse inspiratum diuinitus, ne impetum fæx illa hominum, corroboratâ sensim audacia, in templum faceret. Itaque idem se in posterum daturum signum, si forte magna manus irruat, vt maturè Ciuitas possit succurrere: in ea enim esse Patrum, & Catholicorum (præsertim Cardinali absente) fiduciam sitam. Cæterum causas non Cœmeterij fores, non indicem scholarum fuisse, verum Ministros, & nominatim Lemchenium, qui nec pati posset Catholicorum pacem, nec Kalendarium nouum à Senatu receptum. Quæ Senatus vehementer omnia (neque enim obscura erant) probauit: atque ita cum Ciuibus rem compositam renunciauit, vt Catholicos omnino iuberet esse securos. Eodem tempore Arcis Dunemundensis Præfectus Rigam cum veniisset, quamuis ipse hæreticus, obtulit Collegio

84 Ædituus templi nostri ab Hæreticis pulsatus.

85 Senatus Rigensis non probat Acta seditiosorum

86 Fictæ seditionis causæ reiectæ, verę indicatæ.

gio quinquaginta ad præsidium milites: sed remissum præsidium accepta benignitas. His anni extremo gestis, noui statim exordio vera seditionum causa patuit. Quarto nonas Ianuarij Lutheranæ scholæ Rector Mollerus, cum iam Senatus omnia ex castigato Kalendario gereret, cœpit se ipse intrudens ad populum concionari: eodem die infima plebecula quædam, tanquam dies Natalis Domini ex veteribus fastis esset, gessit: & mox Circumcisionem ad 4. Idus Ianuarias celebrauit. Venit tum Grodna Rigam Nicolaus Ecchius Ciuitatis Burgrauius, cum Syndico Gottardo Vvellingo, qui Mollerum ad se accitum in Curiam, vetant discedere. Is postridie cum è fenestra Curiæ ad inambulantes in foro Ciues inclamans poculum ad leuandam sitim precaretur, collega eius interuenit, ipsoque in foro concionabundus quiritari, & implorare auxilium Ciuium incipit; promissæ fidei admonens, per quam receperant se vitam, & sanguinem pro salute vtriusque profusuros: confestim, vt erat habilis flammæ concipiendæ materia, exarsit incendium. Coacta fæx Ciuitatis prætorium frangit, Mollerum eripit, tum ad Neunerum prædicantium summum aduolans, quia is cum Mollero iudicio ante contenderat, & in Kalendarium consenserat, multis ei plagis impositis, domum totam diripiunt. Ac protinus ad Burgrauium, ac Syndicum, à quibus Neunerus adactum se in nouum Kalendarium proclamabat, accurritur. Illi ægrè fuga euaserunt: domus prædæ fuerunt. Interim amici quidam ex ipsis Lutheranis Rubenum monent, rogantque, vt mature consulat sibi, antequam in Collegium tempestas ingruat. Ille nequaquam delitescendi tempus esse ratus, ne pauci eius vrbis Catholici supremo tempore desererentur, dedit operam, vt omnes conuenirent in templum, Deique patrocinium innocantes ad vitam pro religione fundendam se se componerent. Præstolabantur in singula momenta irruptionem, & necem, statuerantque irruentibus obuiam ire Cruce prælata, quo coronam religiosius susciperent, cum ecce ingens ingenti cum strepitu globus aduolat. Plus mille capitum fuisse dicuntur, qui impetum in maiorem Cæmeterij ianuam faciunt. Illico accurrere quatuor honesti Ciues, qui eos ab incœpto auertere, neminem domi esse affirmantes, omnes concessisse in arcem. Iam cedebant hi, cum superueniunt totidem ferme alij, & impetum instaurant: ne tum quidem nobiliorum ciuium patrocinium defuit: qui immixti furentibus, admonent esse tenebras, & ipsos præ ebrietate (in direptis enim domibus perpotarant) vix posse consistere, respirent parumper, & vinum edormiscant, postero die, auxilio se quoque ipsos futuros: ita præsentem rabiem mitigarunt. Subinde quatuor vexilla Ciuium in foro apparent, quorum vnum cum ad Collegium accurrisset, illas populi quisquilias in fugam vertit. His vrbem deinceps custodientibus, inter ciues, ac Senatum disceptatio exoritur. Et ciues missis ad Rubenum primoribus quatuor è suo corpore, rogant ne ægre ferat tumultum, nihil sibi contra Societatem, sed tantum cum Senatu negocium esse: velle vitam Patrum & ædes suo tueri sanguine, & ad arcendam vim adhibere custodiam, quod cum fide, curaque fecerunt. Ab idibus Ianuarij ad Kalendas prope Februarias clausæ fuere portæ vrbis. Vbi patuere, existimauit Rubenus, dum tumultus omnino consideret, subtrahendam periculo Sociorum partem, quos ad excolendos interim paganos dimittit, cæteris, qui in Collegio manserant, ita prouidit, vt, si forte rursus turbæ coorirentur, se se in arcem reciperent. Ipse accitu Radiuilli Cardinalis Vvendam concessit haud sane volens: Nam nec formidandum sibi quenquam, cum inimicitias nullas haberet; sique fundendus Rigæ foret sanguis, id vero maxime esse in optatis. Liuoniam nondum habere Martyres: qui eam suo irrigasset sanguine, visurum semen Longæuum. Has ob causas ægrè, Cardinalis tamen hortatibus paruit, vt inuidiæ se tantisper subduceret: non tamen, multum licet rogaretur, hospitio vti voluit Cardinalis: apud Parochum habitauit: sacratioribusque diebus operam Vvendensibus expiandis, excolendisque nauans; ad sparsos per agrum Socios diebus reliquis excur-

87 Conantur Lutherani restituere Rigæ vsum veteris Kalendarij.

88 Rigenses Hæretici custodias publicas effringũt vi, & incendijs grassantur.

89 Periculum ingens nostrorum Rigensium.

90 Patres Collegii Rigensis tantisper ex vrbe cedunt.

Et excursiones salutares obeunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excurrebat. Tum vero ad ipsum vndique Sacerdotes, non modo qui Vvendæ, sed etiam qui Pornaniæ erant, & Volmariæ, & Romburgi, & in Rubin, ac cæteri magno studio tanquam ad pastorem Parentemque suum confugiebant. Quippe erant eximij moribus, & è Societatis disciplina profecti, & cupidissimi populorum salutis, cui tam sincera voluntate inseruiebant, vt quanquam vix tolerandis honorarentur stipendijs, tamen ab salutari ea cura ne opimis quidem Canonicatibus, qui alibi offerebantur, possent abduci. Ex qua caritate, consensioneque cum Patribus, ea quæ par est publicæ pietatis vbertas efflorescebat. Itaque eius peregrinationis Rubeno, ac Socijs egregie pretium constitit. Multi etiam nobiles ad Ecclesiæ Sanctæ vnitatem reducti. Interim multa Ciues Rigenses proposuere Senatui, quæ concedi sibi volebant. Tria ad Societatem pertinebant capita. Primum, vt Collegium in ea vrbe vtique ad iuuentutis disciplinam non esset: Deinde vt Iesuitarum numerus finiretur: Postremo ne Sanctissimum Sacramentum per compita palam gestarent: Addiderant, vt Cœmeterium Sancti Iacobi noctu iuxta, & interdiu pateret ad transitum. Quæ in capita cum Senatores per vim adacti consensissent, Rex multa haud sine minis conquestus, quod in regium ius populus Rigensis inuaderet, omnia tanquam pernicioſa, ac seditiosa damnari iussit, quod pridie Nonas Iunij publico iudicio Cardinalis Radiuillus fecit: iamque sibi plerosque Ciuium timentes, fatigatosque contentionibus, tranquillitatis & otij desiderium cæperat. Itaque cum per Autumnum Rigam Posseuinus venisset, non exceptus modo perhonorifice est, salutatusque ab Senatu, & publico nomine ab Secretario Ciuitatis, sed vehementer etiam institere vterque ordo, vt causam apud Regem eorum susciperet. Ita, Deo moderante res, vt per Societatem, quam plerique religionis odio perditam volebant, rebus suis remedium quærerent. Posseuinus nullam potuit aliam opem afferre, quam salutare consilium, neque necessariam dixit. Etenim ipsorum in manu remedium esse. Considerarent virtutem, opes, felicitatem, res gestas Stephani Regis, quem nullo modo expediret lacessere. Cæterum non tanquam ad iudicem disceptaturi, sed tanquam ad parentem filij obsequioſi confugerent, clementiam haud dubiè experturos. Instantibus rursus, vt plebem cum Senatu conciliandam susciperet, negauit id fieri posse antequam satisfacerent Regi. Idem tamen inter Vvendensem Episcopum recens creatum, atque Præpositum eiusdem Vrbis, arduum, implicitumque negotium expediuit, inducto Præposito, vt Arcem Volmariensem, quod pertinaciter abnuebat, Episcopo cederet. Derpatum posthæc abijt, vbi sub extremum Nouembris Seminarium condidit, traductis eo è Seminario Bransbergensi aliquot cultioribus ad aliorum formam alumnis: iamque triginta censebantur. Inter quos erant, qui simul præter latinam linguam, etiam Lothauicam, Estonicam, & Ruthenicam nossent; quique Lithuanam, Germanam, Sueticam, & Polonicam: Omnes enim hæ linguæ in eos fines ob circumiacentes nationes confluebant: eoque latius fundi labor euangelicarum poterat operarum, quò paratiores à linguarum notitia forent. Hoc eodem tempore nouis à regia benignitate ornamentis, & satis luculento vectigali attributo, decretum est, vt quod adhuc statio censebatur, posthæc Societatis Collegium Derpati esset. Destinatum in eam rem Deiparæ Templum cum area, & alijs ad degendum idoneis tectis, & die Conceptæ Virginis possessio inita. Non hic turbæ, quæ Rigam quatiebant, non magnæ altercationes cum hæreticis erant. Lætissima succrescebat pietatis seges. Duæ iam classes patebant in iuuentutis eruditionem: nec numerus exiguus videbatur auditorum, cum prope centum numerarentur. Verum Estones ad bonitatem, ardoremque, quem supra descripsimus, in dies addebant: ad quos supra septuagies per agrum hoc anno à Patribus per vices excursum. Illi maximè triumpharunt lætitia ex agrestibus, qui fundum incolebant Collegio attributum. Statim campanam, quam ante annos triginta hæreticorum, & Moscorum metu altis-

91 Decreta Senatus contra Religionem vi extorta Rex abrogat.

92 Posseuinus honorificè excipitur à Rigensibus.

Eiſque salutare consilium dat.

93 Seminarij Derpatensis Ortus autore Posseuino

94 Collegium Derpatense constituitur.

altissime in terram defoderant, eruerunt, vt ædi Deiparæ, quæ in ipso fundo est, vsui esset.

Iam Prouincialis Campanus adducto Sociorum duodecim auxilio res Societatis in Transyluania componebat. Reperit Petrum Saxonem quem exterminandum proximo anno curauerat, non modo Claudiopoli inhærentem, sed etiam Arianæ scholæ præfectum. Ei se Saxo alter Christianus Franchen adiunxerat, nouus Arianarum blasphemiarum satelles: sed is turbidæ conscientiæ laniatu percitus, cum primum Prouincialis apparuit, fuga arrepta, Cracouiam se recepit, non procul, vt mox dicam, à regno Dei. Petrum vehementer Campanus dolens eo loco pestilentiæ suggestum habere, rursus magno conatu, regiarum communitus literarum iussis, tetendit, vt publico consilio exturbaretur: quod cum tenuisset, Apostata lictorum manus, latebras sectando, elusit: Si quando tamen alteruter appareret, tum Senatus, tum Regni Gubernator receperunt lege acturos. Cætera satis commode procedebant. In Siculia, & Varadini, admirabiles sane religioni vtilitates peperit Valentinus Ladus, de quo superiore libro narraui, vir simplex, & in Societatis militia prope tyro, sed virtute animi, studioque publici boni, robustus, ac veteranus. Talia enim adminicula amat diuina manus, quæ magis ei per solidam pietatem tractabilia sint, quam per ingenij, & eloquentiæ speciosam ostentationem spectabilia populo. Itaque cum complures in Siculia pagos in recta fide excoluisset, confirmassetque Valentinus, Varadinensi in agro plus octoginta instituit, tanto populorum gaudio, tanto obsequio, vt nihil eximiæ iuducendæ sanctitati præter copiam cultorum deesset. Vtrobique restituit sacras ædes, satores impietatis expulit, plurimorum confessiones excepit, salutari lauacro consignauit infantes, ad Sanctæ Ecclesiæ gremium permultos reuocauit: cum & ægris diuina præberet mysteria, & vita functis post suprema officia, terram inijceret. Multi eorum pagorum erant sub ditione Turcarum: & alij sub eadem tyrannide longius positi tendebant supplices manus: & Turcarum præses non tuta solum omnia, sed etiam benignitatem, & patrocinium spondebat: & tamen adeo albæ regioni ad messem operarij defuere. Missi sunt aliqui Claudiopoli è Seminarijs, quibus septeni, octoniue pagi attributi sustentandi: ad quos in orbem Valentinus excurrebat; cum exorta pestilentia, & labores, & pericula, & scilicet animos fidelibus Dei seruis multiplicauit. Stephanus Arator rem ipsa in Vrbe Varadino gerebat impigre. sed & ipse cum solus esset, multiplici necessitati facere satis nequibat. Tota igitur spes ferme erat in Seminarijs Claudiopolitanis, quæ iam florebant. Id, quod ex pauperibus Prouincialis inchoarat, Ferdinandus Capecius Rector, facto ei à Sanctissima Trinitate, cuius Cœnobij ædes incolebat, nomine, impensa prope vna Collegij ita promorat, vt octoginta numeraret contubernales. Hi funera publice deducebant, inter fremitum, & ludibria, & aliquando lapides Hæreticorum. Hi sparsi per pagos mentes excolebant agrestium. ijdem vario genere ministerij diuinæ rei inseruiebant, & multis in rebus Parochorum locum implebant, constantes, naui, testimonium Christi non erubescentes. Talis quoque spes è Seminario Pontificio, & regio, talis effulgebat indoles: talis ex cæterorum grege discentium: quibus illud antiquissimum erat, vbi primum ad Gymnasium hæreticus auditor accederet, cum omni conatu ab errore deducere. In ijs quoque adolescentibus, qui cum Sigismundo Principe educabantur, vt regni primoribus pars subsidij magna reponebatur. Cœpta hoc anno Claudiopoli philosophia tradi, & aliquid theologiæ, cum ante hanc diem auditores idonei defuissent.

His rebus in Transyluania ordinandis senescente anno dum Campanus insistit, Cracouiæ Petrus Scarga magnos pisces in Christi sagenam includit. Adamus Copichus ætate Sexagenarius, cuius dimidium in Caluiniano tripode sederat, Deo tandem ad se vocante, quam occultissimos cum Scarga cœpit

95 Ariani è Transiluania eiecti.

96 Valentini Ladi vtilis opera in Siculia.

97 Seminariorum Claudiopoli erectorum vtilitas.

98 Conuersio insignis Caluinistæ Cracouiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cœpit habere congressus. Is sensim progrediens, errores conuincens, miscens rationibus opportunas cohortationes, diuino iuuante spiritu, hominem Ecclesiæ totum restituit. Eius itaque consilio Copichus vltimâ Octobris Dominica, in Caluini Synagoga (nam è primis erat ministris) contra mores eorum concionatus, Dominica, quæ sequuta proxime est, tertio nonas Nouembris in templo Principe palinodiam cecinit, totius Ciuitatis, & vicinæ nobilitatis concursu. Quo etiam tempore de hæresum fontibus, & remedijs Scarga egregie de superiore loco verba fecit. Grauius paulo post Hæreticis vulnus Christianus Franchen inflixit. Is & Societatis, & Catholicæ religionis apostata, post longum errorem quarto ante anno illucescente Deo ad lucem veritatis emersérat. Ceterum, vt erat ingenij mutabilis, in tetrius sese haud post multo præcipitauit baratrum, edito etiam contra diuinissimum Trinitatis mysterium libro; quem quidem à se non asserendi causa compositum, sed disputandi aiebat, & à quodam amico iniussu suo vulgatum. tamen, ad sui erroris consortes homines ex Germania in Poloniam, deinde in Transyluaniam haud sine modico pietatis damno (vt facile mala contagia vulgantur) penetrarat; vbi (quod ipsemet fassus est) iactitare ingenium, conflare pecuniam, & famam posset. Hi nimirum sunt hæresum fontes. Nam peruersis ingenijs nihil pensi est mala fama, modo sit magna. Verum cum intestinis conscientiæ morsibus in dies peius laceraretur, datis ad Socios Viennenses literis, quibus animæ suæ auxilium postulabat, eadem tractare cum Capecio Rectore Claudiopolitano cœpit, cum repente ad Prouingæ se dedit. Scarga non ignarus, quæ mandata in Transyluania de eo capiendo dedisset Rex, leuitatem primo suspectam habebat, ne temporis causa Religionem rursus eluderet. contra ille testificari ante cognita Regis mandata, quod res erat, cum Rectore Claudiopolitano de sua egisse pœnitentia, & literas ad Viennenses dedisse. Præterea adeo abiecto cernebatur animo, ac desperante, vt furijs exagitari satis appareret: & passim propalam confirmabat, aut in Catholica religione quietem se mentis inuenturum, aut necesse esse, vt de se ipse pessime consuleret, & infelicem animam suis manibus abstractam à corpore diabolis traderet. Tantum se peragrasse terrarum, tot inspexisse, tentasseque sectas, nihil vsquam stabile, & cohærens, nisi in Catholica religione consistere satis experiendo didicisse. Hæc Scarga cum cerneret, maximam in eo difficultatem inueniebat, quod cum talem hominem, si resipisceret, necesse esset Ecclesiæ publico exemplo satisfacere; contumaces aures omnem in hoc genere mentionem respuebant: non tamen ab tentanda curatione cessandum Scarga existimauit. Recipit hominem domum, molliter ægrum animum manu tractat, ac mulcet, officijs, dexteritate, precibus ad Deum: eo rem demum deduxit, vt qui primo à satisfactione publica tantum abhorrebat, die Sanctæ Barbaræ in omnium Academicorum corona, Præsulum, & populi, quantam templum Archiepiscopale capere potuit, frequentia, insana sua recantaret commenta, omnesque hæreses ad altare execraretur, & facta solenni fidei professione, & anathematibus rite pronuntiatis, in sacro ipso altari, Vicario Archiepiscopi excipiente, sua ad extremum manu actis hisce subscripsit. Quo die quidam etiam iuuenis Lublinensis eiusdem in Arianismo discipulus ad sanam mentem reuersus, vitali lauacro, quo adhuc anabaptistarum parentum vitio carebat, renatus est. Verba fecit in ea celebritate de vanitate hæresum Scarga: vnde ad cæterum fructum Vir gente nobilis cœpit cum eo de sua secta priuatim disserere, quod initium salutis est. Facile enim scrutanti error deprehenditur, & aditum pandenti diuinus radius illucescit. Idem postea Christianum Franchen generali expiatum confessione, multisque monitis ad constantiam præmunitum, ne propter tuendæ vitæ difficultates ad noua deliramenta reuolueretur, Nicolao Zebidouio tradidit, qui non multo ante summus Cracouiensis Vibis, & agri creatus erat Præfectus (illi Generalem Capitaneum vocant) cæterum Scarga, & peregre nobilem piscatum fecit. Aduocatus enim Varsauiam, Thesaurarium totius Regni iam ad vera sacra propensum, ita incitauit, & docuit, vt Dominica Palmarum magna omnium bonorum gratulatione Catholico ritu diuinæ mensæ accumberet. Adiunctus est illi alius Prutenicæ terræ columen, & gloria bellica, Ernestus Vvoierius, & ipse ab adolescentia in Lutherico educatus veneno, quod demum Senex euomuit, maximè Cancellarij permotus exemplo. Addenda est nobilibus hisce Ecclesiæ lucris, & nobilissimæ fœminæ Lithuanæ conuersio. Hæc recens cum ducta esset in matrimonium ab Radiuillo Duce Niesuisiensis Collegij fundatore, nunquam bonus Dux quieuit, quoad eam cum vera religione coniunxit. Eius rei gratia Niesuisiensem Rectorem Albertum Mroscouium Sendomiriam, vbi illa agebat, duxit, pijsque viri studijs, & Sacerdotis conatibus numen propitium adfuit. Porro ipsos Societatis homines ad religiosæ vocationis constantiam, quædam illustria diuinæ seueritatis exempla incitarunt. Stanislaus Niesuiastouius cum Andream Bathoreum in literis puerum erudisset, aulæ irretitus illecebris Societatem deseruit. Sed hominem spes fefellit. Vetuit enim Stephanus Rex profugum hominem in regijs haberi, ne prostaret exemplum indignum ad solicitandum aliorum simplicitatem, si talia perfidiæ præmia parata essent. At vbi Andreas factus est Cardinalis, tum vero gestire lætitia Niesuiastouius, spemque late porrigere: amabatur enim ab eo: & quia redeuntem in Poloniam acceperat, totus inde pendere. Sed egregie Mundus sui captatorem eluſit. Appropinquante iam ad Poloniam Cardinali, Niesuiastouius morbo correptus cogitur in vitam alteram emigrare, euocatus ad reddendam rationem, quòd aulæ Christi aulam hominum prætulisset. Verum atrocius est, quod Andreæ Gomolisko euenit. Hunc magnis natura donis ornarat: sed erat ingenio vehementi, & indomito: quare sub iugo Christi continere ceruicem diu non valuit. Post cuncta admota remedia, cum venia bona dimissus in Secretarium Regis cooptatur Varsauiæ. Paulo post ita nocturni fures hominem nudant, vt ne vestes quidem queis tegeretur, relinquerent. Haud longo post interuallo equi calce percussus, grauiter ex crure decubuit: quo ex malo nec dum refectus, dum claudicans domi se tenet, cuiusdam Senatoris famuli famulos eius insectantur in ipsam vsque domum. Quod ille conspiciens, iniuriamque suam interpretatus, arrepto ferro impetum in eos facit, & duos occidit, sed non impune: ipse pariter multis confossus vulneribus, amputata dextera, capite interscisso occubuit. Ita qui pacem in Domo Dei nescit tenere, perniciem in seculo reperit.

In Suetia cum Catharinæ Reginæ optimæ mors Catholicas reliquias omni præsidio, tutelaque orbasset, Ministrique, & Regni proceres fatigarent Regem, vt Iesuitas continuo omnes ejiceret, ita Rex temperauit rem, vt Simonem Nikouium Sigismundo filio concederet, cæteris abire iussis. Mansit tamen etiam Vbertus Vandeleënius, qui Stokolmiæ ad tuendam, & si posset amplificandam rem Catholicam hæsit. Pretium fuit moræ, atque periculi. Inter cæteros Stokolmiensem Parochum non solum ad sanam Doctrinam, sed etiam ad eam duxit constantiam, vt audacter inter suos, & loqueretur Catholice, & doceret. Porro ad hiemem extremam nouas Rex cum celebraret nuptias, ad easque ex toto regno accurreretur, inter epulas multa vltro citroque de Iesuitis iactata sunt: cessatum est tamen ab aperta vi, & tumultu, quoad ieiunium magnum interuenit. Eo tempore cum Sigismundus Princeps communi conuictu se se subduceret, sacrificioque, & concioni crebrius interesset, homines temulentos vehementer tale exemplum pupugit, ita tamen vt in Sacerdotes Catholicos eorum impetus omnis recideret. Nouam Reginam ambitiose captant, subornantque, & ad Regem allegant, quæ vti erat edocta, per modestas ingressa blanditias, quasi dotale munus, ac pignus indulgentiæ postulat, Declamatores Papæ, Aulæ, Regnique perturbatores coërceat, se-

99 Christianus Franchen resipiscit.

100 Redit ad vomitum.

101 Intemperijs agitatur.

102 Errores publicè recantat.

103 Discipulo Magistrum mitante.

104 Conuersiones aliæ insignes.

105 Niesuiastouius desertor Societatis præmatura morte perit.

106 Andreas Gomoliskus è Societate culpa sua dimissus miserè trucidatur.

107 Patres Societatis vno & altero excepto Suecia expellun tur.

108 Sigismundi Principis Sueciæ constantia in Professione Catholica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

melque de illis statuat, quod ad Regni incolumitatem, tranquillitatemque magnopere pertineret, vt è Ciuitate, ac Regno facessant. Rex artibus hæreticorum intellectis, summisso vultu, vt offensum appareret, sponsam iubet secedere: atque ex conspirationis autoribus insistit perquirere, quid tandem tanto cum apparatu postularent. Hi tanquam proditæ fidei accusare Patres, & nominatim Stokolmiensem citare Parochum, adeo tumultuose, vt ad furoris delinimentum voluntati eorum Rex hominem permittendum censuerit. Raptim itaque euocatum diris modis certatim Proceres, Plebs, Sacrificuli, Ministrique exagitant, vsque ad aras pertractum vrgent, vt in verba eorum iuret, Catholicisque, & Romano Pontifici, male precetur. Quæ cum constans Christi Confessor non modo recusaret, sed etiam sacra eorum, & suasiones libera voce detestaretur, crebris ictibus pulsatum, sacrificales vestes compellunt induere, moxque singillatim ijsdem expoliatum Antistes baculo cædit, ac demum quasi exauguratum duci in custodiam iubet. Ad eam dum rapitur, ab irruente cateruatim plebe tantum obrutus non est. Inde in alios sæuitum Catholicos, & qui eis studerent. Nikouius erat quidem sub vmbra Sigismundi tutus, maxime tamen angebatur animo, quod afflictæ Christi plebi, ad ipsumque confugienti, quid opitulari posset non inueniret: vtique eum forum nullum, nullum esset iudicium: Rex nuptiarum operatus solennijs, ad quem aditus ne Sigismundo quidem pateret. Itaque profanus Archiepiscopus ingressus spem religionis funditus extinguendæ, ita concione inflammauit plebem, vt iam cum dolabris, & contis, & id genus armis ad euertenda, & diripienda Nikouij ipsius sacella ferretur: & exitus consequutus funestus esset, nisi quidam consilij maturioris ciues intercurrentes insanum impetum retardassent. Hoc vbi deflagrauit incendium, Dynastæque ac populi suas in oras ab nuptijs digressi sunt, Rex qui Sigismundum in perpetuo gemitu, & squallore videbat, & nunquam diram illam vexationem probarat, durissime Archiepiscopum increpauit, turbatoribusque coërcitis, & Patribus, & Catholicis iussis esse securis, non alios modo, in quos iniquissime erat animaduersum, sed & Stokolmiensem Parochum in suum locum restituit. Dicuntur seditiosi illi, & turbatores breui post prope ad vnum immissis diuinitus pœnis alij aliter male perijsse. Sigismundus autem magis in dies religionis studium augebat. Sub autumnum, vt ab tot respiraret solicitudinibus in Poloniam reuocato Nikouio, eius loco successit Bernardus Golinius vir egregie pius, & Christi nominis, vel inter Scythas, & Turcas propagandi percupidus.

109 Stokolmiensis Parochus Religionis causa grauia perfert.

In superiore Germania Seminarium Pontificium, quod Dilingæ non nullum ante, Gregorij XIII. voluntate, exordium habuerat, attributis à Sixto Quinto perpetuis vectigalibus constitutum est. Ingolstadij attributa etiam Societati schola Dialecticæ iussu Bauari Ducis, & facultatis philosophicæ totum ad Patres redactum consilium, per eam occasionem, quod homo nec idoneæ doctrinæ, & morum plane probrosorum, suffragijs eblanditis Doctorum secularium, lauream Doctoris acceperat.

111 Crumlouien se Collegiũ receptum.

In Austria Prouincia nouum Crumlouiæ Collegium receptum, & binis Sacerdotibus, laicisque missis, Præside Venceslao Sturmio, inchoatum. Id summo studio Prorex Boëmiæ Vvilhelmus Vrsinus Rosensis, quod longe ante ponendum Trebonæ petiuerat, impetrauit. Eiusdem est & aliorum Boëmiæ Catholicorum Procerum etiam in eo perspecta erga Societatem voluntas. In Pragensibus Comitijs de ipso subleuando Pragensi Collegio, quod ære alieno pressum norant, agendum sibi putarunt: ac demum statuêre, vt interse ipsimet ad eam rem stipem conferrent. Millia Talerorum collata sex, donum, & per se, & multo magis, quod tanta cura, ne cogitantibus quidem vltro datum est, æstimandum. Carolus Archidux Græcij amplificare Collegij reditus, & vniuersalem ibi Academiam instituere sub disciplina Societatis decreuit. Hanc Sixtus Quintus commendante Ludouico Cardinali

112 Academia Græcij institutura.

nali Madrutio, Nicolao Episcopo Tergestino, quem Carolus in Vrbem legarat, instante, gratuito confirmauit. Inde Græcensium Sociorum numerus ad tres, & quadraginta productus. In restituenda religione vbique strenue, sed maxime è sententia in Oppido Ausek, pagisque circumiectis elaboratum. Est Ausek in Austria Oppidum sat celebre infra Lyncium, quod vna cum subiectâ regione ad Dominum Ioannem Guilielmum à Sconukirchen, mortua Socru hæretica, cum redijsset, is nihil habuit prius; quam vt populares omnes IESV Christo vero Domino recte subijceret. Ipse vero aliquot ante annis Viennensium Patrum opera fidei Catholicæ restitutus erat: quare & eorumdem ad populares suos liberandos adhibere auxilia decreuit. Georgius Scherer egregius Verbi diuini tractator adiuncto comite item Sacerdote, ad nobile opus delectus. Resque eo procliuius transacta feliciter, quod idem Sconurchirchenius vndique conuocatum populum graui oratione vehementer hortari institit, vt religionem auitam reciperent, & ritu Catholico confiterentur, vnaque sub forma communicarent: cui omnes præter septem ita assensi sunt, vt magnopere grates egerint, quod tanto studio ad rectum æternæ vitæ callem reducerentur. Iuuentus est in eo numero Senex annum agens vndecentesimum. qui vbi pristinam fidem, & diuinissimam Eucharistiam rite recepit, gaudio exultans iam mortem Simeonis instar habebat in votis. At Vvilhelmus non voce modo, & opibus, & autoritate sacris cœptis intendere, sed & opera, & manu, præcipue gaudens Sanctorum imagines tot annorum situ deformes sua manu tergere, collustrare, honestiore loco reponere, & alia ædituorum instar obire munia. Vti Patres hac aura, & animos, viresque addente successu, quo alacrius, hoc eniti constantius, ea famæ celebritate, vt ex finitimis quoque Hæreticorum locis ad conciones, & expianda peccata concurreretur. Cæterum quid Dominorum voluntas apud subiectos valeat, in Herbipolitana quoque Diœcesi per id tempus compertum. Adhibebat Antistes, quippe penes quem, & sacra, & profana potestas erat, mixtam blandimentis paternis, Domini seueritatem, editoque decreto, quibus locis opus erat, iubebat populos, vel ad auita remeare sacra, vel solum mutare: tum aliquot è suis administris, & è Societate operarios ita præparatum in agrum ad spargenda vera semina, & euellenda adulterina mittere: quo pacto pagi ferme duodeuiginti hoc anno Ecclesiæ restituti, duobus de Societate Sacerdotibus enixe collaborantibus. Grande externis iuxta, ac domesticis reliquit Herbipoli desiderium Georgius Alenius lenta febri exhaustus: erat enim, & morum, & ingenij, & Doctrinæ præstantia priuatim, publiceque carus, & salutaris, maxime theologia explicanda, quod dudum obibat munus magna cum sapientiæ laude, non minore modestiæ. Cæterum hoc etiam anno multis locis per septentrionem lues infesta aliquot Societati pios, nauosque operarios rapuit: Lucernæ Antonium Balduinum, quem tota Ciuitas complorauit: tres Coloniæ, Albertum Knezbek Campensem, & Rectorem ipsum Martinum Florentium, qui olim Treuirense etiam Collegium recte administrarat, & Cornelium Orskotum. Is, cum egregia caritate Rectorem, tum ægrum, tum mortuum curasset; atque etiam sæpe ante magna constantia Treuiris, & Moguntiæ idem caritatis officium morbosis exhibuisset, demum paucis post Rectorem diebus ereptus est, de instante sibi fine per quietem admonitus. Sub annum extremum cœpta Erfordiæ statio est. Ea est Turingiæ Metropolis in Archiepiscopi Moguntini ditione; Proximas habet vrbes Veimariam, & Ieuam, & Vitembergam errorum arces, & propugnacula. Catholici ad quatuor millia censebantur. Senatus quamuis hæreticus, cauerat tamen ne quis Catholicorum cœtus, aut sacra turbaret: quo videbatur satis patens Societati aditus aperiri: & superiore anno cum Cæsaris mandato Sancti Vvgberti templum redditum esset Catholicis, Sacerdos è Societate, qui forte ab Fuldensi Collegiolo venerat, primam in eo Catholicam concionem habuerat, tanto piorum assensu, vt inde Nicolaus Elgardus

113 In oppido Ausek omnes præter septem Hæresim eiurant.

114 In Herbipolitana Diœcesi Pagi duodeuiginti ab Hæresi purgati.

115 Georgius Alenius moritur.

116 Erfordiensis Collegij initium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Moguntini Antistitis suffraganeus animum induceret perpetuam Societatis stationem postulare. Missi primo vere Heilingestadio, quod tantum iter æstiuæ lucis distat, Socij duo, qui & in vrbana paroecia, & foris ad rusticos concionati magno auditorum emolumento: nulla tamen re magis collegere populi gratiam, quam quod pueros docuere modestè, ac flexis genibus precari. Ea innocentium pia modestia in deformatis per hæreseos barbariem moribus sic vulgo placuit, vt multos ad spectandum alliceret. Primis deinde Socijs reuersis, aliquot identidem breues per excursiones submissi, quoad perpetuo mansuri P. Michaël Schilingius cum Socio iuere: isque nominatim lectus, vt per occasionem hæreticæ parenti ferendæ opis in Saxoniam excurrens, occasiones rei Catholicæ ibi quoque bene gerendæ captaret. Paderbornæ tum cum proxime summum discrimen religionis reliquiæ venerant, spes meliorum temporum affulsit. Hæreticus Episcopus, qui iam destinarat animo Iesuitas, quos norat dissimulanter per scholarum nomen irrepsisse, omnes abigere, & Catholicorum sacrorum vestigium nullum relinquere, ipse misere perijt. Ferox equus, cui insidebat, in posteriores pedes erectus, se se, & sessorem in terram afflixit. Ex ea noxia Episcopus tandem in furorem actus, nil nisi loquens spiransque cædes, ac sanguinem, cum & scortum suum aliosque occurrentes tollere de medio vellet, qui insaniæ poculum propinabat innocenti populo, insanus, ac furens vitam reliquit. Ei Paderbornensis Præpositus Theodorus Furstembergius vir inprimis pius, & olim Coloniæ Societatis sub disciplina versatus, subrogatus est. Hic postea Paderbornense Collegium magnifice, & ædificauit, & instruxit: & plenè fundauit anno 1604. vt ibi dicemus.

117 Paderbornensis Episcopi Hæretici mors.

118 Successor eius Theodorus Furstembergius Societati Collegium fundat.

In ipso autem interregno Canonici priores magistros iustis prosequuti honoribus, scholas tradidere omnes Societati: continuoque (quamuis alia omnia Hæretici vaticinarentur) cœpit augeri discentium numerus. Et Ciues, quod nuper de Erfordiensibus dixi, maxime delectauit Catechesis, per quam pueri, qui hic quoque plane rudes, neglectique adolescebant, non solum diuinæ legis elementis, sed & humanitatis officijs imbuebantur. Ita paulatim ad perficiendum Collegium procedebant res, Socijque iam decem, quorum quinque Magistri, numerabantur. Missus est Petrus Michaël Namboscum, atque Dusseldorpium ad Guilielmum Iuliæ Ducem, eiusque filium Ioannem Principem. Ac Ducem Guilielmum ab Iesuitarum nomine ante peralienum, ita sancta comitate mansuefecit, vt iam vix vnquam à latere eius, & diuinis collocutionibus auelli posset. Missi & ad Marchionem Badensem, cuius sororem Iacobam Iuliæ Princeps habebat in matrimonio, Sacerdotes duo Treuiri, qui præter sublatum Marchionis cum Matre dissidium, totam familiam numero ad sexaginta capita, vno tantum reliquo Hæretico, Ecclesiæ reddiderunt. Expiati omnes pœnitentia, suscepêre sacram Synaxim, edidêre fidei professionem publice, libros hæreticos combusserê. Badenam autem Marchionis Badensis vrbem præcipuam, è Spirensi Collegio subinde excursum. Hic Andreas Vermadt Sacerdos integer, & industrius Lutheranam feminam, cui nomen Anna Lubecensis, iam quartum, & trigesimum annum misere à Dæmonibus vexatam, primo hæresi purgauit, deinde habitis publice consuetis Ecclesiæ adiurationibus, in magno spectatorum, qui etiam è vicinis hæreticorum vrbibus concurrerant, theatro, dæmonibus eripuit. Habuerat ea Patrem, & Auum Lutheranismi ministros, veneratque Badenam Septembri mense multis onusta literis, quibus etiam Saxonicæ Ciuitates, & Lutherani prædicantes fidem faciebant, eam & à dæmonibus obsessam, & frustra apud ipsos liberationem tentatam. Quo magis Catholicorum rituum experta vis exhilarauit Catholicos, & hæreticos pupugit. Cumque fama late manante res frequens versaretur in hominum sermonibus, Spiræ Lutheranus Minister non dubitauit pro suggestu rei fidem eleuare: quanquam misero diu eludendæ veritatis potestas non fuit. Eo ipso die, quo

119 Scholæ Paderbornenses hoc anno apertæ.

120 Guillelmus Iuliæ Dux Societati cõciliatus.

121 Dissidium Marchionis Badensis cũ Matre compositum. Domusque eius Hæreticis purgata.

122 Energumenæ Lutheranæ conuersio & liberatio.

quo contra id factum, sacrasque adiurationes declamarat, euenit, vt adolescens nuncius Colonia veniens sub Spiræ ingressum letaliter sclopeto forte vulneraretur, & in vicinam Ministro domum deportaretur. Accitur è Collegio à bonis viris idem Andreas, qui Energumenam liberarat, vt morituro adsit: Sed iam præcurrerat è proximo prædo Lutheranus: Cui bonus adolescens, vt erat Catholicus diserte denuntiauit peroptare se quidem Sanctæ Ecclesiæ Sacramenta, verum non nisi Catholico ritu. Cumque Minister nouam, idest vanam, iactare, & obtrudere religionem pergeret; fertur æger id modo respondisse, experiemur nos ambo antequam horæ quatuor, & viginti effluxerint, vtra in religione mori sit tutius. Nec prædictioni fides abfuit. Cum Andreas mox aduenisset, & confessionem adolescentis excepisset, ille decedit: Postridie magno cum luctu etiam Minister repentino extinctus sepelitur à suis. E Collegio Treuirensi par Sacerdotum missi Prunium, multorum statione mensium, & oppidanos Cathechesi, & Religiosos ad quos maximè iuuandos destinati erant, præclare excoluerunt. Est enim prænobile Monasterium Prunense, & opulentum ordinis Sancti Benedicti. Quod cum recens in manum venisset Treuirensis Antistitis, is cum cætera restituere, tum etiam religiosam in eo disciplinam cupiens, quos dixi Sacerdotes à Prouinciali Costero impetrauit. Illi cum vitæ suæ exemplo, tum institutione literaria, tum cohortationibus opportunisque consilijs, & decretis, restituta communi mensa, reuocata diurna nocturnaque psalmodia, haud paulo meliorem in formam omnia redegere. In laboribus, quos adeo multos animarum causa Societas obit, haud facile alius tanti momenti est, quanti is qui supremo supplicio afficiendis impenditur. Decretoria enim agitur hora æternitatis, & laboris fructus præsens est. Hoc salutare officium, cum alibi bene, & feliciter administratum hoc anno, tum Treuiri prorsus è sententia cecidit. Vt in multos animaduersum, ita nullus omnium fuit, quin ita præparatus decederet, vt emenda ei, vel præclaris factis fuisse videretur necessitas, in quam se per mala præcipitarat. Horum in numero fuit iuuenis Casimiri Comitis Palatini nepos, qui post abiuratam hæresim, expiatam confessione vitam omnem, susceptam Eucharistiam, ipso in loco supplicij, tenens manu Rosarium, publice Catholicam fidem contestans obijt. Quæ conuersio eo gratior vulgo, magisque mirabilis accidit, quod ille (nefas Treuiri inauditum) in sacras imagines, lustralem aquam, ac demum Sacrosanctam Eucharistiam manus sacrilegas ausus erat inijcere. Veneficarum pœnitentiâ item præparatarum ingens concrematus est numerus. Vna ex his fuit, quæ puerum octennem suis præstigijs circumuentum solebat in eum locum adducere, vbi cum impuro sodalium grege per noctem satanicis exercebatur operibus, vt dum illæ choreas ducerent, is tympanum pulsaret: qui etiam sæpius interfuit dum veneficijs suis, quibus libitum erat, nocerent. Re deprehensa Archiepiscopus puerum ad se iubet adduci, & fidei, quæ ignorabat, capita edoceri. Sacerdos è Societate adhibitus catechista, qui sacram Agni cerei imaginem eidem ex collo suspendit. Offendit nimirum ea res Diabolum. Puero per noctem apparet grauiter increpans, & minitans, quod tam facile se circumscribi permisisset iubetque protinus, ni vapulare velit, id quod collo dependebat, abijcere. Quod cum territus puer feciſſet, repente ad mœnia vrbis abripitur. Hic nigro hirco imponitur, dictoque citius ad sagas colludentes defertur, postque impurissima orgia ad Antistitis ædes restituitur. Quæ & alia multa cum ipsemet puer narrauit, & ipse comprehensæ fœminæ vere dicta comprobarunt, & præter annales literas, Rector Collegij Ioannes Gibbonius plane comperta scripsit. Tum puer ab aula Principis in Collegium transfertur, vt ibi & per otium edoceretur, & Diaboli eriperetur ludibrijs, quod demum adhibito rursus cereo agno, & Cruce, & adiuuante famulorum Dei sancta consuetudine, & prece, ad voluntatem succeſſit.

123 Catholici moribundi vaticinium.

124 Monasteriũ Prunienſe reformatur.

125 Damnati ad mortem vtiliter adiuti.

126 Pueri à diabolo infestati liberatio.

Rhenanæ Prouinciæ res Oliuerius Manaræus Visitator, qui solum in tran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

transitu ante cognorat, per otium composuit: vices interim Prouincialis quoque implens. Nam Franciscus Costerus inde ad regendam Prouinciam Belgicam traductus est, & Balduinus ab Angelo Belgico prouincialatu perfunctus, Louanio Rector impositus. Requirebat talem virum Louaniense Collegium, quòd theologorum Societatis in eo scholam Visitator restituerat, vt in Academia celeberrima commodiores Ecclesiæ Sanctæ operarij formarentur. Leonardus Lessius, & Ioannes Amelius magna externorum quoque gratulatione, initium docendi fecere. Sex item Socijs, Senatus, & Canonicorum postulatu Gandauum à Visitatore missis, in ea vrbe totius Flandriæ maxima, eademque miserandum in modum hæresi deformata, sedes in spem vberis fructus, quæ non fefellit, est posita. Pro domicilio attributum vacuum Monasterium, quod filiarum Dei vocabatur. Frequentatum Iprense Collegium, & Antuerpiense restitutum: tres in classes vtrobique disciplina iuuentutis tributa, & Deiparæ addita sodalitate. Quippe Costerus, & pro suo in Virginem præcipuo studio, & experimento sub tali patrona Societatis labores recte procedere, cœtus hosce colligere, & excolere inter prima curarum habebat. Non hic animo indulgebo, vt in obsidionem Antuerpiensem cum paucis memorandam egrediar: diuerticula opus hoc decuerint sacra magis quàm fortia. In ea obsidione Michaël Hernandus pene confectus est, nec leuiter comes eius Turrius vulneratus, cum ad euertendum pontem, quem Scaldi amni Parmensis Princeps imposuerat, nouæ machinationis nauigia obsessi immisere, quæ ex inædificatis fornacibus vi tormentarij pulueris eluctantis saxa, tigna, globos, catenas ferreas, & id genus immania tela euomerent. Grauiter igitur in ea strage caput vulneratus Hernandus, fractoque humero, tamen inter immensos dolores diu audiendis aliorum sauciorum confessionibus perseuerauit: ac postea humeri vsum vix eatenus recuperauit, vt ad sacrificandum sufficeret. Vbi cœptum de pace, & compositione agi, ponebant in conditionibus Hæretici duces, vt ij modo Religiosi in vrbem restituerentur, qui Carolo Quinto Imperatore Antuerpiæ domicilium habuissent: quod ad excludendam Societatem pertinebat. Verum vbi fraus deprehensa est, & reiecta conditio, instituere ne domus, quæ ante Collegij fuerat repeteretur: ædes magnificas illas quidem, sed à frequentia remotas, eoque parum Collegio aptas substituebant. Id quoque negauit Princeps. Ita sua Societati tecta cum templo reddita. Hæretici ea cum bifariam diuisissent, partem, quæ templum amplectebatur, Caluiniano Ministro, euersis altaribus, subductis, aut igne crematis Sanctorum imaginibus, assignarant: partem alteram Præfecti militum, & procuratores Annonæ occupauerant: subterraneos quosdam recessus in carcerem verterant, Sacerdotibus, aut alijs Catholicorum quos confictis criminibus vinciebant, habendis, atque torquendis. Principio eiecti Collegij cum venderetur ea domus, demonstrantibus nonnullis se in ea ob traditam pecuniam Patribus constitutos census habere, atque adeo pecuniam suam repetentibus, Senatus iussit ijs de pretio, quo vendebatur satisfieri, quo factum est, vt aliquot millium florenorum alieno ære leuata demum ad Societatem rediret. Adeo famulis suis, vel per aduersa consuluit Deus, & hæreticorum spes, & conatus eluſit. Ad septimum Kalendas Septembris Hernandus, & Socij Castrenses domum ingressi. Templum in magno clarissimorum virorum conuentu solenni Cæremonia Archiepiscopus Mechlinienſis ipsis Kalendis Septembribus expiauit. Accurrit ad statuendas res Prouincialis, cœpitque tum in Collegij, tum in principe vrbis templo Ecclesiasten agere, & instante Principe, qui literarios ludos, (quod perpauci sub Magistris Catholicis erant) tantisper omnes sustulerat, die Sanctis Cosmæ, & Damiano sacro repetiti sunt docendi labores, profectu ex his, cæterisque in publicum Societatis laboribus longe superante non dissentientium modo expectationem, sed opinionem quoque fauentium.

127 Gandauensis Collegij initium.

128 Iprense Collegium frequentatum.

129 Antuerpiense restitutum dedita Principi Parmensi Vrbe.

Dum

Dum sacræ, profanæque res in Belgio secundis Regiorum cœptis ad quietem inclinant, semina grauium motuum extitere in Gallia ex fœdere, quo plerique Dynastarum Catholicorum, cum ad alia regni tuenda iura, tum ad propugnandam religionem, & excindendos errores inter se coiëre. Cæca sunt hominum consilia. Summis extra Galliam plausibus exceptum id fœdus est; & vtique mente rectissima initum interpretari decet. Cæterum id quod maxime amoliri erat propositum, ne ad Nauarræ Regem, qui tum hæreticus erat, Regnum Galliæ peruenirent, id consequutis tragœdijs viam pandentibus maturatum est. Henrico Regi fœdus minime probabatur. Inde magna in Societatem, inuidiæ tempestas incubuit, præsertim Parisijs, quòd Claudius Matthæus eius rei non particeps modo, sed & administer, & autor vulgo celebraretur. Nec fama, quanquam suo more vero maior, tamen omnino aberrabat. Olim Claudius Matthæus significarat Generali, grauem sibi causam inesse, cur ad Pontificem Romam veniret, vehementer id postulantibus rei Catholicæ rebus, & Principibus primæ autoritatis: cumque potestatem veniendi ei Generalis nequaquam feciſſet, nisi per literas, quid negotij foret ante nuntiasset, electus in Congregatione Prouinciali Procurator venit. Tum egisse cum Gregorio Pontifice ea de re existimatur. Generali, quamuis grauissime doleret Vocationis fines trausscendi, tamen haud remedij quicquam habente, quia summo cum Antistite agebatur. Vbi velim animaduerti, quam non vere totum in Ordinem vnius commissa vulgus retorqueat, cum ea Rectores Ordinis haud leuius, quam aduersarij ipsi ferant, velintque prohibita. Nam nec Ciuitatibus fraudi est vnum aliquem Ciuium hasce potius sectari partes, quam illas, nisi constet publico id consilio factum. Deinde (quod sæpius occinendum est) iniuria dolent Principes publicas res ab Societatis hominibus attrectari, cum ipsimet aliquot eorum (ipsa reclamante Societate) in eam necessitatem impellant. Postremo ipsimet de Societate homines monendi sunt, vt pro se quisque obsistant, (in ipsis enim tota vis inest) nec se quantauis spe grandis ad pietatem emolumenti extra præfinitos sibi terminos rapi sinant. Plus ad Regna tota momenti fecerit obediens in secreto precatio, quam speciosorum per Aulas consiliorum voluntaria tractatio. Non latuit Henricum, quid Claudius Matthæus Romæ egisset; itaque cum rediret in Gallias adeo infestum Regem offendit, vt Parisios adire tutum non fuerit. Mussipontum secessit idem sub tempus, quo Rex missis suo chirographo literis (quas etiam per hominem de Societate voluit perferri) Edmundum Augerium semel, atque iterum ad se se accersijt. Interim secessus Claudij in Lotharingiam vehementer sermones hominum auxit. Dicebatur esse Fœderatorum in Castris, publicisque concionibus incitare ad arma, & ad strages exercitum. Editus etiam liber est aduersus Fœderatos, in quo Autor inde volebat intelligi eos nequaquam id, quod prætendebant, religionis causam suscepisse, sed noua turbulenter moliri, quòd Iesuitas Concionatores adhiberent. Multa super hæc in vniuersam Societatem per calumniam effundebantur, Ab ea commoueri populum ad seditionem, in Regem, in magistratus, in Præfectos regios declamari. Hæc, & his similia cum à maleuolis inuidiosè auribus Regis obtruderentur, primo ille recusauit credere: at vbi aliæ additæ calumniæ, quòd regios milites Iesuitæ in Confessione nequaquam absoluerent, ac pœnitentes ad sacram militiam (ita fœderatorum arma vocabant) mitterent, tum vero haud dubiam præ se offensionem tulit. Iamque vulgus exilium Iesuitis omnibus, vel certe vincula passim vaticinari. Quod si quid forte damni acceptum Parisijs ex Fœderatis esset, dubium non erat, quin publico multitudinis concitatæ impetu luendum innocentibus Socijs foret. Nec semel aiebant in regio consilio contra eosdem actum. Denum adeo siniſter increbuerat rumor, vt grauium nonnulli amicorum ne suspectos se facerent, ab vsu

nostro-

130 Fœdus Dynastarum Catholicorũ in Gallia initum.

131 Claudius Matthæus ei negotio implicitus contra voluntatem Generalis.

132 Publicarum, & politicarum rerum tractatio, quam aliena à Societate

133 Claudius Matthæus exclusus è Gallia Mussipontum secedit.

134 Variæ calumniæ in Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostrorum abiungerent. Consolabatur interim suos famulos Deus cum testimonio rectæ conscientiæ, tum solatijs è Cœlo demissis, tum etiam domestica pace, ac demum fructu apud bonos vberrimo. Non sæpe alias plus profectum in publicum est Parisijs, quam dum per veris tempus hæ sæuirent procellæ. A multis annis nunquam tantus inter domesticos ardor pietatis extiterat, tantum obedientiæ, disciplinæque religiosæ studium, adeo sincera caritas, & consensio voluntatum, vt satis appareret: quærentibus Deum, quo turbantur magis terrena, eo benignius affulgere cælestia. Remisere deinde, & sermones vulgi, & minæ, vbi inter Regem, & fœderatos xv. Kal. Augusti conuenit; palamque in summâ Senatus Curia Rex, præsente Regina Matre, quatuor Cardinalibus, multisque Principibus, & populo frequentissimo exposuit, grata sibi esse, quæ Catholici proceres religionis causa egissent, suamque omnino sententiam esse, vt vnica suo in Regno religio esset, eaque Catholica: ac proinde in posterum nolle Hæreticis fas esse docere, cœtus habere, & alia de genere hoc. Magnam publice ea concordia lætitiam excitauit: sed diuturna non fuit. Nec multo post Romam iterum Claudius Matthæus venit, plane inscio Generali Præposito, qui pro ea fide, quam toti Societati debebat, ipsum Pontificem adire, multum licet fœderatis studentem, non dubitauit. Exposuit grauiter: quam necesse esset ad gloriam Dei, & salutem animarum abstinere Societatem ab ciuilium procuratione causarum: atque adeo quam non re modo, sed etiam suspicione talium negotiorum libera esse deberet: proinde enixe orare, ne permitteret quemquam ex ea tam alienis, & periculosis implicari curis, & Claudio Matthæo primo quoque tempore certum daret responsum, sibique potestatem faceret ex Vrbe aliquò dimittendi, vbi nec tractare talia, nec suspectus esse posset. Male apud principes viros quosdam, & Cardinales quoque audire illius causa Societatem: Oratorem etiam Christianissimi Regis de illo nominatim, vt sibi renunciatum erat, grauiter conquestum esse. Minus grata hæc ad Pontificis aures accidêre, quin potius indignari visus est, non probari omnibus quod ipsi magnopere probaretur. Itaque necesse fuit Generali Præposito Claudium adhuc Romæ perpeti, quoad opportunior daretur occasio, illud interim prouidenti, vt bonus ille Pater suas maxime res ageret. At Sixtus, qui iam satis Oratori Gallicano erat offensus, Cardinali Estensi haud sine stomacho obiecit, tanquam ille Patri Generali acerbe insultasset Claudij Matthæi causa. Vbi admiratus Cardinalis, cum ignarus rei, quid responderet nequaquam haberet, statim à Pontifice digressus, conuenit Generalem, dolenterque ex eo quærit, quid iniuriæ acceperit ab Oratore, cur in eum adeo grauiter Pontificem concitarit? Statim Aquauiua, quid rei esset coniectans, nihil vnquam euenisse dixit, in quo de Oratore conqueri posset: sed potius vbi cum eo de communibus ordinis rebus egisset, tantam humanitatem, ac beneuolentiam expertum fuisse, vt haberet semper vnde multum illi gratiarum deberet: Pontificem videri non satis percepisse, quæ ei dixerat. Nihil enim dixisse aliud, quam relatum ad se: Oratorem de Claudio Matthæo conqueri, quod huiusmodi tractaret negotia: quod, inquit, eo commemorabam, vt mihi per eius Sanctitatem liceret Matthæum ex Vrbe quamprimum emittere. Lætus hac cognitione Estensis Generalem rogauit, vt & Pontificem vellet ab errore deducere, quod diligenter est factum. Adeo facile tricæ ex tricis implicantur. Per ætatem lues cum dirè Mussipontum, atque Burdegalam euastaret, vtrobique multos è Socijs perculit. Vndecim Mussiponti amissi: quorum Ioannes Blondettus, & Bartolomæus Raphaël, ille Sacerdos, hic Laicus, cum Prouincialis potestatem faceret secedendi, tamen vt Petro Fitano Ministro laboranti adessent, posthabuere caritati salutem suam. Tantaque vis mali fuit, vt Fitanum, dein reliquos duos tribus deinceps diebus confecerit. Octo amissi Bur-

135 Rex cum Fœderatis reconciliatur.

136 Claudius Generalis de Claudio Matthæo queritur apud Pontificem.

137 Parum in eo proficit.

138 Mussiponti pestilentia multos absumit.

139 Mortui in obsequio Peste laborantium Mussiponti, & Burdigalæ.

Burdegalæ: verum sex modo pestilentia, quorum nominandi Honoratus Bonsron, & Stephanus Lamandus Sacerdotes: itemque Honoratus Oliuerius, ac Stephanus Augerius Laici, qui tradidere animas suas in commune pestilentium ministerium. Obibant ostiatim vrbem interriti metu, infracti labore: ferebant ægris animi, & corporis leuamenta; ita cari omnibus, acceptique, vt ad eorum conspectum, ac transitum affulgere salus videretur, lætæque voces vndique, & faustæ comprecationes personarent. Franciscum ibidem Iannellum lue etiamnum dubia febris extinxit, impigrum, & vitæ integerrimæ Sacerdotem. Iannellus is est, cuius præclara in accessu ad Societatem suo loco pugna descripta est: cuius etiam æternam in Cœlo beatitatem, paucis postquam emigrarat diebus, vni Sociorum Parisijs diuinitus reuelatam accepimus.

140 Francisci Iannelli obitus cuius vocatio narratur par. IV. lib. I. nu. 100. & seq.

Quatuor Hispaniarum Prouincijs Prouinciales noui præpositi: Castellanæ Petrus Villalba; Toletanæ Antonius Marcenius, Boeticæ Ægydius Consaluius, hic ex Toletana, Marcenius ex Castellana translatus. In Aragonia superiore anno Hieronymus Roccha Antonio Ioannio successerat. Iacobus Acosta non multo postquam Boeticæ Prouincialatu decesserat, dum ad recreandas vires ex graui morbo Vallisoletum petit, in oppido cui nomen Ciuitas regalis, recrudescente malo, diuinis præmunitus sarcinam mortalem deposuit. Oppidani nobili illum funere extulere, inque templi celeberrimi (Sanctam Mariam à Prato vocant) celeberrima parte condiderunt. Gadibus hoc anno Gymnasium latinitatis, multum diuque à Ciuitate expetitum, apertum est, huc translata ab Episcopo publica schola. Ad extruendum Gymnasium stipem Ciues benigne contulere. Salmanticæ addita domi, Francisco Bonauentura interpretante, ea quoque Theologiæ schola, quæ ab Academia publica ad hanc diem petebatur: & cum ad lucrum temporis, tum ad quietis disciplinæque domesticæ bonum, ab adeunda Academia cessatum. Inchoatum Gerundæ à P. Ioanne Baptista Alberto natione Valentino Philosophiæ curriculum, accurrentibus è finitimis quoque oppidis, excitis fama auditoribus. Prima autem Ciuitati documenta sic placuere, vt nullum præterea censuerint in publico Gymnasio statuendum eiusdem scientiæ professorem. Cæsaraugustæ templum perfectum, & consecratum est. Antonius Garcias Episcopus Vticensis, idem qui primum lapidem in fundamenta miserat, benedixit, & aram maximam consecrauit. Multam caritatis segetem multis per Hispaniam locis annonæ grauitas præbuit. Consultum vbique pro viribus miserorum difficultatibus, sed Baëzæ maxime, vbi nulla senum memoria parem id genus calamitatem recordabatur, vt multi dicerentur absumi. Hic igitur, & ex tenuitate domestica, & collectis ex locupletiorum pietate subsidijs, & vinctis carcere consultum, & ijs quorum pudor, ac nobilitas aggrauabat miserias: ac præterea longo tempore quandiu facta annona est laxior, quotidie plus ducenis è promiscua turba ad Collegij fores aliquid nutrimenti diuisum. Quæ officia, vt homines vulgo non tam animi, quam corporis cura tangit, gratiam apud omnes maximam inuenere. Suum Rex erga Societatem studium multis locis ostendit. Ex itinere dum Aragoniam petit, ducens liberos, ex quibus Catharinam nuptui tradebat Carolo Emmanueli Allobrogum Duci, vna cum ijs Collegium Complutense inuisit, & Theologorum concertationibus interfuit. Et quamquam repentinus fuit accessus, tamen properati musarum honores (addita ex celeritate gratia) non defuere. Monsanum in Aragoniam cum peruenissent, Iaponios iuuenes Roma redeuntes iterum ad se magna comitate admisit: dein egregie Proregibus Lusitaniæ, & Indiæ per literas commendauit: vnde factum est, vt quæ ad nauigationem commodam facerent, eis affatim præberentur. His rebus declaratam optimi Regis in Societatem beneuolentiam inuidæ quorumdam molitiones interuertere, ac reuocare conatæ sunt, sub hoc ipsum tempus deferendis ad eum querelis de superioribus Societatis, quòd

141 Prouinciales noui in Hispania.

142 Mors Iacobi Acostæ.

143 Gerundæ cursus Philosophicus.

144 Caritatis officia in fame publica.

145 Rex inuisit Collegium Complutense.

146 Querelæ de Bulla Cruciatæ à Societate non recepta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd ij nostros haud paterentur vti priuilegio Bullæ Cruciatæ in eligendis arbitratu cuiusque Confessarijs qui quemque à quibusuis, quantumuis reseruatis culpis absoluerent. His auditis Rex Catholicus, veritus ne ex eo istius Bullæ vulgo vilesceret autoritas, neue in cæteros Religiosos ordines eiusmodi Societatis permanaret exemplum, egit primum apud Claudium Generalem per suum Romæ Oratorem Comitem Oliuarium, ac deinde apud ipsum Summum Pontificem Sixtum V. vt istam Bullam, & ex eâ facultatem eligendi confessarij, libere ac promiscue in Societatis mores induci sinerent. Verum Sixto, qui hunc istius Bullæ vsum Religiosis, vt ipse putabat, pernicioſum à suo Minorum ordine cum eum Magister Generalis gubernaret, studiosissime remouerat, clarè profitente, simili se modo consulere Societati velle, ac propterea promulgatum iam antea diploma Gregorij XIII. decessoris sui, quo Socij nominatim excludebantur à participatione talis licentiæ, comprobante confirmanteque, acquieuit ad extremum pro suâ sapientiâ Pius Rex rationibus Societatis; partim ei per literas expositis à Comite Oliuario, prout illas ipse à Claudio audiuerat; partim coram explicatis à P. Antonio Ramirio ad id ipsum à Generali ad Regem delegato: cui inter alia demonstratum est: fucum fuisse factum Maiestati eius ab hominibus magis cupidis alienandi Regem à Claudio, quam Regis aut Regni iura propugnandi, cum ipsi persuaserunt: Claudij inter Generales Societatis Primi fuisse inuentum istam quæ Regi displiceret, & Regni rationibus obesse videretur, repudiationem Priuilegiorum Bullæ Cruciatæ. Facilè enim Ramirius ostendit iam tum ab anno 1576. Euerardum Mercurianum Claudij decessorem rescribentem Prouincijs Castellæ, & Aragoniæ, id ipsum tanquam necessarium tuendæ Societati postulantibus, prohibuisse, ne nostri facultatibus per Bullam cruciatæ concessis vterentur. Sic composita tunc est ea controuersia, vel potius sopita: Regij quippe Ministri post Philippi secundi obitum eam non semel renouarunt, summis Pontificibus qui tum Ecclesiæ præfuerunt, toties fortiter obsistentibus. In quo mira videri potest eorum longis temporis interuallis disiunctorum in hunc sensum, & vnum consilium conspiratio. Siquidem præter Gregorium XIII. & Sixtum V. de quibus dixi, Pius etiam V. quid de his sentiret luculenter expressit duabus constitutionibus quæ extánt [a] Clemens deinde VIII. Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. [b] idem non modo decreuerunt diplomatibus vario tempore vulgatis, sed multo efficacioribus imperijs sanxerunt. Exemplum diuinæ vindictæ perspectum Huete. Petrum à Pace Collegij Rectorem accersitum à pia, & locupiete femina grauiter decumbente, duo germani fratres, vt domi conspexere, suspicantes adesse, quò pecuniæ Sororis insidiaretur, multa minitati, inter contumelias repetitis impulsibus extrusere domo. Alterum paulo post indigni facinoris pœnitentia subijt, aditumque Rectorem petita suppliciter venia, ad Sororem moribundam reduxit, cuius illa mire recreata conspectu, & officijs adiuta, spiritum Procreatori lætissima reddidit. Alter vero fratrum non modo peccarum retractare abnuit, sed filium quoque suum incitare exhortarique non dubitauit, vt quocumque loco posset incommodare Societati, & negotium facessere non absisteret. Quæ dixit audientibus multis, adeoque offensis, vt aliquid ei diuinitus mali ominarentur. Nondum mensis à Sororis morte abierat, cum ægrotat, ac moritur; & quidem exulcerata, vt aiunt, lingua, vt ostenderetur, quid maxime lethale ei fuisset. Vtinam ad æterna migrarit bona Sororis certe bona, quibus inhiarat, & quorum causa tantum à ratione recta desciuerat, coactus est alijs habenda relinquere. Dissimilis longe fuit in huius vrbis Collegio Ioannis Consaluij Conchensis exitus XVI. Kalendas Iulias. Qui cum ab anno 1572. quo Societatem inierat, totus in animarum curam, non opera modo, sed precibus, sacrificijs, susceptisque vltro

147 Sixti V. fauens Societati iudiciũ circa vsum istius Bullæ.

148 Rex Catholicus rationibus auditis acquieſcit.

149 Non primus Claudius vsum Cruciatæ recusauit.

150 Mirus consensus Pontificum.

a Prior est 90. in eius Bullario, altera 132. illa data 4. non. Ianuar. an. 1570. hęc an. 1571 die 21. Iul.

b Verba eorum recitantur à Card. de Lugo de Pœnit. dist. 20. sect. 9.

151 Exemplum diuinæ iustitiæ.

152 Ioannis Consaluij mors, & virtutes.

vltro pœnis totus incumberet, vsque eo profecit, quoad pro salute animæ vnius non solum impendit, sed semetipsum superimpendit. Nam moribundo cuidam Parocho è circumiectis pagis cum adesset, nec vlla ratione, industriaque præparare ad Sacramenta posset, sempiterno hominis discrimine valde commotus, recepit se se sacrificatum: dumque Sanctissimum Christi Corpus manu sustinet, per dulcissimi filij sui merita Patri misericordiarum supplicare institit, vt gratiam sibi periclitantis eius animæ faceret; vitam se suam pro eo deuouere, suum spiritum libenter offerre. Hæc oranti statim visus Deus est, & concedere, quod petebatur, & quod offerebatur accipere. Vix deinde ab altari sacris perfunctus recesserat, cum trepide accersitur, quòd moribundus magnis instet vocibus Confessarium inclamans. Aduolat, expiat, viatico Sacrosancto communit: horæ spatio ille vita decedit. Biduo post Consaluius febri admodum leui corripitur, & aperte denunciat sibi vitæ exitum imminere. Cumque denunciationem periti artis medendi serio confutarent, Sociorumque alij mirarentur, nonnulli riderent, Collegij Rector Petrus à Pace, qui hominis constantiam norat, secreto interrogauit, vnde ei tam certò de sua migratione constaret. Ac Pater, vti solebat Præsidi, ac Moderatori totam habere apertam conscientiam, rei seriem, vti nos retulimus, explicauit. Nihil dubitare se dicens, quin Deus, quandoquidem quod postulatum erat, tradiderat; id quod promissum erat, repeteret: se vero lætissimum reddere. Denique paucis post diebus eò paratior, quò certiùs præuiderat, mortem oppetijt. Dum olim Madriti ageret in adolescentem incidit, cui Diabolus palam se videndum præbens, & quicquid actitaret vellicans, molestiam procaciter faciebat. Cumque expiatum, & recte animatum Consaluius dimisisset, en rursus ei Satan apparet acerrime increpans, quod ad hominem quemquam de Societate, & nominatim quod ad Ioannem Consaluium, qui sibi animas multas è faucibus abstraheret, eoque vehementer inuisum, adisset. Sed fremeret licet bellua, postquam hoc veritati testimonium ediderat, Consaluius sapienter regendo adolescentem, precibusque & afflictatione sui corporis propitiando Deo, sic eam abegit, vt tandem omnino desineret Christi ouiculam diuexare. Ioannes Valderauanus longum præclari cursum laboris, quem vigesimo sexto ætatis suæ anno, seculi quadragesimo sexto in Societate inijt, Placentiæ in senectute bona confecit. Vallisoletanus erat origine: inde à puero ad pia propensus, & etiamnum seculari in vita versatus in tradenda pueris Christiana Doctrina. Vbi primum in Societatem adlectus est ab Araozio missusque Vallisoleto Complutum, opportunum pauculis Socijs, qui omnes præter Villanouam decumbebant, solatium aduenit. Ibi Coqui, Obsonatoris, Excubitoris vnus obire ministeria; idem ornare mensam, domumque euerrere. Sociorum paucitas, & inde exiguitas ministerij, faciebat eo tempore, vt necesse esset tam multos in vnum labores congeri, isque sufficeret. Prope biennium ita exercitus, ædificijque, quod celsissimum in omni virtutum genere erat impositurus, statutis fundamentis; alterum item biennium Episcopatum Modogneti solus peragrauit, rudes vel puerorum, vel agrestium animos, rebus diuinis informans. Inde per varia præfecturarum genera, etiam Toletana recte administrata prouincia, æquabili semper virtutis opinione, constantiaque conseruit. Sanctissime pudicitiam, & eam ad vltimum illibatam coluit. Tota etiam vita super communia precandi spatia, adijciebat vnam vesperi horam: quibus fontibus irrigabat, alebatque cælestes in animo suo fruges, & conferebat in alienis. Meditationis hoc simili præstantiam explicabat: Si vir esset in familia Regis cuiuspiam, qui adeo illum amaret, vt talem sibi morem præscriberet: destinata haberet tempora, quibus quotidie ab omni cura segregatus secederet, secumque consideraret, nunc Domini sui præstantes virtutes, nunc accepta ab eo beneficia, nunc errata ab se in obse-

153 Ioannis Valderauani pi mors, & vitæ summa.

154 Eiusdem virtutes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quijs eiusdem commissa, nunc ærumnas ab eo susceptas, vt de se bene mereretur, ac semper gratias agens de acceptis beneficijs, de offensis dolens, statueret fidelius vsque ei, & accuratius inseruire: sine dubio Rex, qui id cognosceret, tam dulcem famuli, tamque accuratam beneuolentiam valde gratam haberet. Magni aiebat interesse, si Oraturus ante Dei Maiestatem, tanquam ob oculos versaretur, humilitate summa sisteret se, ipso etiam corporis gestu præsentem Deum adorans. Ex ea præsentia solere magnam vim depluere cælestis benignitatis, quæ totam irrigans mentem, & inexplicabili dulcedine imbuens, tranquillaret. Habebat ipse sua descripta capita ex Christi Domini vita, quibus cogitationem ad diuina excitaret, non modo alijs in rebus, sed etiam in quotidiana cibi, somnique necessitate. Nam feria secunda considerabat famem Domini, cum accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Tertia, Nuptias in Cana Galileæ. Quarta Pharisæi conuiuium, in quo conuersa peccatrix. Quinta, suprema Domini Cœnam. Sexta, Fel, & acetum Crucis. Sabbato, Virginis, & Apostolorum mensam. Dominica, Domini post Resurrectionem cum Apostolis cibum susceptum. Ex eadem Christi Domini vita capita sumpta erant ad somnum Deo consecrandum, Feriæ secundæ, fugam Domini in Ægyptum, quæ nocte facta est, attribuerat. Tertiæ somnum eius in Nauicula. Quartæ pernoctationem in Oratione Dei in Monte. Quintæ Orationem in Horto, & somnum Apostolorum. Sextæ dormitionem in Cruce. Sabbato cubationem in monumento. Dominicæ, æternam quietem ad dexteram Patris, vbi non dormit, neque dormitat, qui custodit Israël. Magnus idem cultor erat obedientiæ: neque aliam ob rem ægrius ferebat Præpositi munus, quam quod imminueretur sibi materia obedientiæ, & humilitatis exercendæ. Circumfertur Epistola eius de Indifferentia sane præclara. Ac primum docet hanc virtutem non solum requirere præparationem animi ad omnia quæcumque offerantur ad Dei gloriam, sed propensionem etiam, & voluntatem in id omne, quod constat Deo carum esse. Quare non esse indifferentem, qui non cupit, prosequiturque omni ope studium perfectionis, cum sciat id Deum velle, qui dixit, Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est. Neque eum, qui nollet sibi quidpiam imperari, quamuis paratus sit, si imperetur exequi. Neque qui otio languet, vel deesse sibi negotium dicens, vel obscurum quid ab se Deus velit; cum certum sit velle Deum nos semper honeste occupatos esse, & in voluntate eius exquirenda sedulos. Neque qui ministeria humillima paratus est obire, si iniungantur, nisi etiam simul, & cupiat, & quærat: cum hæc indicia humilitatis sint, quæ Deo placent: quod etiam valet in alijs rebus, vbi earum vtique perfectiorum planum est cupiditatem, ac studia Deo esse accepta. Oportere autem ad recte constituendum in æquata lance animum regulas adhibere bonæ electionis, non solum cum de tota vita deliberatur, sed in singulis fere negotijs, ita vt indifferentia vbique seratur ad electionem eius operis, quod per eligendi regulas intelligatur perfectius esse, maiorisque diuini obsequij. Porrò in rebus moderatori proponendis tum obseruari indifferentiam, cum id quod propono probabili coniectura ex diuina lege, ex ratione deprompta, intelligo gratius fore Deo, eoque iudicio ad consulendum Moderatorem impellor. Vnde necessitas apparet diligenter orandi, perscrutandique quid sit id, quo quisque ad rem moderatori referendam incitatur. Duo vero vtilia esse ad cognoscendum num æquo, & indifferenti animo res proponatur. Primum si rem ipsam aperias, nec viam certam designes per quam consequi eam rem velis. Si in munere tibi impositio quietem animi inuenire non potes, & postulas eo munere liberari, quamuis ante super ea re precem feceris, tibique videaris indifferens, non tamen es. Nam solum pertinebat ad te causam explicare, cur in eo munere quietem animi conseruare non posses, & à Præposito

155 Valderauani Epistola de Indifferentia.

sito opem exposcere. Poterat enim molestia illa mentis multis vijs auferri; vtrum autem ea procuratione omnino relicta, an potius retenta, & animo ad patientiam composito occurrendum malo sit, non is, qui vere indifferens cupit esse, verum præses constituit. Eodem modo si animaduertas, te dum concionaris populo minus satisfacere, spatiumque ob eam rem postules studendi, non id ex indifferentia est, quia poteras illud incommodum tollere alia quoque via, nempe si prorsus concionandi munus deponeres. Alterum indifferentiæ indicium, cum rem quidem ipsam, qua vrgeris, Præsidi exponis, ac simul aperis, quæ tibi occurrit, remedij viam: cæterum pari alacritate id complecteris quodcumque Præses decernit. Ægritudine, ac mœstitia laboranti vtilis est ad respirandum in agros patentes egressus. At Sanctus Iacobus ait, Tristatur aliquis vestrum, Oret: quod item tutius est. Si post declaratam Præsidi mentis ægritudinem, ex æquo paratus est, vel ad Orationem secedere, vel egredi in campos, habet sane fidum indifferentiæ suæ pignus. Addebat, si quando eueniat, vt præscripta à moderatore remedia, minus efficacia sint, inde fieri, quod non cum indifferentia postulentur, neque qua par est, cum humilitate, patientia, fiduciaque Diuinæ prouidentiæ suscipiantur.

Extremum sub annum Barcinone decessit Iacobus Benedictus, cuius exitum Prouincialis Hieronymus Rocca Præposito Generali his verbis nunciat, XVI. Kalendas Ianuarias placuit Deo ad se se Barcinone ex febri P. Iacobum Benedictum assumere. Annos ferme duodetriginta in Societate vixerat, eosque omnes recte in Dei obsequio, & vtilitatibus animarum collocatos. Vir erat Sanctus, & habebatur: ac proinde externi flagitabant vestimenta eius, & alia pro sanctis reliquijs. Consensit optime mors cum vita: tamen consueta pro eius anima Paternitas vestra, rogo, decernat. Hactenus Prouincialis. Patriam habuit Oppidum Montalbanum, & mores optimos, non multas literas: sed exemplis omnium virtutum, laborum assiduitate, tum in Collegijs, tum in excursionibus, aperte ostendit, ad fructum animarum, quantò in sanctitatis, quam in literarum abundantia momenti plus insit.

156 Iacobi Benedicti mors.

Inter publica pietatis incitamenta addita Olysippone hoc anno per sacrum Ieiunium diuerberatio. Inde vsque ab India rei delatum initium est. scripsere enim Valignanus, ac Texeira ad Petrum Fonsecam, pro ea vtilitate, quam talia exempla vbique afferrebant per Indiam, vt experiri in Lusitania vellent. Ignatius igitur Martinius, quem iam populus, quasi alterum Antonium Patauinatem propter excellentes virtutes, & animas iuuandi sedulam & efficacem industriam venerabatur, cum extremo priore anno Villauezosæ singulari cum effectu expertus rem esset, introducere Olysipponem, Deo bene iuuante, decreuit. Accurrit populus adeo frequens, & in eo nobilissimus quisque, vt quaterna millia, interdum etiam sena expleret. Nam cum ad Sancti Rocchi per atrium domesticum, quantum commodè primo capere templi laxitas posset, introduceretur, multitudo reliqua expectabat, prioribusque dimissis, iterum, ac tertio alij atque alij admittebantur, quoad satis omnibus factum esset. Habebatur de Christi Domini Cruciatibus sermo, eiusque grande simulacrum è Cruce pendentis ostendebatur. Tum psalmo quinquagesimo inflexis ad pietatem vocibus à Cantoribus inchoato, vbi ventum erat ad versiculum, Tibi soli peccaui, amotis luminibus flagella expediebantur tanto cum ardore, tot cum lacrymis, ac gemitibus, vt tantum vnquam sensum pietatis nemo recordaretur. Eadem, & frequentiâ & formula postero die idem in Collegij templo fiebat. Hic inter vtilitates euenit, vt nobilis quidam, cui veteres erant inimicitiæ, dispositis insidiatoribus, qui redeuntem ex flagellatione inimicum exciperent, mactarentque, ad Collegium vsque visendi studio progrederetur, mox ad perpetrandum facinus egres-

157 Diuerberatio publica Olysippone instituta.

158 Notabilis conuersio insidiatoris homicidium cogitantis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

egressurus, templum ingressus cum concio de more haberetur, adeo commotus & commutatus est, vt iussis abire sicarijs, protinus crimina apud vnum è Patribus expiarit, tum acceptis ab eo flagris se se ceciderit: postremo condonata inimico iniuria, ac pace redintegrata, frequens diuina obire perseuerarit.

159 Exemplum Diuinæ Iustitiæ, & misericordiæ.

Angolanæ, atque adeo Africanæ cæteræ, Indicæque Res in hunc annum silent; vnamque nobis ad Sinas protinus Iaponiosque transeuntibus, nec longam, nec inutilem Angra Insula moram obijcit; in quâ insigne hoc anno editum Diuinæ iustitiæ, misericordiæque documentum nefas præterire sit. Miles illic è præsidiarijs, vt istius generis conditio fert, solutiorum morum, ex ipsis ædis sacræ foribus, quò diei religione vocante ad Diuini Sacrificij celebrationem pergebat, comitum ad remissionem auocantium inuitatione retractus in cauponam, operam illic dare aleæ, læuo vtique omine, cepit. Iacturis ad iactus pene singulos afflictus linguam in execrationes horrendas soluit, sibi, ac progenitoribus suis mala omnia infelix imprecans. Nec tamen pellaci spe illusus fortunæ benignioris, imperare sibi miser potest, vt damnoso ludo modum ponat. Ergo dum perditis omnibus quæ ad manum erant, etiam quæ domi habebat, quæque in futurum sperabat temerariâ pertinaciâ in tabulæ casum accumulata, velut gurgite quodam infestæ sortis hauriri continenter videt omnia, tum enimuero amentiæ ægrescentis sine modo animi capiendæ iam impar, furere fanaticus diris, ac detestationibus infandis, Furiasque infernas, quotquot essent, ad se vltro malè perdendum aduocare. Quibus insanis vocibus non sinè horrore audientium ingeminatis, cum nihilo prosperiores iactus cuenirent, ad extremum crescente ad summum rabie, increpauit cunctationem malorum Dæmonum, vociferans: profecto apparere, aut segnes ipsos valde inertesque, aut quod verius videretur, nullos vspiam esse; sibi enim sic vocanti non defuturos, si qui omnino forent. Hæc vomentem ore impurissimo Blasphemum vis repente humana maior humo afflixit, vbi cum volutaretur, ab accurrentibus, qui aderant, mutum eum, surdumque subito effectum deprehensum est. In eo stupore ad valetudinarium publicum deportatus, si qui ad ipsum curandi, consolandive causâ accederent, in eos more rabiosi canis ore, ac dentibus infestis irruebat. Multos dies in illis intemperijs iacuit ligatus, ne obuijs, aut ministrantibus noceret, auditûs sensu funditus carens, lingua verò introrsum ad guttur contractâ, & motus experte. Conuenit sic iacentem Sacerdos è nostris, visuque, qui vnus ægro sensus reliquus erat, ad eum iuuandum vsus, nutibus miserum excitauit ad Diuinam opem implorandam. Intellexisse, atque obtemperare visus est; nec frustra. Nam quietior mox fuit; paulatimque relaxatis vinculis sibi permissus, sponte mutus, vt erat, Vrbis Templa circuibat, ante aras cum lacrymis se prosternens. Noster Sacerdos successu primæ admonitionis lætus, surdo litterarum aliquid scienti scriptum obtulit, quo ei suadebat, vt ad præsidium Matris Dei cum fiduciâ confugeret. Annuit ille se facturum, indeque sacella Deiparæ circumiens ad singula defixis in sacram Diuæ Virginis effigiem oculis humi abiectus, & lacrymans diu perseuerabat. In his erat die quodam Sabbati ante signum Sacræ Virginis, eo loco, eoque tempore peculiari religione cultæ, cum sensit insolitâ sibi fiduciâ compleri animum, ex quâ consurgens cursu fertur in aliud eidem Cœli Reginæ dicatum Sacellum, cuius lychnum pensilem manu contingere se sperabat posse. Digitos in oleo ardentis Lampadis tingit, eo liquore sibi fauces vngit, abiectusque in genua humillime ibidem ardentissimeque Dei-Matri suppljcat. Non diu id fecit, cum ecce linguæ illi vinculum soluitur. In voces erumpit potentissimæ Reginæ beneficium prædicantes. Accurritur. audit alloquentes, ijsque quos par erat grati, religiosique animi sermones indices magnâ mutuâ cunctorum consolatio-

tione reddit. Hinc expiato confessione animo, sacrâque Eucharistiâ refectus, ad de se statuendum inposterum curas vertens, ante omnia Militiæ missionem impetrat. Tum se in seruum perpetuum verreadæ, ornandæ, custodiendæ, humilibusque id genus suæ facultatis ministerijs, quoad vita suppeteret, curandæ liberatricis suæ Magnæ Virginis ædi sacræ solemni sponsione consecrat. Hoc in luce publicâ claræ Ciuitatis palam versatum humanæ fragilitatis, Diuinæ liberalitatis exemplum, subtrahere notitiæ nostra legentium, sine inofficiosi notâ silentij non potui. Fremonæ in Regno Abassinorum diem obijt hoc anno P. Emmanuël Fernandius, primus Sociorum Andreæ Ouiedo Patriarchæ superstitum. Tres hi fuerunt. Quibus communequidem omnibus fuit, paucitatem operariorum in tantâ messe multiplicato labore, & auctâ contentione supplere; cæterum nemini horum strenuitate, tolerantia, constantiâ cessit Emmanuël. Depoposcerat is sibi visendas curandasque Ecclesias afflictas, inopes, & schismaticâ tyrannide oppressas miserorum Catholicorum, sparsim per vastum illud Æthiopicum solum, magna inuicem distantia sedes habentium. Hoc agebat, in eo erat totus, cursans dies noctesque sine viatico, pedes, in fame ac siti, per infesta latrocinijs loca; semper alacer tamen, & Deo inhærens; vnde vim trahebat illa patiendi: & consolationis tantum, vt ex eo quod sibi redundabat omnes recrearet. Nec deerat ad gentis miseræ solatium gratiarum gratis datarum copia, Prophetiæ præsertim. Consternatos aliquando Catholicos offendens nuncio recens appulso qui ferebat: quemdam pseudomonachum hæreticum gratiosum apud Imperatorem, ei suadere, vt reliquias omnes Catholicæ Ecclesiæ deleret; bono animo esse iussit, addens Pseudomonachum breui moriturum, antequam impetraret, quod petebat. Euentus oraculum sanciuit. Peregrinans, amici aliquando boni hominis hospitio exceptus est. Vnde cum festinaret egredi, hospiti ægrè ferenti: sine me ait eò pergere vbi cursus mei metam magnus Agonotheta Deus fixit. Eo moriturus Fremonam, vt ibi propè cineres Magni nostri Patris Ouiedi Patriarchæ sepeliar, Vt eò peruenit, cæpit ægrotare; & Christianis, pro viri caritate, visentibus: die inquit Natalis Christi moriar. Fuit is dies Ianuarij tertius: quod non mirabitur, qui meminerit, exemptionem dierum decem in Reformatione Kalendarij à Gregorio XIII. indictam, & factam anno 1582., receptam in Æthiopiâ illo nondum tempore fuisse, ac ne longè quidem postea: schismaticis illius oræ Principibus obtemperare Pontifici Romano renuentibus. Illucescente die dicto adfuerunt languenti Fernandio Catholici frequentes. Eos blandè consolatus, & ad constantiam adhortatus, Missæ sacrificio cum ijs interfuit, & sacram Eucharistiam percepit. Tum vultu lætissimo, ite inquit, nunc in domos vestras, sed adeste à prandio frequentes. Semota turbâ supremo inunctus oleo à duobus Socijs Antonio Fernande, & Francisco Lupio, repente versus in certum conclauis angulum, ah Domina mea, exclamat, ah Domina! Admiratus Franciscus Lupius, quid rei est, Pater, inquit, quam Dominam inclamas? ad hæc ille cœlesti delibutus gaudio, vidi, ait, vidi Virginem Deiparam diuina luce radiantem, sine abeuntem, sine me vocantem sequar. His dictis animam efflauit. Redeuntes horâ ipsis constitutâ Catholici, & mirati iam migrasse, corpus extincti venerabundi osculantur, & lacrymis rigant.

160 Labores Emi Fernandij.

161 Virtutes, & mors eiusdem.

Stationem Sciauquini apud Sinas tenebant, cœptæ prosperitatis prono cursu, Michaël Rogerius cum Matthæo Riccio. Ij, vt se dabat ventus vela tendenda rati, duobus Socijs Amacai Signum condictum expectantibus, annuerunt, vt venire auderent. Nec fefellit ipsos, quam in Lancitani gratiâ constituerant spes, probandi ei, & per eum reliquis Magistratibus necessarij, vt disserebant, Consilij accersendorum adiutorum. Sacerdotes duo nostri Odoardus Sandeus, & Antonius Almeida non ferè minus, quam Capralis antea, libenter visi, beneuolèque tractati sunt à Mandarinis; non tamen omninò dissimulantibus sentire se

162 Duo alij Socij Sciauquini admissi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

se quid in contrarium leges Patriæ iuberent. Nam inter salutationes primas illas lætas, & officiosas gratulationes aduentus, nostros blandè amicèque admonuerunt: abundè iam videri Sacerdotum Amacaënsium venisse. Alios igitur ne euocarent. Cumque Rogerius, Ricciusque conarentur facultatem commorandi Sciauquini duobus Patribus nuper appulsis impetrare à Magistratibus, verbo ea concessa; vt scripto traderetur peruinci non potuit. Eo plus festinandum sibi nostri putauerunt, vt maturè, quod constitutum erat perficerent. Decreuerant autem, ad id continuè vrgente per litteras & mandata Visitatore Valignano, qui ad hoc ipsum nouo ipsos subsidio iuuerat, tentare vlteriorem in Sinense Imperium ingressum: cuius rei benigna se per eos dies occasio præbuit. Erat Fratri Lancitani, illius, de quo superiore Annali tam multa diximus, studiosissimi nostrorum, constitutum iter in Vrbem pene Sciauquino cognominem, sed longè diuersam; lateque dissitam Sciauhimum Patriam suam, Cequianæ Prouinciæ Ciuitatem nobilem. Huic profectionem adornanti, cum se duo è nostris comites offerrent, haudquaquam aspernatus est. Præterquam enim fratris sui ad Patres æstimandos & amandos iudicio exemploque mouebatur, etiam proprio beneficio se ipsis obstrictum ferebat: quòd in distractione quarundam suarum mercium, Lusitanos nostrorum interuentu ac gratiâ, ipsi conciliatos, magno suo quæstu fauentes habuerat. Rogerius igitur, & Almeida relictis Sciauquini Sandeo, & Riccio XII. Kal. Decembris huius anni, cum fratre Lancitani se se in viam dant prælongam, & difficilem, sed Dei tutelâ constantibusque Sinæ deductoris officijs innoxiam semper ipsis, & fœlicem. Narrat istud iter fusè scriptis Sciauhimo ad Sandeum Sciauquinensis Domicilij Præsidem literis Almeida, exactè referens, quid die quaque bimestris nauigationis per amœna flumina Ciuitates passim magnas præterlabentia, videre ipsis, experirique contigerit, quoad decimo tandem Kal. Februarias anni sequentis, amico fidi ductoris hospitio excepti sunt in eius patriâ, vbi, vt se dabant initia, diuturnæ moræ commodam sedem se se nactos confidebant. Interim Sciauquini Sandeus cum Riccio ceptis instantes, alterum publicum baptismum insigni pompâ celebrarunt Cathecumenorum ex indigenis viginti, lectorum è multò maiori numero scholas Sacræ Doctrinæ quotidianas in nostro templo frequentantium.

163 Rogerius, & Almeida in Sinarum interiores prouincias penetrant.

In Iaponia operarijs Euangelicis fluebant vbique res ex sententiâ præcipuo fauore Faxibæ Nobunangæ successoris, qui haud falsum sibi nomen assumere tunc cœpit Cambacundoni, quo significari aiunt supremum totius Iaponiæ Monarcham. Talis enim sine vllâ controuersiâ tunc erat, nemine, tot Regum, ac Dynastarum detrectare illius imperium audente. Erat is ea tempestate totus in extruendis suis Ecbatanis, Ozaca Ciuitate, quam iam, vt in omnibus superare Nobunangam contendebat, Anzuquiamâ, illius superbissimâ Regiâ, longe ampliorem magnificentioremque reddiderat. Præerat in Vniuersa Iaponiâ tunc nostris Gaspar Coëllius Viceprouincialis nomine, ac potestate. is animo, ac spe impetrandi à nouo Principe quædam ad religionis propagationem necessaria, Nangazaquio soluit sexto Idus Martij huius anni, quatuor è nostris Sacerdotes secum ducens quorum duos è Ximonexequensi portu in Bungense regnum misit. Ipse cum reliquis instituto itinere progrediens obuias habuit ad Xibacum naues ab Augustino Vacuradono Christiano Dynastâ Maris Pæfecto ad eum Ozacam vsque deducendum missas. In ijs deductus à Ministris Augustini, prout in mandatis ab eo habebant, ad eius fratrem Domicilium habentem in vrbe Muro dictâ, haud multum inde distante, vbi splendide excepti, & dum desæuiret incommoda tempestas aliquot dies benigne habiti, non pœnitendum moræ pretium tulerunt. Nam quatuor, & viginti Matronas illustres, vxores nobilium Christianorum, Augustino Duce militantium, antea satis de fidei Christianæ mysterijs edoctas, & tunc enixè

164 Cambacundonus Iaponiæ Imperator Religioni fauet.

165 Iter V. Prouincialis Iaponiæ.

eniæ baptismum petentes, sacris aquis P. ViceProuincialis ibi abluit. Muone transiuit in arcem Acasciam primariam earum, quas Cambacundonus Iusto Vcondono in permutationem Tacacuquiensis præfecturæ decerat. Illic Patres Organtinus, & Cespedius Meaco in occursum P. Prouincialis progressi, sunt reperti, quibus omnibus Darius Iusti Pater, optimus, & religiosissimus Senex sacram ædem cum domo adiunctâ monstrauit, à filio paratas habitationi, ac sacris ministerijs aliquot Patrum, quos ibi relinqui maiorem in modum petebat, studio, ac spe secuturæ inde, vt putabat, conuersionis nouorum subditorum. Sed cum tempus, ac ventus inuitrent ad prosequendum iter, non plus duabus horis illic morati, Sacayum versus nauigarunt, quò postridie, qui fuit vltimus Aprilis dies, feliciter sint appulsi. Sacai domus erat Societatis ab Organtino ædificata opportuno loco, inter quatuor Bonziorum Cœnobia alte eminens, & Crucem in summâ Turri latè conspicuam ostentans. Hæsit in eâ Viceprouincialis fere per mensem res illius Ecclesiæ constituens: & interim in Ozacæ vicinia aditum ad Regem commodum explorans. Ibi dum moraretur cum alia quotidianis nuncijs de Cambacundoui erga Christianam Religionem fauore cum voluptate audiuit, tum hausit spem ex eo, quod nostrorum Ozacæ degentium literis accepit, venisse quodam die inopinatissimè Cambacundonum in Domum nostram, ingressumque sacram ædem familiarissime multa de Christianâ Religione percontatum, respondente copiosè P. Gregorio Cespedio probare visum impensè omnia, palamque pronunciasse cuncta, quæ de Christi Doctrinâ referrentur, præclara, & fide digna videri: vnum modò incommodum, ac durum; absque quo foret, se se quidem nullam moram eius religionis profitendæ facturum. Innuebat autem singularitatem vxorum, & recisam Christi legibus vagæ libidinis licentiam, quæ res, effrænis incontinentiæ Barbarum, vt tunc ab amplectendâ salutari Doctrinâ coërcuit, ita ipsum postmodum in castæ religionis odium armauit, vt in loco reddemus. Interim tamen, cum hoc aliaque dicta, factaque eius, Christi Doctrinæ perhonorifica, in Iaponicas superstitiones, & earum Doctores Bonzios contumelioſa passim celebrarentur; cumque cerneretur palam Christianos Proceres præ Dynastis cæteris eximiâ Imperatoris gratiâ florere, præcipuisque ab eo dignitatibus ornari, cunctandum sibi amplius ViceProuincialis non putauit, quin statim tentaret, ecquid impetrari à Cambacundono possent, quæ ad negotium prædicationis Euangelicæ per vniuersam Iaponiam promouendum fore vtilia eo tempore videbat. Hæc redigebantur ad capita tria. Primum enim necessaria videbatur publica, & vniuersalis Imperatoris facultas operarijs Euangelicis prædicandæ vbique per Iaponiam legis Christi, Iaponibus verò cunctis amplectendi, profitendique ipsam. Deinde domus Societatis ab onere excipiendorum hospitio militum, cui Bonziorum quoque Cœnobia subiacent, si fieri posset, eximendæ erant. Postremò Imperiali priuilegio cauendum ne Toparchæ, ac Dynastæ locorum, in quibus Ecclesiæ, ac Seminaria instituta sint, vectigalia bonis, ac personis Ecclesiasticis imponere pro libito grauia possent. Libello ad hæc postulanda ex sententiâ Patrum, & Christianorum aulæ peritorum formato, ViceProuincialis Ozacam se confert. Reperit vrbem nouam, in quâ nihil prioris supererat nisi nomen, & situs. Domus pleræque, aut recens structæ, aut tunc cum maximè surgentes, præclarâ omnes specie, plusquam quindecim milliarium iam ambitu patebant. Arx eminebat splendidè muris lapideis præaltis, & Palatium Regis versicolori tectorio Turrium, & tegulis auratis longè collucens. Mœnia Ciuitatis lapide quadrato continuis sexaginta millium operarum laboribus tollebantur in superbissimam molem. Instabant vndique operi nobilissimi quique, ac Potentissimi Reges, & Principes Iaponiæ, quorum vnum cunctorum tunc studium, & certamen erat, cuiusuis sedulitate Ministerij gratiam Imperatoris emereri. Progressum ViceProuin-

166 Quid obstaret, quo minus Cambacundonus fieret Christianus.

167 Aduentus P. ViceProuincialis in Vrbem Ozacam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cialem in domum nostram officiosissimè salutarunt Primarij Aulæ proceres, Iustus Vcondonus, Augustinus Vacuradonus, Simon Condera, permulti alij ingenti vndique studio accurrentes, quorum omnium concordi consilio condicta est dies postera, quarta nonas Maij, Regi dudum hoc ipsum expectanti salutando. Processit ad Palatij fores ViceProuincialis cum octo è nostris, quindecim alijs Christianæ Doctrinæ Magistris, & sex nobilibus Iaponijs Seminarij Alumnis. Primum omnium de more munera suo nomine Regi, Reginæque offerenda Palatinis tradiderunt: adiuncto, se admitti ad Regem venerandum cupere, deducti sunt illicò in Aulam magnificè ornatam peristromatis tigrium aliarumque ferarum villosis pellibus speciosissimè contexta. Ibi præstolabantur à Rege responsum, qui cum oblata munera sibi est gratissima significasset, eaque diu spectasset, & suis Proceribus laudassit, misit Simonem Aydonum, qui ei erat à secretis, & protomedicum gratissimum sibi hominem, ad Patres excipiendos deducendosque. Erat Rex in Aulâ maximâ, auro, & picturis elegantibus exquisitè ornatâ. Aderant Matayemon trium Regnorum Dominus, Alius rex Tangi, tum aliquot absentium Regum Legati, ad quos Cambacundonus conuersus, expectate, hic, inquit, & præsto mihi estote: nam vos testes habere volo affectûs erga Christianos Sacerdotes mei. Ingressus paulo post ViceProuincialis cum suo comitatu Regem demississimè veneratus est, pauciscque, sed efficacibus verbis gratias egit, ob eximium fauorem, quo Sanctam nostram Religionem dignaretur, augurans, & vouens fore, vt Deus verus, quem in suis seruis honoraret, congrua ipsi pietatis tantæ rependeret præmia. Ad ea Rex vultu in humanissimam hilaritatem serenato, cum beningne respondisset, accedere ad se proxime Patres iussit; Regibusque, ac Dynastis Ethnicis cum innuisset, paulisper vt in partes Aulæ remotiores secederent, vnum ijs tum admistum Iustum Vcondonum nominatim euocauit, aiens velle se ipsum, quod Christianus esset, vna cum Patribus prope sibi adstare. Ea res morum illius aulæ peritis exquisiti fauoris erga Vcondonum habere specimen visa est, vti & incomparabilis dignationis, quod mox Patribus fecit. Præfatus enim ad se ex remotissimis terris delatos esse fructus rarè naturæ, succique optimi, adiunxit: cupere se, vt Patres ex ijs gustarent. Statimque cum nictu oculi paratis Ministris innuisset, mensæ positæ sunt, illataque fercula à nobilissimis quibusque Regiæ domus ephebis Christianis cunctis. Post conuiuium præsentis semper Regis humanissimâ hilaritate celebratum, exorsus is familiarissimè apud hospites est de totâ gubernationis suæ ratione disserere. Dixit in animo esse sibi eum rerum ordinem in vniuersâ Iaponiâ constituere, vt non solum in præsens pax certa plenaque firmaretur, sed etiam, quæ in posterum minari perturbationem possent dissensionum semina omnia eliderentur. Rebus Domi pacatis in Sinas expeditionem cogito, inquit, non animo quidem destruendi, vastandiue gentes, ac terras illas, sed imperio meo miti, & clementi subiungendi. Ad istius vsum belli iam meo iussu in Syluis omnibus ligna ingenti numero cæduntur, vnde Classis ædificetur nauium bis mille. In quo à vestris, Patres, vestrâ ope, gratiaque Lusitanis subsidij aliquid nec grauis, nec gratuiti expecto. Cupio enim impetrare ab ipsis, interpretibus, si mereri potuerim, vobis, duo maioris formæ nauigia ipsorum nautico Ministerio, ac supellectili plenè instructa, pro quibus quantum illi pretij dixerint, statim exoluam. Interim dum hæc parantur iam nunc volumus dimidiam Iaponiæ partem Christi Religionem amplecti; vbi rebus ex sententiâ confectis victores ex Sinis redierimus, Templa Deo vestro extrui curabimus in cunctis Ditionis nostræ vrbibus, & Pagis, edictoque cogemus vniuersos Imperio nostro subditos, vestræ religioni nomen dare. His dictis exurgens Iusto Vcondono præcepit, vt Patres, & Comites eorum ad visendam arcem suam duceret. Quod cum ille facere cæpisset, & prima quæ-

168 Excipitur ab Imperatore beneuolentissime.

169 Conuiuio adhibentur Patres à Rege.

170 Oratio Regis beneuolentissima ad eosdem.

quædam, qua iter erat conclauia aperuissent superbissimè ornata omnia, adfuit improuiso Rex ipse omnino domestico cultu sine satellitio, vnam modo præ se agens Matronam aulicam, succinctam, raso capite, claues manibus gestantem, pone sequebatur puella tredecim ferè annorum ex Pedissequis Reginæ, splendidissimo vestitu, Regis ensem, & Balteum manu portans, virorum quippè, ac puerorum obsequiis in propatulo solum, in intimo ædium non nisi muliebri familiæ vxoris ministerio vtebatur. hoc habitu, & comitatu renidens Cambacundonus blandissimè ad Patres, ne Iusto quidem, inquit, vestro, ac nostro concesserim in colendis, & amandis vobis: quare meo quoque ductu vos vti æquum censeo in hac lustratione domûs meæ. Sub hæc præiens ipse portas ostiorum, vt quamque clauigera reserauerat, manu propriâ pandebat. In hoc, inquiens Conclaui argentum seruamus: Ista pars ædium vestis sericæ conditorium est. En vbi arma custodimus; vbi aurum. sic per amplas scalas, quæ varia vtrimque Exhedrarum plenissimarum Ostia obibant, moratos in aulis singulis, quantum ad visenda cuncta satis erat, ad octauam vsque contignationem leni ascensu perduxit. Ibi hospitibus ostendit Cubiculum portatile, partibus commissis, ex auro solido, cum vniuersâ supellectili familiaris vsus. Tum progressus in subdiuale planum, vnde despectus erat amœnissimus in Ozacam Vrbem totam, & circumiacentes latè campos, & colles, sua ipsis ædificia ostendit; totam eorum rationem differens: vnde digressus est ad cætera consilia suæ administrationis fidennouam se partitionem Regnorum, ac Principatuum Iaponiæ decreuisse facere, quâ è Ditionibus Potentiorum quorumque tantum detraheretur, quantum ad æqualitatem publicæ tranquillitati vtilem constituendam opus esse videretur. Hæc, aliaque id genus familiarissimè collocutus, præiuit rursum hospitibus in descensu ex arce, eosque in Aulam, in quâ primùm eos exceperat, reduxit, vbi acquiescere ipsos paululum velut viâ fessos voluit. Sedensque ipsis assidentibus narrauit: adfuisse se præsentem Meaci, quando Ludouicus Froëz, & Laurentius nostri solemne certamen disputationis publicæ cum Bonzio Niquixoxunio inierunt. In eo aiebat, mihi æqua, & rationi consentanea cuncta videbantur, quæ Patres dicerent. Modestiam quoque illorum multum probabam. Bonzij vero absurda dicta, ferusque, ac insolens agendi modus, eam mihi mouebant indignationem, vt si tunc tantum potuissem, quantum modo possum, mulctaturus sine dubio morte fuerim proteruum veritatis oppugnatorem. His dictis pandi iussit inferiora quædam penitus reposta conclauia, in quibus vestis acu pictæ opere præclaro vis magna, ac summe illic pretiosa seruabatur, quam omnem Patribus monstrauit. Eodem prodire iussit mulieres omnes, quæ in obsequio Reginæ erant, in quibus non paucæ Christianæ numerabantur, ad salutandos Patres, quos inde lætissimos remisit domum. Rescitum deinde est per Christianas Matronas Reginæ familiares, Reginam ipsam mirè lætatam hâc tam honorificâ Patrum exceptione, adeòque ob eam Cambacundono perstudiosè gratias egisse. Hoc aliaque, quæ multa ferebantur Reginæ in Christianam Religionem fauoris indicia, Vice-Prouincialem perpulere, vt Magdalenæ Matri Vacusadoni, Matronæ gratiosissimæ apud Reginam, id ipsum deposcenti, libellum supplicem iam ante, vt diximus, paratum committeret Reginæ commendandum, & per eam offerendum Cambacundono. Euentus hîc quoque spei cumulatissimè respondit. Regina negotium summo studio suscepit, fide pari gessit. Rex visis, quæ à Patribus petebantur, non modo concessit omnia, sed quædam arbitratu suo in cumulum adiunxit; conceptumque plenissimè in optatam à Christianis sententiam diploma duplici exemplo describi voluit; quod vtrumque suâ manu subscriptum Patri deinde Vice-Prouinciali tradens; altero, inquit, exemplo hîc in Iaponiâ vtemini, alterum in Europam mittatis censeo; vt vestrates illic Reges, ac Principes

171 Cambacundonus Patribus Arcẽ suam ostendit.

172 Regina, non minus, quam Rex in Christianos benè affecta.

173 Amplum diploma in fauorem Christianæ Religionis impetrat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipes intelligant, quam mihi cari vos hic sitis. Tot beneficijs insignibus obstrictus Regi Viceprouincialis vnâ cum Organtino ad Regiam se contulit, vbi, quam officiosissimis potuit verbis gratum suum, suorumque animum ostendit. Rex ambos humanissimis sermonibus per tres fermè horas suauissimè detinuit: tunc abire parantes, quoniam dies in vesperum vergebat; immo, inquit Rex, prius apud me cœnabitis. Moxque paratis in suo ipsius cubiculo mensis magnificentissime ipsos excepit. Proceribus, ac Dynastis, qui in Aulâ cubiculo proximâ magno numero stationem officiosam habebant, cum ingenti admiratione profitentibus; numquam tantum honoris in Iaponiâ cuiquam habitum. Reginæ quoque Viceprouincialis, interprete, atque internunciâ Dominâ Magdalena, gratias egit. Regina verò multa exquisitorum fructuum fercula ad ipsum dono mittens, renunciari suis verbis iussit, se in felicitatis parte numerare, quod aliquid Patribus gratum potuisset efficere. Certoque ipsos posse confidere: se haudquaquam in similibus occasionibus porro cessaturam. Percrebescebant hæc famâ, & nuncijs per vniuersam Iaponiam, & eam, quam erat consentaneum in Gente supra cæterarum vsum, ac morem è nutu Principum suorum obnoxiè pendente, Christianæ Religioni authoritatem adiungebant. Et pandebant vbique tota vela fauenti auræ sparsi per imperij Iaponici Prouincias Euangelici Ministri. In Bungensi Regno, qui nosttis ibi præerat Petrus Gomezius, scriptis ad Valignanum anno sequenti litteris, testatur superiore anno, nempe hoc 1585. duodecim ibi millia hominum ad Christi Religionem ab Idolorum cultu transisse, frustra obstante Rege, degeneri filio Regis optimi Francisci, cuius mortui memoria plus ad alliciendos ad Christi fidem Ethnicos valebat, quam minæ successoris ad continendos in auitâ superstitione. Quamquam, & hunc in isto impio conatu propriæ infelicitatis experientia retardabat quotidianas clades à Saxumano infesto patientem: à quo, vt se tegeret, respicere opes Cambacundoni, & eius auxilium implorare coactus, hoc anno cæpit subsidio eius aliquo leuari. Iam in terris Christianorum Principum pronum æstimatu est, quantis profectibus Christiana res creseeret. In Insula Xodoxima Ditionis Augustini Præfecti maris, mille quadringenti vno nec toto prædicationis mense ab erroribus deducti, & Ecclesiæ per sacrum lauacrum adiuncti sunt. Exulabant dudum nostri Amangucciano Regno, iniquitate Principum ibi regnantium, tamen constantiâ veterum Christianorum, quos partim S. Franciscus Xauerius, partim Cosmus Turrianus olim baptizauerant, Ecclesia illa non durabat modo, sed in illâ quoque persecutionis hyeme flores, & fructus suos dabat. Matthæus erat hic quidam humili genere, fortunâ tenui, deuexâ iam ætatè, rusticis laboribus viram tolerans. Is cæsis è syluâ lignis fasce onustus domum redienș, vidit obiter in quodam pago conuentum hominum, Idoli cuiusdam festum diem superstitioso ritu celebrantium. Motus animo ad eam speciem, vt erat vir bonus, & zelo religionis ardens, onere depositio immiscet se prophanæ panegyri, sublatâque fidenter voce, cæcitatem infœlicium illorum haud parcè increpauit, qui honorem vni Deo debitum Creatori Cœli, & Terræ, Trunco, & lapidi stulte impieque redderent. Ea cum ab admirantibus, nec tamen nimium, quantum apparebat, innitis initio audirentur, lenius iam Matthæus miserari se dixit phanaticum errorem, in quem eos educationis infaustæ fatalis quædam necessitas traxisset. Cæterùm quando hæc daretur occasio, si audire vellent, viam ipsis salutis ostensurum. Diceret vero, conclamant. Tum ille à principijs exorsus, Christianam Doctrinam, quam bene perceptam animo ferebat, non indiserte disseruit; operante haud dubie in audientium mentibus eodem spiritu, qui loquentem animabat. Etenim conuicti omnes, quod mirum dictu est, Matthæum exorarunt ne morari apud ipsos tantum grauaretur, quoad reliqua, quæ scire ipsis tradidisset. Annuens ille paucorum dierum moræ pretium ingens tulit

174 Nouis à Rege honoribus Patres afficiuntur.

175 A Regina munera accipiunt.

176 Duodecim millia in Bungensi Regno baptizata.

177 Mille quadringenti Xodoximæ vno mense conuersi.

178 Matthęi Rustici prædicatio efficax in Amangucciano Regno.

lit baptizatis manu suâ cunctis ad vnum, qui in illo degebant pago, quo facto, fasce in humeros resumpto, reuersus est Domum. At inde non ita multò post trepide reuocatus à nouis Christianis, raptim profectus audiuit, loci toparcham cognito, quid se absente sui subditi fecissent, mandasse ipsis, vt repudiatis peregrinis sacris ad Patriam superstitionem, & Pagodum cultum redirent, capitali supplicio proposito ijs, qui parêre cunctarentur. Ad ea bonus Senex securo arrisu placide renidens: vereor quidem, inquit, vt vos adhuc tantâ felicitate digni sitis, quantâ scio frui eos, qui pro Christo mortem oppetunt. Verum bono animo estote, & sic respondete vestro Domino. Vos ipsi nihilò minus fideliter, ac sedulò deinceps seruituros, quam antea, & suum illi, quod haberet in res vestras, & corpora ius, ac Dominium perinde integrum fore. Pati tamen æquum esse illum, ac boni consulere, vt Domino animarum vestrarum Christo Deo, quem serò tandem agnoscere vobis contigit, sua spiritualia officia reddatis, nihil obsequijs Hero debitis obstitura. quod si aliter obfirmauerit; vestri officij est dare operam, vt is certum habeat, vitam eripi vobis non religionem posse. Probantibus consilium cunctis, in istam sententiam scriptæ literæ sunt, quibus visis Dynasta, cui ad priuatas rationes incommodum videbatur, exhausto cædibus pago, terram suam optimo colonorum genere fraudare, molestus ipsis esse desijt, Iuuit eodem, quod hoc anno Amangucciano Rex reconciliatus Cambacundono, à quo sibi antea infenso multum nec immeritò timebat, in gratiam Simonis Conderæ Magistri Equitum in Exercitu Cambacundoni, cuius interuentu commodas pacis conditiones impetrauerat, aliquantum de suo vetere in Christianam Religionem odio remisit; exorari se ab eo passus, vt prædicari, suscipique liberè in suo Regno Christi Doctrinam sineret. Quod idem Augustinus Classis Præfectus à Fachirandono, Regnorum Bugen, & Buijen hæreditario Domino, similibus officijs sibi deuincto, in magnum Christianæ rei commodum obtinuit. Erat enim id tunc in istis nobilibus Christianæ legis professoribus præclarum, quod quiuis fere illorum sponte, atque instinctu proprio, fructum omnem gratiæ potentiæque suæ ad Regni Dei dilatationem, Ecclesiæque incrementa conferebat.

179 Constantia nouorum Christianorum Persecutoris ferociam frangit.

In Brasiliâ nouum hoc anno superstitionis phanaticæ genus, astutiâ insidiantis infelici Genti mali Dæmonis anno superiori excogitatum, prodire ac propagari pernicioſius cepit. Ethnici eius continentis Incolæ, quæ proxima est Bayæ, quam vocant omnium Sanctorum, cum & arma Lusitanorum horrerent, & vererentur ne, quæ magna per illos tractus fama ferebatur, & existimatio Christianæ Religionis, ad eam amplectendam sensim populos alliciens, iugo ipsos Lusitanico subijceret; hanc Autoribus quibusdam veneficis, qui se à coram apparente horribili formâ Diabolo edoctos gloriabantur, eius rei præuertendæ rationem inierunt. Formant nouam Sectam Christianæ Religionis similia non pauca præferentem. Primum omnium Regem Sacrorum notæ versutiæ impostorem creant. Huic ius imperiumque summum cæremoniarum, & rituum iubent esse. Eundem accepto è Christianis nomine Papam appellant. Episcopos huic, his Sacerdotes idoneo numero, adscitis è nostrarum notitiâ rerum ordine, ac vocabulis, subiungunt. Ad hos indicunt, vt quisque confessionem peccatorum faciat. Scholas quoque, vt à Religiosis nostræ Societatis fieri viderant, ad pagos singulos instituunt, erudiendæ iuuentuti Magistris Præfectis, qui gratis, quod à pseudo-Antistite, falsisque Prælatis didicissent rudem ætatem edoceant. Iam Missæ quoque quoddam simulacrum per cõuenticula celebrabatur. Globulique filis inserti distribuebantur multitudini, traditam precum formulam pronunciare ad singulos admonitæ. Libri quin etiam è corticibus Arborum ad nostratium Breuiariorum, ac Missalium imitationem adumbrati spargebantur, notis, ac literis quibusdam inscripti

180 Amangucecianus Rex prædicari, suscipique Christi fidem in Regno suo permittit.

181 Noua superstitio quadã veræ Religionis imitatione formata.

182 Rex sacrorũ summi Pontificis instar.

183 Confessio, & Scholæ profanæ sectæ.

184 Libri à Diabolo scripti.

Bar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barbaris, quæ facilè autoris Diaboli stylum, ac manum probabant. Nam à Diabolo illis in locis coram sensibili, ac terribili formâ comparere solito, venefici non semper mentientes se accepisse fatebantur. Postremo nequid ad mimicum supellectilis sacræ ludibrium deesset, æra Campana ridiculis crepitaculis è cauis Cucurbitarum aridarum tympanis æmulabantur.

185 Dogma insanæ Religionis præcipuum erat: venturos è fortunatis videlicet Insulis ingenti Classe dudum mortuos maiores ipsorum. Ad horum appulsum omnes repente Lusitanos malè perituros. Si qui fortè superfuerint, eos in pisces, sues, aliasue bestias mutandos. Hoc qui crederent, saluos & Beatos fore: qui dubitarent, serpentum, & ferarum morsibus consumptum iri.

Dogma insanæ sectæ.

186 Iam qui ad eminentem aspirare auderent perfectionis statum, ijs palam id votum professis propinabatur succus herbæ, Petimæ illic dictæ, quo hausto alienati à mente bachabantur horrendis aspectu motibus, ac contorsionibus oris, & membrorum, quas quo quisque immaniores, & visu fœdiores ederet, eo futurus sanctior Diuiniorque prædicabatur. A furore illo aliquando recepti, quadam lauacri ad nostri baptismi ritum assimulati cæremoniâ initiabantur; à quâ mox velut iam omnibus perfecti numeris, & planè humano apice maiores, summæ Barbaris veneration erant. Ex his à Pseudo-Hierarchâ quoquo versum mittebantur insanæ disciplinæ Magistri qui sectam proseminarent. Horum Princeps cura erat populorum in Lusitanos concitandorum. Itaque nouæ quotidie Brasilorum coniurationes nunciabantur, quibus multi Lusitanorum crudelissime trucidati, agri vastati,

Furor potu adscitus, & baptismus.

187 Trapeta Saccaro elaborando destructa incensaque. Iamque tam latè fusa pernicies erat, tamque vecors vbique efferatorum consternatio ad vim, vt parum lusitanis præsidij in armis esset: latebris passim captatis, donec primus ille impetus deferuesceret, nostrorum opem implorabant, qui furentibus offerre ausi, non nihil sibi apud eos reliquum antiquæ verecundiæ repererunt. Eo rectè vsi delinire amentes, & sensim à feritate deducere, non sine effectu conabantur. Ad hanc rem dum per Indorum conuentus excurrunt, Pagus Brasilorum Christi fidem amplexorum, absentiâ Patris ibi

Lusitani trucidantur.

188 ad Neophytorum curam residere soliti, ad vltimum periculum adductus est. Appulsus illuc vnus è præstigiatoribus à Pseudo-Antistite submissis, pronas aures popularium inuenit. Mox leue vulgus contagione furoris correptum coire in Lusitanos ceperat, & quod impostor vrgebat, fugam cædesque meditari. Sed accurrentibus in tempore nostris breui ad frugem redierunt, tam acri sui erroris pœnitentiâ, vt correpto seditionis Authori mortem indemnato repræsentaturi viderentur; nisi admoniti, vt eum Prætoris Lusitani iudicio sisterent, obnoxiè paruissent. Tum Prætor, quod ad exemplum pertinere iudicabat, causâ ritè cognitâ capitalem in conuictum sententiam tulit.

Pagus Brasilorum deprauatus, post breui correctus.

189 Secundum quam deditus illis ipsis, quos seduxerat, lingua prius eorum matium rabies visa est. Nam, & quosdam ad expediendam fugam suos ipsorum liberos, quibus implicabantur, defodisse viuos, aut abiecisse discerebantur, à malo Dæmone infestos. Quo præstantiorem adfuisse Dei opem oportuit Nascenti Brasilorum Ecclesiæ, ne tam sæuâ procellâ euerteretur. Præsertim cum etiam in tentatione prouentum fecerit; sexcentis Infidelium à nostris Pagos Indorum concursantibus hoc anno baptizatis.

Venefici supplicium.

190 Infideles in proprios filios sæuiunt.

191 Sexcenti baptizati.

In Ilheorum præfecturâ Brasilici tractûs magnis nostrorum laboribus par fructus respondit, pluribus è feris illis immanibusque Barbaris, quorum vim occurrentes quosque facilè, ac ludibundè trucidantium effugisse magnum erat, etiam mansuetudine Christianâ mitigatis, & per sacrum lauacrum suaui Christi iugo subiunctis. Horum è magno numero duorum commemorabilis conuersio visa est: veneficus erat Magister erroris, sanctæ nostræ Religionis contemptor contumax,

192 Insignis conuersio venefici.

max, quem frustra sæpe, vt resipisceret conuentum Patres vbi ægrotare didicerunt, adeunt, instantes, vt suæ animæ, vel in extremâ salutis occasione misereri vellet. Multa in eam sententiam verba apud obstinate mutum perdere videbantur. Cum tamen pergerent, rupit æger longum silentium in hæc subito verba: volo fieri Christianus, volo sacro fonte tingi: quid ni sic faciam cum me Deus ad hoc ipsum morbo liberarit? Conualui sanus sum, eamus Patres in templum. His dictis surgens vltro præibat in Ædem sacram, vbi Christiana mysteria, quæ iam prius norat, se credere certissime professus, ac mox vna cum vxore baptizatus, ad accurrentes Indos ardentissimam concionem habuit, quâ cunctos ad Christi Religionem amplectendam inflammabat. Par in diuerso genere Dei misericordia in iuuenem enituit, qui in Mediterraneis, Domo, vt inter illas gentes prænobili natus, ab ineunte pueritiâ mirabilem se suis popularibus præbuerat, pudicitiâ, & sobrietate, virtutibus in illâ Barbarie tam raris, vt qui eas constanter colant, nihil minus, quam Cælestes Angeli, aut homines de Cœlo delapsi videantur. Huic domi agenti cum famâ, & sermonibus hominum allata esset notitia quædam Christianæ Religionis, cuius Magistri, & Professores in Regionibus mari vicinis esse dicerentur, arcanum, & vehemens innatum desiderium eius cognoscendæ, peregrinationem in eas partes persuasit. Venit, vidit, acquieuit, volens poscensque baptizatus est. Vitaque aliquamdiu sancte inter Christianos acta, in morbum incidit, quo post animum confessione purgatum Sacræ Eucharistiæ Viatico munitus inter suauissimis cum Christo præsente colloquijs, lætus, & gratulans, vinculo corporis solutus est. Similis ibidem, sed minus forte mira, vt in Religioso Sacerdote, Emmanueli Paiuæ mortis fœlicitas obtigit, Euangelico Ministro in primis gnauo, qui duodequadraginta continuis annis Brasilicam istam vineam summâ industriæ contentione coluerat. Societatem ingressus anno huius sæculi quarto, & quadragesimo, nullum in eâ transegisse diem dicitur, quo non duas minimum horas in meditatione cælestium rerum solidas poneret. Moderatoribus ita obnoxius ad nutum, vt quæ Sanctus Ignatius de summâ perfectione obedientiæ præcipit, vsu, & moribus expresserit. Prudentissimus idem in rebus tractandis, idem candidissimus, & fuci expers amabilissima simplicitate. Præparatus in graui morbo Sacramentis Ecclesiæ, cum è deliquio rediret, animaduertit cereum ardentem, quem Christiano more Socij tunc migraturo, vt verisimiliter opinabantur, accenderant. Quibus Emmanuel placidissimè, extinguite istum, inquit, nondum venit hora mea; nec longè tamen distat. Hâc ipsa die horâ secundâ post meridiem ad Dominum ibimus. Dicti veritatem euentus approbans, eò maiorem benè de eo sperandi nostris causam præbuit. E Collegio Fluminis Ianuarij duo è nostris missu Rectoris, vtilem, & Ecclesiæ, & Reipublicæ profectionem ad interioris continentis Barbaros susceperunt. Irritatæ opinione iniuriarum finitimæ Guntes, graue in Lusitanos Bellum mouebant. Senatores Vrbis quibus erat compertum, quantum Patribus nostris gratiæ, atque authoritatis apud Brasilos esset, magnopere orarunt, vt ex ijs aliqui negotium placandi Barbaros, & pacis constituendæ susciperent. Duo ad hoc profecti, Sacerdos cum Laico, non solum iras Barbarorum, ad vim erumpentes mitigarunt; sed Indis etiam sexcentis persuaserunt, vt se ad nouam Coloniam, quam nostri, commodo loco ex indigenis inchoauerant, è vagâ, & instabili vitâ transferrent. Lætus hic successus magnis emptus ærumnis est, nam itinere perquam incommodo sunt vsi, ignari viarum, inopes viatici, per vastas solitudines, dubias paludes, & rapidos amnes vado, aut natatu tentare coacti, vexati præterea continuis imbribus, Domum inediâ, & lassitudine exhausti vix tandem semiuiui redierunt.

191 Iuuenis castus, & sobrius ad fidem vocatus.

192 Eiusdem Sãcta mors.

193 Emanuelis Paiuę virtutes & felix obitus.

Mexicanarum rerum Manila in Philippinis insulis nobis principium erit: nam isti Prouinciæ noua hæc Colonia, Orienti alioqui propior, primis

194 Brasili sexcenti è vita vaga instabilem translati magnis laboribus Patrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis initijs contributa est. Quartum iam quinto propiorem annum à sede ibi fixâ Societas, paucitate operarum, tenuitate facultatum, ignorantiâ linguarum, à magnis, & dictu Illustribus Gentium Conuersionibus retardabatur: excolendis interim Hispanorum, qui multi Militiæ, ac mercaturæ gratiâ ibi degebant, ingenijs, & moribus, ediscendisque indigenarum linguis intenta. Duo illic Sinæ nobiles se se nostris ad Christianam Religionem erudiendos tradiderunt, auspicio magis in spem læto, quam per se memorabili operæ pretio. Sinensis Sacerdos cum alio suo populari mercatore, ex his quæ Sciauquini, & in Vrbe Ciamcheu Rogerius, & Riccius egerant, conceptâ cupiditate Christi legis amplectendæ, nec eius sibi rei facultatem liberam in patriâ posse contingere persuasi, specie commercij, quod antiquum Sinensi Regno cum Philippinis Insulis est, eò in nauibus mercatorijs iuerunt, longè vtiliori negotiatione à Christianis illic dominantibus salutem animarum petituri. Appulsi Gubernatori clam votum aperuerunt: addentes: veritos se conscientiam fratrum, ac propinquorum, qui secum venerant, & eiurationem patriæ superstitionis, quam ipsi meditarentur, simul odorati essent, omni ope ac vi impedituri videbantur, in fidem eius, ac tutelam concedere. Prætor Catholicus eos collaudatos cum præsidio ad Archiepiscopum misit, hic nostris docendos tradidit. Hi virorum indole egregiâ perspectâ, dignos putarunt, qui ad specimen Orientalium ingeniorum, solemni baptismo ad Ecclesiam aggregandi in Hispaniam mitterentur. In Mexicano Collegio triplex nostrorum procuratio, Nosocomij, Scholarum, & Prædicationis Euangelicæ, vberes hoc anno fructus tulit. Appulsa ex Hispaniâ magna vis plebis inopis famem fugiens, anno illic superiori sterilioræ frugum, per humilia capita grassantem, in morbos, vt ferè fit, intemperie marini Cœli, atque incommodis nauigationis passim varios, & graues incidit. Horum miserabilis multitudo humi strata, subsidiorum inops, paratis nostrorum operâ curribus, & iumentis magno numero ex Oppido S. Crucis, itinere sex dierum, ad Vrbem Mexicum deportata est. Septingenti peruenerunt omnis sexûs, & ætatis. Hos domo exceptos ad id paratâ nostri sedulo ministerio tres ipsos menses recrearunt. Interim in Scholis litterarias exercitationes alij curabant. Affluebat numerus lectæ iuuentutis: nec segnius ingenia scholasticis laboribus, quam mores religiosâ sedulitate ad omne decus excolebantur. Respondebat præsertim operæ fructus in institutione Neophytorum. Indi non pauciores quater millibus in atrio patenti, quotidianam Magistro Sacræ Doctrinæ operam dabant attentione summâ. Diuinique verbi semen bonis cordibus exceptum vberrimas omnium virtutum fruges dabat. In Tepotzotlanâ Sede vnum nostris negotium est, Indos ad fidem vocare: aggregatos Ecclesiæ ad vitæ Sanctimoniam assuefacere. In vtroque mirum quantum proficitur. Dominantur in illis Gentibus ebrietas, & luxuria; & ita dominantur, vt initio humanâ prudentia res æstimantibus haud sperandum videretur, fieri posse, vt sic nati, sic educati homines sobrietatem vmquam, & pudicitiam colerent. Nunc apparuit facilia Deo esse, quæ maxime ardua putantur. Christiani iam passim constantissime ad epulas dissolutas more gentis inuitantibus, negant. In quo non adeo mirum est, quod genium fraudant oblatâ voluptate, cuius sunt naturâ cupidissimi, quam quod eo nomine contumelias, & irrisiones popularium æquo animo sustinent: non rarò poculis, quæ exhaurire detrectauerint, per contemptum, ludibriumque perfusi. Castimoniæ verò tantum apud ipsos decus, vt duæ mulieres circumuentæ à flagitiosis viris: tuendæ pudicitiæ constantiam vsque ad crudelia verbera, vulneraque; altera etiam vsque ad necem, quam tali causâ gloriosam obijt, tenuerint. Ex Angelopolitano Collegio excursum in Theutlalcum est. Prouinciæ id nomen, in quâ præ cæteris illarum partium Idololatriæ regnum esse dicitur. Non quod Christiana illic sacra recepta nondum fuerint. Subest enim,

197 Sinæ duo in Philippinis conuersi.

198 Infirmi Europæi in Mexico curati à nostris.

199 Scholarum, & Catechismi fructuosus labor.

200 Ebrietas, & libido ex Indorum moribus sublatæ.

201 Missio in Theuthlacu perutilis.

enim, & ille tractus Angelopolitano Episcopo: sed penuriâ cultorum in superstitiones, & auitæ prauitatis reuiuiscentia delíria siluescit, quod ibi septuaginta circiter populi vnum vnde sacra petant Pastorem habeant, qui si centuplicatos haberet sensus, agilitatem, & vigilantiam Angelicam, vix partem multesimam procurationis tantæ obire ritè, ac plenè potuisset. Ergo illuc Episcopi rogatu profecti nostri, aras Idolis sacrilegas in antris abditis, auiorumque iugis collium multas euerterunt. Erant, qui pro Deo ignem colerent. Erant, qui fictis Genijs, vel seminum, & nucleorum, vt aiebant, vel venationis Præsidibus sacra clam facerent, quique Magicis carminibus ad multa vterentur. Priuata hæc vitia multorum, omnium ferè communis labes ebrietas, & libido erant. Hinc odia, & rixæ, furentes inter se in mutuas committebant cædes. Sacerdotibus nostris, hisce tot malis medendi præcipuam facultatem præbuit ingens quædam in eos beneuolentia, & reuerentia miseræ Gentis ex famæ commendatione nata. Passim prodibant aduenientibus obuiam, viri etiam principes, præmissis puerorum, ac puellarum choris, festo æris Campani tinnitu cunctis lætitiæ, ac gratulationis publicæ signis. Patres diuersis locis ad conciones confertissimas dicebant, Dogma Christianum declarantes, superstitiones increpantes, vitia damnantes. Sub hæc pœnitentibus aures dabant. Producta vltrò à prius adorantibus Idolorum simulacra frangebant. Gratiam inter dissidentes scriptis fœderibus firmabant. Mutatio planè ingens fuit. Vbi quotidiana, vel potius continua ebriosorum in publico bacchantium spectacula extabant, multis diebus ne vnus quidem non sobrius visus. Supplicatio hinc frequens instituta plurimis ordine longo flagellis humeros cædentibus. Clausit celebritatem indicta communiter dies Epulo Eucharistico, ad quod multitudo maxima conuênit, festis omnes vestibus, & flore, gentis more, coronati: Sed quod caput est pudore sancto, ac detestatione verâ peccatorum, propositòque fixo colendæ virtutis, & Diuinæ legis obseruandæ, penitus instincti. Guaxaci noua Sedes nostrorum institutа, opportuno loco ad confluentiam Gentium multarum. Gratissimis indigenis iuxta peregrinisque aduentus Patrum fuit, nec minus salubris commoratio. Ædibus emendis pecuniam Hispani liberaliter donarunt, Indi Templum suis manibus struxerunt, alacritate vtrique summâ. Nostri sic descriptis inter se partibus, vt quidam Domi præsto essent Ciuium vsibus, quotidianum pabulum Verbi Dei, & Ministeria Sacramentorum continuâ deuotione poscentium: alij per pagos, & villas regione totâ concionabundi vagarentur, vtriusque operæ fructus vberrimos tulerunt. Pascuarensis Collegij dum ædes hoc anno ad necessariam habitationem à nostris benignitate Amicorum adiutis laxantur, dum iaciendis nouæ fabricæ fundamentis humus effoditur, repertum est muliebre Corpus planè integrum, & incorruptum, inter aliorum plurium circumquaque consumptorum ossa; vt terræ qualitati cadaueris illa conseruatio tribui non posset. Interrogati Seniores, quid hoc putarent esse, Responderunt Fando sibi auditum, fuisse olim in eo loco Cœnobium Sanctimonialium ad omnem Christianæ vitæ perfectionem sanctissimè institutarum à Primo eius Ecclesiæ Episcopo Vasco de Quiroga, in quibus vna fuerit insignis virgo Religionis, cuius istud esse ipsum dudum mortuæ cadauer non abhorrere videatur à verisimili. Tantum explorari quærendo potuit. Cæterum Vasci de Quiroga non negligenda nobis memoria est cum originibus huius Ecclesiæ coniuncta. Post captam à Ferdinando Cortesio anno huius sæculi vicesimo Vrbem Mexicum, quæ toti Regioni nomen dedit, Constituto iam in ijs Terris Hispanorum imperio, variæ in eas ex Hispaniâ veteri Coloniæ migrarunt, quas inter vna celebrior ductore vsa est Marchione à Valle. Huius aduentus in Mexicum in id commodè momenrum incidit, quo Indigenarum Gens salutari tædio instincta seruitutis duræ, quam à Diabolo terribili formâ passim apparente, & humanis hostijs sibi sacrificari frequentissime iubente, patiebatur,

202 Guaxacensis Sedes fundata.

203 Corpus S. Virginis integrum repertum.

204 Vasci de Quiroga S. Episcopi memoria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur, erigere vulgo animum ad Christi libertatem ceperat, expeditionibus Europæorum famâ dumtaxat primore tenus ibi cognitam. Grauis instabat autor consilij noui vir primariæ in gente dignitatis, Sacerdotio in veteri superstitione functus, quem, vt est verisimile, ex congressu cum aliquo Cortesij Comitum, Christianæ Religionis quadam obiter notitiâ perfusum, ingens eius admiratio ceperat: ita vt finem nullum eius commendandæ, confiderandæque, ac quoad sciret, valeretque æmulandæ, & vsurpandæ faceret, certos, quos didicerat eius ritus deuotissimè obiens. Idque viri studium Deo fuisse cordi, vaticinium demonstrat ex eo sæpè auditum: fore, vt breui veritas ab æuo abstrusa excitaretur è tenebris, & in bono lumine locaretur: quod secuta paulò post Euangelij prædicatio, conuersioque magnæ partis Gentium illarum, diuinitus inspiratum fuisse ostendit. Famâ quippe vulgatâ appulsi cum numeroso comitatu noui Europæorum Ducis (is erat, quem dixi Marchio à Valle) confestim, Mechoacanus Rex in eo tractu præpotens, se vltro obtulit, Catholici Regis imperio potestatique vna dumtaxat conditione se subijcens, si Christianæ Religionis tam ipse, quam eius ditioni subiecta gens participes fierent. Exceptus deinde humanissimè Marchio cum suis à Mechoacano in Vrbem Regiam, per Sacerdotes Religiosos, quos secum duxerat Regem hospitem, primoresque Regni, ac populum plerumque baptizauit, festinantiùs omnino, quam vt formari satis, instituique prout oportebat Neophyti possent. Sed tempestiue missus ex Hispaniâ Vascus Quiroga, Episcopus, quos nomine tenus Christianos acceperat, verâ Religionis Sanctitate imbuit. Ab anno huius sæculi secundo, & quadragesimo per duo de triginta consequentes apostolicâ diligentiâ in rudis Ecclesiæ institutione versatus, & in se omnes numeros Euangelicæ sapientiæ, & in commisso sibi populo magnum instar Ecclesiasticæ Sanctitatis expressit. Vna res angebat comparandum priscis Patribus antistitem: penuria ministrorum, per quam fiebat, vt magna pars vastæ diœceseos necessariò inculta relinqueretur. Perlatâ illuc forte primâ famâ confirmatæ per sedem Apostolicam Societatis IESV, institit Vascus vehementer, misso etiam ad hoc in Hispaniam vno è suis familiaribus, lecto venerandoque Sacerdote, vt aliquot è Socijs ad se mitterentur, quòd vbi tum impetrari non potuit, ad reuersum infectâ re Canonicum Pius Antistes, Spiritu Sancto Authore, vt viri sanctitas, & euentuum fides probat, hæc ipsa verba protulit: nunc quidem digni non fuimus: sed erit tempus quando huc quoque Societas IESV veniet ingenti harum gentium bono. Mortuo deinde post vitam sanctissimè transactam optimo Præsule, cum esset auditum ab eius Canonicis de aduentu nostrorum in Mexicum, ijs missâ statim legatione Pascuariam accitis ædes ipsa sacra, in quâ Vascus rem sacram egerat, vbique sepultus erat cum adiuncta domo, quam inhabitauerat, nostris est tradita, Canonicis cum clero alio migrantibus. additus aureorum quingentorum annuus census Hæc fuit Pascuarensis Collegij prima fundatio; ex quo procurationem animorum consuetis instituti nostri artibus, & modis aggressi Patres, iucundissimè reperiebant eadem ferè obseruare solitum Vascum Episcopum, quæ ipsi Xauerij exemplo Ignatijque præscripto factitarent, vt non nisi Diuini Spiritus impulsu conuenire in eosdem sensus Romæ, Goæ, Mexici, tantis diuulsos interuallis potuisse homines facile sentias. Hoc porrò anno Pascuarienses Patres aucti numero ex recens appulsis ab Hispaniâ, qui celeriter arreptâ populari linguâ maturè aptos Ecclesiasticis functionibus se probarunt, alacriores quam vmquam in omne genus Apostolicorum laborum incubuerunt. Postridie nonas Ianuarias die ipso sacro Epiphaniæ expositâ palam apparatu ingenti sacrâ effigie Deiparæ in Templo nostro, incredibilis concursus fuit ad Confessionis, & Eucharistiæ sacra mysteria confluentium, inuitante videlicet promulgatione prius factâ Iobelæi, & pec-

205 Indi, Tyrannidis Diabolicæ pertæsi.

206 Cniusdam eorum Sacerdotis in Christi Religionem studium.

207 Mechoacani Regis, & Regni conuersio.

208 Vasci de Quiroga Episcopi sancti & vtiles labores.

209 Patrum Societatis auxilium frustra exposcit.

210 Eo mortuo Societas in Mexicum aduenit.

211 Sacrum Iubilæum Pascuarij magno fructu propositum.

peccatorum indulgentiæ ijs promissæ, qui expiatis animis sacro epulo refecti ei celebritati adessent. Tres inde totas hebdomadas populi frequentia durauit: quo toto tempore præbere se assiduos in Pœnitentiæ Tribunalibus Patres oportuit. Accendebant bonæ plebis studium beneficia curationum ad aram Diuæ Virginis per eos dies impetrata plurima. Nec minor in Pagis, quò Patrum quidam excurrerunt docilitas, & deuotio deprehensa. occurrebant totæ multitudines venientibus, affectu magno: pari attentione dicentibus operam dabant. Peccata confitebantur; pœnas impositas quantumlibet duras non modo integre subibant, sed verberationes etiam publicas admetiebantur. Mitto singularia multa conuersionum, reconciliationum, & eius generis mutationum insignium, vti & naturæ vires excedentium rerum, qualibus Diuina Bonitas, pro suæ Prouidentiæ more, nascentem hanc Ecclesiam confirmare, ac consolari dignatus est. Sed finis nullus sit nisi plura ex istis intelligenda, quam integrè legenda damus. Vna necessariò memoranda est Patrum ad Chichimecas missio duorum. Gens est sui adhuc iuris, eoque ferocior, nec aditu, inermibus præsertim, tuta. Christianos si nomine censeas, plerosque ibi repereris, si è fide, ac moribus æstimes vix vllum, Maxima pars totis annis viginti Sacerdotem non viderant. Hinc vitiorum colluuies fœda. Quotidiana ebrietas, & promiscua libido in laudis parte numerabantur. Mox partim temulentiâ, partim riualitate accensi in cædes mutuas ferinâ Barbarie ruere. Sed hæc mala neglectæ culturæ potius, quam prauæ indoli gentis imputanda fuisse, docuit exitus. Auditi enim Patres miros confestim motus effecerunt. Scholæ passim habitæ Christianæ Doctrinæ, concurrentibus cunctis, & dociles se præbentibus. Declamatum inde in peccata, pernicieque ipsorum, ac sempiterna supplicia proposita, horrentibus conscijs, pectoraque tundentibus. Audiendis mox confessionibus longa, & diligens opera impensa. Sacra publicè facta. Ministrata probatis Eucharistia. Fuit, qui in Confessione pollicitus emendationem ebrietatis, anxie reputabat, qui resistere illecebris peccandi posset. In eâ curâ obdormiscens vidit iuuenem candidum, qui se iussum sequi in Cœtum compotantium duceret. Apparebant lætæ primò Conuiuarum facies, mox, vt quisque poculum hauserat, vultus deformabantur; eo sensim turpiores horribilioresque, quo pluries biberant. Hæsit expergefacto salubris horror intemperantiæ. Nec dubitabant Patres, quibus hæc ipse, qui viderat narrabat, quin opportuno beneficio Angeli Custodis, salutaris species oblata infirmo pœnitenti foret. Visa eius generis, effectusque similis, & alia fuerunt, quæ ex annuis cognoscenda relinquimus.

212 Missio ad Chichimecas ardua, sed ex pari fructuosa.

213 S. Angeli Custodis auxilium opportunum ad eò firmationem pœnitentis debilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARTIS QVINTAE

TOMVS PRIOR

A.C.1586. **Liber Sextus.** Soc. 47.

ANNO 1586. intentus Claudius conseruandæ, perficiendæque Societati, quod tertio ante anno peropportunum expertus erat, rursus præsidium adhibuit communis per Epistolam pastoralem cohortationis, & Iobelæi. Adijt primo vere Pontificem, postque alia, ac præcipue, quæ nunciata erant de patefacto tandem in Sinas ingressu, narrata, Iobelæum per Societatem omnem transmittendum postulauit. Sixtus non id libenter modo, benigneque dedit, sed vltro addidit ex vsu fore, si ea de re Apostolicum diploma conficeretur, quo clarius constaret vanos rumores fuisse initio sui Pontificatus per Hispaniam, ac Germaniam diditos: se mutare Societatis instituta voluisse, quod nunquam sibi in mentem venisset. Intelligens autem Claudius quanti in Societate, & ornamenti & momenti ad omnia sit Fraterna coniunctio, post Generalem ad studium perfectionis exhortationem, ad eam præcipue cohortatus est. Quippe vti per eximiam, & cunctis gentibus miram conspirationem animorum hic genitus Ordo, & propagatus longissime est, maximo cum boni publici fructu, ita necesse est eadem coniunctione se se tueatur inposterum: eadem priuatim, publiceque proficiat. Omnium cœtuum vinculum, ac nexus beneuolentia est, & cœtuum sacrorum cælestis caritas vita & anima est, qua cum nihil in terra sit Cœlo similius, tum vero nihil siue iucundius siue admirabilius fingi potest: ea, cum longe, lateque spargitur, & nationes, quamuis terrarum interuallis disiunctas, corporum habitudine, & affectionibus animorum dissimiles, populari institutione discordes in vnum cogit, ac format. Talis Deo conciliante, ad id loci viguit, & omnibus licet machinis contra incubuerit Satanas, viget in hoc cœtu germanitas, cuius fusa per Europam, Asiam, Africam, terrasque, & Insulas recens, siue ad Orientem, siue ad Occidentem inuentas, tanquam maximi cuiusdam Corporis membra ita vnus spiritus animat, vt vni pareant capiti, secundis inuicem, & aduersis rebus lætentur, & doleant, ad mutuam opem accurrant, eoque fortius, ac fructuosius, siue ad sui defensionem, siue ad rem bene gerendam publicam connitantur. Rapit stylum materiæ pulchritudo, gestitque animus acclamare Socijs, & adeo præclarum cursum currentibus addere vsque calcaria. Euge, præclare, diuine; sinum magis, ac magis expandite. Quid enim tam decet, omnium salutem gentium professione curaque complexos, quam nullum habere locorum, gentium nullum discrimen? O magnos, quibus Mundus pro domo est, genus humanum pro gente, idque non è philosophico fastu sed è spiri-

1 Iobelæum pro Societate concessũ à Sixto Pontifice per diploma.

2 Claudij Generalis Epistola de fraterna caritate.

spiritu Christiano. Sic plane, sic æquum est Christo renatos, nullos præterea recordari natales. Quorsum nationum vocabula, ac patriarum Christianis vno editis partu Crucis? vno satis Christi sanguine? Non iam Scytha, non barbarus est, sed Dei filius, & heres, sed frater, & coheres Christi, sed omnia, & in omnibus Christus. Hinc cense, hinc æstima patriam, cognationem, genus. Hinc temet proba germanam huius stirpem originis. Ex hoc, inquit cælestis Magister, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Præter adhortationem ad pulcherrimum hoc decus Claudius ad præcipuum erga Sanctissimam Dei parentem studium incitauit, vt cælestium omnium donorum beniguissimam conciliatricem. Et sane par est, qui singulari titulo profitentur in militiâ se Filij esse, eos pariter peculiari obseruantia in parentis viuere clientela. Cæterum pro eo, quanti interest à teneris consuescere, & quaque in re fundamenta cum cura ponere, ad nouitios formandos intentus, iussit biennium totum in vnicam virtutis disciplinam (intermissis interea omnino literarum studijs) impendi.

3 Claudius Generalis hortatur Socios ad cultum B. Virginis Deiparæ

Duos probationi annos in suis institutis Ignatius definiuit: idque spatium inde vsque ab initio obseruatum erat ad vota emittenda, perquæ quis Religiosus è Societatis corpore censeretur. Ab studijs autem literarum nulla fere principio dabatur vacatio, cum occupationes publicæ, & incrementa familiæ, succrescentis prolis properata postularent subsidia. Deinceps, quo magis ordo adoleuit, hoc tyrocinij rudimentis spatia fuere ampliora. Iamque post Ignatium statim dubitari cœptum est, num id Pater decresset, cum biennium tyrocinio præscripserat, vt id omne à literis vacaretur; & Iacobus Miro ita plane persuasum habens Ignatium sensisse, cœpit Rector Conimbricæ, vbi plus abundabat iuuentus, anno 1559. in morem deducere: tametsi quod ocio nondum matura tam longo Societas erat, prosequi cœptum non licuit. Ita sentiebat Natalis quoque, qui vnus mentem Ignatij optime norat; ita alij præcipui Patrum, ac Tyronum præsertim Magistri, qui rem saluberrimam iudicabant. Quamobrem in secundo Generali Conuentu declaratum, decretumque est, biennium quidem totum vni tradendum studio, exercitationique virtutis, licere tamen de Præpositi Generalis sententia, Prouincialibus, quos videretur ex ijs, qui priorem probationis annum confecissent, ad literarum studia euocare: isque mos tota in Societate ad id locorum tenuit, nonnullo cum temporis compendio, sed multiplici cum rerum magnarum dispendio. Quippe patet latissimè disciplina virtutis: nec solum auditione, ac mente comprehendenda, sed exercenda actione, confirmanda vsu est. Quod si totum (vt aiunt) hominem cæteræ postulant artes, quanto magis hæc siue institutione, siue difficultate, siue pondere, ac momento, omnium maxima? Ea quidem totâ discitur vitâ, nec satis perdiscitur. Atqui qualia debebunt exordia esse eius disciplinæ, cui ne tota quidem vita sufficit: cum perinde vti posita fuerint fundamenta, vsque ad extremum futurus profectus sit? Super alia id quoque habebat incommodi ea literarij studij spiritualisque coniunctio, quod sibi dum vicissim obturbant, non solum in neutro respondebat successus conatui, sed multi inter angustias deprehensi alieno tempore pertinaciter occursantium cogitationum, permolestaque colluctatione defatigati valetudinem pessundabant, quod longiore cura studijs pietatis assuetis nequaquam euenit. Igitur cum magnam, altissimeque fundatam requirant virtutem munia Societatis; vt cui non solum contra vitia standum sit, sed bellum cum Satana gerendum, & sanctitatis tuendum, propagandumque imperium: reique publicæ multum interfit paulo ad res gerendas seriùs, sed multo instructiores viros produci: iussit Claudius seuere vbique obseruari, vt in rudimentis Tyrocinij totum biennium, vacuis ab alia omni cura mentibus, poneretur. Summam consilij opportunitatem egregie probauit euentus. Ex eo tempore non solum prosperiore iuuenes nostri valetudine vsi,

4 Idem biennium solidum addici institutioni Nouitiorum in spiritu iubet.

5 Quid obseruatum circa hoc antea fuisset in Societate.

6 Rationes ob quas integrum biennium sine interpellatione studij literarum Nouitijs detur.

7 Eius institutionis salubritas euentu comprobata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsi, sed etiam constitit posteriore rudimentorum anno plurimùm in virtutis disciplina profeciſſe. Quod enim vulgare verbum est, procliuius ex diuite ditiſſimum fieri, quam ex inope diuitem, quodque cunctis in negotijs, atque doctrinis videre est, lenta fermè initia sint, & acceſſiones nascentibus rebus non nisi minutæ fiant, vbi vero ad certum proceſſum est modum, minore interuallo, & opere, maiora incrementa proueniunt, id ipsum in hac Sanctitatis palæstra vsuenit. Erratur diu circa vestibulum, sero ad virtutem intratur. In expurganda conscientia multum absumitur temporis, multum rapiunt scrupuli. Ingens illa totius vitæ commutatio, noua rerum facies, & obscuritas, & insolentia stuporem quemdam hospitibus, & hebetudinem solet obducere: denique non neminis tenerior ætas lenius, ac lentius postulat magisterium. Eo fit, prior vt annus Tyronum perturbationes eatenus mitiget, eatenus deportatas ab sæculo formas, & consuetudines prauas obliteret, ita Euangelicæ eos philosophiæ decretis informet, denique in eum promoueat locum, vt præparati magis ad profectum, quam ad solidum profeciſſe dicendi sint. Quod si alter culturæ annus accedat, tum vero per illud quæsitum iam lumen, eamque partam quasi agilitatem, & aliquam assuetudinem religiosam celerrime prouehuntur, quemadmodum, vbi remis expulsa nauis in altum est, velis citatiſſimæ labitur. At si literarij labores festinantius adijciantur, illas necdum adultas, & corroboratas melioris sapientiæ fruges, vel obrui neceſſe est, vel ita macreſcere, vt vix vel sero vnquam ad maturitatem, multo ægrius ad eam, quam sperare alioqui liciſſet, vbertatem euadant. Nihil est hoc felicius biennio nostris Hominibus. Hoc tempore in exercitijs spiritualibus, in obeundis vilibus ministerijs, in peregrinationibus, in Nosocomijs, statis meditationibus, librorum lectione, frequentiſſima auditione Magistri, priuatim, ac publice, in frangendis cupiditatibus, subigenda carne, cognoscendis motibus suis, ac temperandis, in omni virtutum genere adeo exercentur impenſe, adeo alacriter, vt hic vel maxime cernere liceat, quam sit læta, & amabilis virtus, quanta sit gratiæ Christi vis, & suauitas. Hic certamen inter humilitate est, in despicientiâ sui ambitio, in corporis vexatione deliciæ, in labore quies, in perfecta obedientia, suæque voluntatis abdicatione, imperium. Et quoniam non ad ſeceſſum, sed ad præclaras Christo parandas prædas educantur, magnos interim induunt animos: martyrijs se se deuouent: hi Sinas, illi Iapones, hi Turcas, Scythasque sibi depoſcunt; vltimis, & incognitis terris signa Crucis inferre meditantur. Nec satis amplitudini caritatis mundi vnius est amplitudo. Quæ dum coquunt magna incepta, subinde in compita, & fora, vel agrestium pagos dimittuntur, & gustu etiam ipso, vti fit in venaticis catulis, imbuuntur fame animarum. Romanam probationis domum ad Sancti Andreæ hoc anno accepit regendam Bartholomæus Riccius ex Nolano accitus Tyrocinio, in locum Ioannis Baptistæ Piscatoris, qui multo eiecto sanguine curandi gratia missus Neapolim est. Acceſſere domui horti ad Sancti Vitalis, Cardinalis Marci Antonij Columnæ parati gratiâ, & benignitate. Ille enim egit, vt nobis venderentur, & contulit in eam rem nummos circiter quadringentos.

8 Priori anno vix bene purgantur Nouitij, secundo proficiunt.

9 Ratio studiorum recognoſcendi mittitur in Prouincias.

Hoc eodem anno liber, quo studiorum rationem aduocati ex varijs Prouincijs Patres communicato consilio explicarant, cum iam absolutus esset, in Prouincias Europæ omnes recognoſcendus à destinatis in eam rem Patribus missus est. Nam vt res erat grauiſſima, & in omnem parabatur æternitatem, & omnium Prouinciarum vsum, plurima & diuersa prudentium suffragia requirebat. Deceſſit apud Profeſſos Laurentius Tristanus Ferrarienſis, quem Societatem anno 1552. ingreſſum, biennio post Ioannes Frater (ambo erant Murarij Fabri, & insignes) sequutus est. Is autem fuit Laurentius, cuius statim Romam missi virtutem ita probauit B. Ignatius, vt

Hic obiit Romæ 1575.

vt si nullum præterea Ferrarienſe Collegium peperiſſet fructum, haud pœnitendam tamen eius operam esse diceret, quod vnicum Societati Laurentium peperiſſet, cum recte labore, ac manu ædificia terrena Dei seruis extrueret, sed multo præclarius virtutis exemplo cæleſtia ædificaret. Nec ab horruere à primordijs progreſſiones, & exitus. Tota vita fuit exemplum modeſtiæ, pietatis, coniunctionis cum Deo, precationis, obedientiæ, tolerantiæ laborum, & induſtriæ. Itaque præter morem in libello vbi Sociorum demortuorum notata sunt nomina, adscriptum illi elogium est Iacobi Ximenij Secretarij manu, Faber murarius infatigabilis, sanctus. Obijt Peruſiæ rerum item domeſticarum adiutor Ioannes Baptiſta Pilaſtrellus, qui cum eò Româ pergeret, nobile opus virtutis edidit. In hoſpitio publico noctu cubantem procax femina aggreſſa omnibus modis conata est ad flagitium pellicere, quam ille suis raptim sublatis sarcinulis, ita quasi flammam fugit, repertoque exitu maluit sub dio pernoctare omnibus Cœli expoſitus iniurijs, quam sub tecto, vbi salus animæ tuta non eſſet. Quamrem ad cæterorum fratrum incitamentum, vbi Ioannes Baptiſta mortuus est, eius Confeſſarius Saluator Mariottus, vir notiſſimæ bonitatis, voce, ac literis publice enarrauit. In eodem Collegio Ioannes Nicolaus de Notarijs Rector deceſſit, anima candidiſſima, cui prudentia non deeſſet: quibus dotibus egregie, siue Rector, siue Prouincialis domi, foriſque in munere publico satisfecit. Peruſini ei ægrotanti curam, & solicitudinem, demortuo dolorem, ac lacrymas non secus, ac parenti præbuere. Rogatus à Socijs sub extremum spiritum, monitum vt aliquod tanquam sui monumentum relinqueret, nihil nisi obedientiam commendauit. Quippe quam ex sententia Patrum Sanctorum, cæterarum virtutum, & parentem norat, & custodem. In Societatem Neapoli anno 1553. adscitus, Romamque continuo missus, in hac deinceps Prouincia ad extremum vsque, stadium Euangelicæ Philoſophiæ celeri, & inoffenſo pede cucurrit.

10 Iudicium S. Ignatij de Laurentio Triſtano.

11 Io: Baptiſtæ Pilaſtrelli ca ſtimonia.

12 Io: Nicolai de Notarijs pia mors.

Hoc anno Constantinopolitana statio intermiſſa. Nam furens peſtilentia cum Ludouicum Chizzolam præsidem, dein Fratres duos Iacobum Casamartinum, & Alfæum Fotium paucis diebus extinxiſſet, vnusque supereſſet Petrus Casatus, nec tanta appareret vtilitas ex ea statione, quantam Gregorius Pontifex, qui decreuerat, spe, & cogitatione conceperat, ipse quoque Casatus, Sixto veniam dante, quamuis Gallicanus, ac Venetus Consules admodum ægre ferrent, reuocatus in Italiam est.

13 Statio Conſtantinopoli tana diſſolui tur.

Ludouico Maſſellio à Prouincia Neapolitana ad regendam Siculam translato, cum iamdiu quietem Carminata flagitaret, administrationem Neapolitanæ Benedictus Sardius accepit. Sed vt incertiſſimæ sunt res humanæ, vix præclari regiminis gustum præbuerat, cum magno omnium dolore, reiecto sanguine ad æternos honores migrauit. Vir erat virtute insignis, exemplique rectiſſimi. Succeſſit tantisper in Prouincialis vicem Præpositus Neapolitanæ domus Antonius Liſius. Pertinet ad hoc tempus memoria Hieronymi Maſtrillij è Nolana Nobilitate, viri inter rara felicitatis exempla connumerandi. Is cum primum Nolam Societas adijt, domum suam Patribus ceſſit, familia interim sua ob eam maxime rem traducta Neapolim. Ex eo tempore quidam dicebant, cum ampla benedictione, vt olim domum Zacchæi, & Lazari, visum intraſſe Christum. Sed supremus vitæ actus, qui recte dicitur totam consignare vitam, notabilis fuit. Habebat mares liberos septem, ex quibus duos in Societate præclaros Diuini Verbi præcones Gregorium, & Carolum, reliquos quinque varijs omnes laudibus, publiciſque muneribus honoratos. Qui cum eſſent longe, lateque per Italiam ad suorum procurationem munerum sparſi, factum est nullo humano consilio, sed diuino haud dubie ductu, forte in præsentis partem mercedis ob curam in ijs recte educandis adhibitam, vt omnes ad supremum eius piritum intereſſent. Cum sex iam conueniſſent, & Carolus Generalem

14 Ludouicus Maſſellius Prouincialis Siciliæ. Benedicti Sardij Prouincialis Neapolit. mors.

15 Hieronymi Maſtrilli obitus inſigniter felix.

con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

confessionem Patris excepisset, & cætera eidem Sacramenta vltima Gregorius adhibuisset, & instare iam Senis optimi finis videretur, admonet eum Carolus, vt totum animum ad migrandum colligat, cui ille respondit, nondum esse tempus, quòd Vincentium expectabat, vt quod cæteris fecerat, ei quoque præsenti benediceret. Is erat natu maximus, meritoque Patri carissimus, Consiliarius Regni Neapolitani reipublicæ causa in Apulia agens. Paucis post diebus cum vehementer processisset malum, & plane adesse suprema hora videretur, instare iterum Carolus, vt animam iam tandem ad migrandum componat, absentique Vincentio bene precetur: neque aliter, ac primo Senex respondit, se Vincentium præstolari. Denique eo progreditur vis morbi, vt prorsus vsu sensuum destitutus quatriduum ipsum iaceret animam agens, eum ecce tertio Nonas Iulij ad se sedit, oculosque totum circumagens per cubiculum, de plurimis in se collatis beneficijs Deo grates agere incipit, temporeque eodem nuntius accurrit, Vincentium prope ab Nola abesse ex Apulia redeuntem, prorsus depositi iam parentis ignarum. Hoc nuncio alij stupefacti, Senex exhilaratus. Adest subinde Vincentius, flexoque ad lectulum Patris genu benedictionem orat. Et ille qui tandiu iacuerat mortuo similis, sublata dextera magna omnium voluptate, & admiratione voce satis clara bene precatur. Quærentique mox Gregorio, nunquid esset præterea, quod in hac vita à Deo cuperet, Nihil est, inquit, Benedictus Deus. Et continuo sopore, vti prius correptus verbum aliud fari non potuit: postque duas horas in corona non tam lacrymantium, quam pro eo precantium filiorum octogenarius expirauit. Corpus etiam Carolus, & Gregorius curarunt, & extulerunt.

Valde contendêre in Sicilia hoc anno Præfecti Diplomatum Cruciatæ, vt ea diplomata in Collegijs Societatis imprimerent: sed multas, & graues ob causas id onus discussum est, cum & ipsi Præfecti, & præcipue Comes Oliuarius Romæ causas probassent. Collegij Panormitani noua ædificatio cœpta magna Cæremonia, populique frequentia. Sacro fundamentorum lapidi titulus hic insculptus: Collegium Societatis IESV cum priorem habitationem, Domui Professæ eiusdem Societatis concessisset, nouo domicilio, Gymnasioque extruendo primum in fundamenta lapidem rite posuit quinto Kalendas Decembris, vt quo mense olim ab hinc annos septem, & triginta veteris Collegij iacta sunt fundamenta, eodem noui initia felici omine repeterentur, deijcientibus lapidem Illustrissimo atque Excellentissimo D. Didaco Henriquez Siciliæ Prorege, felicissimoque Senatu Panormitano, & Domino Aloysio Amato Vicario Generali Panormitano sacris operante. Dedit Cœlo Panormitana Domus plenum annis, ac rectè factis Paulum Achillem, optime de Panormitana Ciuitate meritum, De quo sic scripsit olim Ribadeneira, Dum Siciliam administraret vir sanctus, forma, & exemplum virtutis, perfugium, & solatium mœstis, & quacumque tentatione vexatis: cuius maxime opera quicquid inde vsque ab initio profectum Panormi est, quod sane plurimum est, Deus peregit. In omnium corona virtutum eius emicuit præcipue mansuetudo, & clementia aduersus omnes paterna, caritasque blandissima, sed strenua simul, & efficax. Parmæ sub annum 1540. iam Sacerdos annum ætatis agens 25. Societati antequam autoritas eam Apostolica confirmaret, adiunctus. Parisios, dein in Siciliam missus, inde vsque ab initio Panormitani Collegij, ibidem singulari cum domesticorum, & externorum approbatione prope vsque ad vltimos annos præfuit. Mortuus Genuæ Franciscus Adornus post rem Christianam tum Diuini Verbi prædicatione, cæterisque muneribus, tum administranda Societate, & diu, & optime gestam. Ortus Genuæ è Nobilitate patricia. Nomen Societati in Lusitania, quò adolescentulus Patrem sequutus erat, dedit anno seculi huius nono, & quadragesimo. Decimo post anno

16 Primus lapis in Fundamento Collegij Panormitani.

17 Pauli Achillis vitæ summa, & pia mors.

18 Elogium Francisci Adorni.

anno confectis raro cum exemplo virtutum omnium, magnaque ingenij felicitate literarum studijs, edito etiam egregio documento euangelicæ facundiæ Lusitana lingua, & alibi, & in Monte Maiore per Quadragenarium ieiunium concionatus, in Italiam Lainio accersente, rediit. Excellebat in eo donum familiariter hominum animos pertractandi: & instar omnium commendationum potest valere Beato Carolo Borromæo vique adeo placuisse, vt Sanctus Antistes opera eius non ad suos modo instituendos, sed ad animam quoque suam regendam vteretur. Dicere solitus: venerari se illum, vt templum Spiritus Sancti. Fertur etiam Beatus Carolus post suprema, eidem pulcherrima specie apparuisse: cumque denunciasset secum optime agi; addidisse, & ipsum, vti euenit, haud longo post tempore accersendum.

19 Campani Prouincialis reditus in Poloniam è Transyluania.

Sub anni initium rebus in Transyluania compositis, multa per latronum pericula in Poloniam reuersus Prouincialis Campanus, Prouinciæ statu ex Vviecho, quem Vicarium reliquerat, cognito, ante omnia consultauit, qua is deinceps potestate esse deberet, ne prouinciali præsente, sibi inuicem obturbarent. Optimum factu visum est si nullum omnino ius esset in Prouinca Vviecho, sed tantum in certa Collegia, ad quæ coram inspicienda mitteretur à Prouinciali, idque commode, ac sine negotiorum perturbatione ac disciplinæ laxamento successit. Maxime optabat Campanus Rectores, atque Præpositos recte institui. Eamque ob rem, quibus indoles idonea esset, non per se modo fingebat, sed cupiebat Romam acciri, vt in eo quasi fonte germanum Societatis Spiritum haurirent Huius rei causa tres in præsentia insignes viros, Generali volente, misit; Martinum Laternam iam pridem concionatorem Regium, Martinum Huiasdouium, & Lucam Zelascium. Ipsemet Laterna quo plus in pietate proficeret eam dudum profectionem optarat. Adeo nihil religiosum eius animum Aulicæ retardabant illecebræ. Commeatum dedit ei Rex non illibenter, vt qui semper antiquissimum habuit ita operam Societatis ita homines adamare, vt illibatam vellet disciplinam. Successit latinis in Regia concionibus Antonius Arias, Theologiæ, quam scholasticam vocant, in Academia Vilnensi professor, vir doctrina præstans, ac sanctitate. Ac protinus Rex, vt est Aula, si quis alius ostendendæ, probandæque idoneus virtuti locus, & ipse Stephanus verarum laudum acutus iuxta inspector, & callidus æstimator erat, animaduertit, quam eximia cæli ornamenta Antonij pectus complerent. Itaque animulam Dei vocitare illum cœpit, scientiamque eius dicere non humanitùs acquisitam videri, sed infusam diuinitus: laudare quod non colligeret elocutionis flosculos, sed stilum Sanctorum Patrum afferret, dicere cuncta eius verba sacra esse: neque enim nisi scripturas loqui, vel scripturis; nec tam illum, quam Deum per illum loqui. Hæc, & alia cumulans elogia Rex, puras illas, & salubres cælestis eloquij hoc auidius sitiens, quo plus potabat aquas, vnum ægre ferebat, quod Pater ne dicendo horam egrederetur clepsydram respectabat, & quanquam ingenuitatem religiosam viri valde commendauit cum admonuit vetitum Societatis legibus vltra horam dictionem produci, tamen clanculum auferri horologium, & ipsum quoad Spiritus Sanctus afflaret, nulla adhibita mensura dicere in posterum iussit. Tanti hominem faciebat, vt cum ei significaretur, vbi rediret Laterna Vilnæ reddendum Antonium, negaret sibi vnquam vel ab ipso Pontifice Maximo ereptum iri. Quæ dicens nihil de existimatione detrahebat, & amore Laternæ, sine quo planè aiebat vitam sibi vitalem esse non posse: sed vtriusque ad suum, & suorum profectum vti posthac sancta industria cogitabat. Quibus profecto rebus non solum excellens Patrum virtus, sed etiam Regis ostenditur, cum ex veteri prouerbio, talem quemque existimare fas sit quales ij sunt, quorum consuetudine delectatur. Nec vero inanem euanesce-

20 Martinus Laterna Regi à concionibus Romam mittitur annuente Rege.

21 Antonij Ariæ gratia apud Regem Stephanum.

22 Fructus concionum Antonij Ariæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nescebant in sonitum eiusmodi laudes. Paucis mensibus, vt ipsemet deprædicabat Rex, ita Antonius totam permouit Aulam, ac præcipuos Senatores hæreticos, vt iam in duas distracti partes, hi quidem veritatis vocibus aures, & animum aperirent, quorum è numero, primo sacri aduentus dominico die, primus Regis Secretarius Vngarus facta coram Episcopo publica abiuratione, in summo sacro, spectante Rege, Catholico ritu communicauit. Alij vero quibus sapientia Christi pro stultitia erat, obstruendas etiam aures dicerent, nec audiendas eius viri conciones, neper eas infatuarentur. Maio mense accitis Bransberga Nouitijs cum eorum institutore Roberto Scoto, domus probationis in regia vrbe Cracouia ad Sancti Stephani cœpta est. viginti initio capita, paulo post supra triginta fuere. Impensæ, quoniam Annæ fundatricis non dum satis prompta, nec paria sumptibus vectigalia erant, ex Collegiorum collatione, vti ante Bransbergæ fiebat, suppletæ. Interfuit rebus ordiendis Campanus. Magna simplicitate, magnoque ardore ponebant Tyrones rudimenta sua: quos etiam ad constantiam roborauit profugi vnius exemplum, qui clam arrepta fuga nec sine aliquot furto librorum, paucis post hebdomadis accepto in capite vulnere, continuò miser diuinis immunitus Sacramentis inexpiatus interijt. Mense item Maio, sacro Ascensionis die, Gnesnensis Archiepiscopus Calissiensis Collegij, cuius confirmationem ingenti adnisus studio ab Gnesnensi Capitulo impetrarat, fundamenta religiose posuit.

23 Cracouiensis Domus probationis ad S. Stephani initium.

24 Infelix exitus Transfugæ.

Mense insequenti septimo Kalendas quintiles Collegij etiam Niesuisiensis posita fundamenta, magnâ Principis lætitiâ: quo item die ipsum oppidum, cui ius vrbis à Rege impetrarat, cingere vallo, & fossa cœpit. Præfuit celebritati Campanus ex Polonia transgressus in Lithuaniam, aditurus Regem, & in Liuoniam perrecturus, quò præcipue Rigenses aduocabant tumultus, cum fabula nescias impudentius an ineptius ficta peruagatâ Germaniâ in Poloniam adfertur. Summa erat: Stephano Regi suum omne Regnum cupienti Iesuitis implere, cum pro amicitia Vvolfangus Archiepiscopus Moguntinus quatuor ex ijs misisset, seniores duos, duos iuniores, hos tandem deprehensos sub religioso habitu feminas esse: quarum cum altera Cracouiæ in hospitio à Rege attributo puerum peperisset, auditum ab hospitis seruo vagitum, inde permanasse indicium: cum autem reliqui tres aliter vltimum supplicium vitare se non viderent posse, Iesuitam puerperam, & infantem occidisse: at à Rege deprehensos, flagitiaque & facinora sua confessos, gladio, & rota ad Nilum mactatos. Hæc libello anonymo Gedani, vt index præferebat, edito, narrabantur; adeo stulte ficta, vt in Polonia passim fabula rideretur, longeque plus in commune prodesset, quam obesset: cum omnes viderent, quam turpiter, & enormiter mentiantur Hæretici: atque adeo ipsosmet hæreticorum cordatiores puderet, pigeretque stultæ suorum impudentiæ. Verum alicubi per Germaniam, vbi tam facile conuinci falsitas non poterat, magno cum strepitu, magnoque cum boni publici damno (hæreticis ventilantibus) infamiæ flamma serpebat. Itaque Moguntinus Antistes, vt nomini quoque suo consuleret, magnis itineribus tabellarium ad Regem Stephanum destinat, vt testimonium rei mature ferat. Continuo Rex, & Petrus Miscouius Cracouiensis Antistes, & Nicolaus Zebridouius generalis Cracouiensis, & Boleslauiensis Capitaneus, rite publicis literis non refutarunt modo calumniam, sed & laudes celebrauere Societatis. Ac præterea Stephanus his ad verbum literis Antistiti Moguntino respondit: Literas Paternitatis Vestræ vna cum figmento germanico de Patribus quibusdam Iesuitis, qui ob nescimus quæ facinora supplicio à nobis affecti in eo finguntur, recte accepimus: fabulamque eam primum nos non sine admiratione legimus: deinde Senatoribus etiam nostris, qui tum circa nos erant, vniuersæque Aulæ nostræ proponi iussimus, in qua nemo omnium

25 Collegiorum Calisiensis, & Niesuisiensis initia.

26 Fabula improbatum Societatis vulgata.

27 Testimonio Regis Poloniæ, & aliorum magnorum Hominum diffiatur.

nium extitit, qui non modo falsissime eam confictam, verum ab omni etiam similitudine veri alienam agnosceret, sicque existimaret nulla refutatione opus eam habere, quæ omnibus partibus se ipsa labefactaret. Præterquam enim quod narratio ipsa nullo fere loco cohæreat, eo etiam tempore Cracouiæ nobis præsentibus res gesta fingitur, quo nos non modo Cracouia discesseramus, verum etiam aliquandiu ante in Magnum Ducatum nostrum Lithuaniæ iam perueneramus. In Nilo deinde perfecta scribitur, quo quidem nomine celeberrimum in Ægypto fluuium esse scimus, in nostro autem Regno nullum, vel obscurissimum locum extare, qui eo nomine sit. Itaque is sensus fere omnium, qui eam agnoscerent, fuit, vt Catholicis quidem voluptatem tam aperte deprehensa vanitas hæreticorum, hisce pudorem eadem Sociorum suorum vanitas afferret: omnes autem pœna dignissimum autorem censerent, qui figmento tam manifesto hominum innocentissimorum famam traducere ausus fuerit. Verum natura prauitatis, vt semper fuit, ita nunc etiam est, vt vbi veritate contra veritatem efficere nihil possit, ad fabulas, atque calumnias confugiat. Nos quidem cum in Regno, ac ditionibus nostris Societatis eius Patres ad Iuuentutem excolendam non paucos foueamus, testimonium hoc illis vere tribuere possumus, non modo nullum eorum vnquam in Regno nostro ob facinus aliquod supplicio affectum, sed ne accusatum quidem, aut minimam suspicionem facinoris alicuius vnquam in vllum eorum collatam. Itaque omnes vixisse, & viuere, vt cum religionis ipsius causa dignissimos eos clementia nostra iudicemus; ob singularem pietatem, & vitæ sanctimoniam multo etiam cariores nobis sint. Quod reliquum est Paternitatem Vestram quam optime valere cupimus. Grodna die 3. Mensis Iulij anno Domini 1586. Regni vero nostri XI. His & alijs testimonijs euulgatis haud difficile, vt quæ tam male cohærebat, calumniæ vanitas patefacta est. Interim Rigæ non tam fœdo somnio, sed tamen leuissima suspicione grauissima inter plebem, & optimates glisceba seditio cum importuna vexatione Collegij. Euenit Rigæ, vt ferme vbique terrarum euenire compertum est, quod in Euangelio legimus de forti armato, qui cum atrium suum custodit, in pace sunt ea, quæ possidet. Antequam in Regis Stephani potestatem veniret, isque Catholica restituere sacra conaretur, pacata fuisse omnia iactabant impietatis Antistites; post excitatum Collegium statim pacem euersam, quam tamen ipsimet euersam funditus perditamque volebant. Nam quia Senatus, vt potè ex melioribus ferme viris constans, obedientius se se ad regiam voluntatem accommodabat. Ministri Satanici toti erant in concitando furore multitudinis, & aduersus ipsum Senatum inflammando, eo nempe consilio, vt tandem causa, & nomine pacis ad tollendum ex vrbe Collegium consentirent. Tumque Rex communi Senatus, & populi seu postulato, seu contumacia, id tandem tanquam ex impendentibus malis leuissimum daret. Igitur criminari Senatum Plebs, ab eo Rigam Iesuitas exceptos, ab eo tradita Regi templa Sancti Iacobi, & Sanctæ Magdalenæ, quæ Iesuitæ iam possiderent: ab eodem templum princeps item Regi promissum: sed nihil iactarunt tumultuosius quam quod traditum Collegio esse, vel credebant, vel simulabant credere armamentarium publicum Ciuitatis. Suspicionis fundamento plane futili nitebantur. Cum armamentarium in Cœmeterio ipso Sancti Iacobi situm esset, promiserat Senatus, ne Collegio obstreperetur, in vsus inquietiores, sic enim loquuti sunt, vt tabernarum, & id genus, non translaturum, addens velle se id ius esse Patribus acquisitum, & huius rei testes literas rite dedit. Quas literas dum Simon quidam describit latine ignarus, at pingendi characteres non malus artifex, persuasit sibi totum armamentarij ius ab Senatu Societati concessum. Inde suspicio emanat ad ministros errorum: his seditioni faces auide suggerentibus, popularis ordo contra Senatum grauiter exardescit, quod ciuibus ignaris

28 Rigæ Plebs in Senatum tumultuatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

id sibi iuris assumpserit, vt armamentarium publicum Collegio, ideſt eum locum, quo maxime defensam oportuit nouam religionem, eius expugnatoribus dederit. Ferebatur Fridericus etiam Hudenus iuris consultus auditus cum diceret, eas literas se quoque vidisse. Hac igitur super re Martinus Ghisius seditiosorum fax turbulentissima, cum Tribunis plebis, & senioribus aliquot, scribaque publico pridie Kalendas Februarias ad Collegium venit, iam ex anni superioris procella, atque peregrinatione restitutum satisque tranquillum. Leonardum Rubenum Rectorem, & cæteros Patres interrogant, fateantur ingenue, quod res est. Nihil enim ex his vitio verti ipsis. Nam ad Senatum pertinuisse iura sua non excedere, non autem ad Patres, quid iuris Senatui esset, inuestigare. Rubenus collaudata eorum diligentia in peruestiganda re, antequam fidem suspicioni accommodent, præcise negat quicquam sibi esse, aut fuisse vnquam de vllis literis cognitum, quæ ad armamentarium pertinerent, præter quasdam (vnde facile potuisset ea inanis extitisse suspicio) in quibus agebatur de armamentario non quidem tradendo Societati, sed in vsus inquietiores non transferendo. Ghisius callide initio admirari, dein vbi animum collegit ad maledicendum conuersus, omnium Rigæ tumultuum fontem Societatem clamitat, & alia inuidiosa permulta diu deblaterat. Post hæc Regem aggreditur, ac perseuerat incessere, vociferans: nullo iure eum templa Ciuibus abstulisse, dedisseque Collegio: quoad respondit Rubenus, multo id maiore Stephanum iure peregisse, quam ipsi nouæ sectæ autores Episcopos sustulissent, & bona Ecclesiarum omnia cum ædibus sacris ad se se rapuissent. Hæc vox hominem quanquam furiosum, & impudentem, propemutum, & elinguem reddidit. Postridie rogatus Rubenus, vt testimonium hesternum scriptum daret, ante testatus se nullo iure à seculari potestate interrogari posse, tamen vt omni suspicione Senatum liberaret, dicta etiam scripto confirmat. Interea testes interrogantur, ac Simon quidem in sententia perstat, literas se descripsisse, quibus armamentarium in ius omnino Collegij traderetur. Hudenus autem primo coram Ghisio, & alijs multis, dein in templo S. Iacobi coram Balthasare Snelio regio Fiscali, itemque alijs i tales literas negat sibi vnquam perspectas, idque Sacramento confirmaturum se profitetur. Nonis Februarij clausis repente vrbis portis, cogitur trepide Senatus, populoque vrgente, rursus testes interrogantur, & Hudenus inconstanter loquitur: quo acrius post meridiem Ghisius magno rursus cum grege in Collegium profectus Rectorem diuexare instituit, intermiscensque contumelijs minas, iactare vt literas eas proferret non eum iure iurando, sed capite adigendum. Ad quæ Rector religiosâ constantiâ: literas, inquit, non habemus: nostra capita in vestra sunt potestate. Aduocantur eodem etiam tempore testes: atque Hudenus iam, vt erat homo timidissimus, & nullius animi, post aliquantum hæsitationis, tandem pronuntiat eas literas se quoque vidisse. Acclamatum ab omnibus, Rectorem testibus euictum esse, neque contra eos fari permittitur. Exultare lætitia, & insultare Ghisius. Et mox adest Ciuium cohors, quæ assidue Rectorem custodiat, & sub noctem altera submittitur ad excubias. Fuit assidua, perque diligens custodia, cæterum liberalis, & perhumana. Postridie Nonas Februarias Rubenus ad Senatum, & tribunos plebis dat Germanice literas in hanc sententiam. Angor animo dum Ciuitatem perturbatam, & grauiter solicitam video literarum causa, quæ à me exiguntur: rogo itaque per Deum, vt inanem suspicionem ponatis, ac desinatis frustra inquietari, neu diutius cum publico incommodo clausas vrbis portas velitis, & causam hanc secetis. De literis, quæ petuntur, aio, sancteque confirmo nihil mihi constare, ita vere, vt coram tribunali diuino apparebo. Quin etiam, vt plane Ciuitas sine metu, & solicitudine sit, recipio, spondeoque si quæ vnquam literæ tales apparebunt, eas nullius iuris, plane-

29 Vanus rumor de tradito Nostris à Senatu Armamentario Ciuitatis, refellitur.

30 Rector Rigensis à seditiosis in custodiam datur.

planeque irritas fore. Quod si hoc testimonio vobis satisfieri non potest, atque duobus testibus, quorum alter latine ignorat, alter satis inconstanter locutus est, plus fidei tribuendum censueritis, quam Senatui, & nobis; nos quidem nihil præterea coram summa veritate, quæ omnia vincit, dicere vnquam poterimus. Vobis vero considerandum erit, si quid grauius attentare volueritis, quemadmodum id coram Deo, & supremo nostro Magistratu tueri possitis. His mane datis literis, redit à meridie cum magna manu Ghisius ad Collegium: postque permulta contra fidem testium dicta, addidit Rubenus, quoniam eas literas dixerat Simon eo à se se descriptas, vt à Cardinali Radiuillo confirmarentur, curaturum se testimonium Cardinalis ipsius vnde verum constaret. Item quoniam quæ ad Collegia pertinent; de iis ad Romanum Societatis tabularium literarum exempla rite consignata mittuntur, Roma quoque se fidem petiturum, tales literas nunquam eò missas. Ad hæc, non se recusaturum, quin si daretur iudex idoneus coram eo rem testaretur: immo talem se iudicem omnino petiturum, vt remoueretur omnis ab Senatu suspicio, & Ciuitati planum fieret: Collegium in eam venisse virorum grauium, ac fide dignorum. Hæc omnia rite testatus, liberatus custodia est, sociorumque sententia Vilnam discessit, simul vt vexationi tantisper se se indignissimæ eriperet, simul vt apud Cardinalem Senatus causam defenderet. Ac sine mora Cardinalis egregium de Leonardi fide animique integritate sibi per triennium cognita, deque literis ad armamentarium spectantibus, quales memorabantur, nunquam ad se se perlatis, testimonium per epistolam dedit. Verum extinguendæ suspicioni, vtique quam ad seditionis fomitem turbulenti alebant, ne id quidem satis fuit. At Rubenus ne absentia in conscientiam verteretur, repetito Rigam itinere in pago Collegij Albein nomine substitit. Huc Hudenus muliebri habitu Riga egressus, præparatoque cysio exceptus venit: prouoluitur ad Patris pedes, multis cum lacrymis veniam suppliciter petens, quod improborum comminatione territus, carnifice ante oculos per duas horas, ac dimidium obiecto, id quod penitus ignorarat, testificari non dubitarit. Vti Christi decebat discipulum, nulla omnino edita iræ, aut offensionis significatione Leonardus, erectum bono animo iubet esse, pauciſque post diebus expiatum criminibus, & abiurata hæresi, Deo, & Ecclesiæ sanctæ restituit: vt appareret supramodum clemens diuina clementia homini hæretico periurium in occasionem fidei vertens. Ille, & compluribus literis suam inconstantiam fassus testimonium, ac periurium reuocauit. Rubenus quamquam rumor erat insidias illi in vrbe tendi, tamen adire perrexit. Venit eodem, & Secretarius ab Rege cum grauibus eius literis: & mandatis: vnde versus ad sui curam Ghisius, trepide circumcursare, ciues ostiatim adire, datam sibi fidem reposcere: & quoniam elabendi viam commodiorem non inueniebat, totum negotium ad religionem detorquere, vbique clamitans hic sacra, hic Euangelium, hic pietatem instauratam atque sinceram agi. Ghisio ita præmunito, regijs nihil mouentibus, aliquantum tranquillitatis ad extremum vsque Iunium fuit, cum renouato tumultu duos comprehendunt Senatores, Ioannem Tastium, & Villingium: dein tortos quæstionibus acerbissimis, vt proderent quis Collegium Regi dedisset, quis primariam ædem promisisset, ipsosmet tanquam rei authores obtruncarunt. Tum vero Patres censuere Rubeno vrbe egrediendum, nec temere multitudinis furori vitam obijciendam, vbi potius ex insana crudelitate, quam ex vllo religionis respectu in hominum capita sæuiretur. Itaque Theodorico Vvestphalo Prorectore cum Socijs tribus Rigæ relicto, qui etiamnum scholas, quamquam admodum infrequentes, & cætera Collegij munia sustinerent, alij digrediuntur. Tum hi sparsi ad Euangelizandum per agros, tum Rubenus ab Andrea Patritio Nideschio Liuoniæ Episcopo dum Prouinciam obit

31 Vilnam inde recedit.

32 Hæretici Calumniatoris conuersio.

33 Duo Senatores à seditiosis torti, & occisi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obit circumductus, præclarum cepere fructum exilij, & laborum. Rebus ita turbidis Rigæ, grauissimum acceptum vulnus in Transyluania.

34 Transyluania peste vexatur.

Lues anno superiore Varadini coorta cum hoc anno recruduisset, post summam annonæ inopiam, ex quâ multi mortales ceciderant, Albam Iuliam, dein Claudiopolim corripuit: inque communi hominum strage, eo Societatis domicilia dirius euastauit, quo minus, vt succurrerent aliorum animis, memores illi Dei famuli suorum corporum erant. Varadini Stephanum Aratorem, duobus Socijs altero Sacerdote, altero Laico nudauit: itaque relictus est solus. Albæ, ex octo, qui eam sedem incolebant, amissi quatuor. At Claudiopoli ex triginta plane desiderati viginti, omnes præter duos lue confecti. Frequentauit funera insignis inter se, & erga proximos Sociorum caritas, dum alij alijs sine vllo metu discriminis omni ope, & cura in omnes, & animorum, & corporum vtilitates adsunt. Damnum præcipue factum in tribus, Ferdinando Capecio Collegij Rectore, Ioanne Ardulfo, & Hieronymo Fanfonio Sacerdotibus. Rector magna erat in opinione sanctitatis domi, foriſque, magnoque animo restitutionem fidei susceperat, vrgebatque in Transyluania, sitiens laborum, studio animarum totus ardens, mitis idem, & nescius de quoquam nisi bene mereri. Io: Ardulfus in Collegio Germanico Romæ educatus, inde cum Possevino in Sueciam missus, tum in Societatem receptus, posito Bransbergæ tyrocinio ad prima Societatis fundamenta in Transyluania Iacobum Vviecum sequutus, in Gymnasio quicquid opus foret Græce, Latine, ex disciplinis, seu vulgaribus, siue abditioribus, vnus multorum instar tradiderat. Iamque post res constitutas in conscientiæ quæstionibus, & explicatione Theologiæ plurimum versabatur. Domi idem Tyronibus præerat, & templo, summæ vir humilitatis, & pietatis, semperque in se se collectus. Pridie Kalendas sextiles Ardulfus in Abbatia Monostor, quo pars Collegij pestis causa secesserat, eodem die Claudiopoli Capecius extinctus est. Fanfonius duodeuigesimo post die emigrauit. Huius in ore, ac moribus angelica semper quædam suauitas, & amabilitas eminebat: præfectus erat Sodalitati Beatæ Virginis, item Gymnasio, item domui pauperum, & domestico Valetudinario, quam vnam quæstuosissimam habuit præfecturam; cum admirabili constantia hac suprema calamitate adesset idem ægris, idem mortuos sepeliret. Professor primo rhetoricæ, & dialecticæ fuerat; iam erat philosophiæ. idem semper, nunquam perturbatus, nunquam non sereno, ac modestissimo vultu. Damnum quoque factum est in Vrbano Schippero Laico, qui adolescens viginti, & alterius anni, natione Pruthenus, quicquid opere manuum, siue in ligno, siue in ære, siue in ferro, & alijs metallis fabrefaciendum esset, quouis artificij genere, torno, malleo, scalpello, dolabra, mirus erat: adhæc siue auro siue coloribus pictor egregius, quas proprie profitebatur artes. Apparuit quædam Dei notabilis cura in Laurentio Rzellonienſi rerum domesticarum adiutore. Is iam inde priusquam nomen Societati daret, optabat ingentem aliquam exercendæ patientiæ materiam, per quam anteactæ vitæ commissa, vt aiebat, eluerat. Ecce autem dum alios pestifera vis paucis diebus extinguit, ipsum Augusto correptum, non ante diem XI. Kalendarum Februarij anni insequentis absumpsit. Quo tempore inter dolores acerbissimos inuicta perseuerauit constantia: cum exulcerato multifariam corpore, tabo fluente, putri cadaueri ad perfectam vsque expurgationem hærere spiritus videretur. Tanta strages edita mensis fere vnius spatio, perlataque in Poloniam, non Prouincialem modo, sed etiam Stephanum Regem graui dolore affecit: qui sæpius illacrymatus dicitur, nominatim Capecio, quem in Lelesij assidue decumbentis locum Institutorem Sigismundo Principi destinabat. Adiecta tamen ad remedium cura exiguas illas Transyluaniæ reliquias amantissimis literis consolatus,

35 Viginti septem è nostris peste extincti.

36 Peculiaris memoria tum ex ipsis.

37 Vrbani Schipperi industria mira.

38 Egregia eiusdem patientia.

39 Regis Stephani lacrymæ in casu nostrorum, præsertim Capecij.

latus, ad Claudium Generalem diligenter scripsit, supplementum postulans, ante omnia Rectorem Capecio simílem. Haud minori, seu dolore, seu cura succurrendi nuncium cladis accepit Generalis, qui cum ea tempestate Neapoli, quo ad confirmandas vires excurrerat, versaretur, solatio habuit Sociorum Neapolitanorum ardorem, dum se se cateruatim ad succurrendum per omnia discrimina obtulere. Et sane iudicia Dei abyssus multa. Maximi progressûs erant posita fundamenta. Florebat Claudiopoli Societatis Collegium domesticâ disciplinâ, florebat Gymnasium, & Seminarium Pontificium, & regium, & contubernium adolescentium pauperum. Surgebat prospere Collegium Albæ Iuliæ, quod tum maxime perficere, & luculentis munire vectigalibus Stephanus Rex moliebatur: Non minor Varadini spes. Multi ex præcipua nobilitate adolescentes mox Catholicæ fidei firma futuri columina, vna cum Principe Sigismundo educabantur religiosè, ac pie: cum adeo secundum rerum cursum tot egregiorum operariorum occasus repente debilitauit. Ecce autem dum Rigæ tumultus supra descripti feruent, dum Transyluania adiutoribus salutis orbata periclitatur, accedit vulnus ad vulnera, & is, in quo secundum Deum repositum leuamentum, atque remedium erat, non Sarmatia modo, & Pannonia, sed toto Christiano orbe ingemiscente, Stephanus Rex decessit Grodnæ anno ætatis quinto, & quinquagesimo recens inito. Piè ac religiosè decessit diuinam subinde implorans misericordiam; & propagandi augendique diuini cultus, quem toto principatu diligentissimè procurauerat, mandata supremis verbis inculcans; quæ res magnum de eius salute sperandi adstantibus argumentum reliquerunt: vtcumque supremæ confessionis optimo Regi copia defuit; cum mentionem eius illatam principio morbi nondum pro periculoso agniti, adulatio aulicorum, vt intempestiuam reiecisset: Febris vero inde adeo repente inualuisset, vt quinto die mortem repræsentaret inopinatissimam curantibus. Duo reliquit testamenta, alterum iam pridem conditum, alterum ipsius manu hoc supremo tempore inchoatum, quod deficientibus, vt vero simile est viribus, non perfecit. In eo post alia multa orationem ad Sigismundum reuocans, verba hæc addidit. Ad te redeo carissime Nepos Princeps Transyluaniæ Sigismunde Battori, Tibi inprimis Collegium Claudiopolitanum, & Albense Lego, & committo: quæ Collegia Pater tuus, & ego fundauimus propijs ex facultatibus nostris sine cuiusquam iniuria. Quæ ita tuearis, & defendas, quatenus animæ tuæ, patriæque cui præes salus tibi cara est. Non deerunt puto Ariani, atque inprimis Colosnarienſes, qui ea euersa velint. Fauebunt ijs Senatores tui omnes, aut Caluinistæ, aut Lutherani, nec deerunt opportunitati iuuenes, aut Aulici pariter hæretici, qui tibi adulantes, procaciter in eos inuehentur, animum tuum in transuersum rapient. Sed si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia, & feruore, zeloque pietatis magis, magisque pijs hominibus contestata. O, vtinam potuissem, vel in hoc solum meæ in te pietati satisfacere, vt si non omnes, saltem paucos tibi intimos consiliarios, & cubicularios Catholicos, & pios dare potuissem; tibi ornamento, mihi securitati fuissent. Sed ea ibi est temporis, & morum peruersitas, vt omnes declinauerint, varijsque hæresibus imbuti Atheismum plerique spirent. Quò difficilior igitur tibi restat concertatio, eò maius tibi præmium, & laus sempiterna. Triduo ante Stephanum Regina Anna decesserat: & ipsa vbicumque vsus ferret, de publica pietate nostroque Ordine optime merita, nuperrimeque de Tyrocinio Cracouiensi. Cœpit per autumnum, & Posnaniam vexare lues, Collegiumque Sacerdote vno, Laicis duobus creptis, dissipauit. Obijt, & Iaroslauiæ XIV. Kalendas Augusti Ioannes Hartus è Confessoribus Anglicanis paulo ante in eas terras aduectus: vitam vt pium Christi Confessorem decebat concluſit. Sub tempus extremum aber-

40 Stephanus Rex Poloniæ moritur.

41 Collegia Transyluaniæ Sigismundo Principi Fratris filio testamento commendat.

42 Anna Regina extinguitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

43 Ioannis Harti pia mors, & vtile delirium.

aberrans mente, ingressus de Diaboli fallacijs, tentationibusque sermonem, vnum ex astantibus fratrem, quem tum maxime ad defectionem fraudulentissima bellua instigabat, ita permouit, vt agnita fraude, suoque periculo, recta ad Præsidis pedes, ac sanctam confessionem confugerit, Deo sic honorante sui confessoris extrema, vt ex morbo delirans, ex vitio insanientem curaret.

Prouinciam Austriæ pariter cum ineunte anno regendam suscepit Georgius Baderus, Germania superiore, vnde translatus est, Ferdinando Albero tradita. Austriaco Prouincialatu defunctus Henricus Blissenius, Grecensi Collegio Rector impositus. Vniuersalis Græcij Academiæ, quam

44 Academia Græcensis Societati tradita.

Pontifex confirmarat, mox etiam approbauit Cæsar Rodulphus, ritu solenni Antistite Seccouiensi de Sancto Spiritu sacrum faciente, Baderus Prouincialis possessionem iniuit. Absoluta cæremonia Carolus Princeps cum coniuge liberisque, ac præcipua nobilitate in Collegio conuiuium, quod ipsemet appararat, cohonestauit. Separatim Archidux cum suis, Præsulesque sacri, ac Prouinciales Dynastæ, separatim Religiosi accubuere: conciunculæque interim diuersis duodeuiginti linguis adhibitæ. Triduo proximo theologicis, philosophicisque concertationibus prolusum. Hæc in-

45 Mors Henrici Blissenij.

ter festa exordia Collegij Rector Blissenius æuo, & laboribus fractus ad perennes emigrauit Beatorum celebritates, post alterum, & trigesimum pue multiplicem sapientiam, & in Gymnasio, & in sacro suggestu, & in publica, seu Rector, seu Prouincialis administratione præclare exercuit, ac probauit. Tantam animi æquitatem in ægritudine facilitatemque conlo esset. Dum Græcij, Viennæ, Pragæ, Collegijsque cæteris (de quibus nisi quid noui moneat, mentionem renouare opus non est) pristinavi, nouo successu aduersus morum, & opinionum monstra tenditur, ea

46 Philippi Segæ Apostolici Nuncij iudicium de Collegijs Societatis.

species Philippum Segam Apostolicum Nuncium ita commouit, nihil vt prius curandum censeret, quam vt talia per Germaniam propugnacula passim disponerentur. Hanc vnam in præsentia offerri maxime expeditam, & efficacem remedij viam. Quippe cum, & recta vita, & casta Doctrina esset necessaria, vtramque Dei gratia laudem in Societate constare, vt nihil magis terreret Hæresiarchas, seu confirmaret Catholicos, seu populos per simplicitatem captos explicaret. Ad hæc momenti plurimum in educanda edocendaque iuuentute esse: plurimum in Seminarijs Pontificijs, plurimum in pauperum contubernijs procurandis. Quare videri diuinitus ad conseruandam religionem, & expugnandam impietatem genitam prouectamque, & roboratam hanc aciem. Itaque grauissimis cum Generali Claudio literis egit, vt Socios minimum quinquaginta, partim ex Hispania mitteret. Cumque Claudius respondisset ferme vbique operæ plus esse quam operarum, ac si qua aliquando copia afforet, eam non cum Germania solum, sed & cum Indijs ad Orientem, & Occidentem positis, cumque nationibus alijs dispertiendam; instituit contendere nihilo posthabendam, quin præferendam potius Germaniam Indijs, quo grauius hic ex contemptu, & cum notitia violaretur diuina Maiestas, & præcipua religionis membra, quo propiora, eo grauius quasi ex contactu periclitarentur. Tum vero sublatis hisce scandalis, procliuiorem etiam gentium conuersionem fore, & propitiatum per harum regionum sinceros cultus Numen, benignius propagando inter Barbaros Euangelio affuturum. Hæc ad Generalem nec dissimilia ad Pontificem scripsit. Tria nominatim proponebat Collegia. Vnum Vratislauiæ, seu Nissæ in Silesia: alterum in Morauia (quod Abbas quidam flagitabat) in Vngaria tertium. Morauiense non visum est recipiendum, quod nec sedes idonea offerretur, & alioqui in tantis Sociorum angustijs satis Brunense putaretur. Vratislauiense, vbi Episcopus, & Canonici expedirent necessaria,

pro-

promissum: Vngaricum plane receptum. Autor huius ante omnes Georgius Drascouitius fuit nuper à Pontifice Sixto in Sacrum Senatum adlectus. Is cum nobilis Præpositura, quæ à Comitatu in quo est, Turocensis vocatur, forte vacaret, hoc à Cæsare beneficij pro sui Cardinalatus primo honore petijt, vt eam ad Societatis Collegium instituendum conferret. Cæsaris iussu in Concilio Vngarico res tractatur, magnaque voluntate, & gratijs impense actis Imperatori, qui id retulisset, comprobatur. Inde datum Ernesto negotium rei conficiendæ, ac denique possessio adita Iunium sub extremum. Oppida eius præcipua sunt Sellia, & Varallia. Sellia bidui iter Vienna distat: tres habet pagos subiectos, quorum potestatem Ioanni Nicolao Donio Viennensi Rectori die natali Sancti Ioannis Baptistæ Martinus Pethe Episcopus Vacensis, & Ladislaus Cubinius Vngariæ Camerarius, Cæsaris iussu, & potestate tradiderunt, popularibus lætissimis, ac nonnullis præ lætitia flentibus. Inde duorum dierum ac dimidij via itum Varalliam: Oppidique eius, & pagorum, & Arcis, cui nomen Znio in editissimo monte sitæ, ac cæterarum rerum ad Præposituram spectantium ius rite translatum. Sellienses parocho iam sesquianno carebant. Varalliani habebant, sed cum concubina, proleque alendum. Itaque inprimis curatum, vt idonea animarum auxilia populis in fidem acceptis nequaquam deessent. Paulo post idem Viennensis Rector possessionem inijt Monasterij Sancti Bernardi, quod Viennensi Collegio Imperator Rodulfus loco pensionis, quam olim Ferdinandus eius Auus annuam decreuerat ex teloneo Lincensi, attribuit. Distat hoc Cœnobium Vienna milliaribus Germanicis decem, quatuor à Danubio Morouiam versus, situm in peramplo pago Poucrit. Sanctimonialium fuerat: sed iam dudum ab ijs vacuum misere deformatum iacebat. Procul à Collegijs per consuetas expeditiones optime gesta res. Georgius Schererus post Hausechium, & cæteram Schourchincheni ditionem sub Lincium fidei restitutam Cremsium (ciuitas est Austriæ opibus, & viris apprime nobilis) Episcopi Passauiensis, & Archiducis Ernesti postulatu profectus, pari industria, pari exitu diuinam culturam fecit. Principio rarus ad cælestem sementem populus, ac fastidiosus accurrere, mox vbi experimento, quid à recentium zizaniorum veterno, priscarum incorruptarum frugum distaret salubritas apparere cœpit, adeo certatim accursum, vt terna fere millia in concione ordinaria starent: nec auidius conueniebatur ad cognoscenda mandata, quam discedebatur ad exequenda. Igitur præter cætera, reuocata consuetudo quotidie statis horis ad publicum signum salutandæ Deiparæ: renouati mores, sui diuinis mysterijs restituti ritus: matrimonia ad Concilium Tridentinum exacta. Iuuere opus Ernesti literæ apto temperamento monentis, & imperantis. Auxit venerationem sacro præconi tum constans laborum perpessio, tum explorata & alijs in rebus virtus, & in pecuniæ contemptu, cum ingentem eius vim dono à Ciuitate missam, constantissime repudiasset.

47 Præpositura Turocensis fundando Vngarico Collegio data.

Et eius fructus.

In superiore Germania acceptum est Regenspurgi Collegium, eadem Ratisbona est, Augusta olim Tiberia, vrbs perantiqua, & nobilis: ad Danubium sita. In ditione est Imperatoris; Pietatis quondam cultrix inprimis, ac propugnaculum, iam in Lutheri tyrannidem magnam partem abducta erat. Cui Philippus Guilielmi Ducis Bauari filius cum designatus esset Episcopus: resque interim pro filio adolescente Pater administrandas curaret, de prisco ei decore restituendo solicitus, Collegio adornandam putauit. Opportunum domicilium quærenti, Cœnobium pene inane Virginum Sancti Pauli se se obtulit: quod dum rite tradendum curatur, interim ad prima quasi Collegij rudimenta aliquot hac æstate Socij missi, Vendelino Volchio præside, assignatam à Duce domum incoluere. Præcesserat Michaël Cardanæus, qui sacris in primario templo concionibus mul-

48 Monasterium S. Bernardi ab Imperatore Viennensi Collegio datum.

49 Missio Cremsensis.

50 Collegij Ratisbonensis initium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum profecit, quoad Hæreticis scilicet sibi pauentibus, & ipsis Canonicis suspicionem ingressis, Ducem, ac Iesuitas in ipsam illorum ædem oculos adiecisse, aliquid oppositum est moræ. Cæterum breui tum Guilielmi virtute, atque sapientia, tum suspicionibus per se se euanescentibus, res factæ quietiores. Cardanæi opera pridem destinauerat vti Dux Bauarus ad Augustum Saxoniæ Ducem, qui nonnullam bonæ mentis spem fecerat, prorsus ab hæresi deducendum, sed multa obstitere magnificis cœptis, grauissimeque, vulgata res per literas, quas de nouis rebus vndecumque erutis mercenarij nugatores sæpe nulla fide, raro cum vlla prudentia, ipsa ex Vrbe Roma spargunt. Ea fama fecit, vt nec Catholicis, nec Duci Saxoni cœpta vrgere tutum esset. Tanti interest consilia dum matureſcant fideli coqui silentio. At interim Augustum, quo propius ab luce diuina abfuerat, hoc miserius tartarea in nocte sempiternæ comprehenderunt tenebræ.

51 Spes conuersionis Ducis Saxoniæ imprudentia rumigeratorum euanescit.

Rhenanam Prouinciam hoc etiam anno Prouinciali nullo, Visitator Manæus administrauit. In Collegijs non solum aduersus vitia, erroresque de more certatum, sed etiam in leuanda inopia, quæ late manans plerosque tenuiorum miserandum in modum conficiebat. Multæ obitæ peregrinationes saluberrimæ. Gerardus Vvellen per Herbipolitanam Diœcesim Catholicæ pietatis lucem circumtulit. Ibat Apostolico ritu pedes, sine sacculo, & pera: nulla re munitus, nulla nisi caritate onustus, nullius rei, nisi animarum, & patientiæ cupidus. Itaque quod per se se, suosque nobiles Iulio Antistiti sæpe experto, cum ad cohortationes imperium admoueret, haud magnopere succesſerat, id inops, ac despicabilis Mundo Dei seruus pro veteri sapientiæ Diuinæ instituto peregit, oppida permulta, pagos plurimos, eosque Hasso proximos, in ditionem veritatis recepit. Submittebantur illi Sociorum auxilia ne laborum moli succumberet. Tendebantur frequentes insidiæ ab hostibus fidei, sed tegente numine semper interritus perseuerauit, ac tutus. Petrus Michaël Cliuiæ, Dusseldorpij, alibi, apud Guilielmum, & Ioannem, Iuliæ Nouæ Duces maiorum in spem magna faciebat: plurimumque momenti habuit ad pacem cum Hispano seruandam. Gaspar Hortausanus interiora Saxoniæ dissimulato vestitu auebat tentare: idemque etiam Nicolaus Hirtius de Fal: alijque Erfordiæ non præcipiti, sed firmo procedebant gradu, alijs alio peruadentibus. Fuldæ, circaque cum Catechesis agrestium ad id locorum lenti esset, permolestique negotij, cœpta tradi cum cantu, facillime in tardas hominum mentes influxit. Quæ, & alia religionis incrementa Hæretici duriora morte existimantes, in Vormatiensi quodam suo cum Casimiro conuentu acriter contra Iesuitas decreuere. Et Erfordiæ (sic enim certo constitit) vt simul Antistiti Moguntino, quem per impudens mendacium immiscuere, dolorem, & infamiam inurerent, simul Societatis conatus deturpata fama eliderent, fabula Polonica, de qua supra narraui, conficta, atque edita est. Sed nihil Deo, nihil veritate potentius. Spiræ Adrianus Luffius decessit magno bonorum desiderio, quod in exequiarum honore Decanus, plerique è Clero, docti viri, ac iuris consulti ferme omnes vltro habendo testati sunt. Tertio ante mense imminentem sibi exitum præcognouit. Quo tempore, & ad præparandum se in irreuocabilem illam aleam totus incubuit: & plane profitebatur omni se fore dignum supplicio, nisi quando præmonitus esset, operam daret, vt quam sanctissime moreretur. Stipendia sex, & viginti sub nominis IESV signis meruerat, populis iuxta, & commilitonibus laudatus, ac salutaris.

52 Vtiles labores Gerardi Vvellen per Diœcesim Herbipolensem.

53 Variæ alibi missiones.

54 P. Adrianus Luffius præuisam mortem piè obit

Vix vero simile est quantum vbique per id tempus in Belgio amarentur, proficerentque, ac simul expeterentur Societatis labores. Gandauensis Ciuitas metuens ne manipulus velut in stationem missus, inde reuocaretur, binis de Consilij publici sententia à Generali Claudio literis institit, ne tali se præsidio orbaret, spondens omni ope in Collegij permanentis constitu-

stitutionem adnisuram. Montibus Hannoniæ Franciscus Godinius, vir & nobilitate, & religione primarius, cui duo erant in Societate liberi Ægydius, & Ludouicus Sacerdotes: & aliquid annui vectigalis attribuit, & emit idoneas cum horto ædes, vt primo quoque tempore optato Ciuitas auxilio frueretur. Nec visum est Prouinciali cunctandum. Nam cum attributus iam esset instituendo Collegio Sancti Antonij Prioratus, eiusque administrationem dum magno, quo premebatur alieno ære expedirent, procuratores regij suscepissent, nisi frugalius ab nostris ipsis procuraretur, res erat in longum itura. Itaque sex missi Sodales Ludouico Godinio præfecto: qui inter alia statim Sodalitatem condidere Catechismum docentium, in quam multi nobilium, quidam Canonicorum, & ipsemet Cameracensis Archiepiscopus nomen dedere. Totidem iam Valencenis præfecto Bernardo Oliuerio degebant eo successu rerum, vt ipsamet se se Ciuitas miraretur. Bruxellensis quoque Senatus re ad consilium publicum relata ex communi consensu nonnullos à Prouinciali petiuit: nec dum tamen ibi statio posita, sed aliquot per excursus egregium specimen datum. Sub autumnum cum iuisset Thomas Saillius reuersus ex Polonia, vbi multos annos Posseuini Socius discurrerat, Princeps Parmensis ita delectatus est hominis sincera, sanctaque modestia, vt confessario vti cœperit. Sed plane digna memoratu Cortracensium fuere studia. Hi cum aliquot ante annis paucos impetrassent Patres, omni cura ad impetrandum Collegium versi, quamquam haud semel repulsam tulissent, nunquam tamen destitere in spem contra spem tendere. Comparant in annuos alimentorum sumptus pecuniæ summam quantam per difficultatem temporum in præsens licuit, continuo aucturi, Ædem sacram attribuunt satis instructam, & domicilium quoque emunt opportunum, & ornant. Adhæc nouum à fundamentis Gymnasium moliuntur. Quæ cum audiens Generalis Claudius assidue Prouincialem admoneret, ne in Collegij spem facere impensam sineret, & Socios Cortraco protinus reuocaret, caueretque tum eo loco, tum alibi, ne temporariæ missiones per diuturnam moram sensim sine sensu quandam perpetui domicilij necessitatem imponerent: esse in propinquo Collegia, vnde Cortracensium rationibus consuli, & satis benignitati fieri posset: non vbicumque aliquid aperiretur spei, aptas esse Collegio Sedes: Consulendum communi Societatis: standum decretis: præcauendum posteritati: pusillas Colonias nec populis pro spe vtiles, & ordini ob disciplinæ laxamentum periculosas, & graues. Hæc, inquam, cum Claudius inculcaret, subodorati Cortracenses, eò impensius, & ad præparandas affatim res, & ad conquirendos deprecatores insistunt. Adeunt Bruxellas: regij Senatus opem implorant, Francisci Bonhomij Apostolici Nuncij autoritatem interponunt, ipsimet humanissimis literis suam causam studiosissime agunt. Iam paucorum ad se Patrum industria tantum emolumenti spiritualis suæ allatum Ciuitati, vt non solum ipsi incolæ Cortracenses, sed & aduenæ pietatem, commutationemque Ciuium mirarentur. Inde se existimasse omni ope contendendum, vt primo quoque tempore poneretur Collegium, sperantes bona iuuentutis institutione futurum, vt tota ea ditio nouam faciem indueret, & in pietate refloresceret. Cortracensem Ciuitatem esse illam quidem modicam, sed amplæ iurisdictionis, vt cui subsint oppida quatuor, pagi duo, & septuaginta, ijque frequentes. Bellis afflictatam, magnoque ære alieno contracto non tam facile recreari posse publicam rem, tamen pro voluntate, ac studio, quo in homines Societatis afficerentur, quorum fide, ac diligentia ad id temporis tantum fructum experti essent, in hisce suis angustijs emisse Societati ædes opportunas cum amplo horto, aliasque paulatim adiecturos: præterea alias comparasse, & inibi scholas ædificandi suo Architecto negotium tradidisse. Esse in proximo Sancti Spiritus templum satis amplum, sed & ipsum Deo iuuante amplificandum. Esse in prom-

55 Mentensis Collegij initium.

56 Et Valencenensis.

57 Cortracenses Collegiũ impetrant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptu partim ex publica, partim ex collatitia pecunia annuum mediocre vectigal, quod statim ad summam iusto Collegio parem perducturi essent. Inde ad suadendum, ac precandum versi, eo vsque pertendêre, quoad tandem pia pertinacia piam duritiem vicit. Promissum Collegium est: quantumque in eo impetrando certatum erat, tanto impetrati nuncius celebratus est gaudio. Iam Antuerpiæ superiore anno restituta Colonia tanquam ex vegetiore regerminans stirpe, lætius frugem, vberiusque fundebat. Duplex ante omnia florebat Sodalitas in Matris Virginis clientela, robustæ altera, altera adolescentis ætatis: ad septuagenos vtraque numerabat. Ex prima nobilitate adolescentuli per vrbem spargebantur, adibant aream primarij templi celebrem inambulantium turba, & aliud agentibus mortalibus, sancta monita ingerebant. Ex eo cœtu vnus in caterua se petulanter ludentium, iocantium, execrantium puerorum cum iniecisset, hortarique fidenter cepisset, vt ad templum venirent, peccata confessione piarent, hæreses detestarentur; proterua manus odiosum in monitorem impetum faciunt, ac male mulctato nares cruentant. At ille factus patientiæ experimento constantior, concionabundus vertice nudo, cruentoque ore perseuerauit: vnde factum, vt ad spectaculum multi concurrerent, interuenientes consisterent, omnibus demum magnis, atque paruis constantia ardorque dicentis permisceret pectora, & vim lacrymarum excuteret. Interim robustior ætas opera quoque (vt æquum est) solidiora versare. Diebus quibusque dominicis inter se se consultabant de vijs restituendæ religionis. Singulis dabatur negotium, vt saltem singulos hæreticos secum adducerent ex amicis, siue cognatis. Apud hos vnus Patrum ferme Prouincialis Costerus, quæ habebant dubia pertractabat: inde multi praua opinionum exuere. Ad hæc Sodales curæ habebant, vt cum dignitate diuinissimum Sacramentum ad ægros deferretur: ijdem supremo supplicio multandos deducebant, intenti ne quis hæreticorum ad eos peruertendos, quod ante solenne erat, accederet. Porrò ad venerationem magnæ Parentis augendam, supplicarunt Prætori, atque Senatui, vt loco profani Colossi, qui ante domum Prætoriam stabat, Virginis poneretur effigies molis eiusdem. Quod cum impetratum eo esset propensius, quod olim sub Deiparæ tutela prope orta, & aucta Antuerpia erat, eiusque rei monumentum diu statua eius marmorea in veteri Prætorio steterat, Sodales sua pecunia faciendum, ornandumque signum pedum quatuordecim altitudine curarunt. Habita præterea quadragenarum horarum supplicatio eo concursu populi, ea perseuerantia in precibus, vt nihil multo tempore habuerit Antuerpia ad pietatem inflammandam efficacius. Cæterum ex Sodalitatibus Virginis haud absimiles extabant alibi priuatæ publicæque vtilitates, Costero ad eas alendas, vel conserendas vbique intento. Tres erant eiusmodi cætus Duaci, nam ad duos adolescentium, & grandium natu secularium, tertius accesserat è Religiosis duntaxat conflatus viris. Omnes autem, ac præsertim adolescentes ad perfectam virtutem agebat diuinus ardor, maguumque cepit fructum suæ in Mariam pietatis Costerus, cum ab Insulis Duacum petens ingentem Sodalium manum obuiam habuit postulantium in Societatem admitti. Ex his cum Logicæ, Rhetoricæque studiosi haud ægre paterentur se in maturiorem literarum profectum differri, tres & triginta, qui stadium philosophicum, vel emensi erant, vel iam emensuri, potissimum instituere, vt primo quoque tempore domum reciperentur. Quatuor igitur, & viginti habito delectu recepti. Tam multam filio suo IESV fœcunda Mater gratiæ sobolem pariebat: tantam Deus operarum summittebat copiam, cum tantum operi faciendo aperiret campum. Et Costerus sperans eum, qui hosce vocaret, etiam aliturum, quanquam inopia rerum omnium summa Belgium omne, & Societatis inprimis familiæ premerentur, audacter admisit. Sic quadam ex parte compensata est iactura hoc anno facta

58 Cellegium Antuerpien se restitutum.

59 Sodalitatum Antuerpiæ fructus.

60 Tria Sodalitia Duaci instituta.

facta in Thomâ Stapletono, notæ orbi vniuerso Doctrinæ, ac virtutis viro. Is cum anno superiore, quinquagenario maior, & studiorum laboribus fractus tyrocinium Societatis inijsset, quamuis viuido mentis ardore nitens, ac satagens, fatiscente tamen corpusculo succumbere oneri, vt ipse loquitur in Carmine de vitâ suâ, maiori viribus, est coactus, ac paulo ante finem biennij, domum vnde venerat repetere. Retinuit deinceps in seculo tanquam aduersus Parentem, caritatem, & obseruantiam erga Societatem, & promulgando Dei verbo insistens, profitebatur ad hunc laborem, ad quem nullo ante precio pellici potuisset, se se zelo animarum compulsum, quem inter Societatis tyrocinium hausisset. Instituta duplex etiam Sodalitas Louanij magna cum frequentia, & vtilitate scholasticorum ex Academia publica conuenientium. Huic Collegio Monasterium Sancti Sulpitij Vallis, vt vocant, scholarium, consentientibus regijs Bonhomius Apostolicus Nuncius addixit. Nam & per se ipse vbique intentus erat firmandis Collegiorum rebus, ac promouendis, & id in mandatis à Pontifice Sixto acceperat. Libenter autem hos in vsus, vel vacua, vel collabentia Cœnobia transferebat Sixtus: tum quod hæc maxime prompta erat celeris auxilij via, quali tempora indigebant, tum ne profanorum in potestatem sacræ facultates venirent. Luxemburgo Socij reuocati, quod Mansfeldius Comes magnam nobilibus pensionem imperarat ad coëmendam (vt edixit) ingentem domum Iesuitis. Quæ res fuit inuidiæ plena: nam vel ex inuitis extorquebatur indicta summa: & pecuniæ multo plus, quam foret opus conficiebatur, & per vim velle videbamur irrumpere, cum ea exactio non Prætoris voluntati, sed intolerandæ nostræ cupiditati tribueretur. Quanquam non defuere, qui Mansfeldio Collegium minime probari, & eam viam negotij euertendi excogitatam ab eo suspicarentur. Igitur simul rem Claudius Generalis cognouit, grauiter conquestus per tantam inuidiam sedem Luxemburgi Societati nullo modo se offerrenti, quæri, quotquot ibi degebant, illicò reuocauit.

61 Thomas Stapletonius è Societatis Tyrocinio egressus.

62 Collegium Louaniense auctum.

63 Luxemburgo Socij eo reuocati.

Fluctuabant per id tempus vehementer in Gallia humanæ diuinæque publicæ res, cæcisque inuolutæ tenebris nullum relinquebant certis consilijs locum, cum & Rex vna ex parte, ex altera fœderati Dynastæ Catholicam religionem tutari se profiterentur. Itaque ambigua omnia suspecta tumida erant. Et Satan in omnem intentus perniciem quo religionem magis nudaret præsidijs, cohortem pusillam hanc nostram, quam cum sæuissimè, lacessebat. Succensebat Henricus Rex nominatim Claudio Matthæo, qui meliore, vt supra dictum est, studio, quam consilio, contraque Societatis leges fœderatorum se causæ immiscuerat. Henricum præterea Samerium nec falso nominabat, qui eorundem particeps consiliorum, ignaro plane, & simul audijt, grauissime dolente, ac prohibente Claudio Generali, ad nonnullos Principes discursarat. His adijciebat Edmundum Hayum; cumque alium præterea neminem appellaret, in totam fere familiam paucissimorum facta conijciebat, totamque habere suspectam videbatur. Itaque cum Philippum Lenoncurtium Parisiensem Antistitem (quem Sixtus haud post multo Cardinalem creauit) in vrbem legaret, addidit mandata, quæ de Societate cum Claudio, Sixtoque transigeret. In primis erat ne politicas res, Iesuitarum quispiam attrectaret in Galliæ Regno. Collegijs Tyrocinijsque nemo nisi natione Gallus præesset: ne differretur exacto tyrocinio solennis professio: ad hæc haberet Societas in Gallia suum Patronum, ac protectorem: quibus ad Pontificem addidit, vt modus poneretur in eo Regno Societatis priuilegijs. Cum his & id genus alijs mandatis cum Romæ Claudium conueniisset Episcopus, respondit Claudius omnia se se cum Assistentibus consultaturum, facturumque vti Rex intelligeret Maiestatis eius, & voluntatis rationem summam haberi. Cæterum in ijs capitibus nonnulla esse, quæ ad Regem nullo prorsus modo pertinerent vnde

64 Galliæ status miserabilis.

65 Rex Henricus queritur de ctibus è nostris.

66 Quę Parisiensis Episcopus nomine Regis tractarit cum Pontifice, & P. Generali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnde intelligitur non vltro succurrisse illi, verum ab alio quopiam
67 euram talium rerum, & cogitationem iniectam. Digressus Antistes, nec
Quid ad ea Generalis respondent. obscure præuidens nequaquam, vti optabat, exorabilem Claudium fore
eorumdem, & aliorum postulatorum cum libellum Pontifici tradidisset, Car-
dinalis quoque Estensis autoritatem interposuit. Accitum ergo Claudium
Cardinalis ad aliquot horas ipso coram Episcopo tenuit, omnibus modis
instans, vt quæ petebantur in Regis gratiam daret. Ille confirmare: Re-
gis Christianissimi Maiestatem sibi pro eo, ac deberet sanctissimam esse;
quæque ad Regni statum mandata spectarent volentem, libentemque execu-
turum. Cæterum quæ crediti sibi gregis pestem inueherent, in ea vt
consentiat nullo modo salua conscientia adduci posse. Nec Regis nomen
interponendum ijs, quæ obsequium eius regnique tranquillitatem nulla
ex parte contingerent. Societatem, quamdiu incorrupta suis legibus staret,
Regno vtilem esse posse: si quando disciplina eius (quod Deus auerteret
& vtique si talia introducerentur breui futurum esset) dissolueretur, one-
ri potius damnoque, quam emolumento futuram. Vbi Cardinalis. Quo-
niam igitur, Pater Generalis, expedire non censes, vt hæc tute concedas,
æquo animo feras, si demus operam, vti summus Pontifex mandet.
Nequaquam iste meus sensus est, inquit Claudius, quin aperte profiteor
si hoc agi sensero, me prout officij ratio postulat, omni ope, vel vita
& sanguine prohibiturum. Ita nullo rei imposito exitu, solutus congres-
sus est. Vt primum opportunitas adfuit, adit Pontificem Claudius, im-
pense rogat pro paterna sua Religionum omnium cura, vt nihil Societati
contra instituta eius patiatur iniungi. Nam inter cætera, quid Regis in-
teresse, Societas in Aula regia Protectorem habeat nec ne? solere hosce pro
beneficio concedi petentibus, non autem inuitis obtrudi. Quod pertineret ad
negotia ciuilia, habuisse olim Societatem Patroni nomine Cardinalem Lotha-
ringium, nunc habere Borbonium. Ad interiores ordinis ipsius causas constitui
Ptotectores, non apud Reges, sed apud Pontificem. Quid eo agat Societas
in Aula Galliæ, quæ ne Romæ quidem, nisi ipsum Pontificem habeat Protecto-
rem? Quæri vias eo nomine laxandæ obedientiæ, euertendæ simplicitatis, ma-
las æmulationes, & artes inducendi. Quid deinde rerum nouarum cupidos,
parumque obedientes in alijs molituros Regnis, vbi hoc dissidium fiat in Gallia,
& nouum quodammodo constituatur caput? Hæc, & alia de cæteris ex genere
eodem postulatis accepit Sixtus secundis auribus, rerum intelligere se grauita-
tem significans. Idem tamen Sacrorum Quæsitorum Consilio expendenda dede-
rat Societatis Priuilegia, de quibus, vt dixi, in Gallia minuendis agebatur.
Quare adiecit Claudius, vt ea quoque Sanctissimus Pater, quæ ab Apostolica
sede accepta essent beneficia, conseruare illibata vellet. Cui Sixtus, non esse
animi sui respondit quicquam detrahere, verum ne cuncta de sua videretur
sententia agere, voluisse hoc caput à Congregatione cognosci. Cum hoc
Pontificiæ voluntatis pignore bonæ spei plenus domum Generalis reuertit.
68 At Sacri Quæsitores causâ Priuilegiorum accuratissimè consideratâ, momentis-
Priuilegia Societatis à sacris Quæsitoribus expensa, integra seruantur. que hinc & inde rationum seuero multorum dierum examine libratis, tan-
dem in hanc sententiam conuenerunt: Priuilegia Patribus Societatis in vineâ
Domini operantibus à Summis Pontificibus rectè concessa, & prudenter vti-
literque ab ipsis exercita, nec reuocanda nec minuenda, nec vlla præfinitione lo-
ci, ac temporis videri, nunc quidem, limitanda. Hisce in rebus in quibus disci-
plina Societatis, iusque agebatur enixe obluctans Claudius, quod pertineret ad
regni negotia, postulari ab Rege æquissima dixit, ipsisque Societatis legibus in-
69 terdicta ea esse, & præcipue super hæc mandatum ab se ipso additum, & rursus
Interdicitur nostris in Gallia ne se Fœderatorũ Consilijs admisceant. omni ope prohibiturum: quin etiam Visitatorem missurum, qui præsens cuncta
spectaret, & vbi foret opus corrigeret. Hæc prolixe pollicitus cum cura tran-
segit. Scripsit in Galliam sæpe, & grauiter, non procurationem modo in-
terdicens, sed & mentionem talium rerum, & in priuatis congressibus, &

in

in concionibus ad populum; qui secus facerent iubens ita plecti, vt exem-
plo cæteris forent. Sed vt erant suspicionibus plena omnia, vix hiscere
pro suggestu licebat. Si forte: agendum constanter, & resistendum hæresi,
& coërcendos improborum conatus, vel quidpiam tale significares, tametsi
Rex quoque contra hæreticos gerebat arma, tamen canere dicebaris pro
Fœderatis classicum, seditionem aduersus Regem concire. Quamobrem
nominatim etiam monuit Generalis Concionatores, vt reprehendendis vitijs,
commendandæque virtuti insisterent, hæreses, hæreticosque cum locus postula-
ret, non vltra attingerent, quam vt verbo refellerent. Tum versus ad
Claudium Matthæum, & Henricum Sammerium ad propria instituti redu-
cendos, haud modicum certamen habuit. Roma amandari Matthæum
Pontifex primò vetuerat. Institit subinde Cardinalis Senonensis, vt in Lo-
tharingiam remitteretur: cumque Aquauiua pernegaret posse eam rem à se
vllo modo permitti, Cardinalis, vt ardens erat, & partem illam fœderis
arcte complexus, acres voces adiecit, plus æquo difficilem, atque adeo
70 pertinacem esse Generalem, qui se flecti non sineret in causa præsertim
Claudij Mat thæi reditus in Galliam negatus. ad religionem Catholicam vsque eo necessaria. Non leuiter hoc laturos
Gallicanos Proceres, Societatem omnem luituram. Denique profectionem
eam probari Sixto Pontifici, quicum rem ipse tractasset. Ad quæ Clau-
dius, se quidem, si Pontifex iubeat, repugnare non posse: verumtamen
cogi officij ratione, & conscientia, Sanctissimo Domino (quod & facturus
sit) exponere, quam pernicioſum Societati hoc consilium futurum esset: ac
proinde quanta maxima posset vi id periculi auersurum. Principes quoque
pro sua prudentia, & voluntate publici boni, rem in bonam partem acce-
pturos, præsertim cum alij nihilo minus idonei, multò à periculo remotio-
res administri suppeterent. Nihil ad hæc Cardinalis: & Aquauiua adito
mature Sixto, enixe deprecari eam itionem instituit. Is, nescio quæ verba
super ea re facta sibi à Cardinali respondit, nihil tamen à se promissum:
quare consilio ipsius Generalis integram rem permitti: quanquam ipse qui-
dem non dubitaret, quin si ille Pater in potestatem Galli Regis veniret,
continuo eum suspendio tolli iuberet. Quem locum nactus Generalis, de
integro precari cœpit, vt tali procurationum genere, vti ab legibus So-
cietatis abhorrentium, ita quantum ab ea tractarentur, nec publice vti-
lium, & priuatim nocentium, nostros homines arcere omnino vellet: quod
Pontifex haud grauate promisit. Iuuit causæ successum ipsa Matthæi obe-
71 dientia, qui adeo fuit in potestate Generalis, vt satis ostenderet, quæ ante
Obedientia Claudij Mat thæi. gesserat non ex peruicacia vlla, sed ex inconsulto zelo profecta. Quæ
vbi suo Præposito nequaquam probari cognouit, ipsemet dedit operam,
vt liceret omittere, & Principibus satisfaceret. Et ab Vrbe summotus
Lauretum, sibi, consuetisque Societatis muneribus summa cum tranquilli-
tate vacans, præclaram Laureti, & Anconæ Episcopi accitu nauauit ope-
ram. Persimili obedientia Henricus Sammerius Leodium missus quieuit.
72 Quo in homine seruando singularis Dei benignitas apparuit. Nam cum
Samerius Leodium missus. hæreticorum veniſſet in manus, dum aduersus eos iter habet, haud du-
biè grauissimo quoque supplicio mactandus si agnoscereturr, Patre Colum-
bæo, qui forte Hæreticis notus, ac nonnulla amicitia coniunctus erat, pre-
cante, sine noxa dimissus est. Cæterum Claudius Generalis, quæ ab in-
stituto abhorrerent negotia non ab suis diligentius remouebat, quam ab
se se eorum, vel speciem propulsabat. Venit aliquando expeditus ad eum
73 ex Gallia curſor, ab vno fœderatorum Principum missus cum fasciculo lite-
Ipse Generali Claudius implicari se Fœderatorum negotijs non sinit. rarum, id modo rogans sub Principis nomine, vt eas literas Pontifici, &
Cardinalibus, ad quos inscriptæ erant, reddendas curaret; cui Claudius
modesta libertate negans vllum ab se pondus posse accedere, facile ipsum-
met Cardinalium ædes Romæ inuenire posse respondit, & suas cuique
literas dare. Eodem modo alterius ex eodem numero Dynastæ procurato-

rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem dimisit ; qui hoc tantum petebat , vt per ipsum ad eos introduceretur , quibus conuentis horum negociorum causa opus erat . Hunc in modum rebus , quæcumque humana cura prouideri poterant , vt Regi satisfieret , & intra cancellos officij sui se se zelus Sociorum teneret , prouisis , alter restabat mali fons extinguendus . Quæ supra per Episcopum Parisiensem postulata ab Henrico Rege narraui , eorum , maxima ex parte autor , vanâ quidem , vt deinde patuit , sed tum verisimili coniectura , Edmundus Augerius habebatur . Quid enim venisset in mentem Regi scire , vel curare solennis professio quoto anno fiat ? habeat Societas patronum in Gallia , & similia his ? Quin etiam illa aduersus alienigenas postulatio inueteratæ de Edmundo famæ consentiebat . Super hæc commoratio eius apud Regem , domi foriſque materiam sermonum , parum beneuolis præbebat . Totus erat Henricus hac tempestate in quibusdam Sodalitatibus , corporisque afflictationibus , precationibus , peregrinationibus , quarum rerum Magistrum , & administrum adhibebat Edmundum . Ea studia aliter alij accipiebant : quidam conqueri , prætermissa rerum publicarum administratione Regem Monachum fieri : quidam indignari , tanto conatu pietate susceptа , non inde , vnde ipsis videbatur initium capi . Si enim reuera mores correctos vellet , cur Tridentinum Concilium promulgari in Regno suo non sineret ? Cur toto pectore , cunctisque viribus aduersus sectas non tenderet ? Harum & huius generis querelarum magna pars in Edmundum retorquebatur . Ab eo Regis eneruari indolem , ac bona tempora frustra teri ; generosa semina in ludicra potius pietatis , quam in solidam frugem effundi . Nempe pro concione palam eum Regi talia prædicantem blandiri , & fugere attrectare plagas , & curare , solum incrustare contentum : vnde suimet duntaxat iactandi campum quærere , nomenque vulgo apud Regem gratiosi , ac potentis ambire . Hæc secularium plerique partim bono studio de communi Christiana re , & nostra solliciti , partim ex liuore , odioque indignantes , exprobrantesque , & vt fit amplificantes dissipabant , vt non posset Sociorum reliquorum , non & nomen vulgo hebescere , & caritas domi labefactari aduersus eum , qui tot erat semen incommodorum . Accedebant domesticæ querelæ nostrorum , qui multi forte nascendi aut alijs nexibus deuincti erant clientelæ dissidentium tunc à Rege Principum . Hos enim in Augerij vita , sine præiudicio spectantibus probatissimâ , offendebat nescio quæ species aulici nitoris , & euagans interdum extra fines arctos religiosæ paupertatis atque disciplinæ laxitas , vt aiebant , quædam . Quæ omnia prudenter reputans Generalis vnicam inueniebat remedio viam , vt ab Regis consuetudine Edmundum auelleret . Eam ob rem accersendum Romam putauit , vt simul se se purgaret . Dat itaque ad ipsummet Edmundum literas , & ad Prouincialem Odonem , vt protinus (quod tamen cum bona Regis gratia fiat) ambo Romam accurrant : in eandem sententiam scribit ad Regem , vt bonam abeundi veniam Edmundo daret . Quas Regi literas cum Prouincialis redderet , adderetque suas preces , ille opinione grauius commotus est , in suam ignominiam interpretans tanquam homine minus bono vteretur , exprobrans Societati , quod se in negotia regni immtteret , & adhæreret fœderatorum partibus . Edmundum idcirco vexari , quod ab Rege staret : se & fuisse , & esse , ac fore Catholicum , neque Edmundum in Aula habere , neque eius operam , nisi ad pia ministeria adhibere : parum sibi ab Generali tribui , cui pro summo deberet esse beneficio , quod cum tam grauiter læsus ab Societate esset , tamen ei non modo ignosceret , sed eo loco , & autoritate apud se ex ea vnum haberet . Cæterum quod ab ipso denegaretur à Pontifice impetraturum . Hæc multis verbis , magnaque voce querentem , Odo cum placare tentasset , non multum profecit : mitior tamen effectus est , vbi adductus tandem , vt ipsas Claudij literas legeret : in ijs reperit nolle se , nisi

74 P. Edmundus Augerius immeritò suspectus .

75 Prudenti Consilio à Generali Romam euocatur .

76 Regis Henrici ea de re querelæ.

cum

cum bona Regis gratia Edmundum discedere . Itaque ad extremum omnia se condonare Societati confirmans , admonensque vt in posterum à Regni negotijs procul abessent , Prouincialem dimisit : qui Prouincia Clementi Puteano Professorum Præposito interim demandata , Romam iter intendit . Rex datis ad Oratorem suum , & ad Estensem Cardinalem , & ad Pontificem literis , continuò Diploma impetrauit , per quod fiebat ei potestas Edmundi opera ad voluntatem vtendi . Hinc ad alia versi Patres consilia , quoniam non successerat , vt Edmundum ab vsu Aulæ abducerent , id ceperunt agere , vt extra Societatis domicilia habitaret . Hoc sperabant , & Regi probari posse , quasi promptiorem ad manum sic Edmundum habituro , & ipsi Augerio velut liberius sine arbitris victuro . Cæterum huic quam vanè opinarentur grauem Sociorum conuictum , & disciplinæ ordinem , eius ad hæc responsum ostendit . Cum enim id illi proponeretur , negauit vsquam sibi diuersorium commodius gratiusue aut esse , aut vmquam futurum , quam intra religiosa septa , sub oculis , & censurâ Præpositorum obseruationem Regularum exigentium . Rex quoque rei eiusdem mentionem scriptis ad eum litteris illatam , vt superuacaneæ parumque decoræ aspernatus est . Quare hic quoque conatus in vanum recidit . Interim Odo Romam peruenerat : ex quo Generalis cum propius statum Prouinciæ cognouisset , quia idem rerum erat peritissimus , regnique popularis , ac Regi sat notus , probatusque , eum ipsum Visitatorem remittit , addito laborum , & Consiliorum Socio Hieronymo Plato . Iubet primum Lugdunensem spectare Prouinciam , tum Lutetiam pergere , Hieronymum autem rebus diligenter cognoscendis insistere , vt explorata omnia Romam subinde renunciare posset , vnde consiliorum summa expediretur . Peruolauit ad Regem creati Visitatoris nuncius , qui siue suopte nutu , seu alieno instinctu , protinus ad Lugdunensem Prætorem scribit , si Odo Visitator Societatis , & Hieronymus Platus in Lugdunense solum inferant pedem , vtrumque progredi vetet . Camberium peruenerat Odo , cum à Lugdunensi Rectore , quem Prætor admonuerat , certior de ea re fit . Non ausus itaque vltrà pergere ; dum quid facto opus foret ab Generali cognosceret , eodem loco substitit . Tum Claudius cum Rex hominem è ditione Veneta benigne se accepturum profiteretur , quanquam non sine magno fiebat incommodo , tamen ne tantus Princeps eo rerum momento exasperaretur acerbius , Laurentium Magium Italiæ Assistentem trium Galliæ Prouinciarum Visitatorem designat , & Regem admonet , vbi primum liceret sub anni ver insequentis recta ad ipsum Parisios aditurum .

77 Rex impetrat à Pontifice facultatem retinendi apud se Edmundi.

78 Recusat Augerius diuersari extra domos Societatis .

79 P. Odo remittitur Visitator in Galliam addito Socio Hieronymo Plato .

Per cæteras quoque Galliæ prouincias cum difficultatibus maximis pugnatum hoc tempore . Pestilentia late , inopia , fameque multo longius grassabatur : bella vero habebant passim omnia . Nihil vsquam tutum præsertim in minoribus oppidis : itaque Mauriacense Collegium aliquando dispersum est . Itinera infestissima vbique . Dum Ruthenas Mauriaco Franciscus Fillonarus , & Desiderius Rosellus petunt , intercepti ab Hæreticis asperrimeque vexati , haud modica impensa redempti . Perturbauit præterea Burdigalense Collegium Iulianus Vincentius , qui vitio potius ingenij , quam voluntatis , ex nonnulla scientia , quam erat assequutus , plus nimio religiosus , suspicioſusque factus , primo cœpit addubitare , & in controuersiam pugnaciter ducere , liceret-ne Burdigalensi Collegio quasdam paroecias administrare , quanquam id per externos parochos fieret . Deinde obseruare cœpit nobilem ex Franciscano Ordine Concionatorem , & quemdam eiusdem Catechismum notare , & graui censura configere . Iussus pacem habere , suasque agere res , nec suspicionibus inanibus accommodare mentem , sed potius communi omnium , quam sui vnius sensui obtemperare , haud sibi parendum in tali dicebat causa : immò non nemi-

80 Sed ij, Rege sic se velle significante, reuocantur .

81 Laurentius Magius Visitator in Galliam mittitur .

82 Mauriacense Collegium dispersum.

83 P. Iulianus Vincentius Burdigalæ turbas ciet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem è domesticis in sententiam suam adduxit. Sed vt semel aperitur suspicionum ludibrijs porta, ad insaniam vsque procedunt. Venit Burdigalam Petrus Lohierius Prouincialis: iubet is quoque hominem quiescere, neque se aliosque nequicquam spinosis curis macerare. At ille ipsius Prouincialis notare incipit dicta, præsertim publicarum exhortationum: multa ab eo, quæ errorem saperent, multa quæ hæresim, non satis explicatè proiecta: denique partim in pœnam, partim, vt euagando imbecillitati mentis (si forte morbus inde esset) consuleretur, missus in Hispaniam Compostellam, magna Burdigalense Collegium exsoluit molestiâ. Sed quò morbus excesserit, in loco reddetur. Arnoldus Vicinus Lugdunensi Prouincialatu liberatus est multum id rogans. Bonus vir id munus studiosius, quem felicius administrabat. Ludouicus Richeomus Diuionensis Rector Prouinciam, cum Vicarij potestate interim regendam suscepit.

84 Ludouicus Richeomus Pro Prouincialis.

Nec interim quietæ res in Hispania, sed magnorum motuum, ac diuturnorum exordia extitere. Malo iam dudum collecto caput fecit, vomicamque inueteratam aperuit Iacobus quidam Hernandus, qui cum in seculum miser votis solutus remitti aueret, dum id serius fit (quod causa nulla suberat) vt suaue Christi iugum aliquo pacto excuteret, occasionem cuncta turbandi eam arripuit. Aliquot ante annis in Monteregio, quidam è confessarijs, seu vere, seu falso delatus ad Prouincialem tum Castellæ Antonium Marcenium erat, de tentata puellæ per sacras confessiones pudicitia; quod crimen in Hispania Sacrorum Quæsitorum iudicio reseruabatur, sed ita vt existimarent religiosi Præsides non ademptum sibi ius suorum causas cognoscendi. Marcenius adhibitis in consilium Rectore Collegij Francisco Labata, & Consiliario eius, eodemque quæstionum conscientiæ Magistro Ioanne Lopio, de sententia eorum existimauit, quoad clarius, quid tali in casu sequi ius esset, ex maioribus potestatibus cognosceret, fas esse sibi in hominem suæ potestati subiectum animaduertere: ac primum ab eo Collegio, deinde penitus ab Societate, vt quæ non modo extra crimen, sed etiam extra suspicionem eiusmodi flagitiorum conseruari debet, hominem amandauit. Id omne Iacobo Hernandio nescio vnde cognotuit: nec dissimulauit Prouinciali, dubitare se num salua conscientia posset non indicare Quæsitoribus. Cui Marcenius nihil respondit aliud, quam vt consulto Deo, quod videretur, perageret. Ille Ouetum mox translatus, vt erat linguæ intemperans, diu mussitauit, se scire decem, aut duodecim de Societate Patres conscios esse criminis ex Quæsitorum iurisdictione, nec tamen id indicare, seque eorum delaturum nomina: vt commercio cum Quæsitoribus inito, declarataque eis causa, cur absolui votis deberet, tandem permitteretur ad suum arbitrium viuere: quin etiam addebat, Prouincialem quoque se, & Ouetanos Patres accusaturum, quod per eos prohiberetur nomina illa deferre. Quod tamen vsque eò falsum erat, vt idem (qua erat leuitate, & inconstantia) profiteretur interdum sibi à Prouinciali liberè permissum, vt conscientiam in ea re suam aumissus in seculum est, aut ad seculi modum permissus in Domo Dei viuere, per arcanas literas significat Quæsitoribus Vallisoletanis vim sibi fieri ab Societate ne noxam, quæ ad ipsorum pertineret iudicium, deferat. Ita Vallisoletum statim iussu Quæsitorum accitur æstate anni 1584. Et quamquam arcana maxime sunt sacri illius tribunalis acta, ferebat tamen communis opinio, Quæsitores pro sua prudentia deprehendisse magis in delatore exulcerati animi perturbationem, quam quicquam in fraude solidum. Quicquid enim esset, ad tuenda potestatis iura pertinere: quod vti sine dolo malo commissum, ita ex æquo, ac bono potius, quam summo iure per quæstiones, ac strepitum cerni deceret. Alloquutus deinde est eos Marcenius, atque ita dimissus, vt satisfactum sibi non obscure præseferrent.

85 Hispaniæ res turbatæ

86 Iacobus Hernandus Prouincialem, & alios sibi obstantes deferre ad sacros Quæsitores decernit.

87 Marcenius Prouincialis à sacris Quæsitoribus citatur, & auditus liber remittitur.

Quæ

Quæ cum ita gesta cognouisset Generalis, & valde cunctis probaretur virtus Marcenij, ratioque administrandæ Prouinciæ: vbi Castellano defunctus Prouincialatu est, ad Toletanum, quemadmodum supra dictum est, transtulit, nihil minus metuens, quam ne ea res Quæsitorum animos pungeret. Quam tamen, qui Generali creare inuidiam vndecumque conabantur, vel præcipuam iactabant causam eorum, quæ sunt proxime consequuta, tanquam ad suam contumeliam retulisset: Quæsitores, hominem dum apud ipsos reus est, in aliam Prouinciam, & Prouincialis cum potestate translatum. Ergo dum securus, ac tranquillis vsus initijs, in suam euram Marcenius diligenter incumbit, Vallisoletum ab Quæsitoribus eius vrbis accersitur: eodem, & Franciscus Labata iam Salmanticensis Rector, & Ioannes Lopius, quos ante nominaui. Nono Kalendas Aprilis Marcenius, & Labata vltro adiere custodiam: Lopius post aliquanto venit. Rem omnino sine vlla Societatis nota fore promittebant Iudices, & maxime occultam, breuique transactam iri: Neque huc absque summo, ac necessario consilio, ac diuturna biennij consideratione descensum. Hæc cum dicerent, quanquam vt solent, certi nihil explicarent, tamen coniectare licebat, nullum agi, seu morum, seu doctrinæ crimen, sed solum potestatis, ac iuris vsurpationem: nempe, vt sic edocta post hac ignorare non posset Societas quem vsque in finem ditio sua pateret. Accitus, & Methimna Campi, vbi tunc agebat Iacobus Hernandius, ac iussus tanquam in libera custodia apud Franciscanos versari. Paucis post diebus alij super alios, siue ad testimonium dicendum, siue ad se se purgandos, seu qua alia causa plus quinque, & viginti ex varijs Collegijs, prouincijsque citati: & quidam Vallisoleti, quanquam extra vincula, diu retenti, vt iam nec latere res, nec apud vulgus carere infamia, nec apud gnaros commiseratione posset. Hæc cum essent, & ad talem plagam, quo minus assuetus, & doleret acrius totus Ordo, & appareret grauius, quam prima specie damnum accipi, indicta vbique maximeque per Castellam consueta Diuinæ misericordiæ inuitamenta, preces, verberationes, sacrificia, ieiunia, & alia huius generis. At Claudius Romæ vbi rem cognouit, primum omnium, & ipse ad auxilium cæleste confugiendum existimauit, dein consolandos maxime perculsos Hispanos Patres, vt Deo fiderent, qui ad exercendam patientiam, fiduciamque & humilitatem suæ huius familiæ roborandam talia euenire permitteret per homines, quos certo credendum esset, optimo duci consilio; ac propterea cauerent, ne vlla darent minus subiecti animi signa: sed verecundiam aduersus sacrum illud consilium dictis, factisque vbique conseruarent. Præterea adeundum sibi Sixtum Pontificem iudicauit, eo dumtaxat, vt quid ageretur exponeret. Atque in hunc modum locutus est. Satis, vt arbitror, Vestra Sanctitas nouit, quid Nostris Vallisoleti ab Sacris Inquisitoribus nuper acciderit, Toletanus Prouincialis, & Rector Salmanticensis cum alio Patre incluſi in carcerem sunt. Quid in causa sit, equidem certo eloqui non possim, adeo tribunalis illius tecta, & secreta sunt omnia. Cæterum si ex antegressis capere coniecturam licet, videor affirmare posse nihil esse causæ, nisi nomen, ac titulum occupatæ eorum potestatis in Sacerdote nostro puniendo. Precor igitur Sanctitatem Vestram pro ea obseruantia, quam grauissimis illis viris adeoque sancto foro debemus, ne quid prius in hac causa statuere velit, quam experti nos fuerimus, quid per nos aut peruestigare, aut assequi possimus. Nam si peruersæ (quod Deus auertat) Doctrinæ crimen agitur, nos in primis accusatores, non vindices erimus, nedum morari vllo modo iudicium, aut defugere velimus: sin autem hæc vna causa est, quam dixi, vti suspicor, tum Sanctitatis vestræ erit videre, quid decerni placeat; quidque causæ fuerit, quominus Præpositio ius foret in hominem ditioni suæ, fideique commissum inquirere, eumque

88 Mox è Castellana in Toletanam Prouinciam cum potestate translatus, in custodiam à sacris Quæsitoribus datur.

89 Multi è nostris à sacris Quæsitoribus citati.

90 Generalis PP Hispanos consolatur.

91 Claudij Generalis ad Pontificem oratio de rebus in Hispania gestis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

92 Trahitur in longum negotium Marcenij.

coërcere. Approbauit consilium Pontifex: ac Generalis inde omnem, vt dicitur, mouit lapidem, viasque tentauit omnes, per quas certo tandem peruestigaret, quid Marcenio, ac Socijs fraudi verteretur. Sed quicquid experireris, vnum idemque responsum ferebas, Tribunalis eius causas prodi non consuesse. Cumque & breuis, & ex sententia promitteretur semper transactio, semper tamen eadem protrahebatur longius. Itaque iam non fama solum apud multitudinem, quam tamen tanquam omnium suorum telorum aciem maxime necessariam habet hæc cohors, sed ipsa summa rerum periclitari cœpit. Rerum nouarum cupidi eam tempestatem suum tempus rati, turbare omnia magis, ac magis instituunt. Tradunt eisdem Quæsitoribus alios super alios admodum luculentos libellos, partim querelarum aduersus Præsides, partim falsarum rationum plenos contra ipsa maxime vitalia Beati Ignatij, & Societatis instituta: denique dubia, & suspecta reddunt omnia. Ignari ferme harum proditionum germani Societatis filij: quanquam mœstissimi iacebant ob tales homines captos, totque sæpius citatos, & rem iam in vulgus celebrem, tamen se breuis & fausti exitus spe, quæ semper ostendebatur, sustentabant, cum repente nouo terrore concutiuntur. Bina librorum exemplaria, quibus ab Apostolica sede Priuilegia Societati concessa continebantur, itemque Pontificiorum diplomatum, ac Generalium Congregationum tradere iubentur. Quæ omnia instar tumultus cuiusdam nocturni grauiora faciebat sacrum illud silentium, vt quo potissimum remedia admouere, quo accurrere, quam tegere, ac tueri deberes partem nescires. Ad hæc libri de ratione studiorum, quem supra magna cura confectum, inque omnes Prouincias dimissum narraui, à viris doctis recognoscendum, probandumque, cum in Castellam exempla item nonnulla missa essent, iussi sunt, & ipsa tradere, quanquam prædixissent, & Præpositi Generalis simul traditæ literæ fidem facerent, non alium ad vsum missa, nisi vt censura Patrum castigarentur. Quæ res vel maximam admirationem prudentibus mouit.

Indeque pax Societatis turbatur. Libellis contra Institutum sacro Tribunali datis.

93 Priuilegia Societatis Bullas Pontificias, & decreta Congregationũ tradere iubentur nostri a sacris Quæsitoribus.

94 Liber quoque Ordinis studiorum, quamquam nondum editus, tradi iubetur.

Hos inter fluctus nihil Euangelici Piscatores ab opere sacro cessarunt. Egregie tertium iam annum Franciscus Carrera, cum Socio item Sacerdote Tudelæ (ea est vrbs in Regno Nauarræ peramœna, & nobilis) per sacrum aduentum, & quadragesimam laborauit. Inde in vniuersa Ciuitate cleroque, ac populo tanta exarsit Collegij sitis, maiore vt studio postulari non posset, quam multis omnium ordinum literis, priuatim, publiceque petitum est. Nam & ipsa Ciuitas, & Prorex Nauarræ, & Tarrasonensis Episcopus, cui Tudela subest, & Collegium Cleri Tudelani magna vi, & humanitate institerunt. Quibus Claudius Generalis cognito, quanta esset per ea loca Doctrinæ inopia, ita respondit, vt ad Petrum Villalbam Prouincialem reijceret. Hoc primum anno in Collegio Xerensi patefactum Gymnasium summa Ciuitatis lætitia, quæ & gratam rei memoriam nulla re destitit præ se ferre. Pridie Nonas Iunij Ioannes Lobera Valentiæ mortalitati concessit magna opinione sapientiæ, nihilo minore modestiæ, atque humilitatis: cum rectissimo semper exemplo ad annos sexdecim Theologiam ibidem professus. Huic quemadmodum olim Tobiæ, materiam exercendæ patientiæ præclaram Deus fortuito casu porrexit. Octauo ante obitum anno per domesticos hortos inambulanti oculum dexterum lapis (incertum vnde missus) elisit, extinxitque: inde ex consensu, ac nexu malum ad læuum quoque lumen permanauit, & assidua lacrymatio: at dolor in vtroque mansit peracer. Cui calamitati ita non succubuit Lobera, vt sex postea annos in pristinis docendi perseuerarit laboribus, nullum nec postulans, nec patiens leuamentum, quoad vltro Prouincialis videns hominem supra vires eniti, liberatum scholæ munere studijs moderandis præfecit. Ex oppido erat Longaresio Cæsaraugustanæ Diœceseos. Anno seculi 63. suo trigesimo nomen sacræ militiæ dedit. Nequaquam parem sortitus exitum est Ioannes Andinus, qui ad domestica receptus opera, pertæsus bonorum laborum, cum Toleto fugisset, deinsolutione Votorum expressa, vxorem Valentiæ duxisset, dum inter Mauricos Altilia negotiandi causa mercatur, ab quibusdam ex ea gente trucidatus, inexpiatam, immunitamque supremis mysterijs animam repente efflauit. Quæ talis mortis pericula, quis non existimet quauis vitæ difficultate recte redimi? Atque hunc exitum peperere misello labores seculi, cui si perseuerasset in Christi famulatu, pronum erat minore cura æternitatem, ac Cœlum emere. Quatuor memoratu dignos addidit Cœlo Toletana Prouincia, Ioannem Ramirium, Ioannem Emmanuëlem, Alfonsum Sandoualium, Ioannem Alfonsum. Ramirius hic est Apostolicus ille Orator clarus facundia, qui Madrito oriundus ortus Cordubæ stirpe nobili, inde à puero in literis, ac pietate enutritus, mature intellexit ad quod opus à Deo factus, instructusque esset. Nam cum ad indolem per se se ad summa quæque propensam, studium ipse virtutis adhiberet, & accederet Magistri Ioannis Auilæ institutio, sub annum ætatis duodeuigesimum vehementi quodam motu sensit se diuinitus ad Apostolicam vitam, ac verbi Diuini prædicationem impelli. Isque motus adeo fuit manifestus, adeo deinceps perennis, ac tenax, vt cum iam natu grandis ex multorum Prædicatorum haud bono exitu tanti muneris discrimen animaduertens optaret ab eo desistere, nunquam tamen id petere auderet religione impeditus ne Spiritui Sancto reluctaretur: quod ex eius autographo comperi, per quod Hieronymo Natali Visitatori anno 1561. se se indicauit. Addit Ftanciscus Antonius in Toletanæ Prouinciæ Historia circa ætatis suæ annum sextumdecimum, cum iam tum flagraret concionandi studio, donum hoc ab Sancto Paulo die Conuersionis eius solenni per ingenuam simplicitatem enixe precatum, statimque precantis menti obiectas Hispaniæ Vrbes plurimas, in quibus omnibus intelligeret diuinum semen ab se se spargendum: ac postea eundem iam senem professum plane euenisse, vt cunctis ijs in vrbibus conciones haberet. Vouit pudicitiam adolescens: nec solum eam ad vltimum illibatam, sed omni labe mortifera intactum animum conseruauit. Vt primum Sacerdos Doctorque Theologiæ creatus est, vitam ad quamdudum diuinitus vocabatur, exorsus, multas vrbes ferme septennium confessiones audiens, & cælestia spargens semina peragrauit, eo messem animarum vberiorem colligens, quod voluntariam colens paupertatem, quod serebat vocibus rigabat exemplis: inde cogitans quemadmodum optime fungi Apostolico posset munere, videnque omnino Societatis vitam suæ indoli, vocationique congruere, & pellectus, vt ipse fatetur Francisci Borgiæ autoritate ad eam animum appulit: non tamen ausus rem omnino ante statuere, quam Ioannis Auilæ sententiam exploraret. Ille autem sine dubitatione vlla autor fuit, affirmans in Societate bene ei futurum. Anno igitur ineunte 1556. à Iacobo Mirone deductus Madrito Murciam, quod primum Societatis domicilium iniuit, inde Valentiam, mox Cæsarauguſtam habitis vbique magno populorum assensu, ac fructu concionibus, ac demum Granatam transmissus, suum, vt ferebant tempora, tyrocinium posuit. Vix dictu facile est, quam multos à vitijs abstraxerit, quam multa sacra cœnobia religiosis viris implerit, quantum leuarit calamitatum. Asperior erat in vitijs castigandis, neque id feruidioris naturæ impulsu, sed certo iudicio. Censebat enim audendum, vel offensionem improborum, si nollent corrigi, subeundam. Id prophetis, id Ioanni Baptistæ, id Christo Domino euenisse. Quare nihil metuendum magis diuino præconi, quam, nedum per indulgentiam nimiam omnia fieri omnibus studeant, id vt ait Nazianzenus faciant, non tam vt saluent omnes, quam vt perdant. Lubricam esse eam causam, cauendam offensionem, vt maior tempore suo fructus respondeat. Experimentum autem, ipso ex tem-

95 Tudelenses petunt Collegium.

96 P. Ioannes Lobera moritur.

97 Eius patientia insignis.

98 Ioannis Andini egressi è Societate infelix mors.

99 Ioannes Ramirius Ioannes Emmanuel Alfonsus Sandoualius Ioannes Alfonsus. post vitam bonam feliciter moriuntur.

100 Vocatio, & virtutes Ioannis Ramirij.

101 Ramirij asperitas in vitijs increpandis è Sanctorum exẽplis ducta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore capi posse. Nam si conuersionem tandem in eo, cui tantisper indulges efficias; recte & sapienter priora instituta: verum non ita euenire, sed per mollitiem illam, & indulgentiam in ijsdem populos vitijs inueterascere; nec agendi tamen Concionatores rationem commutare; vt satis appareat, timere eos offensionem, quo ipsi in gratia, ac pretio sint, non vt animas Christo lucrentur. Eodem modo differebat de consuetudine Religiosorum hominum cum Principibus. Quid ea faceret, si illenihilo vnquam efficeretur melior? Id enimuero indicium esse te ad eius mores paulatim transgressum: Nam diu bonum cum malo pacate esse non posse, quin alterum in alterius migret naturam. Ita differens, sentiensque sinebat tamen se se moderatorum prudentia regi, ne fines transiret modestæ seueritatis. Nec ipse ignorabat quantum benigna grauitas haberet in loco pondus. Itaque cum aliquando cognouisset virum nobilem ex aula regia obstinate inimico exitium moliri, frustraque multos in eo placando sudasse, Ramirius comiter conuentum sic alloquitur, Ego te, Domine non multis hortabor, vt inimicitias tandem finias, nec argumenta quibus id suadeam habeo grauiora vlla, quam Christi Domini veneranda ea verba, Diligite inimicos vestros. Hoc Christus dixit, Tuum iamsit consilium, num æquum censeas hanc rem Christo gratificari. Per hanc simplicitatem, ac suauitatem admonitionis ita diuina vox descendit feroter, cum mihi suaderetur humanis verbis, vti ab incœpto desisterem humanis verbis respondebam: nunc vero, vbi Christus loquitur, omnino æquum est, vt ei obtemperemus. Age, aduocetur ille: iam nunc ei quicquid de me meritus est, condono. Absque mora accitur: irruunt in amplexus. Calamitates pauperum non solum è superiore loco grauissime commendabat, sed ipsemet ad easdem leuandas ostiatim stipem emendicabat. Exercuit eius patientiam multifariam Deus. Octo primos Societatis annos haud sine magnis animi angoribus tanquam sterilitatis annos exegit: quo tempore, & grauissimam, quam suo loco retuli, transeundi ad Carthusianos tentationem passus, nobilem victoriam tulit. Succesere deinde anni beatæ, perennisque feracitatis, quod quidem ad animum pertineret: quem inter alia donum lacrymarum præsertim inter sacrificium vberrima irrigatione saginabat: at ne deficeret virtuti materia, cœpit corpusculum doloribus acerbissimis ex calculo laborare. Quæ vexatio cum esset intoleranda, nec prudentium sententia vlla vspiam humanitus, nisi in sectione spes salutis restaret, sæpius inter se se Patres deliberarunt, communique semper consensu decreuerunt tam sæua carnificina periculosoque remedio abstinendum. At Ramirius cum sua causa, tum publica aliquod leuamentum cupiens, cum sæuius nihil existimaret posse sibi fieri, quam quod dies, noctesque patiebatur, ante imaginem Sanctissimæ, & indulgentissimæ Matris Cœli Reginæ prostratus supplicare vehementer opem instituit, ac nominatim, vt declararet tentari ne genus eiusmodi curationis deberet. Quæ dum rogat, dicitur capite modice inflexo picta Virginis imago annuisse: cumque mirabundus dubitansque Pater, ne forte oculorum ludibrium foret, propius accessisset, idemque de integro peteret, iterum Virgo demisso magis capite annuisse. Tum vero fretus tanto pignore æger, modeste à Rectore petiuit (nulla tamen mentione visionis facta) vti graue ne duceret de valetudine sua rursum Patres consulere: qui congregati repentino quodam instincti motu, sectionem quanto omnes ante consensu damnarant, tanto in præsens plane experiendam censuere. Nec destituit pia vota, rectèque consulta successus. Post multas ad Deum preces, constantissime ictum ferente Ramirio, duos ei calculos, minusculum vnum, alterum oui gallinacei magnitudine Chirurgus extraxit, vita superstite. Hæc anno 1575. gesta. Visionem annuentis Imaginis ad Eucrardum Generalem ab

102 Lenitas eiusdem non minus vtilis.

103 Octo annos desolationis patitur.

104 Consulta in dubio B. Virgo ei respondet.

ab ipsomet scriptam, & eas literas ab Ægydio Consaluio tum Assistente perspectas (nam ad meas quidem manus non peruenere) narrat Franciscus Antonius. Expetisse autem illum valetudinem non tædio dolorum, sed laborum desiderio, ex eo licet intelligere: quod hoc ipso anno compluti propinquam sibi supremam diem præsentiens Christum Dominum duo rogauit, Primum vti magnam sibi aliquam patientiæ materiam largiretur: deinde vt eodem die, & hora, qua ipse Dominus excesserat è vita, euocare se vellet: ac voti vtriusque plane compos est factus. Nam doloribus excruciatus acerrimis feria sexta maioris hebdomadæ sub meridiem præmunitus diuinis leniissime expirauit pridie Nonas Aprilis, sexto & sexagesimo ætatis anno. Mansit in demortui ore vultus adeo amœnus, ac spirans, vt merito dictus à quopiam sit, videri sacris illis vocibus, Vbi est mors victoria tua, vbi est stimulus tuus? insultare morti. Ad eius cadauer, & concursus, & exosculatio, & sacrarum rerum applicatio, & reliquiarum petitio, & reliqua in Sanctorum consueta funeribus facta. In supremis verbis illud maxime notatum est, cum petiisset à Deo veniam, quod quædam in sacri præconis officio curiosius dixisse sibi videretur, mirantibus forte circumstantibus, quibus comperta grauitas viri erat, disserte adiecit, id se dixisse, quod persuasum haberet multos Concionatorum damnatum iri, quod cum Deus ab ijs pendere voluisset salutem animarum, huius tantæ rei obliti, magis ad commoda sua, suique nominis existimationem, quam ad fructum, salutemque animarum conciones accomodarent. Ioannes Emmanuel Toleti apud Professos, cum Rector Collegij esset, quarto Kalendas Augusti decessit. Ex oppido Treuinio Calaguritanæ Diœceseos, Compluti cum annum vigesimum primum ageret anno seculi huius quinquagesimo secundo in Societatem receptus, ægre compulsus est, vt studia literarum persequeretur. Adeo humilitatis causa cupiebat in ministerijs Marthæ vitam exigere. Sed euentus ostendit in eo, quod sæpe dicitur, qui minime se idoneos reatur, eos maxime aptos ad magna esse, nequaquam temere dici. Præclare diuina pro suggestu tractauit: cum laude sæpe Tyronybus præfuit, multa Collegia perdiuque Murcianum, ac Toletanum rexit, cum haud domesticis magis, quam externis Laicis, & alijs religiosorum familijs quasi Pater veneration, ac pretio esset. Naturam per se se feruidiorem, & iracundam, studio, & compressione suimet assidua ad immutabilem prope lenitatem perduxerat. Adeo amabat latere, & ignorari, vt non solum Præfecturas pro summo haberet onere, sed etiam si ab honoratioribus personis conueniretur (quæ nonnulli officia per speciem caritatis ambiunt) molestè admodum ferret, & congressum pro viribus declinaret. Sed in præclaro eius virtutum choro, caritas, vt æquum est, eminebat, spectandamque se supra cæteras præbebat, in prompta, alacrique voluntate necessitatibus, & animorum, & corporum succurrendi. Cupiebat ad suum Collegium mitti valetudinarios infirmosque, sperans Deo iuuante, facturum se industria sua, vt imbecillitatem moderate, ac leuiter ferrent: perque hoc opus Caritatis, & Orationes eorum benedictionem cælestem descensuram in domum totam. Nec sane fallebatur. Cum aliquando Domui Toletanæ præesset, atque ex tribus dumtaxat panibus, qui domi erant, vnum pauperi ad fores petenti dari iussisset, paulo ante prandium magna allata cista est panibus plena: quam lator cum ianitori dedisset, interrogatus vnde mitteretur, non opus esse id scire respondit, statimque abscessit, nec postea redijt. His experimentis, magisque tam studiosa pauperum commendatione, quæ in sacris literis ab Deo est, motus Ioannes, nullum faciebat finem in sermonibus, & priuatis, & publicis omnes cum opulentos, tum etiam tenuiores, pro suis facultatulis ad liberalitatem hortandi. Suarum vero virtutum lumina assidue nutriebat oleo Sanctæ Orationis: binas quotidie horas detrahens somno, quas collo-

105 Moritur, vt optauerat feria sexta Maioris hebdomadæ.

106 Iudicium eius de concionatoribus animarum salutem non quærentibus

107 Acta, & virtutes præclaræ Ioannis Emmanuelis

108 Caritas eius insignis.

109 Eiusdem studium orandi

Universidad de Deusto
Biblioteca

colloquijs diuinis adderet. Hac præterea exercitatione plurimum vtebatur, Primum vt conaretur semper se tanquam in Dei præsentia conseruare; deinde, vt quicquid audiret, videretque, referret ad pietatem. Tertio, vt cogitationes pias ex rebus creatis eliceret cum perpetua gratiarum actione. Postremo quicquid faceret, initio Deo offerret: ad finem examinaret. Sandoualium pene repentinò Compluti dum Collegium regit, Apoplexia quarto Idus Nouembris extinxit, vndequinquagesimo ætatis anno, altero, & trigesimo Societatis. Filius erat Ioannis Stephani Naiaræ Ducis, iam inde à prima pueritia admodum ad pia propensus, ac sub optimi præceptoris disciplina non solum literis, sed & pijs meditationibus eruditus. Diu in Societate varias disciplinas docuit: & Collegia Ocanense, Murcianum, Madritanum, Complutense, bene, ac feliciter rexit. Ioannes Alfonsus Gallecus natione, ex octo, & viginti religiosæ vitæ annis, quatuor, & viginti in tenera instituenda ætate partim Ocaniæ, partim Madriti obiuit laboriosus, accuratus, idemque ardens caritate, hilaris semper, & ad omnem modestiam sine vlla morositate compositus. Inde carus veneranduſque discipulis: hoc maiore cum euentu animis eorum puris atque simplicibus primos literarum, ac pietatis inducebat colores. Quo in opere cum intelligeret, quanto esset maius opinione ad publicam pietatem compendium, illi vni, quanquam facultate non destitueretur, cetera posthabuit munia, suggestorumque, & sublimium Cathedrarum speciosa magisteria. Nec satis habuit rem Præsidis nutui permittere, sed præse ipse obstrinxit. Nec vouit auidius, quam constantius præstitit. Retam, sed etiam lætissimam mortem. Nam post recepta diuina omnia, postridie Idus Octobris carmen dauidicum, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus &c. iucundè canens, tanquam præguſtans æternam felicitatem excessit.

110 Sandoualij vitæ religiosæ summa.

111 Ioannes Alfonsus Gallecus 24. annis Grammaticam docet.

112 Ad id se voto adstrinxerat.

113 In morte lætissimè canit.

Goæ intentis de more nostris ad studium ingenerandi Gentilibus æstimationem, ac desiderium baptismi, opportunum hoc anno ad eam rem auxilium adfuit, curationis subitæ in ægro conclamato; sacri lauacri contactu ipso primo, euidenter è lethi faucibus erepto. Cum enim quidam, qui Christianæ doctrinæ capita satis antea cognorat, subitâ forte ingruentis morbi vi ad vltimam vitæ lineam admotus, accedenti Cathechistæ nutu indicasset: sacris aquis tingi cupere se; repente prout res poscebat baptizatus, melius statim habuit, moxque plene conualuit: quæ sparsa per Vrbem & regionem fama, Christianorum Sacrorum, & pretium apud gentes illas, & amorem incendit.

114 Æger depositus baptismo curatus.

In Sinis Rogerius, & Almeida nostri ad Lancitani Domum, fratris eius ductu, trimestri peregrinatione tandem appulsi, cum ibi sedem se fixuros sperarent, non ita multo post falsos se opinione senserunt; propinquis illius Magistratûs, astutis hominibus, & priuatarum momento rationum, vt illic fere fieri consueuit, officia metientibus, graue sibi esse externorum hospitium non dubie professis. Quare cum nec spes vlla maioris opere præpretij, ac ne facultas quidem isthic morandi esset, reuerti eo vnde venerant coacti sunt, nihil admodum aliud nisi partam exploratione notitiam in posterum futuram vtilem, linguæ, morum, ac locorum referentes Domum.

115 Rogerij, & Almeidæ reditus ex interiore Sinensi regione.

In Iaponiâ per Vernam tempestatem huius anni terræmotus horribilis, & causa præsens ingentium malorum, & tristius augurium luctuosarum mutationum, cladiumque teterrimarum in futurum fuit. Quadraginta ferè continuis diebus succussa penitus humus præter stragem miserabilem innumerabilium ædificiorum, hiatus multis locis voraginum horrendarum fœtidam mephitim late halantium aperuit. Fuit vbi etumpens è

116 Terræ motus in Iaponia.

cæcis

cæcis cauernis flamma domos obuias absumpsit. Aquas alibi confusione elementorum tellus emota parturijt. Vogàquium Arx erat Regni Minensis in loco edito conspicua. Hæc Monte, cui insidebat, vehementibus & diuturnis succussionibus moto, sensim subsidens, ad extremum apparere desijt, aquis in eâ superficie latè stagnantibus, ex quibus subitus, sed in posterum durans extitit lacus. At in Regno Vasacensi Maritimum oppidum, & emporium celebre Nagasama terræmotu per dies aliquot concussum, irrumpente vltra littus mari deiectum est funditus: moxque in alueum æstu redeunte, ita rudera ipsa subrutarum ædium abstersa, erasaque sunt penitus, vt nuda soli superficies sine vestigio ædificiorum vllo supereſſet. Spem inter hæc Christianis dabat plenæ conuersionis vniuersæ Iaponum gentis ad Christi fidem, præter insignem, de quo diximus Cambacundoni fauorem, etiam primarij Iaponicæ superstitionis Templi Meaci conspecta euersio per istos terræmotus. Sed si ex veritate consecutarum rerum hæc interpretari ostenta oporteat, multum Christianæ quoque Religioni periculorum, ac laborum ista signa portendebant. Quorum malorum hoc ipso anno triste initium fuit desolatio Regni Bungensis, vbi flos præcipuus, autoritasque maxima Christianis sacris erat. Franciscus Rex Bungi iam senior, filio rebus gerendis abundè per ætatem maturo, Regni administrationem cesserat, sic more auito flagitante. Hic Iuuenis plus aliquanto ex indole, ac moribus Matris lesabelis trahens, quam ex Patris optimi, ac Religiosissimi virtute, satis cognitam domesticâ institutione legis Christianæ sanctitatem non modo amplecti cunctabatur, sed politicâ ratione ductus liberam eius professionem ægrè permittebat subditis; immo eorum aliquos eâ ipsâ de causâ bonis spoliatos partim morte, partim exilio mulctauerat. Ipse remissionibus & ludis, securo soluto que animo vacabat. Eam inexperti Principis negligentiam occasionem suam ratus Saxumæ Rex, cum Religioni Christianæ ex longo perinfensus, tum à Bungensibus nescio quâ in re se læsum interpretans, velificari ambitioni suæ decreuit, quâ nouem illius tractus, atque Insulæ Regna, quorum vnum erat Bungum, imperio dudum suo desponderat. Conscriptum igitur numerosum exercitum ductu Nacazucasæ minoris fratris, viri fortis, & strenui in Bungense Regnum immisit. Frustra eam procellam auertere Franciscus Rex Senior autoritate Cambacundoni, ad quem Meacum se contulit, conatus est. Interposuit quidem prolixo animo Cambacundonus reprimendo Saxumano suâ officia, consilia, & ad extremum minas, nec tamen illum conscientiâ virium ferocem de sententiâ dimouit. Interim Iunior Bungi Rex collecto exercitu satis valido, cum obstare Saxumanis irrumpentibus vtiliter posset si fortiter auderet, intempestiuissimâ expeditione in Bugiense finitimum, nec à quoquam tunc oppugnatum Regnum omnes secum suas abduxit copias. Vnde factum, vt cum Saxumanus diuiso bifariam exercitu duabus ex partibus Bungum intrasset, non modo pagi, & minus munita oppida, rapinis atque incendijs fœde vastarentur, sed arces etiam proditione Præfectorum, sui destitutionem, & alias iniurias noui Regis vleiscentium, dederentur passim. Miserabilis potissimùm, & nobis pro instituto deplorandæ Ecclesiarum vastatio fuit. Miscuerant se copijs Saxumani, & ipsis per se malè animatis in Christianos, Bonziorum armata multitudo, tempus vindicandi spretum Deorum suorum Numen sibi oblatum gratulantium. Hi furore plusquam Barbaro, ac planè Satanico in Cruces fortè obuias, & similia monumenta pietatis Christianæ debacchabantur, templa diruebant, sacras imagines, sacras vestes, sacra vasa, ferro, aquis, aut igni male perdebant. non semper impunè. Nam ipsorum quoque sermonibus celebrata sunt exempla tunc visa manifesta Diuinæ vltionis in phanaticos Salebrata sunt exempla tunc visa manifesta Diuinæ vltionis in phanaticos Sacrorum violatores, quorum alij haud multò post, quam istis se sacrilegijs polluerant in horrendas calamitates, & miserrimas mortes inciderunt: alios

117 Arcis Vogaquij Clades.

118 Et Oppidi Nagasamæ.

119 Templum maximum Idolorum Meaci destructum.

120 Franciscus Rex Bungi regnum cedit Filio.

121 Eius sæuitia in Christianos.

122 Saxumani expeditio in Bungum.

123 Cambacundoni minis non repressa.

124 Regis Bungensis imprudentia.

125 Strages Ecclesiarum à Bonzijs.

126 Vltio Diuina in sacrilegos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ipso flagranti ardore sceleris, repentina ingruentis ruinæ calamitas oppressit. Sed tolerabilior iactura fuit parietum, tectorum, rerumue inanimarum, vtcumque consecratarum Deo, quam viuentium Dei Templorum, hominum videlicet Christi Doctrinam profitentium; quorum ingens numerus omnis sexûs, conditionis, & ætatis partim sanguinem, ac vitam dedit ferro Barbarorum fidem in Christum extorquere conantium; partim hanc ipsam aleam vt præuerterent Domibus profugi, cum Crucibus in manu, & globulis precatorijs palam de collo suspensis, hyeme sæuiente (nam hæc mense Decembri tum etiam supra vsitatum modum rigido gesta sunt) in syluas, montesque auios, sorte nihilo morte ipsa mitiori, recesserunt. In quo numero Matronæ plurimæ prænobiles, eiusdemque ordinis, sed terentioris ætatis, non paucæ virgines fuerunt, præter Religionis tuendæ curam, etiam pudicitiæ à petulantiâ militis victoris asserendæ studio instinctæ. Duodecim sacras ædes hæc tempestas euertit. Funaium, Vsuquium, cæteræque vrbes direptæ, incensæ Domus præsertim Societatis, quæ in his fuere. Iram Barbarorum, Bonziorumque furias senserunt Nostri ex toto exterminati Bungensi Regno, præter paucos in arcem Vsuquiensem receptos, quæ captâ ciuitate capi non potuit: Sed perfugium opportunum haberunt in Amangucciano Regno, cuius Rex Moridonus Simonis Conderæ Christiani Ducis interuentu reconciliatus Christianis, duas in terris suæ ditionis nostris stationes concesserat, alteram in ipsâ Vrbe Regni Metropoli, alteram in portu Ximonocuquensi: quo exemplo Rex Ixi Patruus Amanguciani Regis, Patres nostros in suas terras inuitauit, eisque sedem attribuit commodam. Hæc in Bungo sub finem anni 1586. contigerunt: quæ vtcumque festinantes transmittimus, silere tamen nefas fuerit heroicum facinus Christianæ mulieris, Cloëliæ illius olim decantatæ Romanæ Virginis decus supergressæ. Hæc ex arce Vsuquiensi ardentem in Vrbe captâ & direptâ Domum probationis Societatis, & duo templa Christianorum videns, non magis eius spectaculi acerbitate pungebatur, quam æmulo zelo, quòd magnificum Cœnobium Bonziorum, cum speciosa Idolorum Delubro, in orâ continentis ab arce angusto freto diremptâ, cernebat. Itane, inquiebat secum indignans, Euangelicorum Ministrorum Sedes, Christi templa ipsius in cineres abeant, stet contra victrix Impietas, & nefaria prophanorum Dæmonum culmina se ostentent. Talia repuntem nocte concubiâ diuinus quidam ardor abripiens, vt subito fretum sola enataret impulit. Mox non vno loco ligneis, vt fere sunt ædificia Iaponica, ædibus igne admoto, repetito natatu se arci reddidit; indeque vndantem è Cœnobio, ac templo Bonziano per tenebras flammam, & magno solatio spectauit suo, & pari gratulatione alijs ostendit.

In Prouinciâ Mexicanâ feliciori, quam vmquam antea successu Res Christiana procedebat. Multæ, ac claræ tum infidelium, tum sceleribus, ac flagitijs deditorum hominum Mexici conuersiones magno applausu visæ sunt. Tribunus militum mox à confessione vitæ totius apud nostrum Sacerdotem obitâ, vulneratus ex insidijs ab inimico, non solum ipse generosè condonauit iniuriam Sicario, sed milites proprios ad vltionem sceleris ardentes, illis verbis cohibuit: omnia volo mihi à Deo ignosci, & ego homini nihil remittam? moxque sclopum illum ipsum quo erat vulneratus elapsum, ictu explosо, latronis manibus, ipsi reddi iussit. Est inter cæteras Indigenarum superstitiones, & vsus Magiæ frequens. Ad hanc spebus amplis Cathecumenum Indus alius pelliciens, Diabolum vti promiserat illi stitit. Sed eo tetrâ specie conspecto territus Neophytus, præstare quod promiserat non potuit. Sacrum enim IESV nomen, quod nominatim ne faceret Magus cauerat, pronunciauit. Extemplo velut cuspide sagittæ icta fera (sic enim referebat pœnitens attentatæ noxæ Cathecumenus) ad illam vocem malus Dæmon fugit, & euanuit. In Collegio numerosa iuuentus

127 Patres Societatis eiecti è Bungo.

128 Receptum habent in Amagaceia, o, & Ixensi Regnis.

129 Facinus heroicum Christianæ mulieris.

130 Generosa iniuriæ condonatio.

131 Diabolus nominis IESV inuocatione fugatus.

tus fructu in præsens vberi, spe in posterum lætiore instituitur. Ad duo vetera Seminaria, & Sodalitatem Beatæ Virginis frequentem, Tertium nobilis Indicæ iuuentutis Seminarium adiunctum. Theologiæ, Philosophiæ, Humaniorum artium, ac omnis generis literarum, non minus ferè, quam in Europæis Vrbibus, studia florebant. Alacritas quoque Iuuenum studentium, propositis & cum solemni dramate palam distributis speciosis præmijs aureorum quadringentorum pretio excitata est. Excolendis quoque Æthiopibus seruis, quæ maximo numero venalia corpora huc ex Africæ littoribus transuehuntur, proprium sacellum extructum, adornatumque est. Tepotzolanensis Societatis statio hoc anno in Domum probationis versa, & recentes è sæculo Tyrones idoneo numero, & scholares nostros iam studijs perfunctos tertij (vt vocamus) anni experimentis, successu quam optimo excoluit. E domestico Religionis feruore in externam salutis proximorum curam non minus vtiliter processum est. Patres tertij anni Mexicanæ Othomitanæque linguis ibi vsitatis addiscendis strenuâ operâ impensâ, statim earum specimen Concionibus, & Christianæ Doctrinæ explicationibus edunt. Omnia itaque sanctis ad omne Decus adhortationibus feruebant, cupidè audiente populo, & monstratam viam non segniter sequente. Quintâ quaque, ac sextâ feriâ per quadragenarium ieiunium congregata in templum nostrum multitudo, post auditum de Passione Domini, deque imminentibus homini nouissimis sermonem, flagellis in se acriter sæuit, studio partim Christo compatiendi, partim castigandi præterita peccata. Iucundum est audire, vt deinde per plateas in circulis bona plebs, vt Patres, Matres, filijque familias, domi quique suæ inter se audita retractent, locosque Euangelicæ lectionis in se transferant, dum alius se Lazarum excitatum è Sepulcro, quidam eductum è loculo filium Naimensis viduæ dictitant. Feria quintâ maioris hebdomadæ collatis eleemosynis instructum in nostro atrio prandium est pauperibus quingentis, quibus primores Ciuitatis ad mensam ministrarunt. Ostendit etiam neophytis confirmandis multa Deus mira. Mulier annum iam duodecimum marito absente, cognatis affinibusque miseram negligentibus in summam inopiam redacta, & tamen conditionem oblatam copiæ parandæ profligandâ pudicitiâ fortiter respuens, in extremis angustijs benignissimo alloquio apparentis noctu in multâ luce Mariæ Deiparæ mirifice recreata est. Alia bona, & religiosa fœmina in optima valetudine, clare Domi suæ visâ specie personæ illustris, & splendidè vestitæ, quam S. Petrum Apostolum, cui deuota in primis erat, fuisse ipsa interpretata est, arcano simul sensu admonente, esse illud signum velocem instare sibi migrationem ex hac vitâ, Sacramentis extremis se muniuit: & intra triduum animam reddidit. Quendam morbo implicitum lethali horror insolitus denunciatæ mortis angebat; cum ei se obtulit clarâ luce conspicuum formosissimus Iuuenis, Angelus haud dubiè ipsius custos, qui procul aureos ei colles gemmis splendidissimis latè fulgentes ostendit, & vagantes per eos exultantibus choris felicium hominum speciosas turmas; illuc dicens Christianos morte transire: quâ æger specie, ac voce mirifice recreatus, omnem metum vltimi transitûs absterfit. Alia prætereo eius generis: itemque Dæmonum ludibria fide ac constantiâ Neophytorum egregie reiecta, vt heroicum adolescentis Indi facinus referam. Vocatus Sacerdos noster ad ægrum famulum Sartoris extremis Sacramentis procurandum, reperit esse illum adolescentem Stirpis apud Indos Regiæ, qui peregrinandi curiositate in Christianorum terras excurrens, ante annos aliquot, audito forte Cathechista quodam nostro, ad baptismum allectus, decreuerat ad Patrem Colulæ Vrbis opulentissimæ Regulum, non amplius redire, ne dum hereditatem Regni terrestris captat, Cælesti excideret. Ergo dissimulatis Natalibus, famulum se vili mercede Christiano Sartori addicit, eaque in humilitate septem exactis annis, hoc à Deo immisso mor-

132 Institutio iuuentutis rectè, ac feliciter curata.

133 Serui Æthiopes exculti.

134 Domus probationis Tepotzolanensis.

135 Fructus copiosus Ministeriorum Societatis.

136 Mira Diuini tus ostensa.

137 B. Mariæ, & S. Petri apparitiones.

138 Angeli Custodis beneficio timor mortis absersus.

139 Regius adolescens sartoris artificiū Christi causa exercet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo ad fidei, virtutisque tantæ beata præmia feliciter migrans transijt.

140 Angelopolitani Collegij fundator. Angelopolitani Collegij nostri fundator hoc anno suo merito declaratus est Melchior Couarruuias vir clarissimus. Donauerat aureorum viginti octo millia, quibus empti fundi conficiunt illic annuum vectigal senum millium. Hoc nouo subsidio laxatis prioribus angustijs, ad tres priores Grammaticæ, ac Humanitatis classes, quarta est Rhetorices adiuncta. Frequentantur autem illic scholæ nostræ lectâ manu nobilis iuuentutis. Templi quoque noui ædificatio cæpta. Non silendum, quod vni è nostris ad cruciarium mox ducendum accito contigit. Confessione peractâ Reus, scire te velim, Pater, inquit, me à Deo vocatum in Societatem vestram, & in eam admissum, paucos ibi menses perdurasse. disciplinæ enim impatientiâ, & regularum contemptu breui factum est, vt sanctæ vitæ pertæsus, ad prioris licentiam redirem. In quâ cupiditatibus obsequens meis huc denique perductus sum. Hoc quæso Iuuenibus vestris refer, vt exemplo meo admoniti pericula propria declinent.

141 Pœna cuiusdam, qui Societatem dimiserat. Pascuari, quæ est Ciuitas Mexicanæ Prouinciæ nobilissima, vbi nostri sedem habent, consuetis ministerijs Societatis successum ingentem Diuina benignitas hoc anno dabat. Mirus hominum omnis generis concursus ad frequentanda Sacramenta; quæ in morbis adeò vulgo expetunt, vt à puerulis etiam ætate legitimâ minoribus sacrum Viaticum flagitetur. Puella fuit septennis lethali morbo implicita, cui cum Pater Eucharistiam sæpe negasset; licet nihilò minus, quam adultorum quilibet in fide, ac ratione mysterij eius eruditæ, quod eius sermonibus patebat; postridie redeunti virgunculæ vehementius institit, addens: sibi nocte præcedenti adstitisse Reginam Augustis edixerit, sacram Eucharistiam percipere ne differret, tertia enim die moriturum, simul cum parente, qui in eadem Domo ex morbo decumbebat. His Sacerdos motus sacrum Christi corpus impertit puellæ, cuius vaticinio fides constitit designato tempore.

142 Imago B. Virginis è Romano Sancti Lucæ exemplari expressa, miraculis illustris. Propositum in nostro templo exemplum Imaginis Deiparæ è Romanâ Sancti Euangelistæ Lucæ tabulâ expressum, illustribus breui miraculis claruit, quorum multa in annuis nostris videnda relinquimus. Manilæ, vt Coloniam Hispani nouam muris, propugnaculisque muniebant; ita nostri toti erant in moliendo templo, vbi, & Deum rite colere, & gentium illarum saluti vacare possent. Huc appulsâ hoc anno è Iapponiâ naui, octo Iapponij eâ nauigatione conuersi ad Christianam fidem, prædicatione Gabrielis cuiusdam Meacensis Christiani, qui negotiorum causâ vna venerat, Manilæ à nostris solemni ritu baptizati, & ab Episcopo sacro Chrismate confirmati sunt.

143 Octo Iaponij Manilæ baptizati. Limæ in Peruuiâ vbi octoginta è nostris ingenti operæ pretio in procurandâ gentium illarum salute versantur, hoc anno VIII. Idus quintiles sub vesperam terra moueri cepta, primum leniter, mox vehementius, ad extremum horribiliter, vt fluctûs irati Maris continuis succussionibus imitaretur. Pars superior ædium nostrarum ruit, templi fastigium decidit, parietes passim omnes rimis hiabant ruinamque minabantur. Nox insomnis & solicita Ciuitati fuit, cunctis miserabili consternatione in loca subdialia nec ruinis obnoxia prodeuntibns. Nostri lucernis prælatis per vicos discurrebant afflictis consolandis & excipiendis confessionibus expiare conscientias in tanto periculo cupientium. Late per regionem pestis eadem grassata, præsentissimo discrimine Proregis ipsius in portu Callao Classi Regiæ

144 Terræmotus Limæ.

145 Consternatio nocturna

146 Proregis periculum. mox in Hispaniam soluturæ expediendæ intenti. Nam præter ruinam ædificiorum, quibus ne obrueretur bis minimum abfuit, cum in nauem secedere cogitaret, consilijs alias expertorum eam cladem, admonentium solere per eam efferari mare ipsum, & effractis repagulis in terras excurrere, salubriter reuocatus est, eo ipso, quod timuerant, mox secuto.

Mul-

Multi mortalium partim oppressi lapsu tectorum, murorumque, partim eluuione inundantis Oceani miserè hausti perierunt. Superstites salutari Diuini Numinis metu perfusi, eò se promptiores ad peccata detestanda, officiaque Religionis obeunda præbuere. Ipsa communiter Ciuitas festum Visitationis B. Mariæ, cuius infra octauam clades contigerat, se præcedente ieiunio quotannis solemniter celebraturam vouit, supplex venerans Dei Matrem, vt se à similibus in posterum malis protegeret. E Cuschensi Collegio in Regionem Andes dictam, è Potosino in septem vicina oppida, ex Arequipensi in varia loca, sexies septiesue excursum est fructuosissimè. Baptizati post sufficientem institutionem supra sexcentos, veteres Christiani maximo numero Sacramentis, & Doctrinâ exculti. Panamæ, vbi frequens concursus venientium ex Europa est, Duo è nostris Limâ missi ad procurandos mores, animosque hominum in tam frequenti, & negotioso emporio, plenam laboris Prouinciam pari aliorum vtilitate, ac consolatione propriâ gessere. Fraudes commerciorum, contractuum labes, partim emendatæ, partim impeditæ. Procuratæ a Ditioribus eleemosynæ, quibus ægri in valetudinario, vincti in custodijs recrearentur: vtrisque frequenti, ac sedulo Ministerio inseruitum à nostris est. Vinctis etiam gratia Iudicis ita conciliata, vt quadraginta ex ipsis in discessu nostrorum vltrò liberos emiserit. Iulienſis statio præteritorum laborum præsentes fructus videt in mirabili mutatione gentis illius, antea veneficijs, & flagitijs funditus perditæ, nunc Diuinæ gratiæ operante virtute, sathanicas præstigias, & libidinis illecebras egregiâ passim constantiâ repellentis. Exempla huius anni litteræ memorant mulierum, quæ isthic vitam ipsam pro pudicitiâ paciſci promptæ, tentatoribus impuris vsque ad sanguinem restiterunt. Hoc nimirum illæ robur hauserant, è Sacra Eucharistiâ, cuius, vti & salutaris Confessionis vsus cum sit illic frequentissimus, eius item est æstimatio, veneratioque maxima.

147 Ciuitatis Limanæ votũ in honorem B.V. Fecit hîc quoque pro more prouidentiæ suæ Deus, vt recentis Ecclesiæ fidem, ac mores, quasi plantas teneras; miraculorum quadam irrigatione, vt magnus Gregorius loquitur, educaret. Multa his locis per hæc tempora supra naturæ vires mirabiliter ostensa, partim in annuis nostris partim in Historiâ Virginis Copacabanæ, pridem editis recognoscere licebit. Nos enim desidere in locis etiam amœnis longitudo viæ, quæ supereſt non sinit. Non ingrata esse his Gentibus Societatis nostræ Ministeria, patuit occasione dissipati latè rumoris: Patres nostros ex hisce tractibus recessuros. Tum enim ex toto agro Potosino Complures opere relicto ad Regium Consilium itinere tridui accurrences, enixè rogarunt ne tantum sibi mali euenire sineret, vt subsidio, & solatio, tam beneuolorum, & salutarium Sacerdotum priuarentur, quibus amotis vita ipsis haud amplius iucunda foret. Delectati Regij Consilij Præsides istâ solicitudine bonæ plebis, innocentiæ, ac Religionis indice non dubiâ, supplicationes hasce, instrumento per Notarium publicum ritè confecto mandatas, ad Regem in Hispaniam miserunt. Nostrorum per varia loca excurrentium ars erat ad stabilienda etiam in tempus imminentis absentiæ, quæ præsentes instituerant, erigere sodalitates sancitis legibus certis. Ea res optimo successu Cucuiti, & Ilabi hoc anno tentata est. Conflatis vtrobique operâ nostrorum sodalitijs sub inuocatione nominis IESV, quibus iam tum à primâ origine ad octoginta è primarijs Indigenarum nomina dederunt. Data hoc anno Societati stabilis sedes est in Vrbe *Chiti* non minus ferè celebri, quam Lima est, & Metropoli Cognominis Regni. Milliaribus nongentis abest à Limâ, Episcopus ibi, Prætor item Regius cum Consilio moratur; cunctorum ferè Religiosorum Ordinum Cœnobia visuntur. Collegium Societatis sæpius ab Episcopo, à Clero, ab Hispanis Magistratibus expetitum, variâ difficultate rerum non hactenus superabili

148 Missiones variæ perutiles

149 Ægri in valetudinarijs, vincti in custodijs curati.

150 Iulienſis stationis fructus.

151 Mira diuinitus ostensa.

152 Falsus rumor de discessu Sociorum veram in eos caritatem populi detegit.

153 Sodalitia vtiliter fundata.

154 Fundatio Residentiæ in spem Collegij in Vrbe Chiti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bili dilatum fuerat. Hoc demum anno Tres è nostris Sacerdotes cum adiutore Laico eò peruenientes in Xenodochium publicum diuerterunt, vbi per octiduum ad affluentem ingenti numero populum primum specimen industriæ Societatis in excolendis animabus ediderunt, Concionibus, & Christianæ Doctrinæ lectionibus habendis. Hinc ad ædes perpetuæ ipsorum habitationi paratas, nec incommodas, publice deducti; assignato quoque ipsorum vsibus contiguo templo Sanctæ Barbaræ, in cuius se Diuæ clientelam tota illa Ciuitas dedit. Initium hic annus dedit celebri, ac memorabili Missioni nostrorum in Regnum Tucumanum, cuius aliqua hîc primùm obiter informanda notitia est. Patet ea regio milliarium spatio facilè sexcentorum. Quinque per eam idoneâ distantiâ sparsæ maiores Ciuirates Hispanis Magistratibus subiectæ, pluribus circum quaque minoribus oppidis, ac pagis præsunt. Nomina Vrbium sunt: Salta, Stecum, Sancti Michaëlis, Corduba, Sancti Iacobi Delstero. In hâc tunc vltima Domicilium habebat, qui præerat Prouinciæ Hispanus Prætor. Ibidem Episcopi sedes erat, cuius Diœcesis totum illud regnum amplectebatur. Abest hæc Episcopalis sedes à Limâ passuum millibus mille quingentis, felix, feraxque idonearum ad victum, cultumque rerum vsque ad luxuriam tota terra est, inde vt fit incolis frequens, quorum ingenia, ac mores instituentium inopiâ sylvescunt. Quinque admodum Sacerdotes procurationem animarum in quinque Vrbibus, & subiectis earum cuique pagis exercent, perpaucis Religiosis adiuuantibus. Ergo fœda passim ignoratio scitu necessariarum ad salutem rerum, prolapsio in vitia frequens, & exemplorum multitudine aduersus verecundiam, & conscientiæ reprehensiones audax. Ne baptizati quidem plerique sunt. Nec baptizatorum sors melior, fundinihil magnopere ab Infidelibus differentium. Docile tamen ingenium gentis, ac Disciplinæ capax ferè est: nec superstitione præoccupantur animi. Nullus enim ibi cultus idolorum viget. Sed causa tam neglectæ culturæ præter paucitatem Sacerdotum, de quâ diximus, varietas linguarum est: quæ plures, quam pro spatio modicæ Regionis, Tucumanos dirimunt. Eæ ad tria quasi genera reuocantur: sub quorum singulis Dialecti multæ velut species sunt. Hinc fit, vt cum rarò reperiantur Euangelici Ministri, qui omnes calleant, ij solos illos curant, cum quibus ipsis intercedit commercio sermonis. His incommodis solicitus Episcopus, vir eximiæ religionis, & illo loco dignus, cum comperisset esse in nostrâ Societate, qui Toconoten, Calam, & Sanauironam linguas tres Matrices Tucumanicarum Dialectorum, satis notas, vsuque tritas haberent, ex ijs Sacerdotes impetrauit primùm duos, deinde negotio sub manum succedente, tertium quoque, qui simul adiuncto adiutore Laico Regnum illud vniuersum, vt laboriosissimè, ita vtilissimè lustrarunt. Profecti è Potosino Collegio pridie Kal. Septembres huius anni, primo Saltam tenuerunt, itinere prælongo, aspero, & præter cæteras difficultates etiam latrocinijs infesto. Hinc Stecum, via nec commodiore, nec tutiore ventum: vnde per siticulosa, & solis vapore tosta æquora camporum, labore summo ad Vrbem Episcopalem S. Iacobi Delstero peruenientes, ab Episcopo, & populo iussu eius obuiam effuso, humanissimè sunt excepti sub finem huius anni, multis eo itinere præclarè gestis. Nam, vt in quamque Ciuitatem venerant, ibi concionando, Sacramenta ministrando, vicos, & pagos circumpositos obeundo, quoad erat necesse persistebant, incredibili profectu populorum, cuius specimen, vel inde licebit sumere, quod cum Steci essent, quam secundam Vrbem numerauimus, interim dum alij concionibus habendis, Sacramentis ministrandis in Vrbe vacant, excurrens vnus Sacerdos, comite Laico per oppida subiecta, bis mille quadringentos, ac præterea quatuor, & viginti baptizauit, extremâ fermè omnes ætate, quorum plurimi centenarium excessis-

155 Missio in Regnum Tucumanum.

156 Numerus in eo Ciuitatum.

157 Vbertas soli.

158 Ingenia indigenarum incultra.

159 Miser status illius populi.

160 Linguarum ibi varietas impedimentum culturæ

161 Episcopi zelus pro suo grege.

162 Profectio nostrorum.

163 Exceptio perhumana ab Episcopo.

164 Fructus ex Ministerijs Societatis.

cessisse ferebantur. Ab Vrbe S. Iacobi duxit illos ipse Præsul in cæteram Diœcesim sub initium sequentis anni, vt ibi Deo dante referemus. Suscepta est hoc quoque anno à duobus è nostris Sacerdotibus, & vno Laico expeditio ad oppidum Sanctæ Crucis in Monte, locum Religioni propagandæ latissimè, sitûs quadam felicitate opportunissimum habitum. eò, tamen peruenîri nisi anno sequente non potuit. Interim enim dum viæ longæ, ac infestæ præsidium, & comeatus paratur ab Hispanis, quorum in comitatu ituri Patres erant, diuturna mensium septem in conualle quadam statiua fuere, minimè nostris otiosa. Nam Indos, Hispanosque permultos consuetis Societatis Ministerijs iuuerunt, prætereaque cum Legatis Viracanorum (nomen est gentis ijs locis finitimæ) ita egerunt, vt ostium magnum Euangelio aperuisse viderentur, cætera sequente annali reddemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARTIS QVINTAE

TOMVS PRIOR

Liber Septimus.

A.C.1587. Soc.48.

MOMENTVM inæstimabile per omnes ferme terrarum oras, priuatæ, publicæque pietati fecit Sodalitatum institutio hominum cuiusuis ordinis etiam non discentium: quarum ex anno, quem iam aggredimur, censeri natalis potest, cum diplomate Pontificio potestas facta est eas ad Romani Collegij primariam adiungendi, vt ijsdem Indulgentiarum beneficijs fruerentur. Ex hoc enim tempore frequentari passim cœptæ. Iam tum sub S. Ignatio nonnulli ex hoc genere inchoati cœtus erant, ac nominatim Neapoli sub titulo venerationis Sanctissimi Sacramenti, qui hodieque perseuerat, in Domum professorum anno 1610. translatus ab Collegio: sed in formam certam, interseque consimilem haud satis coaluerant. Progressu temporis Panormitana inter nobiles maxime adoleuit sodalitas, ex qua in omni genere pietatis fructus efloruere multi, atque præclari, & inde in Hispaniam ipsi propagati sunt eiusdem formæ cœtus. Quippe anno octogesimo tertio vnus sodalium natione Hispanus, cum in patriam regressus Valentiam, narraret quam præclara in conciliandis dissidentibus, subleuandis calamitosis, defendenda innocentia; ad hæc in domorum singularum Christiana disciplina, per eum conuentum Deus efficeret, Hieronymo Domenecho acres admouit stimulos, compar vt præsidium Valentiæ moliretur, sicut anno insequenti post consultum Claudium Generalem, de eius sententia in Spiritus Sancti patrocinio, ac nomine prospere inchoauit. Alia subinde alibi instituta sodalitia sunt (vt suis nos annis interdum notauimus) non solum Nobilium, sed & Sacerdotum, & mediorum Ciuium, & Opificum, ac plebis etiam rusticanæ, ad alia super alia conflanda industriam excitante successu, qui plane spem superabat. Namque ex his aliquanto etiam maior quam è scholasticis fructus extabat, quod vt ætatis firmitate Sodales, autoritateque præibant, ita & ibi firmius ad virtutem informabantur, & ad alienum profectum plus habebant momenti, siue exemplo, siue conatu, quia totæ in vno Patrefamilias domus emendabantur, communi cum Ciuitatum emolumento, quarum publicæ res recte habent cum priuatæ in bono sunt statu. Tanta igitur cum existeret plerasque per Prouincias ex hisce sodalitijs diuini cultus commoditas, simulque Pontificiæ indulgentiæ dona exoptarentur; institit, impetrauitque Claudius, vt liceret eas Primariæ contribui Romani Collegij, atque ijsdem beneficijs impertiri. Quod ita factum est, vt titulum, ac nomen ab Annunciatione Virginis haud necesse foret assumere. Addita est ea cautio, ne quod

1 Congregatio B.V. Annunciatæ Romana per orbē imitatione propagatur.

Primum Neapoli.

Tum Panormi.

Et Valentię, & alibi.

2 Congregationes item aliq instituę vtilissimè varij generis hominum.

3 Impetrantur Sodalitatibus Indulgentiæ.

quod vnquam inde impedimentum Societati ad maius Dei obsequium creari posset, eoque Generali, si quando ita è re videretur, ius dissoluendi eas tributum. Iam cœperant sodalium quidam Valentiæ nominatim, atque Neapoli annuas legare pecunias arbitrio Sodalitatum suarum, pios in vsus atque necessitates inopum erogandas; sed vetuit Claudius accipi, ne paulatim abirent nostri conuentus in formam Confraternitatum, quas Societati curare moris non est. Nec mirum est, opus vsque adeo salutare non impensius primos Sociorum complexos: illa namque paucitas præter perennes discursus, nec alijs quidem sufficiebat consuetis muneribus: reseruatum ergo quasi diuinitus adultæ Societati videtur, vt quò longius æuo, numeroque procedit, hoc maturiores, vberioresque fructus edat. Quia non defatigatur fœtibus, sed potius fœcundatur, caritatis industria. Nobilium Sodalitatem Neapolitanam apud Philippum Regem, cum insuspicionem quidam vocarent, tanquam conspirationibus opportunam, vt in quam Dynastarum, ac Procerum plerique conscripti essent, edoctus Rex quam sincere, quantoque bono publico ad cunctas ij se se pietatis partes extenderent, nihil moræ laudabili incœpto ponendum censuit. Multæ haud semel nec vna in Ciuitate contenderunt Matronæ, vt ipsis quoque liceret in huius generis conuenire cœtus: sed res nullo modo probata est. Adeo vt, ne cœtibus quidem, quos alicubi ad Catechismum promouendum certæ habebant pietatis perspectæ feminæ, quempiam Sociorum interesse placuerit.

4 Cur ab initio Societatis Sodalitates institutæ non sint.

5 Neapolitana Sodalitas apud Philippum Regem frustra accusatur.

6 Cœtus feminarum non probatur.

Multis iam per Europam in Prouincijs Societas iactabatur. Dubiæ in Polonia erant res, afflictæ in Transyluania: in Gallia, & Hispania, vel ab externis, vel ab ipsis exercebatur domesticis. Itaque in omnes partes circumspiciens Claudius, & tanquam caput membrorum sentiens cunctorum dolores, ac leuamenta conquirens, egregia ad Prouinciales monita misit, vulgatâ hoc anno eâ Epistolâ, quæ quarta inter eius editas habetur, inscripta: de quibusdam medijs ad Societatis conseruationem facientibus: quâ cum omnibus Prouincijs in commune consuluisset, tum singulis opportuna etiam auxilia procurauit. Res Hispanicas egit cum Pontifice diligenter. Visitatorem in Galliam Assistentem Laurentium Magium destinauit, cuius interim loco legit, ac Prouinciales probarunt, Ioannem Baptistam Carminatam. Magna etiam curâ supplementum Sociorum in Transyluaniam destinauit, quæ suis infra locis plenius exponentur. Habita de more post triennium stato tempore Congregatio Procuratorum hoc anno est Romæ. Erat Castellana Prouincia, quæ Generalem Congregationem cogendam censeret: sed vbi cognitus est Societatis totius status, ac Prouinciarum reliquarum consensus, nihil opus esse Generali conuentu, nemine excepto visum est omnibus.

7 Visitator in Galliam mittitur Laurentius Magius Assistens.

8 Congregatio Procuratorum habita Romæ.

Romæ quarto idus Martij in Germanico decessit Collegio, qui illud inde vsque ab initio cum à Gregorio XIII. fundatum est, per annos quatuordecim rexerat Michaël Lauretanus. Itaque primus eius Rector iure censeri potest. Natione erat Illyricus, ortus in Italia Recineti. Ad Societatem Laureti adiunctus sub annum 1556. cum in B. Virginis æde Lauretana, vnde sibi cognomentum adsciuit, Cantorem ageret. Post breuem, vt ferebant tempora, tyrocinij religiosi disciplinam missus in Prouinciam, vt tunc vocabatur, Longobardiæ, plus quatuor annos partim Patauij, partim Foroliuij Humanitatem docuit, dein etiam Romæ. Inde disciplinis maioribus eruditus, in concionibus, & confessionibus cum laude, fructuque versatus est, boni viri, & in omni virtute æquabilis semper fama notus. Præfuit aliquandiu Bononiensi Collegio Rector: postea in Germanico veteri biennium Minister: ad extremum Rector in eodem nouo creatus est: ad quod munus sortitum eum omnino diuinitus eximiam facultatem euentus ostendit. Debetur ei quicquid in eò tantæ molis Colle-

9 P. Michaël Lauretanus moritur.

10 Vitæ eius summa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gio disciplinæ, ac pietatis, quicquid legum, ac morum, quicquid Diuini cultûs: & religiosi ritus hodieque viget; quin etiam quæ postea institutа sunt varias per oras eius generis contubernia, inde formam, inde institutorum pleraque petiuere. Ipse Coellgij leges, ac mores composuit, singula vsu multum, diuque ante periclitatus. Gregoriani formam diplomatis, quo Collegium statutum est, idem ipse concepit: quod diploma tametsi consequuti Pontifices alicubi, vt seuerius, temperarunt, tamen ab eius rei prudentibus magni fit, tanquam valde aptum, pium, plenum, septum vndique, & in omnes casus communitum. Porro administrationis suæ rationem ita disposuerat, vt primam curam fingendis ad pietatem moribus: proximam Ecclesiæ ritibus ediscendis: tertiam literarijs traderet disciplinis. Nam cum iuuentutem sibi formandam videret sustinendæ per Septentrionem, restituendæque pietati Catholicæ destinatam, multum quidem momenti reponebat in literis; sed multò plus in vera animi virtute, curaque diligenti sacrorum: quippe quæ si excellenter adsint, literarum præstantiam desiderari non sinant. Intelligebat igitur Septentrionem pastorum idoneorum inprimis laborare penuria: & hanc iuuentutem in illud maxime supplementum parari: Itaque sic instituendos, vt pastorale munus non modo possent implere, sed quod caput est seriò susceipere, & constanter administrare vellent. Itaque id esse primum, vt pij essent ipsi, ac studio pietatis arderent, & in ijs maxime rebus pietatem colerent, quas Hæreticorum impietas proterere conaretur. Deinde sacras cæremonias non optime solum callerent, sed etiam magni æstimarent, itaque tractarent, vt ijs delectarentur, in ijsdem consuescerent, quo dein sua quisque in patriâ tantò eas obirent perfectius, nec curam vnquam aliò inclinarent. Nam qua quisque in re præstat, & assueuit, in ea facile perseuerat. Videbat igitur Michaël primam esse pietatis curam, vt fundamentum ædificij totius: eoque studiorum Præfectos, atque hypodidascalos adamabat non tam Doctrinæ, ingenijque subtilitate miros, quam consummata honesti laude spectandos. Rodulfum Aquauiuam, Antonium Mariam Parentucellum, & huius notæ libenter habebat viros, adhibebatque in Sodalitatibus Dei Matris regendis, quæ lectis florebant iuuenibus, egregieque cursum tenebant. Quarum secreta vna erat de Veneratione Sanctorum. Eodem magna ex parte pertinebat occupatio in assiduo rituum sacrorum cultu, quæ fugaces ad deteriora iuuenum mentes sanctis cogitationibus illigabat, & sensim sanctarum tractatione rerum sanctitate imbuebat. Eam ob rem Templi, Altarium, Sacerdotum quam poterat splendidum, & magnificum ornatum curabat: symphoniacos noragebat. Quæ cum fierent haud sine magnis sumptibus (adeo vt Visitator olim Sebastianus Morales ponendum eis modum censeret) tamen apud Euerardum Generalem Michaël tenuit ne quicquam moueretur: asseuerans ea necessaria omnia ad instituti Collegij propositum, vt iuuenum animis diuinarum rerum species, ac Maiestas, quæ par foret ingeneraretur, ac firmiter inhæreret. Quicquid è splendore illo, apparatuque detraheretur, ex ipsa rituum sacrorum disciplina decessurum, eamque ad extremum paulatim lapsuram. Ad res ordinandas, cumque Deo communicandas, cum occupationum multitudo haud satis diurni spatij vacuum relinqueret, nocturna quieti destinata rapiebat tempora: nec rarò totas creditur solitus vigilare noctes, nunc in precibus, nunc in rerum præmeditatione agendarum. Nec vero maiore valebat prudentia ad bene sapienterque excogitanda, quæ ex vsu forent, quam ad eadem transigenda vtebatur industria. Præsens intererat diuinis officijs, & præparandis, & peragendis. Obseruabat, quam quidque apte, tempestiueque fieret: & sentiebant Alumni habitare in eo studio Rectoris curam. Quod si quis

11 Collegij Germanici leges, & Disciplinam Lauretanus constituit.

12 Exquisitum apparatum, & sumptuosam Musicã cur adhibuerit.

13 Noctes ab eo precibus, & meditationibus impensæ.

quid

quid in cantu, gestu, cæremoniaue peccaret, pœna repræsentabatur, quæ in posterum attentionem, & industriam exacueret. Vbi festorum dierum celebrior quis appeteret, in expoliendo, ornandoque templo primum Rectorem cernere erat. Siue pauimentum, quod tessellulis varij marmoris artificioso emblemate contextum est, terendum, & ad nitorem tergendum, siue candelabris æneis reuocandus fulgor, siue quid huiusmodi laborandum, prodibat ille in medium linteo præcinctus, inuitansque alacriter, ac prouocans iuuenes aggrediebatur opus. Atque illi non tantum volentes, sed & gaudentes, seque inuicem hilariter incitantes certatim consequebantur. Ita res impigre fiebant, absolute, alacriter. Adijciebat illam Michaël sapientem omnino, paternamque curam. Nam vti semper operam dabat, vt suus eis placeret status, lætique agerent; ita vbi plus laborum subierant, plus indulgentiæ impertiebat in curandis corporibus, quo fiebat, vt ad autoritatem sibi caritatem adiungeret, & iuuenes exactorum laborum iucundus exitus ad futuros alliceret. In Martyrum Natalitijs haud raro ad eorum Sanctas in Vrbe ædes vniuersos ante lucem facibus viam pandentibus deducebat. Ibi accensis ad sacras reliquias candelis aliquandiu persistebant in precibus, ac ferme aliquid cantabatur apparato concentu. Tum domum reducti, exhilaratique ientaculo, mature ad literarias scholas mittebantur. Ad venerationem Sanctorum primus ipse excogitauit Martyrologij dispositionem litaniarum in modum, quo ritu deinde Petrus Antonius Spinellus librum typis excusum vulgauit: primus restituere, exornareque præsertim Martyrum historijs ædium sacrarum parietes Romæ instituit: Et visitur pie admodum, & eleganter sacra Ædes Sancti Stephani, cui rotundæ est nomen, id genus opere picta: vbi figura ipsa rotundi templi iuuante, omnium ætatum, ac regionum præcipui quique Martyres ad memoriæ, cultusque perpetuitatem vnum sub aspectum cum sacro quodam terrore ponuntur. Nec vero solum iuuenes quandiu in Collegio degebant, curabat, sed etiam dabat operam vt vbi absolutis literarum studijs remitterentur in patriam ita animati discederent, vt vsum cum eo per literas inde etiam retinerent: quos in tempore salubribus erudire præceptis pergebat, & hortatibus incitare. Denique vt erat ita & habebatur vir prudens, industrius, in cœptis vrgendis strenuus, constans, pietatis cultor sincerus, eiusque amplificandæ perstudiosus: quo nomine Gregorio Pontifici admodum probabatur. Nec dubie autoritati eius multum Pontifex dedit in vectigalibus Collegio addicendis. Philippus Sega cum Collegium inuisit Sixti Pontificis iussu, vt suo loco demonstratum est, hominis prudentiam, & administrationem nunquam admirari, ac prædicare cessabat. Ad extremum Villicus fidelis & prudens præclaros tulit fructus villicationis suæ, merita apud Deum ingentia, & sancta opera, quæ eius disciplinæ Alumni longe, lateque per Germaniam, & alias Septentrionis plagas edidere: atque inposterum id etiam consequutus est, quod superuacaneum putabat, vt à multis Germanorum Principum, & Antistitum, haberetur in pretio, qui eius ad occasum ingemuere: nec pauci iustis, velut parentem, exequiarum magnificis honestarunt. Alumni vero, qui præsentes in Collegio adfuere, non solum honoribus ceteris, sed & vberibus lacrymis prosequuti sunt: contenderuntque & peruicere, vt in Collegij templo corpus sepeliretur, eamque ob rem ab Professorum domo, quo deportatum fuerat, referretur, & in Aula, quæ etiamnum cernitur pictam eius effigiem proposuere ad perpetuum grati animi monumentum. Successor ei dum idoneus quæritur, accitus est Petrus Antonius Spinellus, qui Collegium Neapolitanum regebat: & huius loco Neapolim Andreas Spinula missus est, cuius afflictæ simul valetudini sperabatur illa Cæli clementia profutura.

Memoranda hîc venit templi nostri Tiburtini hoc anno perfecta con-

14 Supplicationes Alumnorum antelucanas Martyrum Natalitijs ducit.

15 Martyrologij dispositio in Litanias ab eo inuenta.

16 Templum S. Stephani rotundi picturis ornat.

17 Iudicia magnorum hominum de Lauretano.

18 Alumni perueniunt, vt in templum ipsorum è Professorum domo corpus eius referretur.

19 P. Spinellus Rector Germanici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

structio, satis inopinatâ occasione susceptа, forte quadam conspirantibus in vnum studijs Hominum duorum, & ortu, & vitæ genere dissimillimorum, sed virtute, ac religione præstantium. Iacobus Ximenes patria Hispanus Secretarius Societatis, habebat non rarò ratione sui muneris tractanda quædam cum supremo interprete Pontificiæ voluntatis in Sacerdotiorum collationibus, & concessionibus gratiarum, Datarium vocant. Is est magistratus in Romanâ curia summæ autoritatis ac fidei, grauissimique omnes in partes momenti, quem Pontifex Gregorius Matthæo Contarello Gallo Andegauensi, homini sibi domesticis experimentis, & longo vsu familiarium ministeriorum notissimo, & probatissimo, commiserat. Professus apud Martinum Nauarrum Aspilcuetam, qui hoc ex ore Pontificis à se exceptum scripto contestatum reliquit: se ideo Contarellum tali officio præfeciſſe: *Quod & doctissimum sciret, & integerrimum, & nec pretio nec precibus à recto flexibilem.* Quem his meritis postea in sacrum Cardinalium Senatum adsciuit. Ad hunc igitur cum adire cæpisset Ximenes, vt est illa omnium occupatissima functio, ægrè impetrabat audientiam, nec rarò à familiaribus, & Ministris, homo ipsis ignotissimus subausterè repellebatur. Quod virum in omnes partes circumspectissimum Contarellum non latuit. Itaque cum Ximenes aliquando longâ patientiâ exorato aditu negotium ei suum prudentissimè, ac modestissimè exponeret, admiratus Contarellus iudicium viri, & in aliquam eius verecundiam ingressus; tune, inquit, ille es quem audio à meis Ministris aliquando inclementiùs repulsum? Ad quæ ille nutu fassus quod res erat, se de illis conqueri negauit, quos videret multas, & veras habuisse causas parum sibi deferendi, ignoto vtique nec magni faciendo capiti. Confusus eâ modestiâ Cardinalis, excusauit humanissimè, quod perperam aiebat factum, recepitque curaturum, ne quid tale eueniret in posterum. Quod & cumulatè præstitit. Audiuit deinceps Ximenem sæpius, & semper in eâ, quam primò formauerat opinione confirmatus est de Patris exquisitâ prudentiâ præstantique probitate. Ergo quadam die seducto familiariter in intimum Musеum. Dudum, ait, quærebam, Pater, quod tandem diuino beneficio reperisse in Te videor, virum idoneum quem meæ conscientiæ arbitrum faciam. Quare nisi grauaris istam mihi in posterum commodare operam, non alio deinceps cognitore lapsuum meorum in arcano Pœnitentiæ tribunali, ac iudice vtar. Quo annuente, ex eo tempore statis quot hebdomadis confessionibus aperire illi animum perrexit. Nec ita multo post pecuniam se quandam collegisse retulit, quam eius arbitratu in opus aliquod pium vellet expendere. Pater cogitandi spatio impetrato, commendatoque Deo negotio, exposuit: esse Tiburi Collegium Societatis cum alijs destitutum subsidijs, tum æde sacrâ carens, vbi rite nostra Ministeria exerceri possint. Nihil moratus Cardinalis viginti millia nummûm ei se iuuando prompta habere dixit, eamque pecuniam mox obtulit. Ex quâ duodecim aureorum millibus Templum à fundamentis extrui cæptum, hoc demum anno perfectum est, reliqua octo millia in censum data, quæ vectigal annuum alendis Socijs redderent. Præterea cum vacare contigisset Prioratum S. Sabæ in agro Tiburtino, vt is Collegio Tiburtino adiungeretur impetrauit à Gregorio. Ac quia Templum, quod ædificandum susceperat, Deo dicari in honorem Sanctæ Symphorosæ, ac Filiorum Tiburtinorum Martyrum cupierat. Ex eorum Sanctorum corporum Reliquijs Romæ in Ecclesiâ S. Angeli in Piscinâ religiosè asseruatis partem notabilem Pontificis imperio extrahi curauit, ijsque decorè habendis thecas argenteas donauit, ac anno ab hoc retrò quarto huius sæculi 1583., piè decedens, sacram suam supellectilem (quam Capellam vocant) eidem Tiburtino Collegio testamento legauit. Hoc demum anno manu suprema, vt dixi, Templi ædificio impositâ, tran-

20 Iacobi Ximenis ad Card. Contarellum, gratia vnde orta,

21 Eligitur Ximenes à Card. in Confessarium.

22 Tiburtinum Collegium, à Card. Contarello auctum.

translatio Romanarum eò reliquiarum magna cæremoniâ celebrata est. Auxit solemnitatem caput Sancti Martyris Getulij, S. Symphorosæ viri, ac septem Martyrum Patris, quod Andreas Crucius Tiburtinus Episcopus ex peruetusta æde, quæ Tiburi est Sancti Petri acceptum, vt honorificentius haberetur, in Templum Societatis deportandum ibique in perpetuum asseruandum dedit. Accessit vnius Sanctæ Virginis ex triumphali S. Vrsulæ Comitatu venerabile cranium. Quæ omnes Sanctæ Reliquiæ argenteis inclusæ ferculis sextodecimo Kalendas sextiles, pridie anniuersariæ diei quâ Ecclesia recolit Sanctæ Symphorosæ, ac filiorum palmas, pompâ in primis magnificâ in sacram ædem Templi nostri Tiburtini sunt illatæ. Earum loculis ornandis præter pecuniam à Contarello relictam, Iacobus Ximenes aliam ex alijs amicis corrogatam adiecerat. Clerus Tiburtinus cum Magistratu, ac populo sacris pignoribus obuiam prodijt, porta & viâ, quâ pompa ducebatur, & hinc atque hinc parietibus ad festiuam hilaritatem ornatis. Fornices quoque visebantur subinde veterum triumphalium instar excitati, cum aptis ad honorem Martyrum in fronte titulis, non sine insertâ commemoratione aliorum sanctitate insignium quibus antiquum Tibur gloriatur. Occurrebant aduenienti Pompæ Puerorum splendidè vestitorum, & coronatorum floribus Chori, Symphorosam cum reliquâ Sanctâ Sanctæ Matronæ familiâ salutantium, ac ciuium ex tanto tot sæculorum interuallo suorum triumphalem in communem patriam reditum gratulantium. Ipsemet Beatos Patronos Claudius Generalis ab Româ prosequutus, cohonestandis noui Templi Encænijs, etiam ad Panegyrim ibi collectam, idoneam tempori, & loco, multo audientium applausu, orationem habuit. Magnâ domi forisque inculpatæ, ac religiosæ vitæ famâ celebratus est Alfonsus Parauicinus hoc eodem anno in Collegio Lauretano pridie nonas Maias vita perfunctus; eoque extraordinarijs honoribus suprema eius Canonici decorarunt. Semper erat affixus operi, laborumque, vt creditum est, supra vires contentione, morbum contraxit, ex quo ad sempiternam quietem excessit. Haud minus desiderij, & gloriæ, Lauretique, & Anconæ, vbi pridie Natalis Domini immortalitati, quemadmodum sperare licet, exortus est, reliquit Claudius Matthæus, is, quem ne Ciuilibus Galliæ motibus inuolueretur summotum ab Vrbe, Lauretumque missum supra retulimus. Tum plane ostendit nihil sibi potius obsequij gloria esse. Ab omni cura alia, seuocato animo, continuo se se totum ad iuuandos incolas, aduenasque conuertit. Anconam accitus ab Antistite, vix vero simile est, quam omnibus Ordinibus operâ suâ prodesset, quanta in opinione, ac veneratione vulgus æque, ac nobiles eum haberent. Pleroſque nobilium de peccatis audiebat: satisque iam frequentem Omologeseos, ac Synaxeos vsum induxerat: explicabat conscientiæ quæstiones Clero: habebat cohortationes ad Cœnobia Virginum, & pristinæ in speciem sanctimoniæ reuocabat: passim ab omnibus adibatur consilij causa, & audiebatur, ac si oracula funderet. Denique cuncti eius decessu orbatos se se patre, atque Magistro deplorauerunt. Inter primos quoque nobilium certamen exarsit, ambientes gentilitijs suis sepulchris corpus eius inferre: sed vicit non autoritate solum sed etiam ex quadam Claudij dum viueret, propensione in eum singulari, Ioannes Nappius. Denique nisi hominem per cæca hæc Galliarum tempora inconsultus pietatis ardor, tanquam generosum equum impotens vigor, vltra Societatis morem, ac stadium rapuisset; vt erat ad magna quæuis abunde instructus, haud paulo plus Societati, reique Christianæ profuisset. Vt intelligant Religiosi viri iterum atque iterum, ac sine fine monendi, quo capacior cuique magnarum rerum, ac valentior indoles est, hoc ei necessarios magis frænos obsequij; ne quanto præclariores potest sub Magistro mereri pal-

23 Translatio SS. Reliquiarum in Tiburtinum Societatis Templum.

24 Pia mors, & extraordinariæ exequiæ Alfonsi Parauicini.

25 P. Claudius Matthæus moritur.

26 Bona eius opera, & amor hominum in eum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

palmas, tanto temere persultans, sibi cæterisque grauiores clades infligat.

Ex Prouincia Veneta Iulius Fatius in Neapolitanam translatus est Prouincialis morte Benedicti Sardij vacuam: in Veneta interim Ludouicus Gagliardus Proprouincialis successit. Hoc primum anno Tyrones Neapolim Nonis Septembris traducti sunt Nolâ, in ædes quæ ad Echiam anno 1584. ex Anna Toralda Marchionissa Poliniani comparatæ erant. Nolam vero ab Neapolitano Collegio Socij, qui darent Humanitati, & Eloquentiæ operam missi. Porro Neapolitanum Tyrocinium aliquot ante annis Venusinus Princeps Fabritius Gesualdus fundandum susceperat: Cæterum nonnulla interim conuersione rerum suarum absterritus, donatis, quos iam tradiderat, bis mille sexcentis aureis, perficiendum opus, Fundatorisque titulos Annæ Mendozæ Comiti Sancti Angeli cessit. Tum euenit, quod nescio quomodo dudum Claudio Generali animus præsagiebat. Iam tum enim pro notitia pietatis Annæ, cum Gesualdus opus illud susceperit, mirabatur qui factum esset, vt ei decus illud præriperet. Ac ne tum quidem satis persuadere sibi poterat rem exitum habituram: sed plane sentiebat operis absolutionem, quemadmodum euenit, religiosissimæ illi Comiti diuinitus destinatam. Inter multos egregiarum facultatum, quos ad Societatem Deus per Italiam hoc anno submisit, perstudiose certauit Ioannes Baptista Centurionus Saonensis Episcopus, cum impetrasset à Pontifice, vt se se Episcopatu abdicaret. Visum tamen est Generali cum Societati, tum Episcopo opportunius fore, si in partem meritorum receptus, consilio Patrum pro arbitrio vtens, vitam ab obedientiæ, disciplinæque solutam munere, domi suæ traduceret. Domum enim receptus, periculum erat, ne ob ætatis, valetudinisque afflictæ necessitates, plus disciplinæ domesticæ afferret incommodi, quam ad animorum necessitates subleuandas auxilij.

27 Tyrocinium Neapolitanum fundatum, & in id Nola traducti Tyrones.

28 Episcopus Saonensis Societatem expetens iustis de causis non admittitur.

Res in Polonia supra spem paeatiores fuere. Vehementer enim timendum erat, ne per interregni licentiam, noua molirentur Hæretici. Ante omnia cauit Prouincialis, Romaque admonuit seriò Claudius, ne qua ex parte Comitiorum res nostri homines attrectarent. Et tamen prohiberi sermones hominum vsquequaque nequiuerunt. Duo maxime erant, quibus Regnum vulgo animis destinabant, Sigismundus Sueciæ Rex, & Maximilianus Rodulphi Cæsaris Frater. Iam ex populo, vt quisque alterutri studebat, ita fere contra eum facere Iesuitas differebant. Nam Germani studere eos Sueco, multi Polonorum præferre Maximilianum conquerebantur. Nonnulla dabatur ansa sermonibus, quod Antonium Posseuinum Archiepiscopo Neapolitano Legato Apostolico Sixtus adiunxerat, ferebatque fama magnam ei pecuniam dedisse Pontificem in Sueci subsidia, cum alij tamen in Maximiliani, alij in Parmensis Principis opem missam eam, vtique pro studijs quisque suis, dictitarent. His incidendis sermonibus, ne sine causa Austriaci offenderentur, egit cum Pontifice Claudius, & ille probauit, vt Posseuinus in Italiam se reciperet: qui Patauium statim regressus, frugiferam ibi, ac strenuam proponendis maximè spiritus Exercitijs, quietem egit. Sed euitari non potuit quin Cardinali Radiuillo flagitanti concederetur in Comitiorum tempus Antonius Arias, qui tamen & pro sua egregia sanctitate, ac prudentia, & monitis Prouincialis præmunitus, ita se gessit, vt cum ad eum post electionem Sueci Reguli concio gratulatoria omnium prope vocibus deferretur, constantissime repudiaret, ne antequam plane Regni totius consensus atque tranquillitas constitisset, ad alteram partem Societatis se studia acclinarent. Eandem probauit modestiam Bartholomæus Villerius, quem Cæsaris Legatus Olomucensis Antistes Stanislaus Paulouius secum deduxit. Hi in Castris, cæteri Socij in suis quisque sedibus implorandæ Diuinæ clementiæ

29 Poloniæ res supra spem paeatæ.

30 Antonius Posseuinus Legato Apostolico Comes additus à Pontifice.

Id agente Generali reuocatur.

31 In deliberatione de electione Regis Poloniæ Societas studia partium vitat.

tiæ insistebant. Sæpius enim per hoc tempus habitæ sunt quadragenarum horarum supplicationes. Multum præterea sacrificiorum factum, multum ieiuniorum, aliarumque pœnarum sponte susceptum. Nec alibi per Societatem ab conciliando tantæ causæ fauore Numinis consuetis placamentis cessatum: qui sane non publice solum sed priuatim in ipsam quoque Societatem haud obscure apparuit. Fiet id manifestius si pauca de ratione, successuque horum Comitiorum addidero.

Rex Polonis non ab stirpe succedit, sed suffragijs cooptatur. In interregno penes Primatem Regni Archiepiscopum Gnesnensem summa potestas est. Is ad singulas Regni Prouincias missis de Regis fine literis, simul Ordinem sacrum ad vota, precesque pro bono statu rerum hortatur: simul Palatinos admonet, suæ vt quisque Satrapiæ Nobilitatem conuocent, deque pace domi conseruanda, ac tuendis ab hoste finibus agitent: simul certos eligant Procuratores, quasi quosdam Tribunos plebis (Nuntios ipsi vocant) qui mox Generali omnium Prouinciarum, omniumque Regni Ordinum conuentui (qui conuocatio dicitur) deinde etiam Comitijs cum mandatis, transigendique potestate interfint. Regni præter hæc Senatores, & Consiliarios degentes in proximo raptim conuocat, deque eorum sententia tempus, ac locum conuocationi constituit. Hic regij Solij latus vtrumque duo Archiepiscopi cingunt, quos Episcopi sequuntur quatuordecim, inde triginta Palatini, mox Castellani septuaginta, qui sunt Arcium, & Ciuitatum Gubernatores (Horum omnium Senatoria dignitas est) tum designati ab Equestri Ordine in singulis Prouincijs Nuntij. De pace, belloque ac rebus communibus consultatur. Si quæ sunt ciuilia odia tolluntur, Regni fines armantur. Postremo dies Comitijs creando Regi decernitur, itemque locus, isque non intra Vrbium septa, sed in patentibus campis. In ijs vbi maturum est, tentoria militarem in modum figuntur. singulis Prouincijs castra sua, stationes, currus, tormenta, & alia velut ad dimicationem expedita habentibus; tanquam bellica ea specie cieri animos velint ad Regem bellicosi pectoris deligendum. Inuocata dein Sancti Spiritus ope, & solennibus sacrificijs factis, primum omnium Romani Pontificis Legatus, tum externorum Principum Oratores admittuntur: ac si quos hi ad imperium euocandos commendent, eorum conditiones sedulò expenduntur: tum demum Ordine Sacri Antistites, Palatini, & Castellani, Cancellarij Regni, & Marschalchi, ac postremo Prouinciarum Nuntij suffragium ferunt clara omnes, ac libera voce. In quem autem omnes Ordines consensere, eum Legatus vicissim Pontificius, Regnique Primas in sacro Ornatu erectoque in omnium oculis Christi Crucifixi simulacro, è superiore loco, augustissima Trinitate inuocata, solennibus verbis Poloniæ Regem, ac Magnum Lituaniæ Ducem renuntiant. Excipit verba Regni Marschalchus, patrioque sermone vniuersis Ordinibus Regis electi nomen promulgat. Acclamatur ab omnibus Amen. Signa eduntur lætitiæ, itur in templum Archiepiscopo præeunte Deo grates aguntur: scribuntur conditiones: Oratores ad euocandum, deducendumque destinatum Regem destinantur. Ad hæc Comitia dum Prouincialis Vilnæ habetur conuentus, frequentes conspirarant Hæretici, vt rescinderentur Stephani Regis acta de Polocensi Collegio. Id ad pacem multùm intererat Societatis; quam eo loci si vsquam dure, ac pertinaciter Hæretici, ac Schismatici diuexabant. Sed intererat religionis Catholicæ non deseri eum tractum: intererat reipublicæ nequaquam induci morem statim demortuorum Principum abolendi acta. Siue hanc ob causam, siue nobiliore instinctu, dum Socij propitiando insistunt Nnmini, nec rogatus ab ijs, nec monitus Nicolaus Radiuillus Palatinus Nouogrodensis, idemque hæreticus, adeo acriter Hæreticorum se conatibus obiecit, vt omnino euerterit. In Comitijs regijs cum

32 Quid fieri soleat in Polonia cum Regnum vacat.

33 Comitiorum locus, & ordo.

34 Rex electus, quo ritu declaretur.

35 Polocense Collegium Societatis ab Hæreticis oppugnatum ab Hæretico defensum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Sigismundus electus est, visus est Deus, & pijssimæ eius parentis merita, & ipsiusmet singularem respexisse constantiam. Nam cum sæpe ad proditionem Catholicæ fidei Sueci eum Dynastæ solicitarent, plane obstinauerat animum, citius paterno velle Regno, quam materna, id est Catholica religione spoliari. Bernardum Golinium de Societate apud se habebat, audiebatque & colebat magis in dies, maiores in omni virtute vsque progressus habens, cum admonetur, à Polonis se se cooptatum Regem. Non exiliuit inani lætitia. Dei primum per preces, & beneficentiam, & Sacramenta, Deinde Ioannis Patris sui Regis exploravit sententiam, tum se ad iter accinxit diuinis iterum communitus. Secundissimo cursu quatuor, & viginti horis Balthico sinu transmisso, quinto Idus Decembris Cracouiam cum maximo plausu quasi triumphans intrauit, cum Maximilianum antè Ciuitas conantem per vim ingredi repulisset. Biduo post in gratiarum actionem diuinam Eucharistiam susceptt, quam & per Sancta Domini natalitia nocte repetijt. Die Sancti Ioannis Coronâ, & cæteris potestatis insignibus ornatus est: ac tum quoque prô veteri, ac laudabili eius celebritatis more, communicauit. Adeuntem subinde ad se Prouincialem Campanum peramanter admisit, vltro gratias agens, quod in Sueciam Sacerdotes sibi perpetuo misisset, & nunc etiam ibi Patrem Humbertum (nam Bernardus cum Rege in Poloniam redierat) reliquisset. Non intermissæ per interregnum sunt pro religione curæ: sed quo minaciora tempora erant, maior prouisio adhibita acriusque contentæ vires. Noua se aperuit seges in Samogitia. Quis rerum ibi status esset, Melchior eius tractûs Antistes, dum auxiliares Socios ab Generali Claudio precatur his verbis exponit. In maxima Episcopatus nostri parte qui sit confessus in vita inuenies nullum, qui communicauerit vmquam nullum, qui Pater noster, aut signum Crucis formare norit nullum: denique nullum qui cognitionem mysteriorum fidei habeat: vno contenti, Lutherani non sumus; carnes die Veneris non comedimus. Communiter sacrificare tonitruis, serpentes colere, quercus vt sacras venerari, manibus mortuorum dapes offerre, & similia multa ex ignorantia potius, quam malitia profecta portenta in peccatis non numerant. In hasce tenebras cum Emmanuelem Vegam, & Hieronymum Kniskum ex Vilnensi Collegio duxisset Antistes, tam auide populus ad radios Diuinæ lucis oculos extulit, tanto studio, tanta cum pietate, ac lacrymis susceipere cælestis Doctrinæ pabulum cœpit, aperire peccata, ad diuinam mensam accumbere, vt eorum aspectus tanto dulciores iam (sic enim ipse addit Episcopus) consolationis lacrymas, quanto ante amariores doloris expresserat. In ea excursione ad excidendas superstitionum fibras duæ quercus annosæ, è superstitiosis, trepidante multitudine, adigente primùm securim altero Patrum, excisæ sunt. Dumque excciderentur obscænus Bubo, quem haud temere quidam Bubonis specie Cacodæmonem credidere, in conspectu omnium auolauit. Cognita necessitate populi, ac præparatione animorum, omni ope susceipi Prouinciæ culturam Claudius iussit.

36 Sigismundi Principis Suecię in Poloniæ Regé electi constantia in fide.

37 Coronatur Rex Sigismundus.

38 Missio in Samogitiam.

39 Eius fructus ingens.

40 Societas ab Hæreticis Riga pellitur.

Satis pacato cæteris in Prouincijs, vti significaui, Societas vsa interregno, in Liuonia Rigæ haud æque prospere stetit. Summoto Regis Stephani metu, Hæreticorum Antistites, quod dudum moliebantur efficiunt. Persuadent multitudini, vt pacis nomine (is videbatur minus deformis titulus iniquissimæ vi posse prætendi) ab vrbe exire Iesuitas iuberet. Collegio præerat pro Leonardo Rubeno, quem nominatim exosum habebant Hæretici; adeo vt tutum non esset eo remitti, Theodoricus Vestphalus. Ad hunc postridie Kalendas septembris Senatorum quidam, Tribunus plebis, ac lutherani ministri accedunt, populique exposito decreto, tradi sibi iubent claues Sancti Iacobi; simulque vetant posthac in vrbe seu vspiam in Rigensi ditione papisticos vsurpare ritus: & addunt aduersus ea nullum patere defensioni, aut tergiuersationi locum: sic enim plane statutum fixumque esse. Id restare vnum, vt cum pace obtemperarent. Theodoricus ita deprehensus, & si studuerat semper ita moderari animo, vt nullum ederet ab religiosa grauitate alienum signum, tum maxime adhibendam omnem modestiam censuit. Adiacet Rigæ Arx, vallo duntaxat ab vrbe disiuncta, quæ à Polonorum præsidio tenebatur. Ad huius præfectum, ac tribunum, posteaquam nihil à Rigensibus obtinebat, confugit. Tribunus (locum tenens vulgo est) Hæreticus secta, moribus perhumanus, continuo hominem nobilem ad Senatum allegauit, vt desinerent quicquam contra homines attentare, quos eo loco Rex summo iure, nullius iniuria collocarat. Ad quem cum respondisset Senatus, in sua manu nihil esse, omnia penes Ciuitatem, ac populum; Theodoricus ritè contestatus se iura Societatis salua omnino velle, neque cedere nisi vi, metuque coactum, in arcem cum Socijs, septem erant numero, se recepit. Senatus amice ad transportanda domui ac templo vtilia adiuuit. Domum Sancti Iacobi, ac templum, qui ante habuerant Hæreticorum Ministri inuasere. Vestphalus, ac Socij, quæ nuper in vrbe obibant, eadem in Arce perseuerarunt obire diuina munia. Discurrebant etiam in Fundos à Stephano Rege Collegio traditos, paganos erudiebant, meliora interim tempora per modestiam haudquaquam desidem, aut timidam, sed cautam, & prouidam expectantes: Maxime miserandæ erant, quæ supererant adhuc in Cœnobio Sanctæ Magdalenæ fere centenariæ Virgines duæ, quibus, cum diu inter Hæreticos summa constantia omni destitutæ præsidio religionem sanctam retinuissent, supremoque tempore solatia Patrum Deus misisset, iam in vltimo spiritu rursus omne subsidium ademptum erat: vtraque ex dolore decubuit. Nec destitere Hæretici bonarum etiam Anuum tentare fidem; sed neque vt sinceros cultus deserere, neque vt Cœnobio exire vellent exprimere potuerunt. Eis Patres ab Arce subsidia corporum affatim, ac propalam, animorum autem per occultam suppeditabant industriam.

41 Duarum Monialium in religione cõstantia.

Res in Transyluania superiore anno peste afflictæ magnam partem recreatæ sunt. Misit ex Polonia Prouincialis Campanus ipso statim anni exordio Iacobum Vangrouitium cum quatuor Socijs, quem olim Stephanus Rex, cum quæreretur in Principis Sigismundi institutione Ioanni Lelesio ex morbo iam plane inutili successor, nominatim probarat. Itaque & in hanc curam succedere, & domum Albanam administrare iussus est, & cæteris per Transyluaniam Socijs Proprouincialis cum potestate præesse. Peruenit deinde opportunum supplementum ex Romana, Neapolitanaque Prouincia, atque ex Hispania, Sociorum. Itaque magnifica repetendis studijs apparabantur initia. Sed grauis cura subierat, quod cum cecidisset rerum columen Stephanus Batthoreus Rex, ipsosque Socios pestifera lues adeo euastasset, rebantur Hæretici oblatum sibi tempus quicquid residuum Iesuitarum foret penitus excidendi: nec obscure minitabantur cum primum Generalis haberetur conuentus, qui in Autumnum huius anni dictus erat, omnes ad vnum extra Regni fines amotum iri. Quo impendente turbine consultus Claudius Generalis, si quid vtique tale decerneretur, vt Regno egredi iuberentur, quid consilij capiendum foret, ita respondit: Primum omnium conniterentur, vt suum Societati ius integrum conseruaretur. Nam ab Stephano Rege, ab Vaiuoda Christophoro admissam, ab ijsdem, facultatibus iuste donatam, quare non posse sine summa iniuria violari: nec ea, quæ Principes illi iusta potestate vsi decreuerint, rescindi fas esse. Non id Sigismundo ferendum, vt tanta Patri, ac Patruo ignominia inferretur: non ipsi populo admittendum exemplum acta Principum, vbi vita excesserint, irrita faciendi. Quod si his, & talibus connixi rationibus ius obtinere

42 Supplementum in Transyluaniam missum.

43 Mandata Claudij Generalis ad Transyluanos Socios de exilio periclitantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

integrum nequirent, darent operam, vt aliqua tolerabili conditione accepta, modo Gymnasium, & prædicatio Catholica salua esset, permanerent: si ne id quidem daretur, atque non solum vrbibus, sed etiam pagis suis excluderentur, tum demum Deo freti animum inducerent cœptum opus, & pusillum illum gregem iam Christo quæsitum non plane deserere: remissis in Poloniam, quos videretur, Vangrouitius, ac cæteri diuisi, secretique, vt fiebat in Anglia, Scotiaque, subsisterent, parati, si ita ferret occasio, vel nobile martyrium facere. Huius sententiæ ipsum quoque Dei Vicarium esse; quanquam meliora sperare se diceret. Mirum quantum hæ literæ voluptatis, & animorum addidere Socijs Transyluanis, quantam vulgata res in alijs Prouincijs eò peruolandi cupiditatem inflammauit. Tum videbatur ostendi pretium pannonicas adeundi Niues, & notas, caraſque terras deretinquendi. Ostensa enim glorioſa pericula quantum ignauos absterrent, tantum fortes alliciunt. Ita præparatis, simul conuentus, simul studia repetendi tempus aduoluitur. Conuentum gens nequaquam habuit Generalem, quod ex Siculia, vbi pestilentia grassabatur, conueniri non potuit. Tamen ante omnia clamitare Christi hostes, & omnem mouere lapidem, omnes machinas admouere, vt Idololatria (sic enim Catholicam fidem appellant) è Regno tollatur, nec aliud quicquam agendum in conuentu priusquam de religione statuatur. Regni totius nomine supplicant Sigismundo, vt Idololatriæ autores Iesuitas exturbet. Restitit constanti animo Sigismundus, eiusque nomine Senatus quiescere eos iussit. Rursus illi tumultuari, ac fremere, & conditionem eam ferre, vt quando ipse Institutorem de Societate vellet, vnum quempiam ex ea pro arbitratu haberet: cæteris autem, nec scholas, nec templum permitteret. Verum ne id quidem potuerunt exprimere. Atque ipse Senatus contra ita pugnauit, vt Societati omnino tacere licuerit. Nam quanquam, & Gubernator, & Senatus cunctus erat Caluinianus, & plerique eorum optabant Societatem abesse, ac Principem suarum partium fieri; tamen multa, præcipueque Stephani Regis, & Christophori Principis voluntas etiam testamento expressa, & vtilitas literariæ institutionis, additaque inde Pannoniæ dignitas, faciebant, vt eam vel inuiti defenderent. Ad hæc verebantur, ne Rationibus Sigismundi officerent, rebus Polonicis haud dum stabilitis, quò suos ipse quoque petines Princeps, magnificaceret, vniceque amaret, ijs remotis non inueniretur Institutor idoneus, qui illum in officio contineret. Interim haud cessabatur à Socijs. Nouembris ortu, post quadraginta horarum supplicationem, multasque alias ad opem Dei conciliandam preces, & corporis vexationes, studiorum instauratio facta est Claudiopoli, festo eruditoque cum apparatu, quem Sigismundus Princeps sua cumulauit præsentia. Nam Orationibus, & Carminibus, quæ in Collegio, in Seminario, in Sodalitio Beatæ Virginis habita sunt, ac Dramati, quod de primo Vngarorum Rege Sancto Stephano datum est, itemque concertationibus Philosophicis, Rhetoricisque multa benignitate interfuit. Paratæ erant, & Theologicæ concertationes, vt inter Arianos, de Christi Diuinitate: sed Gubernatore metuente, ne pro materia tumultus acciperentur, satius visum est ijs supersedere. Valuit literarum id specimen ad commouendos ipsos quoque aduersarios, vt filios haud pauci suos in disciplinam Patribus darent. Porro Sigismundus cum ætatis accessu ad omnem proficiebat virtutem, qui suum studium erga Societatem, & Catholicam fidem, egregijs literis, per quas de supplemento Sociorum missio Patri Generali gratias agit, ostendit. Quam præclaram voluntatem suis quoque datis ad eum literis Sixtus Pontifex confirmauit, ante omnia

44 Societas in Transyluania à Principe, & Senatu defenditur contra tumultuantem plebem.

45 Hæretici filios Magistris è Societate instituêdos tradunt.

46 Sigismundi Principis spes, & initia præclara.

monitum, ne quo vnquam tempore Societatem amandari impiorum conatibus sineret. Cœptæ, & Varadini sunt scholæ, euocato inde Albam Stephano Aratore, qui per quadriennium sane præclara fecerat: sed suo interdum feruidiore impetu, partim lacessitus, partim lacessens; Hæreticos ita offenderet, vt diutius in ea statione permanere saluus haud posset. Missus est Marcus Siscienſis, & Matthias Tomanius, alijque subinde. Itaque iam fere vbique ad pristinum statum Societatis res in Transyluania, & alicubi cum incremento, redierant.

Rebus per Austriam satis tranquillis, tantum aliquid sermonum de Posseuino tanquam Sueco fauente, alicubi materiam inuidiæ præbuit, auidè rapientibus Hæreticis, vnde totius Ordinis autoritatem detererent. Sed ipsimet Principes, ac præsertim Maximilianus, calumniantibus respondit, primùm non se credere talia ab Posseuino tractari: deinde nec metuere quicquid tam celebri in conuentu priuatus homo conaretur. Fuit non modicum Brunæ negotium fundorum causa ei domui attributorum, quos inuadere haud pauci tentabant. Homo ex ijs ferox ac potens, vt fit in litibus, in iram exceděns, haud verbis, minisque parcebat, si vnus quispiam siue de Societate, siue de colonis eius suos fines attingeret, palam fremens in carcerem se coniecturum, habiturumque quoad in eo contabesceret. Quod ipsum Riccardo Zanteno Rectori, cum per literas denuntiasset, ei Rector, vt decebat Christi discipulum in hæc verba respondit: Tu quidem mihi fratribusque meis, & colonis nostris interdictum vis esse fundis tuis sub carceris interminatione. Ego vero vbi resciuero te intra fines nostros, licet angustos, pedes intulisse, occurram vltro, & qua potero maximâ humanitate complectar. Tum euenit, quod Sapiens dicit, responsio mollis frangit iram. Fregit hæc humanitas vsque eo impotentis hominis iracundiam, vt reuocato edicto, negatos aliquot annis Collegio census persoluerit, & liberam ei suarum rerum possessionem reliquerit. Ad instituendos eius Domus Tyrones missus est ex Italia Octauianus Nauarola, qui Collegium Senis regebat. Magno animo rem aggressus, magna ad annos fere sexdecim constantia prosequutus est, cum ingenti totius Prouinciæ fructu, nec modico Catholicæ religionis accessu. Difficiliora habuit initia dum Tyronum disciplinam ad Romanam redigere formam conatur, præsertim quod non tota illi domûs erat potestas, sed cum rectore diuisa, magnum fere rebus transigendis impedimentum. Verum vtraque aliquot post annos ad eundem translata cura, cum simul ipse paulatim, quod necesse est, se se magis ad regionum mores accommodaret, simul ad proprias Societatis peregrinationes, & alia Tyronum rudimenta eas gentes assuefaceret, non cum approbatione modo, sed insigni etiam cum laude cursum expeditissimum tenuit. Obijt Viennæ pridie idus Aprilis Petrus Busæus, cuius obitu scripsit Prouincialis Baderus totam Prouinciam graue, & dignum lacrymis vulnus accepisse. Vir erat pietate, doctrina, prudentia, exemplo mirus; vnicum perfugium domesticis, & externis, quidquid durum quidquid perplexum incideret. Neomagensis erat ortu: duos præterea habebat in Societate fratres, quam anno 1561. primus ipse susceperat Coloniæ. Inde missus Viennam, in publica Academia sacras explicauit literas, in Collegio hebraica docuit, præter alia munia, quibus in omnibus columen habebatur. Summa per id tempus Germaniæ superioris Prouinciæ ab domesticis, & externis traquillitas erat. eaque maxima ex parte debebatur Ferdinando Albero Prouinciali. Huius innocens prudentia, & clementia grauis, & in oris maiestate iustaque totius proceritate corporis dulcis morum amabilitas, tum Socijs obedientiæ iugum suaue, tum sæcularibus grata Sociorum reddebat officia: & si qui erant alieniores, eorum offensiones Alberi modestia, charitas, obsequia abstergebant. Florebat eo-

47 Ricardi Zanteni Rectoris Brunensis sapiens responsum, quo iram ferocis aduersarij lenuit.

48 Octauiani Nauarolæ constans industria.

49 P. Petri Busæi mors, & vitæ laudabilis summa.

50 Ferdinandi Alberi gubernatio sapiens, & felix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem tempore passim Catecheſis maxime Oeniponti, vbi quod in omni re summum facit momentum, Ferdinandi Principis voluntatem Alexander Hollerus Collegij Rector ad sacrum opus adiunxerat. Collegerat Hollerus certa monita ei muneri peridonea. Hæc vulgauit Princeps, eiusdemque suasu edixit, vt ex ijs præceptis catecheſis in omnibus ſcholis haberetur. Idem Antiſtites suis quique Parochis imperarunt, vt feriatis diebus in templo tacerent: In vrbe autem Oeniponto Pueri vniuersi diebus festis in templum Collegij deducebantur, certa etiam Ludimagistris mercede inuitatis. Eiusdem Rectoris opera domus pauperum instituta est, coëmptis ab Archiduce ædibus, alimentis liberali collatione Ciuium comparatis. Multis quoque in Rhenana Prouincia Collegijs sacra eadem institutio euentum secundissimum habebat, Treuiris præsertim, vbi septem diuersis locis magno auditorum fructu explicabatur. Parochique ad opus prosequendum informabantur. Persuasit Ioannes Gibbonius Collegij Rector Ioanni Antistiti, vt Germanice Catechismum paruulum euulgaret, addita simul epistola, qua Parochos per vniuersam Diœcesim ad eum explicandum cohortaretur, tradità simul ratione explicandi. Etiamnum Veneficarum circa Treuirim numerus ingens restabat, quæ cum tenellam ætatem maxime læderent, optimum existimauit Gibbonius amuletum fore, si rudes animi rerum diuinarum cognitione præmunirentur. Præterea cum per annonæ penuriam multos mortales fames absumeret, ad Carthusianos, & aliud Monasterium, quo inopum turba ingens ad stipem conueniebat, itabant Socij, vt Diuini verbi frangerent panem, cum interim circiter quadringenis vtrumque pabulum diuideretur ad Collegij fores. Per Augustum sparsum per Vrbem pestilens malum, quod nouum cuiusdam generis venenum aiebant esse, octo Sociorum magnam partem Tyrones extinxit. Coloniæ luculentaccessio facta ad firmamentum stabile vectigalium, egregia Pauli Stor nobilissimi, & optimi viri benignitate: qui ab Ernesto Antistite ea impetrauit subsidia. Id fuit ius Decimarum Nouesij, quod prius pertinebat ad Comitem Neuenarium Antistiti rebellem, & Monasterium Sancti Isidori Bonnæ vicinum. Late Rhenana Prouincia strepitu belli perturbabatur. Circa Coloniam etiamnum Factio Truschsesia contra Ernestum versabatur in armis. Horum in potestatem militum tres de Societate cum venissent, qui Colonia Nouesium nauigabant, satis benigne tractati sunt, ne verbo quidem, ne dum re violati. Et ipsi quorum princeps Petrus Stalenius Sacerdos erat, parati pro religione vel necem subire: nec dissimularunt, qui essent, nec omiserunt cæcis mentibus lumen veritatis offerre, non omnino (vt spes se ſe dabat) inani euentu. Redempti sunt haud leui summa, quam Ciuium Colonienſium benignitas contulit. Non ita animati erant Hæretici, qui in Galliam contra Fœderatos acciti, cum per Argentinensem agrum spopondissent iter sine noxa cuiuspiam habituros, nullum aduersus mortales, aut immortales prætermisere facinus. Dum ea transiret procella, censuit Episcopus Ioannes Comes à Manderochuielt Molshemienſibus Socijs tantisper Collegio abeundum, ne ipsum in oppidum per Iesuitarum nomen impetum nefarij facerent. Suscepit Senatus rerum Collegij patrocinium, ac tutelam. Socij partim in Collegia viciniora, partim alia tuta in loca se recepere, vbique hospitibus grati, ac salutares, vbique magnis custodiæ diuinæ ornati pignoribus. Sed dum in sacra sceleſti furunt, eorum tutandorum cura diuina multis locis illustratur. Colebatur olim in Hassia Deiparæ imago miraculis clara. Quam cum impij in ea nefaria strage, quam Albertus Brandeburgicus templis, ac sacris monumentis intulit, in præterfluentem Lagonum proiecissent, Deus hoc pacto ad posterorum præsidium conseruauit. In ijs, qui singularia ex eius cultu beneficia reportarant, Matrona primaria erat, quæ pedibus capta, mirabiliter inde recuperauerat gressum. Hæc tanti

51 Scholæ Catechesis Ceniponti florent.

52 Hospitium pauperum ibidem institutum.

53 Pauperum animi simul, & corpora curata.

54 Treuiris octo è nostris vno mẽſe extincti.

55 Collegium Colonienſe auctum liberalitate Antistitis Ernesti.

Tres Socij ab Hæreticis capti liberãtur pretio benignè soluto à Colonienſibus Ciuibus.

56 Molshemienſe Collegiũ ad tempus relictum.

57 Imago B V. miraculis insignis mirabiliter seruata.

tanti beneficij memor venerandum, ac salutare signum clam extraxit è flumine, domique honorifice asseruatum, Marito demum, qui Senatorij Ordinis erat, cæterum hæreticus, impense supremis mandatis moriens commendauit: ex eo tandem, cum & ipse diu habuisset in pretio, Treuirensis Antistes acceptum Confluentino ab se fundato Collegio dedit, vbi dignis afficeretur honoribus.

Et Confluentino, Collegio data.

Antuerpiæ simulacrum ingens eiusdem Cæli Reginæ, quod superiore Annali parari narrauimus studio & impensa maiorum Sodalium, perfectum, & ad prætoriam domum statutum est. Cum eò solemni pompa deportandum ex Collegio foret ipso die Annunciationis, Cœlo forte nubilo, exultare gaudio, & insultare cœperunt Hæretici, tanquam Iesuitarum Idololatriam, vt blasphemabant, Cœlum tristi illo vultu detestaretur, atque damnaret. Hæc maxime dum iactant effertur augustum è templo signum, Ac ne simpliciorum cuipiam vana illa impudentia, scrupuli quidpiam crearet, exhilaratur repente Cœlum, supplicationique celeberrimæ in Reginæ suæ decus serena luce, facie lætissima fauit. Antuerpiensi quoque Collegio præclarum præsidium, ac decus accessit Sancti Guilielmi Abbatis Caluaria. Hæc in Monasterio Religiosorum eius Ordinis non procul ab vrbe Dura, cui nomen Paradisus erat, asseruabatur. Eò annis ante ferme quatuor, & quadraginta impiorum vi euerso, Monachi cum varias in partes dilaberentur, sacrarum reliquiarum inter se se partitionem fecere. Is cui sacrum obtigit caput, Pastori Aldenardensi donauit. Multis post annis capto ab Hæreticis Aldenardo, Sacer thesaurus in manus hominis Hæretici venit non plane perditi, qui detracto, quo ornabatur argento, & gemmis, viro Catholico gratum facturus nudum caput cum literis rei testibus dedit. Is denique Collegio Antuerpiensi donauit. Opportunè succurrit in mentione Sanctorum, Francisci Bonhomij Vercellensis Antistitis Nuntij per Inferiorem Germaniam Apostolici, memoranda ex humanis profectio. Is enim eâ erat pietate, asperitate vitæ, studio publicæ religionis, animo ad ærumnas, & pericula pro Dei Ecclesia capessenda, vt merito Antistitum maximorum inseri choro possit: pari iure inter optime de Societate nostra meritos referatur. Totus erat in Borromæi Cardinalis imitanda Sanctitate, cuius etiam opem sub extremum spiritum suppliciter postulauit. Supremus eius morbus in magnum ieiunium cum incidisset, nunquam adduci potuit, vt prudens carnibus, aut ouis vesceretur. Leodij decessit quinto Kalendas Martias, mysterijs vltimis à Ioanne Campensi Rectore Collegij præmunitus, cui aliquot ante dies accito hæc in verba locutus erat: Nihil est, quod iam me diutius in hac vita retinere queat; dissolui paratus sum, sentioque me hinc euocari, non tam vi morbi, quam Dei voluntate: itaque lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Quæ verba sæpius ægrotans cum iterasset, in ijsdem lætissimus expirauit. Nec oblitus est Collegijs earum regionum hora etiam suprema benigne facere: Bonam summam pecuniæ ad templum Leodij amplificandum dedit: ex Sacerdotali suo ornatu duas eidem pretiosissimas Casulas: Collegijs vero Colonienſi, Louanienſi, Antuerpiano, Tornacensi, quinquagenos florenos legauit, donum non tam re, quam caritate, ac tenuitate Antistitis ponderandum. Collegium autem Vercellense sacris quibusdam Sanctorum Lipsanis exornauit. Fixa hoc anno sedes Bruxellis est: & Castrensis expeditio instituta. Quinque ad hanc, præfecto Thoma Saillio, Sacerdotes missi, qui varia inter se dispertiti munera, copiarum alij alias partes pro Nationum, & linguarum varietate curantes, egregiè Ducibus, & militibus profuere. Duaci, ac Louanij exortæ à publicis Academijs controuersiæ. Ægre tulerant Duaceni tempora scholarum in Collegio nostro, quæ ante interrumpi solebant, continuata eorum iniussu. Verum cum

58 Supplicatio Antuerpiensis subita ex nubilo serenitate comprobata.

59 Caput S. Guillelmi mirè seruatum Antuerpiensi Collegio datur.

60 Francisci Bonhomij Nuncij Apostolici virtutes, & mors sancta.

61 Bruxellensis Collegij initium, & Castrensis expeditionis.

62 Controuersiæ cum Academicis Duacis, & Louanij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum patuisset, nequaquam iuri eorum Collegium Societatis subiectum, vltroque datum esset, vt scholæ philosophicæ antiquum in morem redigerentur, non ægre sedata lis est. Acriorem Louanienſium quidam Theologorum, reprehensis Leonardi Lessij aliquot de Prædestinationis doctrina pronuntiatis, controuersiam commouerunt, quam opportuniore loco integram referemus.

63 Magius Visitator in Gallia.

Interim res Galliæ multifariam iactabantur. Vnica Socijs pene spes in designato Visitatore Laurentio Magio: cuius audito nomine vehementer lætatus dicebatur Henricus Rex. Peruenit is tandem Lutetiam tertio nonas Iunij secum Ioannem Lorinum ad tradendam Theologiam ducens. Reperit mirifice parata, ac prompta omnia. In domesticis, vt aberat malitia, ita summa facilitas inerat ad sequendum quocumque duceret, & formam quamcumque vellet induendam. Augerius qui sui amotionem ex Aulâ multis nostrorum in Galliâ, & ipsi Generali Romæ ex literis ad se missis iudicanti, optari senserat, egisse dicitur priuatim cum ipso Rege, vt se dimitteret: illique ita persuasisse; vt etiam amoliendæ offensionis causa quam ex eodem Augerio antea contra voluntatem Generalis retento subierat, Rex ipse vltrò præseferret, non grauatè se illo cariturum. Singulari cum humanitate admissus ad Regis colloquium Magius, post eum salutatum reuerenter à Generali, delataque Societatis vniuersæ officia, cum liberali modestia exposuit quanto opere Claudius Maiestati eius inseruitum vellet. Eam ob rem cum Prouincias Gallicanas adire per se ei non licuisset, difficultates, quæ multæ, & graues offerebantur, superasse omnes, vt suo loco, quod placiturum Regi intellexerat, ipsum Magium mitteret, additis nominatim mandatis, vt præter institutionem, consolationemque Sociorum, eo incumberet, vt regiæ voluntati, quantum omnino fieri posset, obsequeretur: Id enim ipsum Societati ad id loci fuisse propositum, ac fore semper. Proinde nihil se rerum domesticarum, priusquam in exoptatum Maiestatis eius conspectum venisset, aggredi voluisse: non igitur grauaretur id officij clementi benignitate complecti, quidque fieri vellet edicere. Rex vbi hæc attente, ac peramanter audinit, respondit: pergratum sibi accidisse Patris aduentum, tum Nationis Venetæ nomine, quam vel ipsi Gallicæ prætulisset in Visitatore probando, tum hominis quoque ipsius causa, cuius multas, excellentesque virtutes ex multis cognorat. Itaque tanta viri prudentia, ac religione sperare Societatis incommodis satis occursum iri. Sibi, vt qui non magis nomine, quam re Christianissimus Princeps esset, Societatis grata esse instituta, & constare vbique esse salutaria, eoque se promoturum, vti adhuc promouisset: cæterum nonnullos ex ea imprudenter, ac temere Regno suo perturbando occasionem dedisse: cuius rei, vt à multis incitabatur, nisi diuini obsequij rationem habuisset, exempla, quæ par erat, aduersus reos editurum fuisse. Cæterum ne quid tale posthac eueniret, pertinere ad Visitatoris conscientiam prouidere: sibi eam ob rem placere, Præfecturas Sociorum non nisi spectatæ fidei hominibus, Regiæque ditionis committi. Nam quamuis in alijs Religiosorum familijs, si secus fieret, tolerari posset: in Societate cuius in manu cuncta fere iuuentus esset, aliter fieri non posse. Inde regressus ad Venetæ gentis, & Visitatoris laudes, ad extremum studium illi suum omne beneuolentissimè detulit. Ad ea Magius, non equidem adsum, inquit, clementissime Rex, vt si quid peccatum à quopiam nostrorum est, id apud Maiestatem tuam defendam aut purgem, sed vt deprecer potius, atque ab tua ista singulari pietate impetrem, ne propter paucorum errata Familiæ cunctæ succenseas, quæ & ab istiusmodi rebus longissime abest, immo suis institutis damnat, & interdicit, ac tuam Maiestatem impense obseruat, ac colit. In huius rei

64 P. Augerius Regi persuadet, vt se abire sinat.

65 Magij Visitatoris oratio ad Regem.

66 Regis benignum responsum.

Et querelæ de quibusdam nostrorum.

Quibus satisfacit Magius.

rei fidem egomet adsum qui Præpositi Generalis, & Societatis vniuersæ nomine non præterita solum incommoda resarcire, sed in futurum quoque rationes nostras, id quod pro virili efficiam, ad Maiestatis tuæ nutum accommodare quantum fas sit, coner. Illud quidem ante omnia contendam, ne quo pacto se se nostrorum quispiam publicis rebus immiscear, sermonemue de ijs ferat, sed vt omnes Deo, sibique vacantes, operam suam iuuandis proximis ex regula suæ vocationis impendant. Tum piæ quædam munuscula protulit, quæ Rex eius de manibus benigna quadam auiditate, cum gratiarum actione accepit. Inde collato magis magisque familiariter sermone, mentionem cum intulisset Magius conuentuum Prouincialium, eorumque rationes explicaret, respondit Rex, vt non eos solum, sed plane omnia ex moribus legibusque Societatis administraret, dummodo in Præsidum delectu ea cura haberetur, vt non nisi Regi subiecti, eique fideles præficerentur. His quinto Idus Iunij gestis, postridie mane Rex vltro ad Capuccinos, quo religionis causa secesserat, Magium aduocauit, diuque solus cum solo Italico fermone locutus: inter cætera narrauit, scriptum sibi ab Oratore suo Roma esse, Patri Generali pergratum fore, si Edmundus Dolam ad illius prope labentis Collegij rationes subleuandas excurreret. Se vero sicut apud se Edmundum habere voluit, quandiu operam eius, & industriam instituendis Sodalitatibus suis necessariam existimauit, ita nunc quando illæ Sodalitates adul-æ iam essent, & ab eius tutela emancipari possent, ad suam erga Ordinem nostrum beneuolentiam testificandam, contentum esse, vt Edmundus proficisceretur. Postea ex hesterno sermone caput illud inculcauit, necesse esse, quò sibi satisfieret, vt Societatis domiciliorum administratio ijs demandaretur, qui populares, ac minime suspecti essent. Ita vero amanter egit, vt inter colloquendum semel, atque iterum Magium complecteretur. Tanta (quod perarduum fore timebatur) de remouendo ab Aula Edmundo propensione transactum est. Atque ille sibi posthac, vti prædicabat, vacaturus, totusque in Societatis, & Obedientiæ potestate futurus, bona ab Rege missione accepta, Lugdunum statim iter intendit, maturandi causam Congregatione Prouinciali, quæ imminebat, offerente, ad quam tanquam Lugdunensis Prouinciæ membrum à Ludouico Richeomo ViceProuinciali per literas vocabatur. His secundis rerum initijs, haud minus prona cætera succedere. Cum se Magius ad cognoscenda domestica, ordinandaque conuerteret, admirabantur hominem vniuersi, qui cum eam sustineret personam, id muneris gereret, nihil habebat in ratione vitæ suæ præcipui, nisi plus curæ, vigilantiæ, caritatis. Æquabat se animi submissione infimis, paterna clementia omnes complectebatur, singulorum excipiebat, ac mitigabat, quasi filiorum dolores, & curas: cum interim studium perfectæ disciplinæ, & maturitas prudentiæ summa emineret. Vbi res composuit Parisijs; Domuique Professorum Iacobum Comuletum præposuit; ad Collegia quædam excurrit. Præcipiti iam anno reuersus Parisios, vt plane iam cæperat animum Regis, id etiam quod vnum summæ Votorum deerat, impetrauit, vt Rex Odoni Pigenatio, quem aditu Regni Visitatorem exclusserat, Lutetiam redeundi, atque Prouincialis munus, quod ante gerebat, libere omnino, ex Societatis more prosequendi potestatem æquus bonusque faceret. Interim per Prouinciam, magisque per Aquitaniam, & Lugdunensem, multæ ac variæ gliscebant calamitates. Passim bella, & fames, passim pestifera lues grassabatur: itaque pauca constitere Collegia, quæ non vel Hostis, vel pestis dissiparit. In Aquitania vias ita Hæreticorum copiæ intercluserant, vt ad Prouincialem conuentum, qui Burdigalæ à Petro Loyerio Prouinciali habitus est, nemini vni ex alijs Collegijs accessus patuerit. Monuerat autem Generalis, vt si aliter fieri nequi-

67 Rex petit Præfecturas Societatis in Gallia non nisi Gallis committi.

68 Edmundus Augerius Lugdunum ex aula proficiscitur.

69 Optima Gubernandi ratio in Magio

70 Odoni Pigenatio reditus Parisios impetratus.

71 Peste, ac bello laborat Gallia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nequiret, ea ratione fieret. Cæterum vt maxime hæc Prouincia premebatur ab hostibus, ita domestica pace recreabatur, & studio florebat virtutum. Inter hæc Burdigalense Collegium Rectore orbatur Ioanne Sangenotio, viro ad magna nato, prudentiæ, industriæ, quodque præcipuum est, religiosæ virtutis oppidò excellentis. Lotharingus erat ex vrbe Vizilienſi, Diœceſis Tullenſis, Treuiris in Societatem quindecim fere ante annis adscitus: in ipso ætatis, ac rerum agendarum robore quadragenarius raptus est. Billomæis quoque Socijs Rectorem mors rapuit Iustinum Lescotum, virum & ipsum priuata, publicaque virtute nobilem. Patriam habuit Viennam Galliæ: paucis mensibus Societate Sangenotium anteibat, duobus annis inferior erat ætate.

72 Burdigalenſis, & Billomenſis Rectores mortui.

Ad res, Hispanicas huius Anni solicitus transeo; quippe quas nec tacere saluo officio, nec referre sine quodam periculo possum. Extitisse domi nostræ discordia studia quorumdam votis spebusque in contraria tendentium, inuitissimus adducor vt fatear: Sacros vero Quæsitores, Propugnatores Fidei, columina Religionis, Firmamenta orthodoxæ veritatis, quos venerari demississime, quibus humillime semper obsequi, vsu & traditione domestica, nostrarumque legum iussis grauissimis solemus, offensos sibi manifestis indicijs monstrasse, nihilo minus infortunium, ac dedecus minimæ nostræ fuisse Societatis interpretor, quam si, vt est in sacris literis [a], Pater in faciem filiæ spuisset, vnde illam vltra quam diebus septem rubore suffundi oporteret. Quid igitur? Hæc conscio silentio cuncta prudens obruam? vtinam quidem liceret: & forte vim facerem officio, si spes esset eâ dissimulatione posse me consequi, vt tam illetabilium euentuum notitia famaque omnis ex vniuersa funditus hominum memoriâ deleretur. Sed stultum sit confidere, Acta maxime publica, vsurpata oculis, celebrata sermonibus totius generis humani, literarum, & gentium penè cunctarum insculpta monumentis, mea vnius affectatâ & præuaricatrice reticentiâ cognitioni posteritatis posse subtrahi, certumque est nihil me consecuturum aliud, inofficiosa, & vituperabili prætermissione, nisi vt Hæreticorum & Capitalium Hostium nostri nominis atque ordinis probrosissima nobis de his rebus scripta vulgata, mendacissimas veris Actis calumnias, & contumelias admiscentia, confirmasse confessione tacitâ, & pro certis, ac omni fide testatis agnouisse iudicarer. Cum ergo manifestissimè cernatur, ineluctabili necessitate adigi me ad aliquid dehisce notissimis, & decantatissimis euentibus ponendum in hoc loco proprio Annalium, nostram plenam & integram Historiam expectationi publicæ debentium, restat vt quod munus inuidiosum atque ingratum odiorecundiâ defungar, vt Acta ipsa tantum iam publica, vt dixi, famâque celebria, ex certâ memoriâ recitem, de iure, mente, officioue Agentium nihil præiudicem, aut sequiorem in partem interpreter. Equidem video Sacris Quæsitoribus magnam oblatam, eorum delationibus quos autores idoneos putabant, ita vti fecerunt censendi decernendique occasionem: Sed si quæ impulsu tali ab eis cæpta, vel Summus Pontifex non probauit, vel ipsi postmodum rebus clariùs perspectis, reuocarunt; satis confido nihil in his reperturum prudentem moderatumque Lectorem, quo minus in quomodocumque inchoatis bonum agentium animum intelligat; in ijsdem deinde retextis, agnoscat, & collaudet æquitatem. Hispanicæ porro Societatis tot viris ante, & per hæc tempora præstantissimis semper inclytæ, tot heroicis in omni genere religiosæ laudis facinoribus, & exemplis in cunctis vbique nationibus illustris, periculum opinor non est, ne decus obscurari videatur necessariâ commemoratione Turbarum quas illi pati hoc tempore contigit, à contumaciâ paucorum degenerum Filiorum. In quâ potius coërcendâ domandaque

73 Difficultas tractandi res Hispanicas huius anni.

a Num. XII. 14.

74 Eæ taceri nõ possunt.

75 Quatenus eæ dem hic narratæ.

daque qui eas tunc Prouincias domosque aut publicâ potestate moderabantur, aut priuatâ virtute illuminabant, viri vndecumque spectatissimi, laudem & sibi, & suæ Patriæ meruisse immortalem iure censentur. Sane in his ipsis Annalibus, vel dudum editis, vel qui modo vulgantur, quædam Historicâ libertate reprehensa leguntur in Patribus Italis etiam magni nominis; puta Achille Gagliardo, Ioanne Petro Maffeio, & alijs; item in non nemine Germano, videlicet Dominico Mengino: denique omnium grauissimè in Iuliano Vincentio Gallo multa vituperata iustoque dedecore confixa extant: neque tamen harum vlla nationum magis ad ignominiam pertinere suam putet, quod perperam actum à quopiam suorum palam est, quam ad gloriam, quòd quorundam è suis improbos ausus, ac conatus, plurium suorum contra coorientium zelus, ac Religio improbauit, repulit, compressit. Nimirum neque agris fertilibus fraudi est herba inter multas optimas vna innascens noxia: nec felicium syluarum vnus alterque notæ sequioris subgerminans frutex minuit famam. Plane ita conditio humana fert, vt nullæ mortalium Societates, quantumuis benè moratæ; atque adeo, vel incorruptissimâ vigentes disciplinâ, pugnas interdum non sentiant, gemantque in sinu commissas suo, malarum cupiditatum cum bonis legibus. Neque tunc vllius boni æstimatoris rerum iniquitas tanta est, quæ vitiorum in Republica non impune se ostentantium, vel vituperantibus ea Ciuibus, vel vindicantibus Magistratibus, labem aspergat. Sed syncerè narrandi non solicitè præfandi hoc tempus est, ad rem igitur ipsam accedamus.

Hoc anno in Hispania per occasionem captorum à Quæsitoribus Patrum, magna sibi, qui nouis rebus studebant licentia sumpta, specie quærendi remedij, siue in priuatis domi sermonibus, siue in literis ad absentes, totam publicæ administrationis rationem criminabantur: inde enim ortam Quæsitorum iustam iram. Nec abstinuere ab ipsomet vellicando Generali extra omnes fines modestiæ, tum missis ad eum literis, quæ habebant nomina autorum, tum etiam prolixis sine nomine libellis. Inde vltra progressi ipsum institutum à S. Ignatio conditum, & Constitutiones accusabant. Ita enim formam Societatis, ac descriptionem omnem conceptam aiebant, vt materiam præberet magnis incommodis, ac proinde remedium solidum, & perenne quærentibus ad mali fontem veniendum, & Institutum ipsum mutandum. Huius generis libelli multi Quæsitoribus sacris, multi Regi oblati sunt, singillatim explicatis capitibus, quæ per speciem amoliendi occasiones turbarum mutari Nouatores volebant: cum illud non viderent, longe plus in remedio, quam in malo inesse pestis. Perinde ac si nauseabundus in salo, quò stomachi sui vitio medeatur, vel dissui Nauim, vel allidi velit ad scopulum. Serpebat tanquam contactu in dies malum. Vt quisque ægro erat animo, vel quòd ad Professionem non admitteretur, vel quòd ad publica, quæ vellet munera minus adhiberetur, vel quòd ad arbitrium viuere non sineretur, statim adiungebat se gregi noua quærentium. Non nemo etiam per stultissimum zelum, cum satis iam liberæ aduersus institutaVoces passim audirentur, assumebat sibi audaciam, meliores, si Deo placet, quam condidisset Ignatius, & quibus adhuc steterisset, tantumque profecisset Societas, leges cudendi. Ita enim fit, cum opinandi data licentia est, sua quisque somnia, & ludibria, in nouas architectatur respublicas. Augebatur eo quoque incommodum grauissime, quod Rectores, alijque Præsides tum ne seueritate acrius exulcerarent animos, tum metu Sacrorum Quæsitorum, ad quos inquieti delaturos se illos ni clementer secum agerent, interdum palam comminari non erubescebant, multa nullo modo concedenda indulgebant. His cognitis Romæ Claudius cum ad menses complures pro ea verecundia, quæ

76 Turbæ domesticæ in Hispania.

77 Claudius Generalis Pontificis opem implorat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacris quæsitoribus debetur, quicuisset, vijsque tentatis omnibus apud eos, & Cardinalem Toletanum, & Regem, nihil præter bonam spem in malo præsenti relatum esset: ad commune Christianorum perfugium Christi Vicarium adeundum sibi putauit. Statu rerum exposito, id modo suppliciter postulauit, vt præsentibus malis, quod maxime censeret ex vsu fore, pro sua sapientia, totiusque Christiani populi cura, remedium adhiberet. Atque ad prohibendas in posterum eiusmodi contentiones declarare ne grauaretur, ius ne esset religiosorum Ordinum Præsidibus causas Inferiorum suorum (quæ vtique ad hæresim non spectarent) ac nominatim causam solicitationis Pœnitentium, cognoscere. Ad id enim temporis Societatem, quod sibi licere existimaret, ita egisse, quoniam sic fieret Romæ in oculis Pontificis, & Cardinalium Inquisitionis. Ad ea Pontifex respondit, videri sibi omnino præsentibus incommodis succurrendum: bonum haberet animum: humana hæc esse; existere, euanescere:

78 Pontifex literas ad suũ in Hispania Internuncium in fauorem Societatis dat.

Consolaretur Hispanos Patres, confirmaretque Rectores ad sui constanter officij partes obeundas, se quid facto opus foret ad suum Internuncium perscripturum. De iure autem cognoscendi subditorum noxas ad Cardinales Quæsitores referret. Hi non solum existimabant decidi eam causam oportere, atque ab Religiosis (vt ipsamet concessæ Quæsitoribus potestatis formula suadebat) stare æquitatem significabant; sed etiam scripsere literas, per quas vetabant quiequam in Marcenij, ac Sociorum præterea agi causa, priusquam totam eius narrationem ad Vrbem mitterent. Quas tamen literas noluit Pontifex mitti, satis fore affirmans quas ipsemet ad suum Internuncium, & ad Cardinalem Quirogam daret.

79 Claudius Generalis destinat in Hispaniam Bartholomæum Petrium ad Regem, & Cardinalem Toletanum. Quid ipsi mãdauerit.

Super hæc Generalis Bartholomæum Petrium, qui à confessionibus Duci Ossunæ Neapoli fuerat, ac Theologiam inibi in Collegio explicarat, cum mandatis ad Cardinalem Toletanum, & Regem destinauit. Iussit primum exponere: existimasse Claudium; fuisse hominem mittendum, cui totam ipse mentem suam nudasset: Deinde de libellis, deque Marcenij causa edoceret. Auditum Generali libellos clandestinos spargi aduersus Societatem, facileque Regi, Cardinalique & eorum administris obtrusos. Horum autores scirent esse, vel electos ab Societate, vel dignos, qui eijcerentur, vel qui honores, aut gradus indigni appeterent, vel alioqui sua culpa ægros animi, ac turbulentos. Rogare igitur etiam, atque etiam, ne factiosi homines, maleque pacati assuescant obsequium detrectare, & calumnias aduersus Rectores suos libellis disseminare; vt si qui eius generis offerantur libelli, admonere seu Generalem, seu Prouincialem ne grauentur. Eos enim, vel satisfacturos, vel remedium, si quod res exigat, admoturos. Quod deinde pertineret ad animaduersionem Quæsitorum in Societatem, inde damnum inæstimabile in eius totum corpus existere. Nam adeo necessariam animarum cultoribus autoritatem, bonamque existimationem plane euerti. Nec solum id obesse in regionibus Catholicorum, sed etiam Hæreticorum, quibus nihil euenire optatius posset, quam Iesuitarum nomen obscurari, totamque familiam vexari, ac fieri populis vilem, & odiosam. Ad hæc caritatem domesticam detrimenti multum accipere, cum alij alijs diffidant, & rumor ferat talium Concitatores turbarum ex ipsis esse domesticis. Perire obsequium, & obseruantiam aduersus Superiores, cum iam imperfecti, suaque sorte minus contenti, minitentur Societatem ab Sacris Quæsitoribus reformandam, & nouis legibus temperandam, sicut ipsimet Generali Præposito interminari per literas ausi sunt. Hinc iam disciplinam religiosam concidere, quòd Præsides præ metu minus audent officium exigere. At vbi quibilitentur, quid restare sperandum nisi Ordinis totius perturbationem, ac certum exitium? Postremo etiam coniunctionem animorum cum alijs Religio-

ligiosorum ordinibus scindi, cum nonnulli, quibus haud satis probabatur Societatis disciplina, eo tempore apertius, ac vehementius exagitare illam ius fasque ducerent. Hæc Romæ sub anni exordia dum Claudius impigre curat, augetur in Hispania tempestas. Ex oblatis libellis, & querimonijs adeo completi suspicionum Sacri Quæsitores sunt, vt omnino perscrutanda sibi omnia Societatis instituta, ac iura, accurateque expendenda statuerent. Itaque cum Superiore anno bina exemplaria librorum ad Societatis ius, regimenque spectantium dari sibi iussissent, accitum Castellæ Prouincialem Villalbam pridie Idus Februarij, anathemate maiori proposito iubent, libros de Ratione studiorum omnes, omnia Priuilegiorum, ac Diplomatum Apostolicorum exemplaria in omnibus Hispaniæ Prouincijs, nullo eius generis volumine relicto, colligi, & Quæsitoribus intra mensem tradi. Ita Ecclesiæ rationibus, ita Diuinæ gloriæ, Sanctique eius Tribunalis rectæ administrationi conuenire. Idem in alijs Prouincijs editum mandatum, & vbique imperata obedienter facta. Super hæc quosdam libros Constitutionum, Exercitiorum, & Pontificium de ijs rite consignatum Diploma: præterea duorum annorum literas Annales ad se deferri iusserunt. Nec finis incommodorum: Quarto Kalendas Martij Hieronymus Ripalda Collegij Villagarzensis Rector, idemque Nouitiorum Magister, citatus Vallisoletum, & ipse datur in vincula. Huic quid fraudi verteretur vix licebat suspicione assequi. Nam certum videbatur causam iurisdictionis non pertinere ad eum. Cæterum cum esset admodum seueræ disciplinæ, magisque ad asperitatem, quam ad lenitatem factus, & vt ab se, ita ab alijs exigeret perfectam virtutem, suspicio erat ab quopiam electorum, seu perfidorum filiorum, delatum fuisse, quod aliqua seuerius pronuntiasset, præsertim de obediendi virtute, quæ trahi in partem deteriorem possent. Quam suspicionem statim affirmarunt, quæ postridie consequuta sunt. Misso enim scriba, referri in album, obsignarique iussere quicquid in cubiculo eius librorum erat, & manu scripta omnia cuiusuis generis, etiam missas ad eum epistolas, auferri, & ad sacrum Tribunal deferri. Commouit non Socios modo, sed totam Villagarziam hic turbo, eò vehementius, quod per id tempus (sacrum enim ieiunium agebatur) conciones habebat Ripalda magno cum populi accursu, & assensu. Consolabatur plerosque amicorum ea cogitatio, quod cum in viros tam probatæ spectatæque virtutis hæc exercitatio caderet, apparere existimabant delationes plurimum habere calumniæ. Et sane ita Deus rem temperabat vt ijs, qui comprehendebantur, ea exercitatio bene suscepta proficeret ad coronam, & Societatis nomen quam minimum læderetur. Sub hæc eodem pene tempore Romam affertur de libris per omnes Prouincias tam seuerè collectis, deque capto Ripalda, & in Hispaniam ab vrbe literæ perferuntur, quibus Pontifex iubebat Marcenij, & Sociorum causam ad se se perscribi, atque vtrobique magna insequuta est animorum commotio. Doluit vehementer Generalis additas plagis plagas: Sed eo maxime, quod consilia turbatorum intelligebat procedere, eosque libros eorum instinctu collectos, qui Societatis mutari instituta vellent. Quæsitores sacros ex altera parte pupugit vehementer Pontificium iussum, ad suam contumeliam, & ad prauam æmulationem, atque adeo ad contumaciam interpretantes, maiorem potestatem aditam esse: eoque acrius indoluere, quod falsis quorumdam literis admoniti sunt, id agere Societatem cum Pontifice, vt penitus se ab eorum potestate eximeret. Dum res tanta tempestate iactantur, aperte se produnt, quidam falsorum fratrum rerum nouarum cupidi. Dux, & concitator in primis fuit Dionysius Vasquius. Is ingenio vehemens, cum sub Euerardo ex Italia in Hispaniam sane inuitus redijsset, noua moliri sub eodem cœpisse creditus est anno ab hinc decimo, cum Apostolico Nuncio Nicolao Ormanetto, regioque consilio,

80 Sacri Quæsitores Hispaniæ omnia exempla librorum Instituti ad se deferri iubent.

81 Hieronymus Ripalda Rector Villagarzensis iussu Sacrorum Quæsitorum datur in vincula.

82 Querelæ Generalis de Actis in Hispania.

83 P. Dionysius Vasquius autor res nouas moliendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

84 Iã sub Euerardo studere rebus nouis cæperat.

ac Regi item aduersus instituta Societatis traditi libelli sunt. Creato Generali Claudio miram præ se voluptatem tulit, quam, & datis ad eum literis testatus est; addens ei se non secus atque ipsi Beato Ignatio obedituru̇m. Nec minore charitate Claudius ei respondit. Processu mox temporis, vbi non ea, qua optabat, sinebatur vti licentia, atque animus suspicax ex præteritorum conscientia, quicquid fieret ad infectationem detorquet, rursus cœpit inquietus agere. Ita exulcerato animo sane parum in tempore accessit noua offensio. Cum enim ex Toletana Prouincia ob assiduas de eo Patrum querimonias in Castellam traducendus esset.

85 Ægrè fert se ex Toletana Prouincia in Castellanam transferri.

Ægidius Consaluius Prouincialis, cui ea delegata est cura, siue simpliciter nullum hominis tantum dolorem timens, siue Prouinciæ suæ quieti prospiciens, sub ipsum tempus iussit proficisci, quo imminebat Congregatio Prouincialis ad legendum de more Procuratorem. Eam rem adeo acerbe Dionysius tulit (& erat ægritudini atræque bili supramodum obnoxius,) vt cibo totos sex dies abstinuerit. Inde, vt videtur, ex toto animum ad res nouandas adiecit. Qua de causa Toletum remigrare omni ope studens, vt consuetudinem cum Cardinali Quiroga, & alijs potentium amicorum foueret, scribendam suscepit Francisci Borgiæ Vitam. Nam cum rerum peritis, qui plurimi in Toletana agebant Prouincia, ipsaque in vrbe Toleto, sibi opus esse conuentis affirmaret, nec videbatur causa apparere cur illud denegaretur commercium; nec suspicioni aduersæ locus relinquebatur. At ille fortassis eam quoque scriptionem de industria suscepit, vt per eam semina spargeret, vulgaretque somniorum suorum, facta superiorum temporum ad sensum suum praue interpretando detorquens, & talia identidem inculcans. Quod quidem in ea Vita quam scripsit strenue fecit: eamque ob causam, & quòd multos Magnatum iniquius offendebat, suppressa est. Interim Marcenio capto tempus diu expectatum offertur prodendi, vrgendique consilia. Scripsit ad omnes Hispaniæ Prouincias: se gloriam Dei maiorem spectantem, & causas circumspicientem vnde tantum Societatis res in Hispania laborarent, atque vnde afferri possent remedia, venisse in eam mentem, vt existimaret, necesse esse Nationalem fieri conuentum, in quem deni ferme antiquissimorum, grauissimorumque Patrum ex quatuor Hispaniæ Prouincijs extra Lusitaniam. (Hanc enim sciebat plurimum ab ijs rebus abhorrere) congregarentur. In eo consilio, communi sententia statui posse, quod ad sistendas turbas, earumque fibras elidendas ex vsu maxime videretur.

86 Toletum redire tentat.

87 Vitam B.P. Borgiæ, quo animo scribit. Ea supprimitur.

88 Tentat cogere nationalem conuentum.

Hæc cum non ad Prouinciales modo, sed ad complures alios priuatorum magna vi scripsisset: intelligeretque rem tantam adeoque insolentem latere Generalem non posse, ei quoque tandem significauit. Instabant sui in vnaquaque Prouincia ad legendum Procuratorem conuentus. Itaque nullo alio opus esse Concilio Generalis respondit. Prouinciales autem Hispani, ac reliqui Patres fermè omnes, sane, vt decebat viros re ipsa perfectæ virtutis, Societatisque amantes, sapienter, ac libere responderunt, quam ille remedij viam excogitarit, non esse remedij sed exitij. Obedientiam ante omnia, abdicationemque propriæ voluntatis, compressionem cupiditatum, amorem Sanctæ humilitatis, coniunctionem cum Deo per Orationem, & assidua pietatis studia, & alias ex hoc genere solidas, perfectasque virtutes, viam esse vnicam, qua recte Societati esset, vtcumque res extrinsecus accidèrent. Addebant Aragonij, ac Bœtici apud se cuncta esse tranquilla, nec quicquam euenisse, cur tale concilium cogendum arbitrarentur. Quidam pro indignitate rei acrius locuti, veneno plenas eas dicebant literas esse, alij ex animo vipereo profectas, alij non secus accipi debere, atque si Martinus Lutherus misisset. Hoc videtur Concilium pro-

89 Prouinciales Societatis per Hispaniam ei obstant.

tentasse Dionysius, Primum vt exploraret Patrum animos. Deinde si promoueret, vt sententiam eius conciliabuli, pro communi totius Societatis sensu venditaret. Nam in traditis libellis Regi, & Quæsitoribus subscriptum erat. Ita petit tota Societas: cum tamen non nisi perpaucos mala contagia infecissent. Quid igitur futurum erat, si in eo, quem moliebatur conuentu res è sententia cecidisset? Denique vt id esset defectionis initium, & præludium Schismatis. Sed Deus, qui ponit ventis pondus, non siuit vsque eo procellam inhorrescere. Ac Dionysius primo conatu deiectus eò vertit curam, vt saltem suæ Prouinciæ quam posset plurimos per nomen remedij suas in partes traheret. Itaque dum Congregatio Prouincialis cogitur, singulos priuatim astutè præoccupans, & venenum incautis instillans, persuadere conatur, necessarium plane rebus Hispanicis Commissarium esse, qui tum præsentes turbas tranquillet, tum futuris temporibus consulat. Inde ortas eas tempestates quibus iactaretur in præsentia, & tantum non obrueretur Societas, quòd nullus adsit tanta cum potestate, qui possit maturè succurrere. Dum scribitur Romam, & expectatur responsum, calamitatem accipi. Quicquid quemuis in Hispania Sociorum ægrum animi, minusque contentum haberet, inde esse, quod ex vno penderent omnia, qui absens rerum statu haud probe cognito, hos ad gradus eueheret, illos præteriret, hos præficeret Collegijs, illos affligeret, non pro meritis, ac virtute, sed quod ita cuiuspiam literæ suaserint, perperam siue per malignitatem, seu per insciti̇am iudicantis. Necessarium esse hominem, qui norit vultum pecoris sui, ad quem promptum perfugium sit: cuius in aures, & animum liceat deponere, molestias, curas, quicquid seu ab hominibus infertur iniuriæ, siue à Satana angoris intruditur. Quid conuenire, vt quicquid pecces (nam homines tandem omnes sumus) mandetur literis, & vltra mare transmittatur, Romæque, ac toto terrarum Orbe vulgetur? Sed fac nulla hæc esse, Quid enim, inquit, si tempora ingruant præsenti similia (quod quidem necesse est sæpe fieri si ita regamur) nonne vir necessarius nobis est, qui autoritate apud Dynastas polleat, & auxilium adhibere tentans sciat, quo id loco, qua ratione, quo tempore applicandum sit, ne si cæco ruat impetu, dum medicinam admouet, carnificinam exerceat? En vbi expectatur ab vrbe Roma nostris hisce calamitatibus aliquod leuamentum, nouum vulnus accipitur. Perfugium ad Pontificem ita exulcerauit Quæsitorum mentes, vt nulla spes sit fore vnquam tempus, quo vere Societatem ament, eique confidant. Necesse est errorem ponamus. Aliter Romæ aliter in Hispania de rebus iudicatur. Hic si Generalis, si Assistentes, si Pontifex ipse adessent, aliter sentirent. Recursu Generalis ad Pontificem ante hoc triennium in Peredi causa, & nuper alijs occasionibus ita scimus exacerbatos Sacros Quæsitores, vt & decreto sanxerint; ne in illo Sacro Tribunali opera nostrorum adhibeatur; & alia illa quibus nunc gemimus suæ in nos iustæ indignationis fulmina intorserint. Atque omnia hæc ex vno, eodemque manant fonte, quòd hominem non habemus, qui norit locorum, & hominum ingenia. Qui prouideat in tempore, qui succurrat. Contraria nempe omnia nunc fiunt: cæca omnia sunt: remedia vel nulla, vel sera, vel aliena, & quæ malum ipsum irritent, & exulcerent. Romæ caput, in Hispania corpus: inde nullus inuicem vigor, nullus in nostris prolapsionibus, & molestijs locus clementiæ: nullus misericordiæ, nullus æquitati, & iustitiæ, nullus saltem querimoniæ. Audendum est igitur. Nam Deus, vbi manifesta est causæ bonitas, strenue agi rem, & constanter iubet. Communi consensu Prouinciæ connitendum, vt detur nobis Commissarius: neque is, qui nomen inane gerat, sed qui potestate præditus sit, quam nos ipsi coram Deo re diligenter perpensa perscri-

90 Vasquius mutata ratione tentat Commissarium inducere à Generali independentem.

91 Eius oratio vehemens in eum finem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribemus. Neque res vnius Generalis Præpositi permittenda arbitrio est, sed Cardinalis Toletani, atque adeo Regis ipsius potentes impetrandæ literæ (quæ facile impetrabuntur) vt si Generalis hoc nobis, quod supereſt vnicum subsidium deneget, omni ope postuletur à Pontifice, & ita postuletur, vt tandem impetretur. Hoc non solum Dionysius suadebat, sed alij quoque nonnulli, tantaque non modo cura, sed etiam obstinatione, & quasi rabie, vt re cognita Villalba magnum aliquod incommodum in conuentu pertimesceret, si cæterorum Patrum sincerus zelus contra eorum impetum tota vi tenderet. Faciendum igitur sibi putauit, vt eum torrentem non recto limite, sed nonnihil obsecundans, paulo longiore tractu, sed incolumi Cymba traijceret. Dedit se in eorundem congressum. Sibi quoque ait videri Commissarium petendum, sed vt præfiniatur potestas, cum qua sit, non esse modestiæ postulare: neque Cardinalis, aut Regis apud Pontificem interponendam autoritatem. Quicquid extorquetur violentum videri. Quod autem sit vi, vulgo existimari non fieri iure. Congruentius fore in præsentia religiosæ petitioni, causas diligenter exponere cur tale auxilium necessarium sibi putent: tot enim, tamque graues colligi posse causas, vt Pater Generalis omnino consentiat, multoque facilius, quam si externa interponeretur autoritas: quia tum quamuis rem concedendam censeret, diceret tamen obsistendum exemplo, ne assuescerent inferiores per Magnatum gratiam ad sua vota grassari, & gubernationem externis opibus impedire. Quod si minus promptum se Generalis præberet, tum æquius multo ad subsidia publica fore perfugium. Valuit hæc Prouincialis indulgentia primum, vt, de adhibendis externorum viribus, deque Commissarij potestate definienda in conuentu nulla mentio fieret: deinde vt conuentus pacate admodum ageretur. Nam vt apparuit à Commissario petendo Prouincialem non dissentire, Patres cæteri non magnopere decertarunt. Simul decreuere enixe postulandum, vt Congregatio Generalis fieret. Procurator lectus est pro sua lenitate, bonitateque, ac sincera virtute vtrique carus parti Ludouicus Santanderus, in quem tanquam medium eò facilius suffragia conuenerunt, quod quempiam è suis factiosi non iudicarunt tuto Romam mitti. Absoluto conuentu apparuit Villalbam Perturbatorum autoritate, & consensu, impetuque perterrefactum, & abreptum; quamque ille obsecundandi artem putarat, consternationem animi, ac debilitatem fuisse. Quippe ita pauore completus est; vt cum indulgentiam sibi modo processisse existimaret, statuerit eamdem viam insistere, & sedulo aduigilare, vt veteres Patrum lætos, recteque animatos haberet. Et quia nonnunquam audiebantur querelæ, eos fere tanquam viuorum è numero obliteratos ad nullam administrationis publicæ partem aduocari, Franciscum Vasquium Salmanticæ, & Emmanuelem Lopium Villagarziæ, & ipsummet Dionysium Segouiæ Prorectores imposuit, cum Segouiensis Rector valetudine impediretur: Salmanticensis, & Villagarziensis in custodia, vt diximus, apud Quæsitores detinerentur. Sed vt semel turbæ inualuere, nihil est quod non trahi possit in occasionem augendi tumultus, quemadmodum quæ prætualuit flamma, etiam ea quibus sedari debebat in alimenta conuertit. Supra explicatum est tot Patrum pestilentia abreptorum in Transyluania, morte, quantum res Catholica accepisset incommodum, quantoque studio occurrere ei Claudius Generalis conatus sit. Nec ardor in singulis Sociorum mediocris extitit ambientium ad glorioſos labores mitti. Ex multis, qui id optabant in Hispaniæ Prouincijs sex tantummodo lecti, quibus profectionem parantibus, ecce tibi ad quatuor Hispaniæ Prouinciales præsentanei fulmen Anathematis, si quem de suis iniussu Sacrorum Quæsitorum Hispaniæ finibus emiserint, ac nisi protinus ad suas Prouincias, si quos exire iusserint, reuocent. Autorem præcepti cre-

92 Alij se Vasquio adiungunt.

93 Prouincialis Villalba in speciem se accommodat nouantibus, vt eorum vim eludat.

94 Prouincialis nimio terrore debilitatus Collegia gubernanda minimè aptis tradit.

95 Socij Hispani impediti ne irent in Transyluaniam.

credidere nonnulli vnum Quæsitorum ægre ferentem suum propinquum, qui eam expeditionem impetrarat, ab se se tam procul abire. Aliud alij causæ suspicabantur: exercere, fatigare, & adigere sic ad ea, quæ spectabant Societatem velle. Adeo seuerè editum iussum, & obseruatum est, vt cum Procuratoribus mox discedendum Romam esset, petenda singulis oblato supplice libello cundi venia fuerit: & Quæsitores consueta sua tessera dederint, adiecto vt recta pergerent Romam, neque aliò diuerterent. Hæc omnia Romam nunciata, multiplicem Generali attulere curam. Maxime omnium intestina dissensione doluit. Nam videbat omnino seeus in hac calamitate vsu venire, quam consueuit, quouis in cœtu recte valente. Habent enim hanc vim res aduersæ, vt ipsos inter se domesticos, ac ciues concilient, arctiusque ad malum, quod extrinsecus infertur, seu propulsandum, seu fortius subeundum coniungant. Hîc autem quemadmodum scripsit ad Prouinciales, euenire secus videbat, vt externa vexatione dissidium domesticum accenderetur: idque timendum aiebat, id curandum. Nam quæ foris exercitatio accideret suum tenere cursum, nec posse quicquam admodum detrimenti inde capi: vel constituram innocentiam, vel vindicatum iri noxam. Vtcumque autem caderet, eruditum iri Societatem. At vero disiungi membra, cum opus esset tenacius copulari, & aduersus caput surgere, id vero graue malum, & latentis intra viscera pestis indicium esse. Nec vero, vti Villalba suspicaretur, indulgentiam, impunitatem, ac præmia turbatoribus idoneam plagæ medicinam, sed ante omnia, fiduciam in Deo, in eaque fundatam virilem Clementiam, & inuictam in recto Constantiam. Et sane dissimulatio, ac lenitas illa incredibilem labem fecit. Vbi enim consentire visus est Prouincialis, tum hæc pariter consequuta, Primum pernicioſa consilia, quæ ante, quamquam cum exigua verecundia, tamen haud penitus sine pudore, ac metu agitabantur, non modo tractari propalam, sed & ostentari cœpta. Deinde simpliciores cuncti, bonique autoritatem Prouincialis sequuti, vnde species facta totius consentientis Prouinciæ: postremo causa publica relicta est indefensa, nec vllæ pro ea voces auditæ: vnde fiebat, vt plerique priuatarum opinionum venenum in pectus demitterent, nullo præmuniti, confirmatique verarum rationum medicamento. Quod si Præses præsenti animo, vt primum coitiones fieri malas sensit, obiecisset se se, ac suam & ipse coëgisset manum, & recta seuisset consilia, quid religio, quid obsequium, quid Constitutionum ius, quid publicum bonum postularet edocens, si minus impetum illum præcipitantis fregisset gurgitis, tamen haud in præceps cuncta iuissent. Minime quidem abfuissent dissidia: sed videndum est, quod cui bono bonum, maloue malum præoptandum sit. Nam & si sapientissimè monet Nazianzenus cum ait, exiguum quiddam concedamus, vt quod maius est vicissim accipiamus, nimirum concordiam: cedamus, vt superemus: idem tamen & illud vere docuerat, melior est contentio pietatis causa suscepta, quam turpis, ac vitiosa concordia. Cæterum vti recta viri mens veniam meretur, sic exitus indulgentiæ malus, debet bonus magister esse constantiæ. At vbi Prouinciarum Procuratores, quæ fuissent causæ Castellanis postulandi Generalem conuentum videre, quæ ad totam euertendam ab Sancto Spiritu per S. Ignatium conditam disciplinam, ac nouam ex ipsorum commentis fingendam pertinebant, cum aperte præfari: Constitutionum quarundam vsum hoc seculo domesticorum iuxta, & externorum concitare animos, & corda perturbare; nunc tempus esse dicerent talia corrigendi, cum in disquisitione (hoc enim aiebant) res nostræ apud Quæsitores versarentur: pœnasque certas certis noxis constitui, & iudicia forensium instar exerceri, & causas actitari, carcerem induci; libertatem eijciendi de Societate tolli, conuentibus Prouincialibus plus potesta-

96 Procuratores missi Romam cogunt tur veniam eundi à Sacris Quæsitoribus petere

97 Pernicies orta ex conniuentia Prouincialis.

Or.3.de Pace.

Universidad de Deusto
Biblioteca

98 Congregatio Procuratorum reijcit quæsita Congregationis Castellanæ.

testatis impertiri, cognitionem reseruatarum Præsidibus noxarum relaxari: atque adeo ne paupertati quidem parcerent, quam Sacrosanctam ita voluit Beatus Pater, vt Professos nunquam de ea remittenda acturos proprij voti religione obstrinxerit: sed reditus perpetuos ad obeundas euangelizandi causa peregrinationes, stipendiaque, & eleemosynas pro sacrificijs & instituti functionibus accipiendas censerent. Hæc aliaque, vt videre Patres attentari, flagitarique, & ex his quæ non dubitauerant vafri homines profiteri, omniumque oculis exponere, coniecturam fecere quanto plus mali lateret in abdito, enimuero cohorruere vehementer, tum grauissime indignati, vna voce vniuersi nequaqam generalem conuentum conuocandum, sed grauiter in authores talium prodigiorum vindicandum censuere. De

99 Commissarij Institutio per Hispaniam quas ob causas negata.

Commissario vero qui petebatur, Claudius quanquam non ignorabat, quid ius fasque ferret, tamen pro rei magnitudine Assistentes aliosque Patrum autoritate præstantes consuluit, cumque omnes consentirent rem esse exitiabilem, & ad intima, ac vitalia pertinere huius corporis, quod totum collabefieri, & scindi necesse esset, si nouus ille Dominatus induceretur, Castellanorum postulationi responsum hoc dedit, Re diu multumque perpensa iudicatum est à nobis in Domino, institutionem hanc Commissarij nullo modo expedire. Primùm quia id ipsum temporum aliorum experientia docuit. quæ fuit causa, vt in prima Congregatione Generali in qua ex viginti quinque Patribus qui aderant viginti scilicet electores, & quinque Procuratores, decem & octo erant Hispani, fieret decretum ne deinceps Commissarij Ordinarij instituerentur, idemque confirmaretur in secunda Congregatione Generali, cui præerat P. Borgia bo: me: tunc creatus Generalis, qui in Hispania aliquandiu Commissarius fuerat, & in qua similiter atque in prima, maior Patrum Congregatorum pars, nempe extriginta nouem, quatuor & viginti, fuerunt Hispani, & idem postea ab ipsomet Borgia proximæ Congregationi Prouinciali Toletanæ Commissarium item petenti responderetur his verbis: quod ad Commissarium spectat, est contra decreta primæ, & secundæ Congregationis generalis, nec conueniens Constitutionibus, quæ Prouinciales volunt proximos à Generali esse Præpositos ordinarios. Deinde ob ipsasmet rationes istinc allatas, quæ si bene perpendantur, probant non debere fieri: tum quia sola Castella petit, reliquæ autem omnes præter vnam, quæ nec ipsa tamen petit, obnixe efflagitant, vt ne fiat: tum etiam quia, quantum confidere hominum modo licet, certi sumus nequaquam pacem, & quietem istarum Prouinciarum, quam Congregatio in hac re prætendit, sed contraria omnia sequutura. Denique etiam propter alias rationes pergraues,

100 Agit Generalis cum Pontifice de rebus Hispaniæ.

quas vberius referet Pater Procurator. Speramus autem satis prouisum iri, & nunc per Prouincialem quem elegimus, & cum primum ratio temporum id feret etiam per Visitatorem, & per alias vias, de quibus cum P. Procuratore contulimus. Hoc edito responso Prouinciæ, quia constabat regijs idem interpositis opibus attentari, & ipsimet petitores, vti supra demonstratum est, si minus impetraretur extorquendum professi erant, visum est Claudio admonendum esse Pontificem. Haudquaquam multa fuit opus disputatione apud Sixtum. Continuò iussit, vacuo, ac securo animo esse; intelligere se, quorsum res tenderet, nempe vt quam

Qui rem, vt suam suscipit.

minimum haberetur cum Romana vrbe commercij. Verum nequicquam, Pontifice se, fore conatûs: causam plane vti suam suscepit. Quod & Cardinalis Rusticuccius Secretarius affirmabat, & res ipsa docuit. Mouit eum præsertim interdictum egrediendi ex Hispaniâ, de quo iam aliquid audierat, & tunc distinctius cognoscere voluit; consideratis etiam Syngraphis per quas data facultas Procuratoribus Nostrarum Prouinciarum fuerat, Romam veniendi, ad quarum conspectum, ita ne, inquit, tantum sibi certi homines arrogant, vt etiam accessum Christianorum

norum ad Vrbem Romam atque ad Sedem Apostolicam iuris ipsorum atque arbitrij velint esse. Mox pergens: nempe, addidit, ijdem isti sunt, quibus cum imperassemus, vt Acta causæ Marcenij ad nos transmitterent, nondum obtemperarunt. Sed dabimus operam, vt obtemperent. Sub hæc scribit ad suum in Hispaniâ Internuncium, iubens: vt quas ei mittebat literas Cardinali Quirogæ inscriptas, non prius redderet, quam eas ipse coram Cardinali præsenti recitasset. In ijs Cardinali eidem supremo Quæsitori præcipiebat suprema sua Apostolicâ potestate: primùm vt Libros Instituti Societatis, præsertim Ordinem studiorum, Societati confestim redderet. Deinde causam totam Patrum comprehensorum, ac quicquid ad eam pertineret, ad se primo quoque tempore transmitteret. Post hæc addebat, se ipsum, nisi iussa obedienter faceret, & Magistratu, & Cardinalatu protinus deiecturum. Eodem tempore Claudius satisfaciendum Regi curauit, qui ferebatur offensus ob appellatum Pontificem, & ea opinione imbutus, tanquam vere cuncta Societas idem cum Dionysio Vasquio, & eius asseclis sentiret. Dedit igitur ad eum literas; & ad Franciscum Porrium scripsit, quæ coram fusius explicaret: Primum quidem Sacrum Quæsitorum Consilium quantopere Societas colat, cupiatque promotum, intelligens summum ex eo Sanctæ Ecclesiæ emolumentum pendere: ac propterea, qua in re facultas tulerit, ei cum fide semper, & cura inseruisse. Deinde quod rumor ferret Societatem velle cum eo Consilio in certamen ventre, ac postulasse à Pontifice, eius vt ditione eximeretur, longe à vero abesse, vt Cardinalis ipse Petrus Deza, & Procurator ipsorum Quæsitorum Martinus Carnicerius, qui Romæ erant fidem rite faciebant: Solum petitum, vt explicaret num in noxis extra hæresim, ac nominatim in solicitatione Pœnitentium, ius esset Religiosis subiectorum causas cognoscere, vt omni dubitatione sublata nullæ posthac coorirentur procellæ eius generis, quæ in præsens strepitum tantum ciebant. Cui quidem controuersiæ, Societati summe optatum fuisse, vt ab ipsis Quæsitoribus finis imponeretur, idcirco prope annum quieuisse. Verum cum interim vijs tentatis omnibus nihil impetratum esset, videretque grauius opinione damnum per Hispaniam accipi, ac sciret Regem nequaquam se sacrum illud in forum consuesse immittere, coactum ad commune totius Christiani Orbis perfugium receptum habere. Non enim scire se num vnquam cum alio quopiam religiosorum ordine id actum sit, quod actum esset cum Societate, omnibus eius libris tanta cum infamiæ nota collectis, & in Quæsitorum potestatem redactis, vnde omnibus offeratur occasio suspicandi aliquid monstri latere in hoc Ordine. Itaque quamuis sacrum illud Tribunal velut arcem, & propugnaculum religionis, ac morum veneremur, non posse tamen de aliquo eius administrorum non conqueri, qui res, hominesque huius familiæ ita accipiant, vt in libro de Ratione studiorum quidam iactarit inesse hæreses, & ipsummet Generalem in sententia, qua liber condemnaretur tanquam eius Autorem nominatum iri, cum tamen Generalis mens posset ex ipsis primis eiusdem libri regulis perspici, in quibus iubebat corroborandæ inprimis fidei, alendæque pietati insisti, ac propterea neminem docere quicquam, quod cum Ecclesiæ sensu, receptisque traditionibus non bene conueniret. Atque vbi nullum pietatis, & fidei periculum immineret, vitari suspicionem nouitatis. Itaque neminem opinionem vllam defendere, quæ contra recepta Philosophorum, aut Theologorum placita, vel contra communem scholarum Theologicarum sensum à plerisque viris doctis esse iudicetur. Hinc igitur Generalis mentem liquidò cognosci, nihiloque minus ex literis, quas in Hispaniam cum libro misit, in quibus vehementer monet, vt vnusquisque exuens peculiare ad hanc, vel illam opinionem animi studium, solum figat oculos in id, quod futurum sit toti Societati maxime

101 Claudius Generalis Regi Phillippo satisfacere conatur literis scriptis, & Francisco Porrio ad eum missis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conueniens, maxime tutum, & receptum in Academijs Catholicis, maxime vsitatum apud Magistros, quorum & autoritas, & Doctrina præpolleat. Hæc ita cum sint, videat iam pro sua sapientia Rex num talia sine doloris sensu, ac sine omni præsidio, perfugioque tolerari deberent. Cum Societas ad alienam condita vtilitatem, si in ea re cum fructu versari nequeat, frustra sit omnis futura. Sin autem ita captentur eius diuexandæ occasiones, non modo frustra futura sit, sed etiam execrabilis, nullo sane Sancti illius Tribunalis bono. Quod autem ad Castellæ Prouinciæ res pertineret, sciret Rex, turbas non nisi in ea vna esse Prouincia. Fuisse in animo Generali dudum Visitatorem mittere: sed cum interuenissent ex casu comprehensorum Patrum motus, existimasse Sapientes tantisper supersedendum, dum appareret, quò ille turbo euaderet. Atque addere hoc loco plane, ac modeste Porrius iussus est: Non deesse, qui causam tantorum motuum ipsimet Regi conentur aspergere. Existimantes enim quosdam ipsum Societati suboffensum, magnos spiritus, tanquam Regi gratum facturos, assumpsisse: per eius offensionem sperantes ad effectum sua studia perducturos. Rogaret igitur, vt quam erga cæteras Religiosorum familias, eandem erga hanc, quam vt suis literis ipsemet sæpius affirmarat, semper fidelem expertus esset, benignitatem, & clementiam præseferret. Hæc, & alia eiusdem generis exposuit Porrius diligenter, & Rex non modo libenter audiuit, seque purgare sedulò studuit, & fauorem promisit; sed etiam nominatim è Proceribus designauit, quos Porrius, siue vt dedoceret, siue vt magis conciliaret, alloqueretur. Ac Generalis, nihil vt omitteret, quo pacare, aut demereri Sacros Quæsitores posset, ad omnes Prouinciales Hispaniæ literas dedit, vt humiliter, ac prolixe Societatis operam, si cui vsui foret Sacris Quæsitoribus deferrent: vt intelligerent non æmulam eam, sed adiutricem, & administram esse velle. Hisce ex officijs cepit nonnihil tranquillitatis redire. Acta causæ Marcenij Romam misere; iussum de non egredienda Hispania, quando in totum abrogare duriusculum videbatur; declararunt, ita intelligi; ne mitterentur iuniores ad loca hæresim labe infecta, quod periculum esset ne olim ipsi deprauati, mala in Hispaniam semina reportarent. At Dionysius sibi timere incipiens in Quæsitorum clientelam penitus dedit se, quorum iniussu vetitus Villalba est quicquam de eo statuere: tum ad Generalem literas dedit contumaciter supplices, petens magis, quam rogans, vt memoriam præteritarum rerum aboleret, gratiamque sibi omnium, quæ molitus esset faceret, sancte spondens in posterum se causam ei molestiæ non futurum.

102 Rex benigne respondet Porrio.

103 Sacri Quæsitores aliquid relaxãt de pristino rigore.

104 Dionysius Vasquius in clientelam Sacrorum Quæsitorum se dat.

Inter hæc multi præstantes virtute viri ad præmia euocati cælestia, in his Bartholomæus Cocquius XI. Kalendas Augusti è Palmensi Maioris Balearis Collegio, quod regebat. Vir sui victoria, clementia, prudentia, laborum cupiditate, cæterisque clarus virtutibus. Tota hominem luxit Insula, in qua & natus erat, in Oppido Inca. Cum annum trigesimum ageret, ineunte seculi anno 56, Societatem adiuit Valentiæ: interque multas Præfecturas Proprouincialis Sardiniam sapienter, diuque administrauit. Par egregium in Numantino euocati Collegio Consaluus De Herbis Kalendis Octobribus, & Ioannes Ignatius de Ozrunio quinto Idus Decembris. Hic anno 1554. ille anno post, in Societatem adscriptus. Consaluus præfuit plus quatuor annis Domicilio Villagarsiensi dum ibi Tyrones habebantur. Delectabatur labore, & opere, asperitate, suique vexatione corporis, aure præbenda confitentibus, adeundis quamuis intempesta nocte, ac sæuiente hyeme moribundis, & adiuuandis, quo in genere excellebat. Vbi à proximorum vacaret causis abdebat se in cubiculum, in eoque perseuerabat agens cum Deo, orans, aut legens. Merito potest in ijs numerari, qui animam suam posuere pro amicis suis. Nam dum in graueolenti tuguriolo summo studio

105 Mors P Bartholomæi Cocquij post vitam bonam.

106 Item Consaluij de Herbis, & Ignatij de Ozrunio.

107 Virtutes Cõsaluij.

dio inopi adest mulieri animam agenti, ex tetro loci situ, corruptoque spiritu, morbum quo confectus est, traxit. Narrant de eo, cum superuenissent hospites, suumque illis Præfecti monitu cessisset cubiculum, nec aliud per obliuionem assignatum esset, in odeum se recepisse, ac lætum oblata occasione totam ibi noctem in precibus diuinorumque meditatione duxisse. Item ad memoriam Christi plagarum solitum sibi manum clauo acuto, sic vt sanguinem eliceret, & plaga fieret, vulnerare. Ioannes Ignatius excellebat cultu erga Deiparam, cuius præcipuè in honorem Societati se dedicauit. Frequens obtestari moderatores per ipsam eorum conscientiam solebat, ne quam ipsius cupiditates, voluntatesque frangendi occasionem omitterent, neu per indulgentiam quicquam secum dissimularent. Cultor erat obedientiæ exactus, legum domesticarum tenacissimus custos: si qua res offerretur ab earum præscripto aberrans, statim oblatrabat conscientia, & tanquam conuicio obiectabat, istud aduersus legem est, abstine: ac plane abstinebat. Quod si vel leuiter prolaberetur, non quiescebat priusquam noxa moderatori patefacta pœnam publicam impetraret. Adeo contraria sunt hominum seculi, & seruorum Dei studia. Illos post noxam sequitur cura latendi: hos se se prodendi: nec mirum cum illi pœnam metuant, hi reformident impunitatem. Sæpe instituit ardens hic pariterque humilis animarum amator, vt mitteretur ad Indos, non quod se idoneum existimaret Euangelio promulgando, sed vt promulgantibus pro famulo inseruiret. Eo votò frustratus hoc acrius curam intendit, vt Hispanicis laboribus indicas adæquaret ærumnas. Nobile item par è Toletana euocati domo, Odoardus Pereria, & Christophorus Turrius; ambo genere Lusitani, & Sacerdotes. Prior adolescens cum ex Ephebis esset Eleonoræ Mascareniæ, ad Societatem se contulit: Posterior iam quinquagenarius. Præfuit Odoardus diu Nouitijs. Madritanum primus Collegium rexit. Valebat spiritualibus Exercitationibus proponendis. Pietate singulari colebat Deiparam: pridieque eius Celebritatum super cetera officia, publico se cedebat flagello. Sub vesperam apoplexia repentinò extinctus est, cum mane sacrificasset, pauciſque ante horis, tanquam Deo tacite præmonente, auditus est cantillans versiculos Hispanicos huius sententiæ, Aspiciant mea Te lumina bone dulcis IESV: Aspiciant mea Te lumina & moriar. Christophorus cum circa frequens ministerium satageret, interrogantibus quid tantum curæ assumeret, contendendam aiebat operam, quod serius ad vineam accessisset, & spatium supereſſet exiguum. Itaque tanquam præsagiret breuem sibi vsuram lucis restare (nouem enim duntaxat superauit annos) ita interdiu, noctuque operi intentus agitabat. Diuinum officium semper genuflexo aperto vertice persoluebat. Ad ægros, ad custodias, ad Nosocomium promptus accurrere, & ad vilissimum quemque lætissimus: nec solum animis, sed etiam prodesse corporibus. Curabat domi singulis diebus sua, vt pauperibus parata benedictio esset: Colligebat ipsemet mensæ reliquias, idemque sua manu pauperibus diuidebat, diuina ante doctrina refectis. Aliquandiu fuit Naualcarneri, vbi (vt est attenta caritas) cum affatim in horto pomorum esset, quæ peritura cadebant, colligebat diligenter, & insolabat & suas inde pauperibus adornabat delicias. Totus erat in Humilitatis, & Caritatis negotijs: ministrare mensæ, domum euerrere, purgare lances, ianitoris obire vices, vnus omnes Patrum in se quoad posset, ac fratrum labores auertere; expeditus, alacer seruantissimus legum, Sociorum obseruantissimus; adeo in omni virtute perfectus, vt quam singillatim inspiceres eam eminentissimam iudicares. Inde rapiebat ad se omnium animos; suique desiderium tam dulce reliquit, vt apte in eum sacrum illud cadat Elogium, Dilectus Deo, & hominibus: cuius memoria in benedictione est. Gaudebat se olim ab Ioanne Nunnio Æthio-

108 Virtutes Ioãnis Ignatij.

109 Odoardi Pereriæ piamors ex bona vita.

110 Christopho. ri Turrij virtutes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

piæ Patriarcha Sacerdotem creatum. Similis fuit virtus, sed maiore in opere, ac longiore perspecta Ioannis Rodericij ex oppido Ceruera Calagurita-
111 Elogium Ioannis Rodericij. næ diœceseos, qui cum quadragenarius & ipse ad Societatem anno 1555. veniſſet, præter alia munia, ita Minister duos & viginti annos in complutensi Collegio posuit, vt merito magnus in eo genere, proque exemplari, ac forma haberi possit. Cum seueritate clementiam, diligentiam cum tranquillitate, hilaritatem cum modestia, prudentiam cum simplicitate, cum religiosa parsimonia maternam benignitatem mirum in modum copulabat. Obedientiam non magis ab alijs exigebat, quam præstabat ipse Rectori: labores non libentius dispensabat, quam primus aggrediebatur. Vni sibi asper, & implacabilis, & rigidus disciplinæ exactor erat. In cubiculo eius, in mensa, & in vestitu nihil nisi vulgare: nunquam tunicam nouam induit, nisi semel Prouinciali vrgente. Singulis noctibus per horæ dimidium se acriter diuerberabat: quod nisi cohibitus esset Moderatorum imperio, sine modo desæuisset. Nihil enim nisi fatigabat Rectores, & Confessarios, vt sibi pœnas, siue publicas, siue occultas concederent: ac noua excogitabat se se abijciendi genera; dictitans se iners terræ esse pondus, ac fruges nequicquam consumere. Pollebat egregio Orationis dono, & lacrymarum: nec vnquam intermisit magna simplicitate rationem animæ suæ, & omnium spiritualium exercitationum Moderatori referre. Cupiebat vnam vesperi, alteram mane consucto somno horam detrahere, quam Orationi adderet; sed solum dimidias impetrauit. Ita se gerebat semper, ac si ante Dei conspectum versaretur. Nec erat quicquam tam leue, vnde non incitamentum pietati, Orationi alimentum
112 Quid crebro dicere soleret. excíperet. Quatuor habebat in ore voces: Seueram Deum repetiturum rationem ab homine Societatis præsidiorum ei ad virtutem tot, ac talium præbitorum: Valde nobis necessarium insigne studium mortificationis atque virtutum: alioqui cum desit exterior seueritas, Sanctitatem pessum ire. Quicquid quamuis minutum agatur, magna puritate, ac perfectione agendum: Sæpe, multumque ponderandum quam multa Deus reddat in Societate pro exiguo, quod abdicatur in seculo. Exacta prospere vita fidelem Dei seruum inuasit tanta repente mœstitia, vt prope de se actum putaret. Quod cum more suo Præsidi declarasset, is bonum habere animum iussit, exerceri à Deo, expolirique, ac præparari ad migrationem. Neque aliter factum est. Cum per æstatem ad Villam secessisset Collegij Complutensis, Cui IESVS à Monte est nomen, tanquam singulis horis aduentum Domini opperiretur, sub arboris vmbra, vel propter sepem, ter-
113 Tranquillus eius, & felix obitus. nas, eoque amplius, ac senas interdum multis cum lacrymis ponebat horas in precibus, donec correptus febricula, valde lætus ad moriendum se ire denuncians, Complutum reuertit: ibique septimo Kalendas Octobris diuinis instructus in Domino requieuit. Claudet glorioſum hunc choribus memorandus, Rodericus Aluarius, Hispali magna cum sanctitatis fa-
114 Roderici Aluarij Parentes, Patria, Natales. ma, neque ea ex vano, vita perfunctus. Is ex Patre Lusitano, Matre Castellana, anno 1525. ortus in terris Africæ, quæ tum sub ditione Regum Lusitanorum erant; cum tenellus reportaretur in Hispaniam, tum alijs incommodis, tum maxime siti, quæ quod aqua ob diuturnam iactationem defecisset, vectores dire cruciauit, altero oculorum orbatus est.
115 Puerilia eius sanctè tradu cta. Iam tum puer magnos ad omnem virtutem persensit impetus: summo studio inter maxima certamina pudicitiam conseruauit, quoad Domino palam ei apparente, ferox illa carnis contumacia delinita est. Inde pugna liberatus, non tamen curam deposuit: communisque est notorum opinio, nunquam sacrum illum thesaurum ab eo tota vita violatum. In Oppido Lebrixa ad maritima Boetis, primas literas didicit: dein Complu-
ti grauiores disciplinas humanas diuinasque. Tum reuersus Lebrixam studio

dio paupertatis, patrimonio satis luculento Christi gausa distributo, ad sustinendam labore vitam, & vtilitati publicæ seruiendum, docere Grammaticam instituit. Inde quò plus animos iuuaret, suasu piorum, qui & patrimonium in eam rem obtulere, Sacerdotium petijt, sed more bono, & antiquo. Hispalensem Vicarium cum adijsset, Adsum, inquit, vt si censeas è Diuina gloria, reque Ecclesiæ esse, inities me Sacris. Sin aliter censeas, non inities. Nam mihi quidem nihil propositum est aliud,
116 Quomodo Sacerdos factus. quam vt Deo placeam. Ad quæ verba cum animum attendisset Vicarius, ac totum hominem oculis lustrans, videret ore deformem, captum oculo, habitu neglectum, ac despicatum, tamen respondit, nescio quo interiore instinctu impellor, vt initiari te iubeam: atque ita lege ob oculi vitium solutus, paucis diebus Sacerdos est factus anno 1552. Sub hæc cœpit Hispali in Nosocomio, quod Amoris Dei vocatur, Curionem agere, puerilem non intermittens Doctrinam. Iam longe in omni officij laude processerat, Deo præter ordinem adiumante. Multa percepit Diuina lumina, quibus vehementer excitatus ad pietatem, & in mysterijs Sanctissimæ fidei, quæ plurimi faciebat, confirmatus est. Sæpe ei Christus Dominus: sæpe Deipara apparuisse dicitur. Cumque aliquando Dominus ei dixisset, sequere me; nesciretque quanam potissimum ratione sequi eum deberet, ad Sanctissimam Virginem confugit; voluntatem vt filij mater interpretaretur: eaque diserte respondit, Societatem IESV iniret. Hæc
117 Vocatio eius in Societatē mira. Xeresij cum euenissent, eodem die Rodericus se Hispalim contulit, Prouincialem Iacobum Auellanedam conuenturus, qui forte die eodem Marcenam versus discesserat. Sed is spiritus, qui Rodericum ducebat, Auellanedam reduxit, sub dimidium viæ febri correptus retro Hispalim vnde exierat, se recepit. Postridie adfuit Rodericus, & Societatem simpliciter, ac sine ambitione, vti Sacerdotium petierat, petit. Aderat Prouinciali Ignatius Fonseca notæ vir prudentiæ, atque virtutis, qui interrogatus à Prouinciali, quid ea de petitione sentiret (nam præter alia corporis incommoda etiam ætate prouectum homulum intuebantur) respondit sibi quidem, nescio quid intus suadere, vt reciperet: idem, inquit, mihi sensus est, continuoque recepit pridie Idus Augusti 1566. mox domum receptus magnum præbuit sinceræ virtutis, quam afferebat pignus, atque experimentum, quod tanquam docilis puer totum se formandum, in Christo fingendumque permisit. Ita amare, ac magnifacere Societatem cœpit, quam sibi nominatim destinatam à Deipara recordabatur, vt diceret, netum quidem, si forte eueniret, vt omnes eam desererent, fore vt ipse abiret, aut opinionem eius imminueret. Hinc iam in legum custodia, quam accuratus esset, prompta est coniectura. Nec longo post tempore, vt erat in nouo studio vetus athleta, præfectus est Tyronibus erudiendis, ac rerum piarum domi moderator, cum pariter in opem Ciuium singulari charitate, constantia, laboreque insisteret. Ac Deus, qui contemptibilia
118 Singularia in eo Dei dona. mundi eligit, dabat conatibus famuli sui successus plane mirabiles. Singulare ei donum internoscendi spiritus, & prædicendi futura, & cogitationis arcana introspiciendi, & alia supra communem modum impertijt: & quæ multo diuiniora, & optabiliora sunt, ardentissimam caritatem, misericordiam efficacissimam, patientiam inexuperabilem, & alia virtutum vera decora large donauit. Quicquid ageret, quatuor hisce conditionibus exornabat: Referebat ad maiorem Dei gloriam, ad maius caritatis augmentum, ad proximorum exemplum, ad suimet confusionem. Ardebant eius verba, & incendebant audientium pectora: domestici etiam sermones eius toti de rebus texebantur, quæ excitare, & alere pietatem possent. Si quo in circulo quicquam medium tractaretur, satis habebat tacitus audire. Quæ maxime volebat sibi curæ esse, scriptis mandabat. In his erat, vt nunquam de auditis in confessione noxis ob Sacra-
119 Votum de nunquam obtrectando. men-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti venerationem, ne generatim quidem ageret. Obtrectationes vsque eo oderat, vt proprio quodam voto se obstrinxerit, nunquam cuiquam obtrectaturum, præcipue Sacerdoti, aut Religioso; nec sinebat coram se tale quicquam seri, diuina inculcans verba, Nolite tangere Christos meos. In subleuandis proximorum difficultatibus, vt omnia conaretur, tamen immensum erat, quò animo aspirabat. Ac solebat interdum dicere. Ego quotquot sunt in toto terrarum orbe captiuos libero. Aliâs, Ego ad inopum subsidia per omnes gentium omnium vrbes excito Montes pietatis. Alias ego vbique templa, vbique domos hospitales, & Nosocomia ædifico ad corporum necessitates, & animorum. Cum quem audiebat confitentem, aut mœstum consolabatur, aut consulentem docebat, ita suscipiebat rem, agebatque, ac si pro vniuersis ea mortalibus faceret: Omnes quantum in se erat, in vno illo adiuuans. Quo de conatu, ne in summa quidem dolorum acerbitate remisit. Quippe multorum annorum spatio ex calculo laborauit, vt recte facta honor patientiæ cumularet. Quemadmodum autem eum cruciatum ferret, ex eiusmet scripto apparet, quod anno 1552. ineunte edidit in hæc verba. Statuere Medici morbum, quo laboro, calculum esse, quo tandem conficiar. Hunc ego morbum pro singulari duco beneficio Dei, qui me præuenit excitatque, vt animum ad bene moriendum componam. Multis iam annis precor à Deo donum Martyrij, id mihi Deus in hunc morbum commutauit, quem Medici prolixum Martyrium dicunt esse. Quando autem hac mecum vsus est benignitate, vt aliquo modo faceret conformem imagini filij sui, qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, benedicam Dominum in omni tempore, & semper laus eius erit in ore meo. Itaque & propter hoc beneficium, & cætera alia, Benedicat anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini Sancto eius. Hoc totum quicquid est molestiæ, quod pro sua æterna prouidentia mihi Deus largitur, toto animo amplector, ac prorsus tanquam mihi ipsi optionem permiserit, ita volens, ac libens bibere volo calicem hunc de manu Domini nostri IESV Christi: pro qua re, & cæteris omnibus in æternum gratias agam. Et quoniam nescio ipse vti debeo gratias agere pro tam insigni pietate, rogo Dominam meam Virginem sanctissimam Dei parentem, omnesque Cælestis Aulæ Sanctos, vt hoc pro me fungantur officio, mihique impetrent vires, quibus patienter, & conuenienter Diuinæ voluntati, & alacriter hanc particulam, quæ mihi obtigit Sanctissimæ Crucis Christi sustineam. Hæc, & alia multa scripsit, & ad hanc regulam dolores, quibus sex maxime postremis vitæ annis excruciatus est, semper exegit; tot interim irrigatus è Cælo suauitatibus, vt partim dolores infernos, partim superna degustare gaudia videretur. Referunt ei apparuisse, & familiariter cum eo egisse Sanctissimam Dei Matrem, cuius præcipuo studio semper clientem se, & famulum præbuit, & quotidie psalmodiam in eius laudem solennem Sacerdotali adiecit: apparebat eadem benignitate Christus Dominus. Conspectus est ipse aliquoties inter orandum diuino splendore totus vultu refulgens. Ioseph Quadrius Sacerdos pius, & grauis de Societate carus Roderico discipulus, inuenit aliquando eum in suo conclaui paruum Christi Crucifixi signum manu tenentem, abiectum in genua, ore ad pedes Domini hiante, fluentibus lacrymis, ardentibus genis, cætero vultu supra niuem candido, adeo abstractum à sensibus, vt nec vocatus, nec tractus quicquam sentiret. Postque longam horam vbi ad se se redijt, interroganti Quadrio, quid illud fuisset? ingenue respondit, in æterna vita se se dicturum: non enim quæ ibi euenerant expromi ante posse. Idem sacrificans visus est, dum Sacrosanctam Hostiam attollit, Angelis duobus circumdatus, illi brachia alleuantibus. Alij quidam supra eius caput lumen insolitum, claram quasi facem videre: alij

120 Latitudo cordis in immensum patens.

121 Patientia in longo, & graui morbo.

122 Pietas eius erga Sanctissimam Dei-param.

123 Rapitur in extasim.

suauissimum odorem sensere, ex manibus, ac vestibus viri Dei fragrantem, cum tamen odoratas ille res summe refugeret. Inter hæc, & alia huius generis diuinæ indulgentiæ pignora, suis illis exercebatur doloribus, qui cum maxime desæuirent, palam profitebatur eos malle se, quam aut Angelum, aut Archangelum, aut etiam Seraphim esse; quoniam Dominum suum Christum IESVM, quod illis negatum esset, imitari daretur. Deniqne cum sacrum fecisset, sublatus ab Altari est præ dolorum acerbitate inter angores mortis, in quibus cum quatriduum mentis compos perseuerasset, cum certissima fiducia vitæ æternæ, de qua se Iosepho Quadrio certum esse confirmauit, magno suo, & adstantium gaudio post Sacramenta omnia, Professorum in domo emigrauit XVI. Kalendas Maias. Qua nocte est mortuus, magnæ virtutis homo in precibus excubans, videre sibi visus est animam eius magno stipante Angelorum Choro in Cælum euntem. Eadem nocte sub auroram alter Dei seruus, qui nescibat adeo grauiter Rodericum ægrotare, vidisse se retulit cælum ab occidentis regione pandi, multosque ea de Societate Patres versus terram exire: audiuisseque cum nescio quis quæreret, quid ita cælum aperiretur? respondentes, ad excipiendum Sacerdotem de Societate, qui eo tempore expirarat. Ac tantam statim suauitatem visus est sibi odoris haurire, vt etiam postquam euigilasset, diu tanquam ebrius suauitate illa ferretur. Vt cognitus est Patris excessus cœpit populus ad corpus confestim accurrere. Itaque habendum in custodia fuit. Sub tempus exequiarum prohiberi turba non potuit. Concurrit (vti tum scripsit Prouincialis Ægidius Conſaluius) infinita vis populi, cum lacrymis, ac pietate ad applicanda rosaria, ad flores inijciendos, ad aliquid reliquiarum rapiendum, vt vix relictum sit, quo tegeretur, atque ægre potuerit, vt tumulo conderetur, subduci. Mirabilia de eo narrat Historia Bœtica, ex quibus gustum hic dabo. Homini suam calamitatem miserabiliter exponenti, quòd vrgentibus creditoribus soluendo non esset, suum dedisse Pater sudariolum dicitur, cumque nihil vnquam pecuniæ habuisset, in eo tamen debitor tantum reperisse æris quantum dissoluendo nomini satis foret, ac pro miraculo rem celebrasse. Alteri item suis precibus tantum restituisse argenti quantum fures eripuerant. Alij mentis oppresso angustijs opem petenti: Adi, inquit, nomine meo Deiparam, ac precare, vt hac te molestia eximat. cumque ille paruisset, antequam surgeret è precibus tranquillitatem recuperauit. Exponebat alio tempore suum angorem quidam scholasticorum de salute æterna desperabundus, cui Pater: abijciamus nos in preces: nam videor mihi in animo contraria omnia, ac tu sentis, sentire, te vtique saluum fore. Vix salutationem Angelicam pronuntiarant, cum tantum è cælo lætitiæ animo iuuenis infusum est, vt capere totum haud posset: ex eoque tempore perseuerauit magna cum fiducia, & tranquillitate conscientiæ. Procacem fœminam, quæ domestico Sacerdoti crearat infamiam, paucis verbis ita coarguit, increpauitque, vt illa admirans primo vnde tam sua conscientia illi pateret: deinde fraudem confessa, se crimine, Sacerdotem infamia liberarit. Virum nobilem maximeque deditum pijs operibus deprehendit à Dæmone illusum, & quanquam haud sine magno negotio, tandem sanauit. Multas etiam fœminas per vana pietatis ludibria circumuentas, satanicis liberauit præstigijs, quarum nonnullis dicebatur linguarum ignearum figura Spiritus Sanctus illapsus. Vnam autem, infantis specie Dæmon apparens, eo paulatim deduxerat, vt ne sacris quidem diebus ad diuinum sacrificium accederet: cum diceret non esse cur in templo quæreret, quem apud se haberet. At Rodericus edocuit, Beatam Virginem, quamuis præsentem haberet Christum Dominum suum filium, non tamen intermisisse quin ex legis præscripto Hierosolymitanum templum ascenderet. Nec tacitus tulit Dæmon ob hæc & talia suum aduersus Dei seruum odium. Sæpe conatus est in eum irruere, sæpe

124 Dolores summo in pretio habet.

125 Mors eius Sancta.

126 Populi concursus ad eius exequias.

127 Beneficia eius in proximos mira.

128 Mali Dæmonis odium in eum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe testatus infestum sibi, & pernicioſum ſemper fuiſſe. Percunctanti homini qui magna cum pecunia redierat ab Indijs, num iterum eo nauigare expediret? Rodericus plane negauit expedire: qui cum potius cupiditati ſuæ, quam Patris conſilio paruiſſet; primùm ſpoliatus eſt à Piratis, vbi facultatum dimidium amiſit: Deinde tentato rurſus itinere, facto naufragio, alterum, quod reſtabat dimidium perdidit. Tum demum recordatus conſilium Patris, ad conſeruandam, quod reliquum erat, patientiam, eo vſus eſt. Singularia autem dona, quæ à Deo recipiebat, ita habebat abdita, vt quantum quidem in ipſo foret, etiam vouiſſet nunquam mortalium cuipiam aperire. Sed à Prouinciali Iacobo Acoſta, & ſolutus Voto eſt, & certis magnæ virtutis, prudentiæque viris ad maiorem Dei gloriam iuſſus exponere.

129 Voto de occultandis Dei donis ſoluitur.

Inter hæc non omiſſi pro publica vtilitate conſueti labores: nec ſuæ caruere gratia; non modo rudem apud populum in obitis per agros, & oppida excurſionibus, ſed in nobiliſſimis quoque vrbibus. Quin etiam Salmanticæ, atque Compluti cum inter Scholaſticos maxime ſolerent feruere, iactarique in nos aduerſi ſermones, multi tamen, ijque præclaris inſtructi naturæ donis Societatem petebant. Ciuitas Hiſpalenſis eodem tempore Societati Gymnaſium publico ſumptu decreuit extruere, communi omnium Iuratorum ſuffragio: inter quos eminuit ſtudium Melchioris Alcazarij, cui & à Ciuitate ædificationis procuratio demandata. Eodem tempore in eadem vrbe magno Ciuium ſtudio cœpta ædificari Profeſſorum Sedes: neque pauci pro impetrandis Collegijs decertabant, maxime Oropeſanus Comes, & letiſſimæ feminæ Marchio Camaraſſæ, & Comes S. Agathæ: illa Caciorlam, hæc ſuum in Oppidum S. Agathæ perſtudioſe accerſentes. Comes quoque Montis regij totus erat in eo, vt Montis Regij Collegium ad Gymnaſium vniuerſale amplificaret. Cum Rex hoc anno magnam inſtrueret claſſem, ſeptem in eam de Societate miſſi, quinque Sacerdotes, duo Laici, quorum inſequenti anno exitus referetur.

130 Domus Profeſſæ Hiſpalenſis initiũ.

Templo Domus Olyſipponenſis donum inſigne fecit Ioannes Borgia, filius Franciſco parente dignus: multas, ac nobiles, eaſque in primis certas Sanctorum reliquias dedit. E Luſitania vndecim cum Marcello Beliarte Prouinciali deſignato profecti, ſecunda quinquaginta dierum nauigatione in Braſiliam peruecti Pernambucum appulerunt, dum maxime infeſtum haberet Anglicana Claſſis, Draco Præfecto, totum Oceanum. Inſtitutum Olyſippone, præcipue Fonſeca Domus Profeſſæ Præpoſito autore, Cœnobium conuerſarum mulierculariũ, & quæ id curaret Sodalitas, in quam Regni Gubernator Cardinalis Albertus nomen cum multis è Nobilitate dedit. Florebat per hæc tempora Pietas Ignatij Martinij, maximeque explicabatur per omne genus hominum ex eius ardenti caritate vtilitas. Totus erat in Catechiſmo tradendo; cœtibuſque, & agminibus ad pietatem habendis. Conueniebant ſanctum ad opus plus triginta Ludimagiſtri, Cantores amplius quinquaginta, diuiſis quatuor in choros puerorum agminibus, & mancipiorum, interiecti. Centum viri ex diuerſis Nationibus principes, quorum imperio ex quinque Nationibus conueniebant Æthiopes, Indi, aliaque mancipia. Sequebatur ſupplicantes magna vis populi, plurimi ad compita concurrebant, & ad feneſtras viſendi ſtudio effundebantur. Præcipua ſpectaculi pars ipſe Ignatius erat, ætate iam, & literis ſed multo magis probitate venerandus, agmen agens etiam ipſe cantillans. Vbi ventum erat in templum, ad omnes grauem concionem habebat, deinde pergebat in magno Ciuium Comitatu ad Noſocomia, vel carcerem, & ex collecta ſtipe afferebat leuamenta corporibus. Hæc ſacris cum faceret diebus; inter hebdomadam in æde cui à Miſericordia nomen, erudiebat mendicos, qui facile mille numero conſuebant: Ailo die ad promiſcuam turbam Calonum, ac Baiulorum in portu, foroque

131 Prouincialis cum vndecim in Braſiliam feliciter nauigat.

132 Cœnobium Conuerſarũ Olyſippone à Fonſeca inſtitutum.

133 Ignatij Martinij opera præclara.

que ternis ſæpe millibus audientibus verba faciebat: Alio die in Triremibus, vel in cuſtodijs, & huc ferens magna ſubſidia præſertim ad ægrotos ſolandos: poſtque exhortationem multi Ciuium comites aquam vinctis portabant, magno & vinctorum adiumento, ac cæterorum exemplo. Multæ, ac ſalutares obitæ ab Conimbricenſibus Socijs, atque Eborenſibus excurſiones, egregia nauata operâ ſemeſtri à duobus Sacerdotibus Igeditano Epiſcopo cum Diœceſim primum luſtraret. Obita ſemel, atque iterum Diœceſis Viſenſis, vbi cum Epiſcopus indiculum Sacerdoti noſtro dediſſet inter ſe ſe diſſidentium, omnes ad vnum ad Chriſtianam caritatem reducti. Luſtrata, & Algarbiorum Prouincia. Bini item ad Pacem Iuliam, & ad Dichium agrum profecti.

134 Miſſiones per Luſitaniam vtiles.

Menſis Maius huius Anni legatos Iaponios ex Europâ reduces ſaluos, atque incolumes, etſi bis eo itinere extreme periclitatos, Goæ reddidit, gratulatione vrbis eius magnâ, non ſolum ob dulcem ex tanto locorum, & temporum ſpatio conſpectum carorum, & commendabilium, tum priuato merito, tum publicâ cauſâ capitum, verum etiam, quod duorum præcedentium annorum funeſtæ morbis, & naufragijs nauigationes hunc innoxium, & primùm ex longo interuallo felicem Vlyſippone in Indiam tranſitum lætiorem in vulgus auſpicatioremque faciebant. Societas præſertim, quæ annis hiſce duobus nouem è noſtris partim morbo, partim naufragio, eodem iſto è Luſitaniâ traiectu perdiderat, præterquam opportunum domeſticarum cladium ſolatium in iucundiſſimo talium hoſpitum complexu capiebat, etiam auxiliorum tam neceſſario tempore expectatorum ex Europâ feliciores curſus, ex hoc velut quodam ſpei pignore in poſterum interpretans, augurabatur. Augebant lætitiam ipſi Iuuenes, ea de Româ; deque Europâ prædicantes, quæ facile demonſtrarent, referre ipſos ex hac peregrinatione fructum illum confirmationis in perſuaſione Chriſtianæ veritatis, & æſtimatione noſtræ Sanctiſſimæ Religionis, quem omninò iſtius conſilij autores ſibi propoſuiſſent, dum iſtam primùm legationem Iaponijs Regibus ſuaſerant. Annona per Indicas has partes iam anno ſuperiori fieri cepta grauior, hoc demum vehementiùs incenſa, excitauit benignitatem, cum aliorum, priuatis copijs ex præſcripto Religionis vtentium, tum Proregis præſertim ipſius, cuius largitionibus magnus plebis inopis numerus ab extremâ pernicie ſeruatus eſt. Adiecit fidem Euangelizantium verbis huius palam extantis pulcritudo exempli, ſic vt plures, quam antea, etiam è Brachmanibus, manus Chriſto, & nomina dederint, vel potiùs ipſi acceperint, baptiſmis ſolemnibus plurimis, feſtâ pompâ, & ſplendida ſolemnitate celebratis. Quorum vno adſcriptus Chriſtianorum albo nobiliſſimus Adoleſcens è ſtirpe Regum Balagatæ, & Ioannes Meneſius à Prorege in baptiſmo vocatus, ſubinde magno illuſtrium equitum comitatu deductus eſt in Collegium noſtrum, vbi ei, & Legatis ſimul Iaponijs tempeſtiuum erat epulum paratum. Salutare multorum animis conſilium fuit, quod vnus è noſtris Proregi ſuggeſſit. Inopiâ, vt dixi, per familias graſſante, Parentum non pauci eò miſeriæ deueniebant, vt proprios liberos venum offerrent. Eos ſi Ethnici, aut Saraceni emerent, actum erat de æternâ ſalute miſerorum. Rogatu ergo Patris edixit Prorex: nemini ius eſſet niſi Chriſtiano liberos è parentibus emere. Alibi per Indiam vbi ſtationes Societatis ſunt res Chriſtiana à noſtris ſtrenuè curata. Aliò Euangelij præcones, quam multi paſſim miſſi, argumento ſit Collegium Goanum, è quo ſolo in varias Apoſtolicas expeditiones profecti hoc anno tredecim ſunt.

135 Legatorum Iaponiorum reditus in Indiam.

136 Infelices duorum præcedentium annorum nauigationes.

137 Proregis Indiæ liberalitas in grauẽ Annonã.

138 Baptiſmi celebres Brachmanum conuerſorum.

139 Et Iuuenis è ſtirpe regia.

140 Proregis edictum ſalutare animabus mancipiorum.

141 Tredecim è Goano Collegio in Apoſtolicas expeditiones miſſi.

In Iaponiâ annus inſignibus alioquin Eccleſiæ illius cladibus funeſtus, principium habuit fortunatum, conuerſione, ac baptiſmo noui Regis Bungi. Cum eſſent in eo regno res non Eccleſiaſticæ magis, quam politicæ funditus perditæ, vti ſuperiore annali demonſtratum eſt, vtriſque auxilium opportunum adfuit. Cambacundonus offenſus Saxumani contumaciâ, & anti-

142 Conuerſio rerum in Regno Bungi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

antiquam suam designationem sequens vniuersæ Iaponiæ sub suum vnius arbitrium redigendæ, exercitum septuaginta millium in eas partes misit. His copijs specie tenus Camidonum minorem fratrem præfecerat, ita vt penes eum tantum esset nomen, & titulus Imperij, vis, & vsus in Simone Conderâ resideret. Vir hic erat in paucis strenuus, adeòque studiosus Religionis, vt in ambiguo relinqueret, fortior habendus esset an sanctior. Ad hunc mœstus, ac supplex amisso Regno Bungensis veniens, opem afflictis rebus implorabat. Tum Condera tempus nactus castigandæ impietatis in degeneri Principe: Te iustæ, inquit, irati merito numinis exercent pœnæ, qui legem Christi cognitam spreueris, qui à Domesticis exemplis tantum defeceris, vt ex sperato protectore, hostem, ac persectorem Ecclesia te senserit. Atqui sic habe: nihil ex me commodi sperandum tibi esse, nisi prius in gratiam cum Deo redieris. Ad ea Bungensis, siue veram libero monitu pœnitentiam concepit, siue temporis causâ simulare voluit, agnoscere se dixit errorem suum, nec moram velle facere Christianæ veritatis amplectendæ. Impertijt tam fausto Nuncio Condera, subitò Franciscum Regem, qui in suo secessu religionis officijs se totum mancipans, multò minus spoliatione Filij, quam obstinatione doluerat. Is eius mutatione compertâ, lætus statim & gratulans, Petrum Gomezium Sacerdotem nostrum, & eius Socium Iaponem, quos solatij causâ secum habebat, ad filium Christianâ primum Doctrinâ imbuendum, deinde baptizandum misit. Satis iam ferè antea Christianæ capita Doctrinæ Iunior Rex Bungi cognouerat. Itaque cum obediendi fidei voluntas, quæ hactenus sola defuerat, abundè nunc adesse videretur, non longi temporis institutio fuit. Quinto Kal. Maias in arce Cicacata Regni Bugiensis solemni cæremoniâ baptizatus Rex est cum vxore, ac filio, duabusque filiabus. Ipsi Constantino nomen inditum; Regina Iusta est vocata. Primogenito Fulgentius, duabus illius Sororibus Sabina, & Maxima nomina fuerunt. Post hos multi è primâ nobilitate, Bonzij item aliquot illustriores sacris ritè aquis abluuntur. Lætissima hæc celebritas fuit Christianis Bungensibus omni modo belli clade vexatis. Latè quoque per Ximum Vniuersum, & confines vndique vicinorum regnorum Ecclesias peruagata gratulatio est. Ante omnes Franciscus Rex Senior cum ad eum Simon Condera Christianum iam Filium adduxit, eum fructum persensit intimi gaudij, cui satis significando ne ipse tum quidem verba inuenit. Perfusus dulcibus lacrymis, Filium, & Nurum, paruosque nepotes Christianis iam nominibus appellans, post patrios amplexus, & plusquam paternæ caritatis oscula, Cælum sublatis intuens manibus, cygneum vsurpauit Simeonis carmen; omenque mox sancijt emeriti senis repræsentata felix Missio, de quâ post agemus. Nusquam maturius expiatis culpis pœnæ cessatio respondit. Statim in exitiali Bungensibus bello conuersa est fortuna partium. Victor Saxumanus venientis contra se Simonis Conderæ cum iam Christo renato Bungi Rege, ne primum quidem aspectum sustinuit. Victus vicissim, & pulsus vndique Nacazucasa, qui se Regem Bungi solemni ritu inaugurandum curauerat, in lucro posuit, quod reliquias cladis paruas viuus reportare domum posset. Inter horum gaudia successuum sextum iam mensem languens Bartholomæus Princeps Omuræ, vnus ex ijs qui legatos Romam miserant, ad vitæ metas accessit. In eo morbo cum alia vir laudatissimus omnium virtutum documenta edidit, tum illud egregium, quod vulgò laudatam, & oblatam ipsi vltrò præstantis Medici recusauit operam, eo solo metu, ne is homo Idololatra præstigias aliquas, vt in Iaponiâ tales solent, remedijs admisceret. Vbi se admotum extremis sensit, Sancium Primogenitum cum cæteris liberis, accitos, his supremùm verbis affatus est: *Quartus, & vicesimus hic annus agitur, ex quo à Patre Cosmo Turriano Christi fidem, & baptismum acce-*

143 Exercitus Cambacundoni, contra Saxumanum missus.

144 Dux eius Condera, Christianus Bungi Regem obiurgat.

145 Et auxilium negat nisi Christi fidem amplectatur.

146 Id ille promittit.

147 Rex Bungi senior duos è Socijs ad filium baptizandum mittit.

148 Rex Bungi Iunior cum vxore, ac liberis baptizatus.

149 Regis Senioris gaudium, & gratulatio.

150 Nacazucasa cum suis Saxumanis victus, & fugatus.

151 Bartholomæus Princeps Omuræ Medici operam metu præstigiarũ in morbo recusat.

152 Eius morituri oratio ad filios.

accepi. Christianum in meis terris nullum reperi cum inirem principatum, nunc in ijs nullum, quod sciam, Ethnicum relinquo. Egi, moui, conatus, & passus multa sum, vt id consequerer. Sed obrepsit fortasse satagenti negligentia, qua me vereri cogit: ne culpa mea, & minus rectis exemplis effectum sit, vt non omnes mei subditi, quam nomine profitentur Christianam Sanctitatem æquè moribus teneant. Tuum erit Sancti filiorum maxime, cui auitam hereditatem moriens transmitto, emendare, quod à me peccatum est. Sorores tuas caue cuiquam collocaueris nisi Christiano, & qui suos mores Ecclesiæ probarit. Tu Line minor fili, vosque filia, fratrem vestrum maiorem mei loco veremini. Matrem verò vestram omnes eò impensiùs honorate, ac curate, quò solatia meo destituta, reliquam omnem in caritate vestra, atque obsequijs spem senectutis constitutam habet suæ. Patres Societatis adhibete semper ad omnia consilia vestrarum rerum, eorumque singulis, vt mihi obtemperate. Animam meam, vbi soluta erit hoc Ergastulo, precibus, sacrificijs, eleemosynis, cæterisque id genus piaculis, quæ vestra vobis pietas suggeret, prosequimini; cadauer magna pompa efferre ne curetis. Hæc vltima Patris vestri mandata sunt: sub quæ precor Christum IESVM Communem Dominum, vt vos omnes suis Donis in vita cumulatos, mihi post hoc exilium felices sistat. His dictis flentes flens dimisit, addito præcepto ne ad se amplius redirent: paucas enim quæ superessent horas, velle se sine interpellatione vllâ, cum Deo transigere. Post hæc in colloquia suauissima cum Christo, cuius effigiem in Cruce morientis præ se habebat, totum se impendit. Aderant morienti tres è nostris, Lucena Sacerdos, Franciscus, & Fernandez Clerici Iaponij; ab his inunctus Sacro Oleo cum sensim deficeret, accessit nobilis ex Aulicis, qui, recepto in Iaponiâ more, animam agenti Principi in aurem insusurraret, ecquid haberet noui mandati, quod ad Sancium, & Linum filios perferri cuperet. Hic aperiens bonus senex natantes in morte oculos, & intempestiuum monitorem seuerè intuitus: Sancium, inquit, & Linum, quæ narras nomina? non dixi vobis audire me aliud deinceps nolle nisi IESVM, & MARIAM? & his dictis ingeminare sacra, illa nomina perrexit, quoad paulò post nono Kalendas Iunias felicem Christo animam reddidit. In exequijs eatenus obsecundatum votis defuncti; vt corpus eius, quod Iaponici moris est, & ipse nominatim vetuerat, à mulieribus lauandi causâ non contrectaretur. Sic enim honestatis curam, quam in vitâ præcipuam habuerat, etiam vltrà mortem extendere voluit. In cæterâ magnificentiâ funeris Christiano ritu conspicui, solatij superstitum, quam modestiæ morientis maior habenda ratio visa est. Sanè qui honor per religionis Christianæ sacros ritûs haberi maximus mortuis potest, ei præcipuè debebatur, qui primus inter Iaponiæ Principes, peregrina tunc, & nouitatis inuidiâ laborantia Christianorum Sacra susciperе, ac profiteri ausus, pro ijs deinde tuendis, ac propagandis, famam, fortunas, vitam ipsam, pacisci, ac proijcere in apertum discrimen numquam recusauerit, aut dubitauerit. Qui generosæ alacritati cognitæ veritatis amplectendæ, heroicam in eâdem obtinendâ defendendâque constantiam adijciens, ita omnem è suæ ditionis terris Idololatriam exterminauit, vt multa, quæ prius ibi erant Bonziorum Cœnobia, multa Camium, & Fotoquiorum fana, & delubra ferro flammâque deleuerit, ne tenuibus quidem vsquam auitæ superstitionis reliquijs, aut vestigijs relictis: septuaginta verò millia hominum, qui ferè subiectorum eius Imperio numerus erat, varijs artibus ad baptismum attraxerit: ac ne vllam in professione nouæ religionis ex vsu commercioque tenacium adhuc veteris erroris, offensionem molestiamue paterentur, inexorabili seueritate sanxerit, ne vspiam intra fines regionis sibi subditæ, cuiquam omninò non amplexo Christi fidem Domicilij ius esset.

153 Piæ occupationes morientis.

154 Memorabile eius responsum ad aulicum humana morienti suggerentem.

155 Mors eius, & exequiæ.

156 Ingentia eius merita in Ecclesiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

157 Generositas eius aduersus hostes Religionis.

Has res tantas per se arduas longe illi difficiliores obstantium multitudo potentiaque faciebat. Reuocationem eius ad superstitiones auitas Reges potentissimi cum frustra tentassent, insidijs eum, & vi apertâ perdere sunt conati. Pater eius ipse vehementissime illum pertinacissimeque oppugnauit. Rebellantes eodem prætextu subditos passus suos est. Iacturam bonorum, & principatûs saluâ semper fide, constantiâque pertulit; multitudine infensissimorum hostium circumuentus, & infestis vndique mucronibus petitus, semper intrepidus, semper in studio Christi colendi ardentissimus perstitit, semper eius cuius causam defendebat auxilio victor, & voti compos euasit. Fuit cum repente apparente militantium ipsi Angelorum equitatu splendidissimè armato, aduersarios funderet. Fuit cum eius rebelles, & sæuissimi persecutores, Dei pro eo puguantis manifestâ vi, casibus statim miris extinguerentur. Ingemuerat audita captiuitate filiorum trium: eos mox è manu Riosogi crudelissimi, maximeque impij Tyranni mirabiliter ereptos gratulatus est. Lethali aliquando conclamatus morbo, haustu aquæ lustralis, quam solam medicinam optauerat, momento conualuit. Numquam finis sit si huius vere Christiani Principis officia in Deum; si Dei vicissim in eum beneficia enumerare omnia pergamus: sufficiat in hæc verba locum hunc claudere: lumen ingens, columen firmum Ecclesiæ Iaponicæ, ac præterea specimen illustre antiquæ Christianismi Sanctitatis, Bartholomæi Principis Omuræ luctuosâ morte concidisse. Solatio non paruo Christianis in tantâ iactura fuere noua per id tempus visa experimenta fauoris Cambacundoni erga Christi Religionem. Is interim, quas præmiserat in Ximum, vt diximus, Duce Condera, copias, succinctus exercitibus alijs duobus, terrestri, & nauali consecutus eodem est. Exscendit in portu Ximonocuquensi Amangucciani Regni, vbi stipatus, vt solebat, lectissimâ cohorte Christianorum Procerum, qui primas tum honoris, gratiæque obtinebant apud eum, auditis ijs, quæ de Bungensis Regni clade per Saxumanum illatâ ferebantur, & inter hæc commemoratâ fugâ nostrorum Patrum in Amangucciauum Regnum, miseratione affici visus, etiam de P. Coëllio Vice-Prouinciali beneuole vbi locorum esset, quidue ageret, percontatus est. Obseruarunt hanc Regis vocem Iustus Vcondonus Terrestrium copiarum Dux Summus, Augustinus Classi Præfectus, alijque Christani Principes, & non vno nuncio P. Coëllio indicarunt. Is fiducia inde sumptâ Fingum se contulit, quo progressum Imperatorem intellexerat, amicissimeque exceptus ab eo est. Aduentus P. Viceprouincialis in id opportune momentum incidit, quo arx eius loci primaria, acrem aliquandiu oppugnationem passa, deditionem malo coacta faciebat. Cambacundonus iratus Præsidiarijs, quòd sine spe, ac supra vires obstinatâ pertinaciâ, cursum victoriæ morati essent, interfici cunctos iusserat, idque eo vultu, ac vocis sono, quibus irreuocabile decretum significari, qui mores eius norant compertum habebant. Tamen illa miserabilis multitudo educta ex arce, & in momenta singula necem expectans, P. Coëllium rogabat, vt sui misereretur, neu graue haberet eius gratiæ, quâ valere ipsum apud regem plurimâ, modo tam familiaris eius admissio declarasset, vsum commodare ipsis exiguum, quanto dumtaxat opus esset ad impetrandam tot infelicibus saltem dilationem exitij supremi. Cunctabatur ad ea Pater, quòd eum passim Christiani aulici monebant, & irritas, & ingratas Cambacundono futuras eius de re tali preces. Tamen ad extremum religioni ducens despicere tam multos in vltimo periculo supplices, sine vllo adiuuandi conatu, experiri si quid posset in quemcumque demum euentum decreuit. Adit Cambacundonum, causam damnatorum agit, clementiam implorat. Magna erat adstantium expectatio. Cum exporrigens Imperator frontem, & benignis oculis Patrem intuens: Remitto, inquit, noxam mori meritis in gratiam tui.

158 Diuini in eum fauoris indicia mira

159 Cambacundonus vltro beneuolentiam suam in nostros declarat.

160 P. Viceprouincialem honorificè accipit.

161 In eius gratiam multis ad mortem damnatis parcit.

Hoc

Hoc adeò tu ipsis significari cura; vt sciant, cui vitam debeant. Sub hæc Saxumanus serò sentiens, quam impar Cambacundoni armis esset, ad victoris pedes venerabundus prouolutus, sui suarumque rerum deditionem fecit. Adfuerunt vnà reliqui omnes Ximi Principes nouo Imperio submissuri fasces: non illi quidem libenter, sed cincti vndique tenebantur. Et eo animo astutissimus, & ambitiosissimus Princeps tam formidabilem terra, marique potentiam ipsis ostentarat, vt iugum quantumlibet inuitis suum imponeret: peritè, ac politicè vsus dissensionibus Saxumani, & Bungensis, in prætextum expeditionis, quâ vel ferens se arbitrum inter inuicem infensos, vel imbeccilliori suppetias veniens, plausibili obtentu, & ambos ipsos, & finitimos ipsis alios Reges Ximi septem sibi obnoxios, & clientelari nexu deuinctos ex suo deinceps nutu, arbitrioque pendere cogeret. Nec iam dissimulauit amplius, aut ambiguam deinceps Ximi Regulis conditionem suam, sibi potestatem supremam, restare passus est. Palam edixit, nemine quidquam contra mutire auso, nouam se sortitionem Ximi Regnorum initurum, quâ ea, quibus vellet pro libito distribueret. Acerba vox cunctis. Plerique, quod vnum fortuna ipsis reliquum fecerat, vota concipiebant secum taciti, seruilique adulatione assentantes Domino, precariam saltem ab eo hereditariorum iurium eblandiri vsuram conabantur. Promulgatur tandem in summâ expectatione omnium decretum Imperatoris, quo Saxumanus Belli Autor excedere suis terris, & in comitatu Cambacundoni deinceps apparere iussus est. Sed filio eius in solatium Regna Bonzumi, & Sucumæ, antiquum Domûs eius patrimonium, relicta. Rex Sanoqui Idololatra, quem Regi Bungi opem ferre iussum non eâ fide, ac diligentia, qua opus fuerat in negotio versatum, Cambacundonus non sine causâ criminabatur, terris suis omnibus mulctatus, vix capitis periculum effugit. Aquecuquius item Idolorum cultor, Cicugensi Regno exutus est. Simoni Conderæ magna pars Regni Bugiensis. Augustino Classis præfecto, dimidium Fingensis attributa. Patruo Amanguciani Regis pro Igiensi Regno, quod sibi Cambacundonus retinuit, Cicugense, & Cicunganum Regna donata. In Protasij Arimani Regis, & Bartholomæi Omurani principatibus nihil mutatum, Bungense antiquo Domino Constantino integrum redditum. Francisco Bungi Regi seniori, quem maximi faciebat Cambacundonus, sui fauoris, amorisque præsens pignus Fiungense Regnum esse voluit, quod illi extra sortem excepit. Verùm eo audito bonus Senex, pertæsus terrestrium Regnorum, & cœlestibus inhians prolixis gratijs actis donum recusauit. Quare id Regnum in Bartholomæum, & Hieronymum eidem Regi Francisco proximâ cognatione iunctos diuisum est, particula tantum eius modicâ exceptâ, quâ Aquecuquium Idolorum cultorem Cicugensi Regno expulsum aspersit. Denique cunctis Ximi regnis Vicarius Imperatoriæ potestatis, & supremus Moderator Augustinus impositus. His Cambacundonus in hunc modum constitutis Facatam se contulit, eam Vrbem bellorum cladibus attritam, quòd opportunam commercijs videbat, restituendam, frequentandamque curaturus. Eò illum ViceProuincialis Coëllius conuenit, Facatensis nostræ Societatis Residentiæ restitutionem petiturus, quam statim impetrauit, lætissimo Cambacundono, & consuetâ benignitate interrogante; ecquid animaduertisset, quanta ratio Christianorum esset à se habita in partitione Regnorum Ximi? Egit gratias Pater, quam maximas potuit; in sinu gaudens tam vtili Ecclesiasticis rebus tam potentis Imperatoris fauore, cuius illud, mox in acerbum odium mutandi, penè vltimum experimentum esse nesciebat. Sed funestissimam istam Christianæ rei mutationem Cambacundoni, præcessit mors Francisci Regis, alterius illarum Ecclesiarum columnæ, post nuper, vt dictum est, amissum Omuræ Dominum. Egressus is fuerat è suâ Sucumiensi solitudine necessa-

162 Saxumanus Cambacundono deditionem facit.

163 Cambacundonus Ximũ vniuersum sibi subijcit.

164 Regna eius noua sortitione pro libito distribuit.

165 In ea Christianis optimè consulit.

166 Franciscus Bungi Rex Fiungensẽ Regnum oblatum recusat.

167 Facatensis Residentiæ restitutio impetrata.

168 Fauor Imperatoris in rem Christianam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessario officio salutandi Cambacundoni, & eo perfunctus in Vsuquiensi
169 Morbus Frátrici Regis Bungi. arce tentari cæpit populari morbo per Bungense Regnum tum grassante, quo multa hominum millia belli malis elapsa perierunt. Paucis tamen post diebus commodior eius valetudo fieri visa est, quare is studio Religionis tranquillius vsurpandæ, ad suam Thebaidem non plus nouem milliaribus distantem, referri quam primum voluit, idque, qui eum curabant citra periculum fieri posse crediderunt. Sed sua illos fiducia fefellit: siue enim agitatione viæ quassatum corpusculum in languorem vndè vix emerserat recidit; siue, quod in pestilentibus morbis solet, habitudo illa melior, sopor quidam fuerat necdum expulsi, sed viscera tunc cum maximè obsidentis mali; simul Sucumam ventum est flagrantissimo lethalis febris æstu senile corpus exardescens, non plus triduò fugitiuam retinere animam potuit, quæ inter religiosissimos sensus, & dulcissimos
170 Eiusdem obitus. affectus postridie idus Iunij transiuit ad Christum: quem quantum amaret nullâ quidem vitæ parte, ex quo baptismum suscepit, dissimulauerat; verùm vltimis hisce mensibus, & præsertim extremo triduo fatalis morbi, manifestissimis indicijs ostendit. A Patre Lagunâ Sacerdote nostro, quem indiuiduum secessûs sui delegerat comitem, supremis Sacramentorum præsidijs munitus, cum eo nihil nisi de rebus cælestibus agebat: sic funditus oblitus humanarum curarum, quasi semper in solitudine vixisset. Zelus eius Apostolicus in procurandis incrementis Regni Dei
171 Virtutes eius. satis ex superioribus annalibus intelligitur. Vnum addam minus in ijs distinctè perscriptum. Quo primum tempore adulto filio Regnorum administrationem reliquit, Sucumam Regiunculam secretam priuatum sibi peculium excepit. Erat ea nidulus Iaponicæ superstitionis in ijs partibus.
172 Idololatria è Sucumensi Regione pulsa. Multa ibi, & cæcæ Gentilitati præcipuè venerabilia, Delubra Camium, & Fotoquium visebantur, peregrinationibus etiam superstitiosis apprimè frequentata. Iam Cœnobia Bonziorum otiosius in solitudine prophanos suos ritus exercentium, ingenti numero, & multitudine florebant. Quibus loci accolæ in auitorum errorum dementiori credulitate tenebantur. His rebus erat factum, vt Rege Francisco Regni habenas moderante, cum per cæteras Bungi oras claris quotidie profectibus Religio Christi augesceret, in istam velut munitiorem Impietatis arcem signa inferre haud quaquam sineretur. Donec eò cum manipulo Euangelicorum Ministrorum secedente Francisco, statim iussu eius electi Bonzij, fana excisa, comminutæ, ac variè absumptæ falsorum Deorum effigies, cuncta denique veteris superstitionis vestigia deleta. Asseruabantur mirâ veneratione Xacæ antiquissima volumina, in præcipuo è Cœnobijs illius oræ literis aureis scripta magnificè, nec minore ibidem curâ nouemdecim Discipulorum eiusdem Xacæ, Religionum Iaponicarum famosissimi Autoris, velut in augustissimo Sacrario expressæ, vt ferebatur, ad viuum, totidem imagines habebantur. Ea Bonzij facessere illinc iussi, saltem vt asportare liceret, magno ambitu per se, ac per fautores potentes egerunt. Impetrarunt etiam
174 Et discipulorum imagines incensæ. à nouo Rege Bungi nondum Christiano, vt preces pro eo suas apud Patrem interponeret, causatus periculum statûs, & fortunæ publicæ, si Idololatræ, qui adhuc multi per Ximum regnabant, tam atrociter irritarentur. Verùm surdus ad ea omnia pius Rex, in se suumque caput inuidiam, & discrimen omne se se recipere respondit, fortique animo in destinato perseuerans, prophanos codices, & phanaticas pseudoapostolorum Xacæ flammis imagines absumpsit. Tum legis Euangelicæ præ-
175 Omnes Sucumenses ad Christi fidē adducti. conibus variè dimissis, & eorum partes ipse vsurpans in monendo, hortandoque populo, duo millia hominum (quot in agro illo Sucumensi aliquot dispersi pagis numerabantur) vt Christi fidem volentes amplecterentur, & sacris aquis expiarentur effecit. His ille successibus, lætabatur. Hæc triumphorum instar illi omnium erant. Nec aliunde victo-

victoriâ, si qua illi bellanti contingeret, fructum habebat dulciorem, quam extirpationem superstitionis è locis quæ subegerat. Vnicum eius in hoc genere zeli exemplum in specimen apponam. Cum bello Riosogum persequeretur, non minus meliori fortunâ, quam causâ, forte montem quemdam occupauit, quem olim quasi Sinai, aut Sionem suum Idololatria Iaponica venerabatur. Visebatur in summo vertice templum vetus exquisitæ magnificentiæ, in quo aræ superstabat giganteum signum insanissimis cæremonijs, & quotidiano sacrificiorum apparatu superstitiosissimè cultum. Incredibilis vndique peregrinantium concursus hospitijs quotidie frequentabat ter mille admodum Cœnobia Bonziorum variæ magni-
176 Ter mille Cœnobia Bonziorum cum vetusto delubro destructa. tudinis, & formæ, quæ, & iugum, & latera Montis eleganti procul specie insidentia Sacræ Ciuitatis augustum instar, & miserabili errore amentibus populis aspectu primo adorabile præbebant. Hanc arcem prophanæ vanitatis, ex quo in potestate Franciscus habuit, ne morâ quidem dieculæ vnius interpositâ, statim excidio irreparabili deleuit. Diffractus Colossus in minutissimas partes, ara euersa, templum à fundamentis solo reuulsum, ter mille Domicilia flammis absumpta, ne ruderibus quidem, ac ruinæ vestigijs relictis. Vehemens ista declarant superstitionum impiarum odium, sed quo ardentius multo religionis studium in hoc viro fuisse, intelliget, qui reputauerit amorem boni, quo quis ad auersandum malum contrarium impellitur, illâ ipsâ mali fugâ, cuius causa est, valentiorem, & contentiorem passim agnosci. Neque id tamen subtilibus argumentis exquiri opus est, cum factis euidentibus pateat: Serius ille quidem, & iuxta parabolam Euangelicam horâ vndecimâ, vitæ, ac regni parte extremâ, Christi Religionis profes-
177 Religionis studium ingens in Rege Francisco. sionem publicam sumpserat, quam totis annis septem, & viginti, ex quo primam à S. Francisco Xauerio eius informationem acceperat, admirari, & fouere contentus, amplecti, ac palam suscipere superfederat. Sed vbi tandem vincente naturalis cæcitatis tenebras cælesti gratiæ lumine fidem animo concepit, plane sic tamquam eò festinandum acrius sibi duceret, quo serius ceperat, incredibili ardore ad omnia exquisitissimæ religionis officia incubuit. Ergo annis octo, ac decem non totis mensibus, quibus baptismo superuixit, tot tantaque laudabiliter, ac præclare gessit, quæ facile vitam integram aliorum mediocri virtute contentorum commendationis merito vincerent, aut potius perfectissimorum quorumque decus æmularentur, & exæquarent. Primum exorsus à puniendâ in se licentiâ
178 Ieiunia eius, & flagellationes. vitæ superioris, homo senex, & valetudinarius asperrimè in corpus proprium sæuire cepit, ieiunijs illud continuis, & quotidianis flagellationibus atterens, quas etiam interdum, vt exemplo prodesset quibus scandalo fuerat, palam cum cæteris Christianis in Ecclesiâ frequentabat. Laboriosas
179 Peregrinationes eiusdem. etiam Peregrinationes ad Cruces conspicuis in locis positas pedibus obibat, cum comite è nostris P. Ioanne Baptista Montio, partim pijs sermonibus, partim oratione, ambulationum longinquarum insuetam ærumnam leuans. Vsu deinde Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ pene quotidiano
180 Sacramentorum vsus, & orationes. reficiebat, & confirmabat animum, vti & sancto, ac salubri exercitio fere nunquam intermissæ orationis. Rosarium integrum Beatæ Deiparæ quindecim Decadum quotidie demississimo habitu corporis, attentissimâ mente recitabat, tertiam quidem eius partem simul cum vniuersâ familiâ ad id statâ horâ congregatâ, reliquas duas ipse secum solus. Atque huius exercitationis fructum in se expertus, propagare in alios impense studebat, innumerabilem globulorum lineis insertorum ad hunc sacrum vsum non solùm per cuncta sua Regna copiam spargere, sed vsque Meacum ad Christianos ibi degentes missitare solitus. Meditationi quoque, ac contemplationi cœlestium rerum stata quotidie, eaque longa dicabat tempora, postico ad id secreto è Regio Palatio in ædes nostrorum Patrum habitationi

Universidad de Deusto
Biblioteca

181 Exercitiorũ Spiritualium in eo fructus.

tioni assignatas transiens. Sed cum asceticas S. Ignatij commentationes obiret, quod sæpe magno suo fructu faciebat, In Domum nostram probationis Vsuquiensem migrare ad dies aliquot consueuerat: vnde velut Moses è Dei congressu radianti facie notabilis, sic ille planè succensus Diuino quodam igne, ac nihil nisi Deum spirans, ad familiares reuertebatur. Cæterùm hæ virtutes eius omnes velut aurum ex igne, sic è doloribus, ærumnis, & calamitatibus, quas varij generis atroces constantissimè pertulit, fulgorem, & pretium eiusmodi traxerunt, vt sine illarum commemoratione satis intelligi meritum earum nequeat. Simul Christi religionem, tandem subiectâ victrici gratiæ rebellis animi contumaciâ, suscepit, omnes vndique velut signo dato in florentem eius antea vitam, & statum elades, miseriæque infestis armis incurrerunt. Primùm omnium florem ipsum nobilitatis Regni, & victricium eatenus copiarum, viginti millia fortissimorum militum vno infelici prælio trucidata miserabiliter gemuit, ipse vix saluus euadens, quatuor Regnis quæ paterno Bungensi addiderat, simul amissis, ac vix suum antiquum retinens; quippe solus, & incertus suæ sortis in summâ inopiâ per montes auios, & syluas vitæ miseræ coactus latebras quærere. Nec defuit, vt olim afflicto Dauidi, amarus exprobator multiplex Semei. Nam Bonzij, & qui Bungenses adhuc in auitæ superstitionis cultu durabant, inter quos prior vxor ab eo repudiata obstinatissima in idololatria, & primogenitus filius, hac iam vociferabantur: apparuisse profecto Deorum numen, quos inconsulto in peregrina Sacra transitu spreuisset. quando vmquam dum in eorum fide sterat tale quidquam esset passus? Quid porro cunctaretur ad eos supplex redire, quos suo tanto, & suorum malo reliquisset? Atque hæc aliaque generis eiusdem eum in Regis infelicis auribus fremerent, vix manus temperabant à misero per summum furorem discerpendo. Interim dum ille nihil fractus animo, quod vnum è Regiâ supplectili castris direptis captâ, fugiens tulerat Crucifixi Christi signum arctè amplexus, omnium sibi rerum, ac regnorum iacturam abunde Crucis, ac Christi possessione compensari gratulabatur. moxque illis infidelium probris increbescentibus, ipse palam proiectus in genua, manibus, oculisque in Cœlum sublatis, ingenti animi sensu gratias egit, quod se regnis spoliasset, & bona ista fallacia, quibus sæpe dementatus à viâ felicitatis deflexisset, extorqueri sibi voluisset. Tum clarè professus est, tantum abesse, vt hisce cladibus concussus, in fide titubaret, vt vel si vniuersa Iaponia, vel si Europa ipsa; immo si Sacerdotes omnes, ac per Orbem Christianum Episcopi à Christo deficerent, quod quidem fieri posse non putaret; sed tamen si fingatur casus; quo id contingeret, sentire, se se Dei beneficio præsentem vim, ac lucem animi ad Christi tunc Diuinitatem, atque Doctrinam ad mortem vsque profitendam, prædicandamque. Votum etiam publice concepit, quo Deo promittebat se se præceptis Dei, & Ecclesiæ obtemperaturum exactissime, neque id solum, sed quæcumque Patres Societatis, quos conscientiæ arbitros haberet, sibi ad salutem animæ proponerent, plenissime facturum. En vt optimus Dominus, prout eius nomine Paulus Apostolus spondet, non permisit tentari fidelem hunc suum seruum supra id quod posset, sed fecit etiam cum tentatione prouentum. Varia dehinc fortuna belli fuit, sed vnus, immotusque in Rege Francisco fidei, ac virtutis tenor, quem per omnium heroïcarum, Diuinarumque virtutum perfectissima officia ad extremum vsque spiritum pertulit. Exequiæ illi non quales optauerat, tamquam vni è Societate, sed vt Regi maximo, & de Ecclesiâ optime merito, quam magnificentissimæ ornatissimæque ductæ sunt. Præibant non solum è Bungi, ac Bungo finitimis Prouincijs, sed inde vsque Nangazachio

182 Patientia eius in aduersis.

183 Ingens calamitas Francisci Regis Bungi.

184 Insultationes Idololatrarum.

185 Pij Regis constans religio, & fides.

186 Votum eius obediendi Deo, & Ministris eius.

187 Exequiæ eius.

ad

ad hoc ipsum euocati. Corpus mortui regie ornatum alte extans in splendido ferculo primarij Principes humeris gestabant, circum illud magno numero Toni, qui est inferior Principibus nobilitatis gradus, Vexilla quisque manu Cruce insignia gestantes procedebant. Post hos ibat Regina, Christiana mulier, quam Iezabele repudiatâ, sancto sibi matrimonio Rex iunxerat, cum Virginibus Regijs defuncti filiabus, luctuosâ veste conspicuæ. Multitudo inde innumerabilis plangentis populi. Pompâ in templum perductâ, deponitur cadauer in sublimi ac specioso solio supernè contecto, ac cereis vndique accensis collucente. Subinde cantatis alternatim per Sacerdotes Ecclesiastico ritu psalmis, celebratoque Missæ Sacrificio, laudatio defuncti à Ioanne Iapponio, Fratre nostro, disertè, appositèque perorata est, summoque cum assensu, tum applausu audita. Hæc peruulgata apud nos, illis gentibus noua, & inde mira, speciem præclaram, & commendationem, veneration emque consolandæ, ac confirmandæ isti nascenri Ecclesiæ accommodatas habuerunt. Hunc finem nactus est Franciscus Rex Bungi, anno fermè à Baptismo nono, eò acerbiorem, quod idem quoque Ecclesiasticæ illic tranquillitatis finis fuit. Secundo enim, & quadragesimo ab huius obitu die Cambacundonus velut quidam Nero Iapponici Imperij, primam vniuersalem in Christianos persecutionem mouit, cuius causæ, ac principia narranda hic sunt. Inuidebat iam dudum professus boni omnis hostis malus Dæmon Religionis in Iapponiâ profectibus, quæ octo, & triginta annis, ex quo primùm ei terræ committi cæperat, per aduersas, prosperasque tempestates, Cœli benignis influxibus, & operariorum Euangelicorum sedulâ culturâ continuis excrescens auctibus, iam lætas vndique ampliſſimasque segetes, maturis, & ad messem albis ostentabat spicis, tanto se numero, tantaque specie tollentibus, vt spes certa videretur vniuersam Iapponiam vno alteroque anno Christi signa secuturam. Supra ducenta millia Christianorum numerabantur. In ijs fios erat præcipuæ nobilitatis, Reges, Principesque multi, lumina ipsa Imperatorij comitatûs, Exercituum ductores primi. Ad hæc Nobunangæ, & successoris eius Cambacundoni professus in Bonzios contemptus, & in Iaponicas superstitiones odium, viles eas, irrisasque popularibus quoque ludibrijs obiecerat. Vt earum professores eiecti, passim Cœnobijs pulsi, delubris, Idolis, & instrumentis Sacrorum vndique per Christianos Dynastas fractis, incensisque spoliati, latebris, & longinquis solitudinibus reliquias spretæ, conuulsæque Idololatriæ ægrè miserrimas tuerentur. Inter hæc Cambacundonus, non vero ille quidem religionis amore, quippe homo atheus, & vitijs omnibus tyrannicis perditus, sed iactantia quadam, vt exterorum admirationem in se verteret, & eorum scriptis in patriam laudibus, famam apud Indos, & Europæos populos, ac Principes, plausumque consequeretur, nouis in dies, & miris exemplis fauorem in Patres Societatis, & Christianam legem ptæcipuum glorianter ostentabat. Venerat is Facatam, Vrbem olim amplam, sed vltimis hisce bellis destructam, & desolatam à Riosogo. Eam ipse reædificari pari, ac prius steterat magnificentiâ præsens iussit. Expectabatque castris ibi positis finem operis: cuius in designatione disertè cauerat, ne intra muros Facatæ nouæ cuiquam Idolorum fano, aut Bonziorum Cœnobio locus daretur. Patribus solum Societatis ius esset Templum, & ei contiguam Domum ibi ponendi. Cui locum ipse commodissimum assignauit. Nec cessabat cum Vice Prouinciali Coëllio quam familiarissimè palam agere. Quippe haud contentus accersere illum crebrò, & quoties vltrò veniret peramanter excipere, etiam ad illum in Nauicula diuersantem cum paucis familiarissimis adiens horas totas cum eo suauissimis sermonibus explebat. Ex his, quod pronum est creditu, insignis quædam Religioni Christianæ conciliabatur autoritas.

188 Causæ persecutionis à Cambacundono motæ.

189 Prosperitas Christianæ Religionis in Iaponia. Numerus, & nobilitas Christianorum.

190 Fauor Principum.

191 Quo animo Cambacundonus Christianis gratificaretur.

192 Facatæ reædificatio.

193 Ex ea exclusi Bonzij.

194 Templum & Domus Societati data.

195 Familiaritas Imperatoris cum P. Vice-Prouinciali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nullus ferè Regum erat, qui Doctrinam sibi sacram explicari non peteret. Itaque nostris nullam partem quietis diu noctuue capere licebat. plerique audita probabant, & baptizari postulabant. In his Cambacundoni fratris filius Rex, vndeuiginti annorum Adolescens, & designatus humanis spebus Patrui liberis adhuc carentis, hæres, ac successor, auditâ à F. nostro Leone Christianæ legis explicatione, quamprimum tingi sacris aquis ambiebat. Cubosama quoque, qui præter Regni vnius possessionem certam, antiquum ius habebat in vniuersæ Iaponiæ Imperium, ei à Nobunangâ, & mox à Faxibâ ereptum, candidatum se baptismi ferebat. His, vt dixi ringens fremensque Diabolus artes experiri suas statuit. Idque illi supremus omnium Arbiter, vt permitteret, iustissimis quidem haud dubiè, cæterum nostro ingenio inscrutabilibus causis est motus. Quantum tamen humanæ curiositati timidè, obnoxièque fas est arcanis consiliorum Dei aciem intendere, suspicari non inuerisimiliter possumus, voluisse illum hac persecutione permittendâ, probare & experimentis illustrare virtutem nouorum Christianorum, veterum autem quorumdam ex Europâ profectorum, oculis illius nascentis Ecclesiæ cum graui offensione obtrusa scelera vlcisci. Erant ferè semper in varijs Iaponiæ portubus nostratium mercatorum naues. Plerumque verò Nanghazachij magnâ vna, & munitissima, statâ quotannis tempestate illuc Meaco appellens. Vectores in ijs, & negotiatores, non pauci graues, probique visebantur. Sed nec deerant immista tritico zizania, fæx corruptæ iuuentutis, copiâ lucrique successibus saginatæ, & in peregrinis hisce littoribus extra censuram patriarum legum habenas effrænibus desiderijs cupidè laxantis. delicatæ nundinantium stationes: luxuriosa conuiuia: ebrijs temulentorum vocibus portuum crepidines personabant. In iniurias quoque prorumpebatur. Virgines, mulieresque ad stuprum è viciniâ rapiebantur; quarum aliquas constat inter robustorum Prædonum manus voluntariâ nece, mersis in propria viscera pugionibus non aliter vitabile dedecus præuertisse. Atque horum flagitiorum Rei primo vento cum opimâ fugientes prædâ, liberas solum, & irritas querelas iniuriam iure persequi non valentibus Iapponijs relinquebant. Quorum multorum audiebantur voces, aliam Europæos Sacerdotes docere legem, aliâ Europæos institores viuere. Nec officio nostri deerant in hisce fœdis facinoribus increpandis. Sed inermis monitorum Sacerdotum autoritas, leue ac facilè frangendum repagulum obiectabatur cupiditatibus flagrantissimis, & iura sanctissima naturæ præcipiti conculcare impetu pronis, ac paratis. Præterquamquod, qui sibi licere omnia volebant auios Infidelium portus, vbi sedes Patrum Societatis non esse certum haberent, suis stationibus captabant, vbi sine molestis arbitris genio litarent. Nemo falsò commemoratam hanc putet inter Persecutionis causas; quâ certissimum est, vel maximè motum Cambacundonum ad sibi persuadendum, quod multis deinde edictis blasphemè, atque impiè professus est, Religionem Christianam legem esse Diabolicam, astutâ, & breui laruam posturâ dissimulatione populis illudentem, fraudulento consilio Imperij Iaponici Europæo cuidam Principi subiugandi: gemino planè dolo eius, quo vsum paulo ante ibi constabat Bonzium Ozacensem, qui specie sanctitatis dementatis populis, & multis sibi Regnis comparatis, eam potentiæ molem extulerat, cui enertendæ vix totæ Nobunangæ primùm, deinde Cambacundoni ipsius, opes, viresque suffecissent. Hisce portò finium tam diuersorum eadem media captantibus consilijs, benignè probantis, & paternè castigantis Dei, Diaboli verò inuidè, ac crudeliter sæuientis, apta ministeria præbuerunt, hinc quidem ambitio, & libido, effrænatissimæ vtraque, superbissimi, potentissimi, & sceleratissimi Principis, inde verò flagitiosissimum obsequium execrabilis, & Christo infensissimi Lenonis, quæ priusquam distinctius exponimus, Diuina quædam, quæ præcessit inopinatissimæ mox erupturæ tempestatis denuuciatio memoranda

196 Plerique Reges baptismum petunt

197 Ex his nata Diaboli inuidia.

198 Consilium Dei in persecutione permittenda.

199 Scandala quorundam Christianorum Europæorum.

200 Occasionem Cambacundono præbet malè opinandi de Christiana Religione.

201 Quam comparabat sectæ Bonzij Ozacensis.

202 Causæ proximæ persecutionis libido, & ambitio Cambacundoni, Fraus Iacuini.

randa est. Iustus Vcondonus Tacazuchi, & Acasci Dynastæ, Vicariam sub Imperatore maximæ, ac potissimæ copiarum partis præfecturam gerens, summâ apud Cambacundonum gratiâ, quadam die Iulij mensis, vultu sanè solicito & præter solitum mœsto, Coëllium Viceprouincialem adiens his inexpectatissimè verbis est affatus: Dissimulare nequeo, mi Pater, augurium quoddam mentis meæ, licet mentionis intempestiuæ visum id iri prouideam: multò autem minus possum illud pro dubio reijcere; vtique cum ineluctabili quadam autoritatis persuasione mentem imbuat meam, sibique subiungat frustra repugnare molientem. Imminet ingens, & horribilis procella Religioni Christianæ in Iaponiâ, qualis nulla ibi vmquam, vel fando audita, vel imaginando cogitata est. Imminet autem tam propè, vt iam eius fragores primos, sonitusque audire ruinarum, iam templorum strages, Sacrorum incendia, Patrum exilia, Sanctorum cædes cernere oculis mihi videar. Nimirum haud cessabit Satanas hoc rerum cardine, quin tanto in periculo regni sui stygias suas copias armet, & educat vniuersas. Tale quoddam Iusti Vcondoni vaticinium fuit, cui non tardiùs, quam triduò sua fides constitit, irritato in Christianos Imperatore operâ Iacuini, qui & alio nomine Tocun vocabatur. Hic Bonzius olim Frenoiamensis priorem vitæ sectam, quam à tempore maximè Nobunangæ in aulâ eiusse animaduerterat, gratiosiori apud Principes Medicinæ professione cum mutasset, arte multâ se insinuauerat in intima obsequia Cambacundoni, cuius facilè obseruatâ salacitate, eam hominis sibi penitus demerendi viam ingressus est, vt se flagitiorum eius, ac libidinum effusissimarum non approbatorem, ac laudatorem modo, sed administrum, & procuratorem exhiberet, præstaretque diligentissimum. Alebat Cambacundonus Ozacæ vbi plurimum morabatur, præter vxorem suam trecentas pellices, quas cum peregrinando non circumduceret, cura erat Iacuini prouidere ipsi ex obuijs prædis, quo minus domesticam copiam peregrè desideraret. Ergo quocumque venturus Imperator erat, Emissarius iste præmittebatur, inspector, inquisitorque formarum, è quibus quæcumque placuissent, siue Reginæ essent, siue Regum filiæ tollebantur, nemine nec patre, nec marito quidquam contra hiscere audente: tantus erat, tamque latè vulgatus iracundi, ac præcipitis Tyranni terror. Commorante tum commodum, vt dictum est, Imperatore Facatæ, exhaustâ iam viciniâ Iacuinus excurrit Arimam, circumductisque oculis, Virgines, & Matronas aliquot notauit iudicio suo non illepidas, Eæ Christo mancipatæ, plus etiam virtute quam formâ præstabant. Itaque cum illas singillatim impurissimus leno consuetâ impudentiâ compellasset, singulæ quasi ex composito, scelus abominando, responderunt: morituras se millies citius, quam Dei legem, datamque Christo fidem violarent. Addiderunt quædam, ecquid eum puderet hominem olim Bonzium execrabilis ministerij? multaque talia, quibus dignum erat scelestissimum Nebulonem excipi, Christianâ libertate prolocutæ, omnes fugam, & latebras, ne qua vis ingrueret, inde quæsierunt. Indignatus supra quam credi potest insueto euentu furcifer, inopinatissimæ repulsæ dolorem arcanis furijs in rabioso silentio coquebat. Subiecit deuoto sibi dudum, & penitus obnoxio stygius Dæmon: offerri occasionem vlciscendi Bonziorum iniurias, & Imperatoris potentiam in Christi religionem armandi. Erat Iacuinus priuatim infensissimus Iusto Vcondono, à quo delubrorum, Idolorumque strages latè maximas, & factas haud multo ante, recordabatur, & nunc maximè fieri cernebat. Hæc longâ meditatione cum versasset, subducta cogitationum summâ, digestisque, ac callide instructis nocendi artibus, multa nocte ad hilariter cœnantem, iteratisque lusitani vini poculis æstuantem iam pectore, menteque titubantem Cambacundonum ingreditur, percontantique de more, ecquam duceret speciosam comitem? ille artifici mœstitiâ obducto vultu, vacuum se, ac grauiter increpitum penèque pulsatum

203 Vaticinium Iusti Vcondoni.

204 Iacuinus ex Bonzio Medicus.

205 Lenocinatur Cambacundono.

206 Tyrannica libido.

207 Christianæ Matronæ, ac Virgines flagitijs Tyranni libere obstant.

208 Lenonis Iacuini scelesta consilia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

209 Ars eius in concitando Cambacundono.

satum Arimâ redire dixit, idque ipsum in lucro ponere, quod Imperatoris mandata obiens saluus reuerterit. miranti mox, quærentique, inuidiosissimè cuncta exponit. Ad ea, etsi pronum suspicatu erat ebrietate, ac libidine flagrantem Principem haud leuiter commouendum, tamen non modo fidem narrationis: sed cogitationis etiam captum exuperat, quam atrocibus, quamque væsanis subitò exarserit furijs. Exilit, discurrit, vociferatur clamoribus horrendis, exitialia minatur Arimanis fœminis. Quibus æstibus concesso spatio, astutissimus Leno blandè arrepens: Mihi vero, inquit, Domine, immeritò videris dementatis succensere mulierculis. Quid miseræ potuerunt, nisi, quod edoctæ, quod instæ fuerant facere? Ad hoc eas isti Europæi Bonzij, quos habes in deliciis, erudierunt. Id ipsas transmarina lex docuit, quam à vobis ipsis, qui palam eam auitæ Religioni præponitis, venerari, & non solum patrijs ritibus, sed naturæ affectibus, omnibusque officijs anteferre didicerunt. At si vel serò tempus est prouidere, quò hæc eruptura sint; tuas, Domine, delicias nouâ factione interpellari minima pars damni fuerit. Vlterius pernicies ista grassatur. Statui, ac fortunæ tuæ (Dij omen auertant) vitæ, inquam, ac capiti tuo timeo. Vides quanto numero ex omnibus Iaponiæ partibus nouæ Religioni nomen dederint, quot in dies noui accedant, ijque ex primarijs, ac nobilissimis. Iam millia supra ducenta numerantur: moxque, vt cursus iste est, vniuersa Iaponia Christianam se mirabitur. Notum autem est cunctos qui sacra ista suscipiunt, Europæis Bonzijs sanctissimo se se iureiurando deuouere. Ijs obedientiam spondere, quidquid illi iusserint, quamuis aliud Parentes, Leges, Principes imperent, facere. Quid ? Tu putas eos istâ infinitâ potestate in tuum potissimùm commodum vsuros ? Equidem dubito an non istum Europæum suum, quem prædicant Principem, qui, & Indiarum parti maximæ, & Philippinis Insulis, & Macaënsi Coloniæ, totque alijs nostrorum litorum emporijs summo iure imperat, imponere ceruicibus nostris velint. Sed si hactenus remittent, vt Iaponio nos subesse Imperatori sinant, cui potest esse dubium, quin è suâ illum coniuratione delectum malint ? Et habent paratum, quem promoueant Iustum Vcondonum, cui proxime per tuam indulgentiam ad summum fastigium admoto, vnicus modo gradus superandus restat vt in supremum apicem euadat; quod ne faciat, quis, si paulo plus conualuerit poterit prohibere ? habet exercitum ad manum, cui tuo beneficio præest: habet tot Reges, tot Regna Christiana, tantam clientum multitudinem; habet naues Europæas validissimas, portus nostros obsidentes, habet denique arcem Nangazaquiensem, quam isti mercium in tuto habendarum prætextu in terris nostris munierunt. Nec indormire te conuenit fiduciæ fallaci ex præsenti Sacerdotum exterorum modestiâ, & erga te veneratione natæ. Eam laruam, quoad erit rationibus ipsorum opportunum præferent. Quantum conijcio, nec minus cupidi, nec minus sunt ambitiosi, quam homines cæteri. Sed aliquanto plus, quam vulgus ad dissimulandum callidi. Intelligere hoc licet ex ijs, quæ audent in remotioribus locis vbi minus obseruantur, & plus possunt. Eorum latrocinia, & raptus feminarum è Nangazachiensi, è Firandensi, ex alijs nostris portubus, & terris, & palam sciuntur, & impunita tolerantur. Prorsus ita existimo; insistere hos homines vestigijs Bonzij Ozacensis, quem incubantem imperio vniuersæ Iaponiæ vix tandem Dijs omnibus iuuantibus vltimo tuo conatu, conisuque debellasti. Is, quod optime nosti, à principio inops, & infirmus, ad istam quinque regnorum possessionem, & formidolosissimam potentiam Sanctitatis astutâ simulatione creuerat. Et illi tamen multa deerant, quæ istis abunde suppetunt. Tot Regum, & Regnorum coniuratio, ducenta millia plerorumque nobilium clientum ad omnia paratorum, & nihil nisi nutus vnius significationem expectantium.

Postre-

Postremò fiducia classium auxiliarium, quas isti vno sibilo ex India, è Luzonum vicinis Insulis, Philippinis ab his dictis Regis istius sui cuius nobis metum intentant, & fortasse iugum parant, nomine; è Macao denique euocare possunt. Hæc aliaque in eam sententiam cum Leno detestabilis peroraret, immanioribus quam priùs intemperijs bacchari Cambacundonus, incusare suam inconsultam indulgentiam, horrendum intonare atrocibus minis. Denique in illo furoris æstu vnum ex apparitoribus compellans: Ito, inquit, hac ipsâ intempesta hora (nox erat fere media) ad Iustum Vcondonum. pulsâ, perfringe fores, & hæc ei à me nuncia: Eligat momento vtrum malit: an cum Dijs Iaponiæ, quorum fana incendit, simulacra comminuit, Ministros exterminauit, resumpto palam eorum cultu redire in gratiam, an in nouâ peregrinæ superstitionis professione perseuerando, statu, ac fortunis euersus exilio mulctari: vix ille mandatum obiturus abierat, cum alium inquietissimo æstu Tyrannus præceps ingeminaturum eadem eòdem mittit. Audito Vcondonus vtroque. Sedatè, ac renidenti similis: Ite, inquit, & statim renunciate Imperatori, exilium me præoptare impietati, ac quantum in vitâ, atque in famâ bonorum est, cum ipso spiritu, ac sanguine, millies me prius profundere paratum, quam vt Christi cultum, atque amorem, & Sanctæ Christianæ Religionis constantissimam professionem extorqueri mihi patiar. Simul hoc Iusti Vcondoni responsum est relatum, Cambacundonus eodem iræ vehementis impetu è Ministris vnum, & super hunc mox alium ad P. Coëllium in naui suâ pernoctantem, & tunc nocte vtique concubiâ dormientem misit. Excitatus is magnis, & contumeliosis è littore vocibus satellitum duorum, comparuit è prorâ, & à nuncijs audiuit: Quærere Imperatorem, quâ facultate Patres Deorum Iaponiæ Templa diruerent, aras, & simulacra confringerent, Bonzios expellerent, populos cogerent suscipere peregrina ipsorum sacra, Boues occiderent animal innoxium, & benemeritum de humano genere, denique quò iure Lusitani Iaponios per vim raptos, coniectosque in naues seruitum in alias terras abducerent ? Hæc Viceprouincialis audiens, incredibiliter admirabatur tantam tam breui tempore existere mutationem potuisse. Nam recordabatur ante paucas horas, vespere diei præcedentis Cambacundonum familiarissimo vultu in istam ipsam Patris nauem, eius honorificè visendi causâ veniisse, diu ibi hæsisse, longis, & humanissimis sermonibus serendis, beneuolentiamque, qua numquam cuiquam antea maiorem demonstrasset, tam erga Patres, quam erga Christianos haud dubijs indicijs ostendisse. Iussus tamen minaciter expedire ad ea quæsita responsum, quod mox ad Regem expectantem referretur, breuiter reposuit: habere Patres ipsius Imperatoris diploma, quo potestas eis amplissima fiebat Christianæ legis in Iaponiâ profitendæ, propagandæque. Huius cum primum caput sit: vnum esse colendum Deum, qui fecit Cœlum, & terram: satis patere, cui liceat esse Christiano, eidem vtique concedi Deos Iaponiæ non colere, quorum fana, ac simulacra, populi, ac Principes, qui sponte probatam Christi Doctrinam, eius compertâ veritate amplexi essent, vt sibi iam inutilia, ac Deo vero exosa iure suo disturbasse, sacrificulosque, ac ministros eorum aliò amandasse, ipso non semel Imperatore talia se haud improbare testato. Boues in Europâ, vti & alias animantes in Iaponiâ adhiberi in cibum solere. Non magnum videri crimen si peregrini patrium ritum in terrâ exterâ vsurpauerint, quod citra cuiusquam damnum se facere putarent. Tamen si iubeat Imperator haud grauatè in posterum ab isto alimento temperaturos. De Lusitanorum, quæ memorabantur, iniurijs, non esse Patrum respondere, quibus nec illæ compertæ satis essent, nec in eos, qui earum autores ferebantur, imperium aut potestas esset. Multa in omni Societate hominum priuata temeritate contra publici Consilij men-

211 Furiæ Cambacundoni in Christianos.

212 Optio Apostasiæ, aut exilij Iusto Vcondono oblata.

213 Ad eam Vcondoni generosum responsum.

214 Nuncij Nocturni imperatoris ad Coëllium.

215 Quid ex eo quæsierint.

216 Eiusdem responsum ad quæsita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentem ; ac voluntatem attentari , Deferrentur querelæ ad Nauarchos , & Magistratus gentis . Confidere se nihil , quod æquum sit , vel ad expiationem præteritorum , vel ad cautionem in posterum , ipsos recusaturos . Ea Viceprouincialis responsa dum perferuntur ad Cambacundonum , iam ipse auditâ Iusti Vcondoni constantiâ in fide , miserat , qui ei capitalem Exilij sententiam à se dicerent . Non informabit veram speciem heroicæ patientiæ Confessoris huius , cui mores nostri persuaserint , totum exilij malum in vnâ demum patrij Cœli , ac soli priuatione constare ; nec per eam inuideri , quo minus exclusis natali terrâ , Regiones aliæ tutò pateant , & qualibet exules in parte beati regnent . Longè alia notio subest exilij vocabulo , in vsu , ac linguâ Iaponum , ibi enim , cui aquâ , & igni in Ciuitate quapiam interdicitur , idem continuò bonis omnibus mulctatur , neque ipse solum : sed parentes , vxor , Filij , consanguinei , necessarij ; clientes quin etiam omnes , ac quoquo modo subditi ; quibus vniuersis , quantumuis alioquin innocentissimis , iniquissima conditio imponitur subeundi fortunam eius , quicum erant qualiscumque cognationis , aut officij vinculo coniuncti . Additur in cumulum proscriptio , & designatio ad necem ipsâ relegationis lege significata , idque in incertum tempus ad arbitrarium principis irati nutum . In quo est miserabilis anxietas expectationis ærumnosè pendentis . Ita igitur indictum sibi Iustus Vcondonus exilium audiuit , vt ad illam ipsam mentionem sibi animo subijceret amissionem Principatuum Tacacuquiensis , & Acasciensis , pariterque subditorum , quos ibi habebat fidissimos ad multa millia , condonationem crudelem in manus successorum , sibi & illis infensorum . Præterea honorum , ac Magistratuum militarium , quibus amplissimis , ac quæstuosissimis gaudebat , iacturam irreparabilem , è possessione annui censûs aureorum septuaginta millium in extremam egestatem subitum transitum , denique patris optimi , senis iam decrepiti Darij , fratris vnici , coniugis lectissimæ , ac paruorum filiorum spoliationem , exturbationemque è patrijs ædibus miserrimam . Neque ista tamen tristissima species , aut labefactauit viri constantiam , aut vultus , saltem , ac frontis serenitatem vllo mœroris indicio fuscauit . Perstitit erectus , atque alacer in prius declaratâ sententiâ : exiliumque , cuius minis turbatus antea non fuerat , præsens accipere se dixit , animo non solùm intrepido , sed etiam læto ; inde sumptâ gaudendi causâ , quod ob religionem spoliari , ac mori , glorioſum , atque optabile sibi duceret . Hic statim ipsi duo nuncij ; & mox amici ad famam accurrentes certatim apud Iustum instare : cederet aliquantisper iræ Imperatoris , deflecteretque vel modicum , ne ei aduersus occurrens , se suosque funditus perderet . Posse illum religionem dissimulare paululum quoad mitigato Principis animo , illam opportunius profiteretur . Dubium saltem minusque contumax responsum daret , quod ipsi mollire perferendo possent . Hæc allegantes acribus Vcondonus figens oculis : Impium est , quod suadetis , vanum , quod speratis , inquit . Ego-ne , vel Imperatori fucum faciam , vel iuratam Deo fidem fallam ? ite actutum renunciate Cambacundono , fortunas , & vitam eripi mihi posse , Religionis neque conscientiam , neque professionem Iusto quemquam nisi cum vitâ extorturum : quod si quid falsâ humanitate tamquam mihi consulturi fingitis , Ego mox sequens refellam , & coram Imperatore vestrum mendacium coarguam . Non multum tempus effluxerat à nuncijs in hunc modum dimissis , cum Vcondonus magis , ac magis cogitando exardescens generosis affectibus pro Christo moriendi : quid si (inquit secum) ipsi coram Regi me sistam , & ardenti oratione adhorter ad Christi religionem amplectendam ? Nempe hinc alterum è duobus eueniet ; aut vt Cambacundonus veritate victus cedat , ac credat ; aut vt idem libertate offensus meâ me obtruncet . Vtrumuis expectabile , & quantouis

217 Exilij sententia in Iustum Vcondonum lata .

218 Exilium in Iaponia longè maius regnum , quâ in Europa .

219 Generositas Vcondoni .

220 Reijcit suasiones consulentium , vt dissimularet .

221 Impetum capit adeundi Imperatorẽ , & prædicandi ei legem Christi .

touis emi dignum pretio est . Ibat igitur , quò dulcis spes vocabat : peruenire tamen non potuit obstantibus amicis , & non tam verbis , quæ frustra iaciebantur , quam vi , ac complexu retinentibus . Ægrè tandem alia sequi consilia coactus , conuocauit illucescente iam die Duces , ac Tribunos , qui sub se militabant , Christianos omnes , viroſque fortissimos . Plerique illorum nondum quæ erant nocte gesta cognouerant . Et qui primi conuenerunt , ex alacritate oris , ac vultûs , quem in Iusto festiuiorem solito cernebant , alia longè omnia ominabantur , quam quæ mox audierunt . Dixit enim illis : se Diuinâ misericordia , dignum habitum , qui bonorum iacturam , & exilium Christi causâ pateretur . Quare alium Ducem alium Patronum quærerent . Vnum sibi dolere , quod hoc improuiso casu sibi facultas adimeretur remunerandi , vt constituisset , fidem illorum egregiaque merita . Sed hoc curæ Christo futurum , omnium Domino , cui haud paulò meliora , pretioſioraque ad manum sunt præmia , quam quæ ab hominibus sperari possunt . Hinc exorsus vehementem , & incensam adhortationem ad perseuerandum in Religione , interpellatus est lacrymis , clamoribusque condolentium , & more Iaponico , capillos è capitis vertice resecantium , quod illic indicium summi doloris est , & indiuiduæ vltrò susceptæ societatis acerborum casuum , qui amicis obuenerint . Verùm Iustus singulos amplexans , multis persuasit , vtilius è re communi Religionis fore si , quoad Imperator sineret , in gradu perstarent : paucos , quos de proposito dimouere non potuit accingere se ad iter mox secum suscipiendum est passus . Interim vulgatâ per Vrbem Facatam , perque exercitum , atque Imperatoris comitatum rei famâ , certatim præcipui quique , ipsique adeò Reges accurrere , condolereque indignanti . Pecunias quin etiam offerre pro se quisque . Ille omnibus gratias agere , pleraque recusare , pauca tantum quædam , ne superbiæ abstinentia imputaretur , accipere . Vespere , vt se turbâ explicaret , quâ per diem domus redundauerat , clanculum scapha conscensa in vicinam Insulam traiecit , vnde primo diluculo discedens , Acascium vbi familiam habebat , se contulit , eâ celeritate , quæ famam præcurreret . Ergo ipse exilij sui nuncius , vt primùm coram familiaribus apparuit habitu sordido , & sine insignibus Magistratus , pater eius Darius , Frater Taroiemodonus , ante omnes vxor , grauiter commouebantur , anxièque interrogabant , quid ei accidisset ? nihil prorsus de Religionis persecutione suspicantes , propter latè vigentem opinionem de optimo Imperatoris in rem Christianam animo . Verùm vbi Iustus subitam mutationem Cambacundoni , indictumque sibi , ac Patribus exilium retulit , statim mira , nec humanis imputabilis affectibus Darij optimi Senis exultatio emicuit . Is oblitus quantum ærumnæ , ac cladis in decrepitam suam , ac fatiscentem ætatem inopinata filij calamitas accumularet , illud ipsum naufragium fortunarum propter causæ honestatem amare , ac gratulari sibi potuit , religione , ac cœlestium luce rationum humiles naturæ sensus opprimente . Ergo ijsdem manibus , quibus alte sublatis Deo gratias egerat , quod familiam dignam duxisset suam , in quâ Christianæ constantiæ , iacturas humanas despicientis , prima exempla constitueret , Iustum mox non sine dulcibus lacrymis amplexans , læta , inquit , fili narras ; bene nobiscum agitur . Macte istâ virtute . Libenter sequimur . Nec egestas terret , aut quantum malorum in exilio est . Eamus actutum , quo Deus vocat . Vtinam contingat post opes , ac rem familiarem , etiam vitam pro Christo profundere . Patris vetuli autoritatem proprijs etiam sensibus familia secuta , omnibus palam lætitijs incessit . Frater , vxor , liberi certatim pro se quisque Vcondonum amplecti , renidenti omnes vultu , festis acclamationibus celebrare gaudium , concurrere in ædem sacram ; hymno solemni gratulari felicem sortem , nec finem instantis mali alium optare , quam statim oppetendam pro Christo mor-

222 Verba eius ad amicos .

223 Ipsi Erhnici Insto condolent .

224 Gaudium Darij Patris Iusti ob eius exilium Christi causa illatum .

225 Idem sensus reliquæ familiæ .

Universidad de Deusto
Biblioteca

226 Quæ paulo post cum Iusto exulatum abit.

mortem. Hinc reuersi ad iter se comparant. Nec multo post viatoriâ suppellectili non multâ, sarcinulis aptis expediti prodeunt, copiâ rerum cum domibus facile dimissâ, dignum Cœlo teste spectaculum. Darius decrepitus Pater cum Vcondono, & Taroiemodono filijs, Matronis, & liberis eorum, heri principes hodie mendici, alacres, hilaresque numquam amplius visendis in quibus regnauerant laribus exibant. sequebantur clientum inops turba, viri sarcinis, mulieres paruulis onustæ; omnes quo se reciperent ignari passim aliquantum per auia errarunt. Inde in syluis ac montibus variè

227 Varij recepti exulum

quæsitis recepti latibulis. Iustus quidem cum suis in Augustini Iacurondoni Præfecti maris ditionem eius inuitatu concessit: ibique rure in domunculâ seducta, extra famam, & commercium, humilem, & egenam, sed celesti gaudio redundantem degebant vitam. Non defuerunt, qui pro vetere viri splendore Darium huc inuiserent priores amici, quibus sortem

228 Darius consolatores rejicit inuitans ad sibi potius gratulandum.

acerbam lamentantibus, & celerem reditum augurantibus in fortunam priorem, bonus senex nihil fractus animo, gratulamini si me amatis potius, aiebat, felicitati meæ, melioraque optate quam quæ ominamini. Nec quæ offertis apud Imperatorem officia admitto in proprium, & peculiarem domûs meæ fructum, gaudere solum paratus, si reconcilietur Religioni Princeps, & florere, vt prius eam iubeat. Sin Ecclesijs vastatis, Patribus

229 Et pacem propriam nisi communis Ecclesiæ fit respuens.

expulsis, priuatam Iusto meo filio, familiæque nostræ gratiam offerat, consu loquebatur generosus Confessor; haud paulo acerbius, quam propria suæ domûs mala, Damna Ecclesiarum, & exilium Christianæ legis promulgatoribus indictum ferens. Nam post ea quæ retulimus ViceProuinciali Coëllio primum iussu Cambacundoni noctu denunciata, cum postridie mane quid Patres responderent Tyrannus audiuisset, multa in Christi legem

230 Exilij sententia in Patres

ac Deum Christianorum furiose, ac blaspheme vociferatus; sententiam ad extremum scripto mandatam ad Coëllium misit, quâ præfinito moræ ipsius, ac Sociorum in Iaponiâ die vicesimo, post eum diem si quis eorum intra suorum Regnorum fines reperiretur, grauissimè multandum decernebat. Ad quæ cum statim Coëllius excepisset, fieri haud posse,

231 Quod nauis deesset conuenire Firandum iubentur.

vt ipsi è Iaponiâ excederent ante diem vicesimum, cum nauis vnica, quæ ad Sinas è Iaponiâ rediret, non ante sextum ab hinc mensem esset soluturа. Respondit Imperator: conuenirent saltem omnes quamprimum Firandum, ibique nauis discessum expectarent. Post quem si quisquam Patrum, siue ortu exterus, siue indigena, in Iaponia reperiatur, capite luiturum. Dimissis inde per Ciuitates præconibus proclamari iussit: eijcere se, è Iaponiâ Patres, eo quod legem Diaboli promulgarent, Dijsque Iaponicis cultum

232 Promulgatur sententia in Patres.

abrogarent. Cuius sententiæ tabulam Facatæ in loco conspicuo proposuit. Cruces è vexillis militaribus, & naualibus deleri, è culminibus, alijsue locis vbi fixæ fuerant reuelli iussit. Vetuit quoque ne quis deinceps (quod

233 Vetitum Cruces palâ colere, reliquiarũ arculas, & coronas ferre.

frequentissimum tunc erat) Cruciculas, reliquiarum arculas, aut coronas, è globulis insertis palam è collo gestaret, minatusque est se Christianos omnes, pœna mortis aut exilij ni parerent proposita, ad eiurandam religionem adacturum, quas tamen minas numquam in rem contulit. Perculsus his Coëllius non incertus animi, quid facto esset opus, grauissimos, & sapientissimos quosque Christianorum ex Imperatoris comitatu Procerum in consilium adhibuit. Omnium concors sententia fuit, cedendum tempori, quoad Religio sineret, abstinendum nimirum publico, aut splendido exercitio rituum Sacrorum. Conuocandos Firandum Patres cæteraque ad eam speciem affectanda, quasi edicto Imperatoris plena

234 Simulatur obedientia, ne Tyrannus exasperetur.

obedientia constitura sit. Erant è nostris sparsi per Iaponiam fere viginti supra centum; ij strenuis nuncijs acciti ad condictum breui locum conuenerunt, adductis etiam Seminariorum alumnis, & Cathechistis iuuenibus: quòd ij omnes tam ardenter instituissent apud discedentes patres, vt

235 Patres conuocantur Firandum,

ipsis

ipsis negari non potuerit, quam ambiebant periculorum, atque exilij Societas. Et alumnos quidem adolescentes præcipuæ omnes nobilitatis Organtinus scribit, obtulisse pro se quemque vniuersos scriptas declarationes sensûs ac propositi cuiusque, in quibus rem familiarem, spes domesticas, Patriam, Parentes, affectus cunctos Christi legis tuendæ causâ abdicare se paratos, atque abijcere profitebantur. Appulsis omnibus Firandum Organtinus è nostris vnus cum duobus item nostris non Sacerdotibus defuit, ijs enim ViceProuincialis petentibus, & magnam illius, Ecclesiæ necessitatem obtendentibus permiserat, mutato habitu clam ijs in locis hærere. Inter reliquos Patres versata Firandi deliberatio est: Ecquid obtemperandum Cambacundono esset abire è Iaponia iubenti? Omnibus citra controuersiam visum omninò manendum Sacerdotibus, concionatoribus, Cathechistis, & si qui alij iuuandarum, & consolandarum animarum facultate aliquâ valerent. De alijs, maximè nouitijs, itum in sententias est, quibusdam dissentibus optimum factu videri submouere ipsos Amacaum, vt ibi in tranquillitate educati adolescere possent ad supplendum aliquando defectum consumptorum ærumnis, aut Tyranni gladio peremptorum Patrum, præualuit tamen generosius consilium censentium, ne tirones quidem ab hac communione periculi segregandos, nec inuidendam ipsis raram occasionem educationis nobilis inter prælia certantium, & palmas martyrum, vnde ipsi non tantum exemplo, sed vsu quodam, & exercitatione tolerandi, ad Christianum robur acuerent indolem. Ab hoc decreto dispertiti in varias Dynastarum Christianorum terras per modicos manipulos, tam nostri, quam Alumni, & Cathechistæ sunt. Nec laboratum in reperiendo, qui reciperent. Etsi enim graui recipientium sumptu, & præsenti capitis (vt erant tempora) periculo fiebat, tamen certatim Christiani Principes, quam maximum nostrorum, & alumnorum, ac Cathechistarum numerum poscebant, quem apud se alerent, in lucro habituri si ob neglecta in eo Cambacundoni mandata læsæ Maiestatis rei facti, occasionem fundendi pro Christo sanguinis nanciscerentur. Hoc animo Princeps Omuræ duodecim è nostris impetrauit, Firandi Præfectus quatuor, Rex Bungi nondum in deterius mutatus, quinque; Maxentia nobilis Matrona Sedes habens in Regno Cichungi, duos, Princeps Amacusæ nouem, Protasius Rex Arimæ alios omnes, hoc est septuaginta è nostris, & ferè totidem Alumnos Seminarij, quibus omnibus super tutum receptum, etiam stationes commodæ studijs, & exercitationibus Iuuenum, cunctaque ad victum, cæterumque vsum necessaria liberalissimè vbique suppeditata sunt. Atque ea Amacusæ liberius quoque, ac minori latendi curâ, exhibita. Nam cum alibi nostri vestem mutarent, & ibi quoque id agere instituissent, bonus Princeps prohibuit, aiens se adhuc Dei beneficio tantum in suis terris posse, vt Christi Sacerdotibus tutum esset ibi palam apparere. Deinceps breuiter indicandum est, quibus hominum, vel sensibus, vel affectibus hæc noua persecutionis fama per vniuersam Iaponiam excepta sit. Mirum sine dubio videbitur etiam ipsos Ethnicos hoc nuncio turbari visos; neq; paucos ex ipsis, liberis priuatim sermonibus iram iniustam Cambacundoni vituperasse, quâ futurum crederent, vt Exteri Principes, ac populi Iaponios inhumanitatis accusarent. Ipsa Regina vxor Cambacundoni audito Patrum exilio grauiter ingemuit, misitque certum hominem, qui hoc ipsum indicaret, insuperque polliceretur, se apud virum instantissimè acturam, vt, si fieri posset, sententiæ reuocationem impetraret. Cognitum postea est haud quaquam fidem dictis defuisse. Re vera enim cum primùm vidit Cambacundonum, commemorandis prioribus eius de Patribus iudicijs, modestiâque ipsorum, ac virtute commendandâ, id effecit, vt fateretur Barbarus, se paulò vlteriùs irâ prolapsum, quam necesse, aut forte etiam conueniens

236 Feruor alumnorum Seminarij.

237 Organtinus cum duobus mutata veste delitescit.

238 Deliberatio Firandi habita an abeũdum nostris è Iaponia?

239 An non saltem iuuenes, & nouitij periculo subducendi?

240 Decernitur omnes in Iaponia retinendos.

241 Principes, & Dynastæ vltrò patres imitant, & recipiunt in suis terris.

242 Ipsi Ethnici persecutione turbati.

243 Vxor Cambacundoni miseratur Christianos.

244 Et frustra cenatur iuuat

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisset, statim tamen obfirmato in scelere animo, subiunxit: sibi certum esse vtcumque ceptum negotium vrgere: nec enim esse suæ dignitatis à suscepto cum tanto strepitu proposito, citò ac leuiter absistere. At Christiani per vniuersam sparsi Iaponiam numero paulum supra ducenta millia, ea vbique ferè, ac plerique edidere audito Edicto Cambacundoni, generosi & heroicè fortis animi specimina, vt pronum creditu facerent, eâ ipsâ de causâ permisisse Deum istam eruptionem iræ tyrannicæ, vt præclara illa constantia, fideique mirabilis, quæ in tranquillitate, vt lampas in meridie, animaduerti minus posset, in hac persecutionis quadam velut nocte, sui vim fulgoris obtineret. Concurrebant passim ad templa omnis ætas, & sexus, Patres, Matresque familias cum liberis etiam paruulis. Ibi se, suosque ad necem pro Christo subeundam non modo promptos exhibebant, sed id ipsum, vt sibi contingeret in loco gratiæ poscebant. Iam nullus iterandorum pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramentorum finis, nullus vigiliarum, ieiuniorum, orationum modus, rerumque eiusmodi, in quibus momentum esse sciebant ad impetrandam perseuerantiæ gratiam. Migrabatur è pagis in Vrbes vbi harum rerum facultas, oportunitasque parator: adeoque cura erat nulla vitandi oculos Magistratuum, vt magnoperè opus esset admonere, ne inconsulto feruore oleum in flammam magno Ecclesiæ damno iacerent. Hæc intento cursim digito indicasse sufficiat; ad plenum enim exequi velle maioris est otij.

245 Christiani forti animo excipiunt nuncium persecutionis.

246 Mortem optant, & ad eam se comparant.

Chiti quæ Ciuitas est prænobilis Peruuiæ, vnius Prouinciæ caput, Episcopi, & Prætoris Sedes, vbi è nostris quatuor ab anno superiore residere ceperant, hoc anno tertio Kalendas Septembres post solis occasum horribilis terræ motus solum ita concussit, vt ferè instar procellosi maris fluctuaret: nec stare in vestigio homines, aut ingredi sineret, sed vertigine capitis, & validis in vtrumque latus impulsibus cadere cogeret. Æra campana succussis vnde pendebant variè librata turribus, sine hominum operâ sonos edebant. Minimè obnoxiam, (vt putabatur) hisce casibus Ciuitatem, consternatio incessit eò grauior, quod nec remedium, nec solatium mali erat, tam vehementis ab ipso principio, vt nemini spatium, aut animum relinqueret de alio iuuando cogitandi. Sed Deo miserante breui paulum resedit atrox illa vis, remisitque se in commotionem iam tolerabilem, quæ incessum vtcumque permitteret. Eâ, vt primùm sedit, vsi facultate Patres nostri cum laternis Vrbem concursarunt, consolando populo, remedioque confessionis egentibus volentibusque offerendo. Aliquot euersæ domus, multa templa quassata, Domui nostræ humilitas credo sua profuit, vt staret, cum esset aliòqui senio putris, & malè materiata: quidam occisi ruinis tectorum, plures vulnerati. In oppido vicino terra dehiscens multos mortales hausit. Alibi dissiliens pars Montis pecora in valle pascentia cum Pastoribus oppressit. Haud procul hinc pagus antea siccus, & fonte carens, postquam Domus omnes vehementi succussu destructæ sunt, fluuium è visceribus effudit terram latè Mephitim Cœlo inhalantem.

247 Terræ motus vehemens Chiti in Peruuia.

248 In eo casu officia Patrum.

249 Effectus terræ motus.

In Tucumanis Cordubam nouam, à similitudine quadam temperiei, ac situs cum Europeâ Corduba sic dictam, vrbem pagorum Suburbanorum frequentia nobilem, Tres è nostris Episcopo ductante iniere postridie Kalendas Februarias huius ineuntis anni, experirique mox operam ceperunt; magnis difficultatibus spem infringentibus, maxime ob varietatem incredilem linguarum; vnoquoque ferme pago idioma proprium ipsumque difficillimum habente. Id adeo inde esse crediderim, quod parum commercij inter se est etiam vicinis oppidis, ob metum insidiarum in Barbariei confinijs. Itaque minutis etiam locis sitûs munimen quærunt, & arte ac labore quantum possunt adiuuant, vnde oritur noua molestia superandi tot arduos montes, quorum duntaxat in verticibus, ijsque maxime præruptis, atque inuijs, viculi quoque ipsi, ac Castella sunt sita. Breui tamen Deo conatus adiuuante,

250 Varietas linguarum in Pagis nouæ Cordubæ.

251 Vnde illa orta.

252 Octingenti conuersi.

uante, adhibitis multis interpretibus latè circumlata Euangelij prædicatio est, eo præsenti fructu, vt octingenti quatuordecim satis instructi Episcopo visi sint, vt sacro baptismate tingerentur. Hæc nostris agentibus Nuncius aduenit indicans Socios quinque ipsis è Brasilia suppetias venientes, ad ostium fluminis ab argento cognominati, trecentis à Corduba millibus passuum, deprehensos ab Anglis Hæreticis, spoliatosque rebus cunctis, etiam vestibus, nudos in summa omnium inopiâ relictos. Ad eos statim, curante humanissimè Episcopo, milites aliquot missi præsidio; eque nostris vnus cum veste ac comeatu se ipsis adiunxit, quorum opportunissimis officijs recreati vim passi viatores, ad Vrbem S. Iacobi, quæ Tucumanorum tunc erat metropolis, incolumes sunt perducti.

253 Quinque Patres spoliati ab Anglis Hæreticis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARTIS QVINTAE

TOMVS PRIOR

Liber Octauus.

A.C.1588. Soc. 49.

ANNO 1588. propter noua duo Pontificis Sixti Diplomata Societati nonnihil discedendum fuit ab ea ratione, quâ suis ex legibus in admittendis Tyronibus vtitur. Priore diplomate Pontifex tum Spurios ab Religionum arcebat ingressu, tum cæteros, qui cooptandi essent, vetabat recipi nisi in Generali, seu Prouinciali conuentu. Ac primo quidem in capite, quia nihil priuatim Societati detrahebatur, simpliciter obtemperatum est: posteriore magna creabatur difficultas, quod Societas conuentus sane quam infrequentes habeat; vtique Generales nullos fatos: Prouinciales autem non nisi tertio quoque anno, quod in tempus si petitores differrentur, planum erat, & ijs & Societati perniciosum, & intolerandum fore. Eam difficultatem cum Pontifex cognouisset, benigne concessit, vt præter tres menses ante Congregationem Prouincialem, reliquo tempore cuique Prouincialium adhibitis in Consilium ordinarijs Consiliarijs suis, atque examinatore, nisi forte ipse Consiliariorum esset è numero, Tyrones adlegendi potestas esset; ita tamen, vt si quis dissentiret, sententia eius, & causa ad Congregationem Prouincialem suo tempore referretur. Sed non diu hic vsus obtinuit. Nam post paulo alterum Pontifex in declarationem prioris diploma confecit, in quo, & reuocauit, quod Societati priuatim tradiderat, & constituit, vt vbi fieri non possent, aut non essent in more conuentus, trium, aut saltem duorum domiciliorum ad recipiendos Tyrones conuenirent Præsides. Huius Constitutionis causa Societatis Præpositus decreuit, vt tria quaque in Prouincia designarentur domicilia, quorum Præsides ad eam deliberationem conuenirent, vna cum Prouinciali: & horum suffragijs res pro maiori numero sententiarum statueretur. Adesse tamen etiam Consiliarios Prouincialis voluit, non quidem cum suffragij iure, sed maioris notitiæ causa. Hæc admittendi Nouitios forma seruata est ferme triennium, quoad Gregorius Pontifex XIV. in suum ius pristinum Societatem restituit. Nam quamquam non sine multorum consilio, magnaque cura Nouitiorum in ea delectus habetur, tamen potestas omnis penes Generalem est, ab eoque Prouincialibus, quo cuique modo maxime conueniens iudicet, impertitur: ita vt in multos necessario spargenda non sit. Multas in Prouincias missi destinatiue de more Visitatores, ante omnia monici, vt in suæ quemque vocationis, & institutorum Ordinis cognitionem intimam conarentur adducere: Tollendis nationum studijs, fouendæ mutuæ consensioni, & charitati perfectæ, ac mem-

1 Sixti diploma de spurijs &c.

2 Difficultas in eo Societatis à Pontifice sublenata.

3 Alterum diploma Sixti & ex eo tria domicilia designata quorum Præsides nouitios admitterent

4 Hæ difficultates postea sublatæ sunt à Gregorio XIV.

5 Mandata Visitatoribus data.

membris cum suo capite coniungendis insisterent. Ipsos etiam domiciliorum Rectores diligenter instituerent, vt cum perfecta sui victoria, Orationi, & familiaritati cum Deo dediti, præcipuam curam in spirituali profectu sibi parentium collocarent; adeoque paternam præ se caritatem ferrent, vt cum omni fiducia ab ijs consilia, & adiumenta inferiores peterent, existimantes se velut aliud esse, aliud vitia sua; & ad superiorem confugientes, vt vna cum illo ad tollenda ea conspirent. Denique quæ in pastorali superioris anni Epistola adnotata sunt capita, præcipue curanda Visitatoribus proposita.

Romanam Prouinciam Ioannes Baptista Carminata: Mediolanensem rediens è Gallia Laurentius Magius recognouit: alij alias, vt suo loco dicetur.

Multum interim Generali Præposito negotij fuit, vt laborantibus Prouincijs Transyluaniæ, Belgio, & Hispaniæ opem ferret: & ipsa in Vrbe principio anni procella non leuis exorta est. Nam Diabolus, qui optima quæque acerbissime odit, & insectatur: vti summum Euangelicæ Paupertatis decus olim in Sancti Francisci nascente Ordine inuidit, multisque oppugnauit machinis, ita speciem obedientiæ pulcherrimam, qua hic maxime Ordo gloriatur, iam pridem inuidebat ei, deformareque, ac rapere conabatur; hoc demum anno apertum bellum indixit, satellitem nactus idoneum Iulianum Vincentium, ex Aquitania Prouincia, hominem, vt apparuit, mentis haud plane constantis. Is cum in Collegio Burdigalensi degeret, vti supra commemorani, Protasij è Franciscano Ordine viri boni, nobilisque Prædicatoris dicta pro concione, & librum, quem de Christiana Doctrina idem ediderat, notare cœpit, librumque ipsum cum censura, & multa in concionibus animaduersa, Romam misit. Quæ vti æquum erat, pro Sancti eius Tribunalis veneratione, quanquam nihil habere solidi videbantur, tradita Quæsitoribus sunt. Iuliano interim volenti, cum domi seditiosus esset, dictaque in Prouincialem, & alios diceret, partim in pœnam, partim experiundæ curationis gratia, Compostellana peregrinatio iniuncta. Inde aliquandiu in Hispania hæsit: tum repente Romam accurrit, ab aliquo, vt suspicio fuit, perturbatorum instinctus. Romam vbi venit per ocium ad Sancti Andreæ colligendo animo, instaurandoque concessum, dum Constitutiones, deque Obedientia Epistolam Beati Patris pertolutat, vnde salubres debuit haurire succos, inde vitio prauæ mentis, venena traxit. Multas excerpit sententias, additaque maligna interpretatione, tradit Sixto Pontifici, tanquam ijs non modo falsa, verum & hæretica dogmata sancirentur. Summa hæc erat, Ex obedientia cæca, qua iubentur Inferiores Superiorum mandatis simpliciter, ac sine inquisitione tanquam voci Domini, ipsummet in imperante Christum considerantes, obtemperare, stultam per calumniam volebat effici, obtemperandum esse, etiamsi errores, & crimina imponerentur; aut certe Societatis Præsidibus autoritatem tribui, quæ in Summo tantum Pontifice est, vt quicquid ij decernant, præcipiantue, errare non possint. Hæc arx, hic erat cardo calumniarum, quas misellus nec quantum sibi videbatur, doctrina pollens, & cerebro multum laborans, multis ineptiarum voluminibus explicauit, detulit Pontifici, late per alios dissipauit. Neque ea contentus impudentia, facinus nouum, planeque indignum adiecit. Cum Procuratores Hispanicarum Prouinciarum etiamnum Romæ adessent, siue captans bonorum virorum simplicitatem, siue tentans fidelitatem, cum Ludouico Santandero Castellæ Procuratore expostulare grauiter cœpit de Moderatorum seuero nimis imperio, imprudentiaque, & alijs id genus. Quæ Santanderus audiens, cum esset antiquæ vir probitatis, instituit placide, ac pie partim edocere, par-

6 Turbæ Iuliani Vincentij contra obedientiam.

7 Iulianus Protasium Franciscanũ temere accusat.

8 Inquietus, & seditiosus Burdegala Compostellam mittitur Inde Romã venit.

Et propositiones ex Epistola S. Ignatij de Obed. excerptas ad Pontificem defert.

Universidad de Deusto
Biblioteca

partim consolari hominem, & hortari, vt poreſtati ſe Præpoſitorum permitteret; eos loco duceret Dei: eamque obedientiæ viam tutiſſimam exiſtimaret; & alia, quæ Sancti Patres de bonis Obedientiæ tradunt. Ab eo Colloquio recedit Iulianus ſpecie multo melior, re longe deterior. Exarat in ſchedula quædam capita, prout ipſi libuit: illud inter cætera, vt ipſemet poſtea profeſſus eſt: In rebus fidei Præpoſitum Generalem Societatis errare non poſſe. Dein ad Santanderum regreſſus, Neminem ait ſe reperiſſe, qui ita ſe conſolatus ſit, qui tam apte ad ſuum ſenſum, ſuumque morbum locutus ſit: velle ſe eas voces tanquam monitorem, & Santanderi erga ſe benevolentiæ monumentum conſeruare. Proinde ne grauaretur ſuâ illis manu nomen ſuum adſcribere. Vir innocens alios de ſe metiri ſolitus Santanderus, qui ingenium hominis illius minus norat, ſperans eam rem aliquid habituram vtilitatis ad cari Sodalis conſolationem, pagellæ, quæ offerebatur ne lectæ quidem ſuum nomen adiecit. Quod cum mox tanquam rei ſalutaris initium Claudio Generali narraret, is vehementer nimiam eius ſimplicitatem accuſauit. Et quia perſimile Colloquium habuerat Iulianus cum Alfonſo Deza Toletanæ Prouinciæ Procuratore, protinus admoneri eum iuſſit Claudius, ne ſi idem Chirographum, aut quicquam ſimile Iulianus item ex ipſo poſtularet, vllo modo ſibi imponi ſineret. Ac mirè opportuna admonitio fuit. Cum eadem præſentione adfuit ſubinde captator, orans, atque obſecrans, vt ad maiorem autoritatem, virique memoriam Chirographo, & nomine ſuo pagellam, in quam monita eius retulerat, conſignaret. Quem Deza, vti æquum erat, cognitum plane reiecit. At Santandero auerti calumnia non potuit. Cum Iulianus illum manu eius conſignatum libellum Quæſitoribus tradidiſſet, innocens Dei ſeruus in cuſtodiam ducitur. Cæterum quæ in Epiſtola B. Patris, & Conſtitutionibus notata, Pontifex acceperat, cum cognoſcenda Quæſitoribus tradidiſſet, hi cenſuram ſatis acrem edidere. Nimirum perſtrinxit inſuetos quorundam oculos ſplendor tam miræ lucis. Fecit etiam cauſam ſuſpicioſam, quod idem criminabantur Perturbatorum ex Hiſpania miſſi libelli. Itaque de Præpoſiti Generalis mandato Robertus Bellarminus triplicem diſputationem confecit, manifeſtis rationibus, ſacræque ſcripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs ſolide communitam. Quarum prima oſtendebat Obedientiam cæcam ſumma in laude poni debere. In altera nominatim reſpondebat calumnijs in Epiſtolam B. Patris de Obedientia à Iuliano coniectis. Poſtrema demonſtrabat nullo modo tribui à Societate Generali Præpoſito, alijſue eius Rectoribus certam, & nunquam aberrantem præcipiendi, ſtatuendique autoritatem. Commune, & euidens in his omnibus erat argumentum, quod ſi vitia, quæ obiectabantur, Societatis Inſtitutum contineret, & Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices dum illud comprobarunt, & laudarunt, procul dubio erraſſent, quod nefas eſt dictu. Deinde cum obedientia cæca, & ſimplex non vnius Societatis propria ſit, ſed diſciplinis omnibus religioſis, atque adeo toti Eccleſiæ Sanctæ communis, eademque commendetur, ac præcipiatur ab grauiſſimis omnium ætatum Doctoribus (quæ Bellarminus allatis exemplis apertiſſime demonſtrabat) Profecto ſi vitioſa eſſet, Eccleſia in errore, ac vitio verſaretur, quod item eſt impium cogitare. Sed quoniam pulcherrima hæc virtus non modo accurata defenſione, ſed etiam ſumma commendatione digna eſt, licebit nobis quoque in ea non nihil immorari. Nihil enim cæcæ Obedientiæ intelligimus nomine, niſi parendi alacritatem perfectam, ſimplicem, neutiquam ſcrutantem quid, à quo, & quamobrem imperetur, imperio ſolo contentam, niſi id appareat legi Dei mani-

9 Vincentij de feſtabilis fraus.

10 Iam Alfonſus Deza opportunè monitus vitat.

11 Sed illa circumuentus Ludouicus Santanderus conijcitur in carcerem.

12 Acris cenſura in Epiſtolam Obedientiæ.

13 Bellarmini diſputatio triplex in defenſionem Obedientiæ.

14 Quid ſit Obedientia cæca.

manifeſte contrarium. Quæ exceptio etiamſi taceretur, intelligenda vbique eſſet: & tamen à B. Patre tum in Conſtitutionibus, tum in Epiſtola, ſæpius diſertis verbis exprimitur: vt mirum videri poſſet vllam cuiquam in hac re hæſitandi occaſionem fuiſſe. Porro obedientia eiuſmodi cæca eſt illa, quam ſcite Ioannes Climacus ſimul oculatam appellat, cum Dominus, inquit, illuminat cæcos obedientium oculos ad contuendas Magiſtri virtutes, idemque eos excæcat, ne defectus videant. Hæc vt idem loquitur, eſt inexaminatus, & indiſcuſſus motus, ſpontanea mors: vita curioſitate carens, ſecurum periculum, diſcretionis depoſitio inter diuitias diſcretionis. Huius cauſa S. Baſilius ait, imprudentem, inſipientem, ac ſtultum apud ſemetipſum debere eſſe eum, qui obedit: quod faciebat, vt de ſe ipſo narrat, B. Dorotheus, qui niſi Præpoſiti autoritas accederet, quicquid ſuum eſſet, malum, ac pernicioſum, à Dæmonibus, ab affectu ægroto, à ſtatu turbato eſſe exiſtimabat. Hæc eſt, quam Pynufius Abbas accedenti ad Religionem Nouitio ita deſcripſit, ſtultum te ſecundum Apoſtoli ſententiam facias in hoc Mundo, vt ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata, ſed cum omni ſimplicitate, ac fide obedientiam ſemper exhibeas: illud tantummodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quicquid tibi, vel lex Dei, vel ſenioris examen indixerit. Per hanc (vt Caſſianus ait) Monachi illi à magno Antonio, Macario, & alijs Sanctiſſimis eruditi Magiſtris, ſic vniuerſa quæcumque fuiſſent à Præpoſito ſuo præcepta, tanquam ſi à Deo cælitus edita eſſent, ſiue vlla diſcuſſione complere feſtinabant, vt ne impoſſibilitatem quidem præcepti pro Senioris ſui reuerentia metirentur. Quod & S. Benedictus ſuis faciendum præcepit. Quia vt S. Thomas interpretatus eſt, An aliquid ſit poſſibile, ſubditus non debet ſuo iudicio definire, ſed in vnoquoque ſuperioris iudicio ſtare. Per hanc S. Hieronymus monebat Ruſticum, vt crederet ſalutare quicquid Præpoſitus Monaſterij præciperet, nec de maiorum ſententia iudicaret. Hanc S. Auguſtinus, vt refert S. Bonauentura, ſimplicem ſine diſcuſſione; B. Dorotheus, Bernardus, & alij indiſcretam appellant. Quòd non licet ſubditis diſcernere, ſed ſtatim ſimpliciter obedire. Hæc eſt, inquit Bernardus, Obedientia, indiſcreta, ſimplex, ſincera, prudenter imprudens, & ſapienter inſipiens. Hic eſt ſummus ille apud S. Bonauenturam gradus, Cum obedimus, inquit, homini indiſcreto, & dyſcolo, & deſpecto, in perſona Dei, Vnde Petrus: Serui obedite Dominis non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hanc obedientiam deſcribens Baſilius vult obedientes ſimiles eſſe ouibus, quæ viam ingrediuntur, quamcumque Paſtor demonſtrat, nihil curioſius perſcrutantes: vult ſimiles eſſe inſtrumento fabrili, quod ad quoſcumque vſus velit Faber, obſequitur. Eoſdem S. Franciſcus cadaueri comparat. Humbertus quintus Prædicatorum Generalis Magiſter, vir, & ſapientia, & virtute præſtans auro ductili, ac flexili virgæ. Et addit ad ſuos ſcribens: Sitis vt rotæ volubiles, quæ ſecundum impetum ſpiritus mouebantur, Sitis vt iumentum apud Deum, cuius dorſo indifferenter quælibet imponuntur. Quæ cum ita ſint, quid poteſt eſſe certius, quam quod tanto conſenſu tot, tantaque Eccleſiæ Sanctæ lumina, & præceptis tradiderunt, & vſu? Si ſua quiſque in arte dignus eſt fide; en hic fuit ſenſus omnium, qui religioſas condidere familias, vel in ea diſciplina præſtantiſſimi iudicati ſunt. Si Doctorum Eccleſiæ valet autoritas, hæc, vt alios taceam, Baſilij, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij, Deinde S. Thomæ Aquinatis, & S. Bonauenturæ docent oracula. Eſt tamen etiamnum aliquid certius, nempe ipſa Chriſti Domini clara, & Sacroſancta

Ea Patrum autoritatibus comprobatur.
S. Ioannis Climaci Scalæ gr. 4.

Caſs. l. 4. c. 41

S. Benedicti.
S. Thomæ Aquinatis.
S. Hieronymi.
S. Auguſtini
S. Bonauenturæ.
S. Dorothei.
S. Bernardi.

De grad. virt.

S. Baſilij.

S. Franciſci.
Humberti.

15 Quam extra omnem reprehenſionis aleam ſit Doctrina de obedientia cæca.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sancta vox, Qui vos audit me audit; Qui vos spernit, me spernit. Nam quis obsecro neget perfectam, ac simplicem Obedientiam Christo Domino, ac Deo deberi? At is ita iubet audiri Vicarios suos, tanquam se ipsum. Nam ea verba etiam de Religiosorum Præpositis Basilius, Benedictus, Bernardus, Bonauentura, Vincentius Ferrerius præter cæteros intelligunt.

Hæc in specimen delibasse sufficiat ex multò longiori dissertatione Bellarmini. Neque enim sine stomacho nunc hoc loco legerentur quæ ille tunc vtiliter, immo necessariò, vberiùs pertractauit; occurrens singillatim singulis argumentis à Iuliano Vincentio apud sacros Quæsitores allegatis aduersus Catholicam, & Religiosam de Obedientia Doctrinam. Quæ argumenta etsi erant futilissima; tamen quòd à Sacerdote in specie sui compote, ritè ac legitimis adhibitis iuris formalis ad sacrum Tribunal deferrentur, qui ei præsidebant Patres Purpurati, ac Prælati reliqui ad fidem suam pertinere arbitrabantur ea expendere, ac sine præiudicio considerare. Quare illi, & interdum ipse Pontifex, ea Generali Societatis proponebant, & quid contra opponeret scisitabantur. Sed nihil magis valuit ad istorum sophismatum vulgo traducendam vanitatem, quam capitis vnde protestati Præpositorum priuilegio exemptus, velut Timon quidam Misanthropus, tristissimus, & suspiciosissimus virorum; & quotidianis ad sacros Quæsitores libellis alios aliosque domesticorum, deferebat grauissimè indignans si non statim, vt in Santandero factum nouat gauisus, in publicum carcerem traherentur quos ipse accusasset. Tædere cæpit post aliquam experientiam grauissimos illos viros querelarum leuis hominis, atque vt multis ex signis apparebat, diris intemperijs iactati. Ergo ægriùs admittere, frigidiùs audire importunè de more ventitantem; ac cum iam non priuatos quospiam è numero domesticorum, sed capita ipsa, procereseque ac Summos Præpositorum criminaretur, vultu ipso, ac nutu aspernari. Quæ ille, vt erat supra modum irritabilis, ac præceps, nec ferre, nec dissimulare valens, primùm quidem partes inuadebat Iudicum, condemnans quos detulisset; ac Paulum Hoffæum, exempli causa, Assistentem Germaniæ, quem frustra denunciasset, excommunicatum palam pronuncians: in quo erat tam vecors, vt mensam domi communem adire recusaret, si sedentem ad eam Hoffæum esset conspicatus, quod excommunicato conuesci se nolle diceret; id enim sacris Canonibus vetari. Ac pari furore cœtum domesticorum quotidiè certâ horâ celebrari solitum iussu Generalis, Deo propitiando in tot hisce Societatis periculis extraordinariâ recitatione certarum litaniarum, ipse vnus refugeret, causatus eas preces contra se indictas. Paulò post hæc palam obtrectare Cardinalibus cæpit quos rabiosis suis criminationibus minus credulos minusque morigeros experiretur. Hi cum amentes eius voces ipsos culpantis, & conniuentiæ in grauissimis delictis, ac in sui muneris functione ignauæ negligentiæ temerè damnare ausi, satis ex multorum, qui audierant, testimonijs cognosset, corripi hominem iusserunt, & in Sacræ Inquisitionis carcerem compingi. Hic ille interrogatus à legitimis eius loci Ministris, adeò præterita non emendauit, vt pernicioſiùs rueret, Sanctissimum ipsum Dominum Sixtum V. Pontificem maximum, & Christi Vicarium calumniari atrociter non verens, & impudentissimè reprehendere. Luisset pœnas tantæ temeritati debitas præceps homuncio, nisi amentiæ miseratio seueritati obstitisset. Satis visum supplicij, detinere Insanum perpetuis vinculis, interimque allidentem parietibus caput, ne suæ ipse vitæ vim afferret, prohibere: quoad paucis post mensibus, anno

16 Iuliani Vincentij prolapsio per gradus.

17 Iulianus conijcitur in carcerē

18 Et ibi moritur.

anno sequenti, ærumnosæ custodiæ finem infelix ibidem moriens inuenit. At Santanderus insidijs Vincentij tractus in carcerem; paucorum ibi spatio mensium aliquoties interrogatus, ita satisfecit, eaque innocentiæ suæ, ac rectæ mentis dictis factisque specimina edidit, vt ijs diligenter obseruatis, qui sacro causarum Fidei Tribunali præsunt, maturè remittendum domum, etiam ante plenam, iuxta receptas eius fori formulas, absolutionem causæ, censuerint; non sine adiuncto testimonio elogioque præclaro sanæ Doctrinæ, ac probitatis viri. Longè is aberat à sententia eorum, qui res nouas moliebantur in Hispaniâ. Quare audita illic eius comprehensio spem illis addiderat, & alacritatem cæpta vrgendi, quæ vtraque nunciatâ postea eius in integrum restitutione honestissimâ, Vincentijque Sycophantæ miserando exitu, non parum refrixerunt. Obseruare hîc iuuat Dei è tentatione profectum elicientis beneficam in Societatem prouidentiam. Obedientiam, primarium & solidissimum disciplinæ omnis nostræ fundamentum succutere hostis Bonorum malus Dæmon hoc excitato domestico calumniatore tentarat. Contra autem accidit, diuino vtique beneficio, vt successu ipso, ac catastrophe infelicis illius, saluberrimo cunctis exemplo sanciretur obedientiæ in Societate vtilitas atque necessitas. quippe cuius defectum manifeste apparuit, Miserrimo illi perniciosissimum fuisse. Si enim ille cum insanire Burdigalæ cæpit, Protasio Prouinciali Ordinis Minorum Viro reuerendo, probatæ religionis sanæque Doctrinæ, temerè, vt retulimus, accusando, in Moderatorum domesticorum errorem illi suum benignè monstrantium, potestate fuisset; ac non contra, iudicium suum falsum, ac temerarium sapientibus ipsorum monitis præferens, vim sæuam in ipsos conuertisset, Prouincialem quoque suum Lohierium in crimen calumniosissimè vocans; haud quaquam in tantam væsaniam deuenisset, vt Sanctum Ignatium autorem Epistolæ de Obedientiâ, damnare hæreseos auderet; indeque gradu facto venerabiles Ecclesiæ Doctores Sacri Tribunalis Iudices, ac Senatus Apostolici Purpuratos, postremò quòd mentione ipsa execrandum est, Christi Vicarium fanaticis maledictis incesseret. Illius olim à Diabolo seducti pseudomonachi dementiam imitatus, de quo S. Dorotheus testis oculatus memorat a. Primum eum cunctos, qui superiores ipsi in congregatione videbantur superbè contempsisse, præter vnum inter ipsos eminentem Zozimam. Deinde hunc quoque aspernatum, cunctosque pariter, præter vnum Sanctum Macarium; paulò post Macarium quoque reijcere cæpisse, solos aliquo se in pretio habere iactantem Magnum Basilium, & Gregorium Theologum; quos denique ipsos nauseauit, Petro ac Paulo principibus Apostolis vnis se credere professus. Neque hîc miser constitit; nam & horum pertæsus soli Sanctissimæ Trinitati se se acquiescere mentemque, ac iudicium proprium subijcere iactabat. Donec ad extremum expedito in horrendum blasphemiæ barathrum saltu, Deo quoque ipsi optimo maximo obtrectare sceleratissimè cæpit.

19 Santanderus liberatur honorificè.

a S.Doroth. Doctr. 2. de Humilitate.

Inter vrbanas hasce molestias, in ædem Recinetensis Collegij, quæ Sancto Martyri Vito sacra est, quædam Diui eius reliquiæ, & aliorum Sanctorum, magnis honoribus, festaque Ciuitatis, & omnium Ordinum gratulatione illatæ sunt. Sancti Viti sacra Lipsana spectatæ virtutis, primæque Neapoli Nobilitatis femina Lucretia Caracciola donauit. Eadem pompa in Collegij Maceratensis templum ab templo principe dono Antistitis Galeatij Moroni ex inclyto S. Vrsulæ comitatu translatum est caput. Hoc anno duo in Sicilia recepta Collegia, Minæi, & Calataneſettæ, de quibus insequenti anno dicetur. Vercellense ab templo, & domo Sancti Petri, quæ minus erant culturæ Ciuitatis idonea, ad templum Sanctissimæ Trinitatis, ac domos adiunctas migrauit: quæ Pontifex Sixtus attribuit, Ciuitate ipsa curante, studio maxime

20 Exempli Vincentiani vtilitas ad meritum obedientiæ intelligendum.

21 Reliquiæ donatæ Collegio Recinetensi. Et Maceratensi.

22 Minæense, & Calatanesettense Collegia recepta.

23 Vercellense Collegium mutat situm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

xime Felicis Bertodani Abbatis, & Philiberti Burontij Præpositi Sancti Eusebij Vercellensis. Duo ibi nunc primum auditoria discentium instituta.

24 Missionis Cretensis initium.

Inchoata est Missio Cretensis; Petrus Carrara Patauinus, qui ab arcanis Venetorum Legato, tum Cardinali Comensi fuerat, vir prudens, ac pius, Rethimi (quod & Milopotamum est) creatus Episcopus, reperit totam Insulam animorum auxilijs plurimum indigentem. Cuius in leuamentum, cum Romam yenisset, magnis precibus institit à Pontifice, vt duo Societatis Collegia in ea condi vellet. Probauit Consilium Pontifex: sed cum res in promptu non forent iustis sustentandis colonijs, quatuor impetrauit dumtaxat Socios, qui temporariam stationem haberent. His præfectus est Franciscus Massarellus: quibus subinde accessit Philippus Triuisanus, quem Io: Baptista de Monte, Venetorum militiæ Præfectus, Cretenses Arces, & præsidia inspecturus, viæ comitem, & Confessarium impetrarat. Oprime cesserunt initia. Non cessatum ab consuetis per Italiam excursionibus, euentu vti semper egregio. Inde & laborum finem Philippus Caponagus felicem adeptus. Postquam

25 Mors Philippi Caponagi.

Centurionis Episcopi accitu Sauonæ operam admirabili cum fructu nauarat, Nouariensi Diœcesi alterum iam mensem desudantem ip ipso suggestu febris aggreditur. Refertur Aronam, inque magna sanctitatis opinione, in qua à prima adolescentia in Societate perseuerarat, decedit. Fœminæ id piæ, cui Philippus à Confessionibus erat, demonstratum diuinitus ferunt. Dum preces pro illo ardenter facit, videre sibi visa est eximiæ proceritatis arborem, ramos late fundentem, quos vberrimi fructus, floresque pulcherrimi vestiebant: sed trunco mox arescente, & morientibus ramis, inde miri candoris egressa columba celeri

26 Et Marij Fabritij.

volatu subit in Cœlum. Ex medio quoque laborum cursu raptus est Senis Marius Fabritius Verbi Diuini acerrimus præco, & maxime salutaris: cui testimonium religiosæ vitæ, ac bonæ facundiæ satis luculentum, & amplum esse potest cura, ac desiderium, fide prope maiora, quibus Ciuitas, & de ægro laborauit, & prosecuta est mortuum. Ni-

27 Et Andreæ Spinulæ Rectoris Neapolitani.

hilo minorem Neapolitanis luctum reliquit Andreas Spinula. Inuaserat ibi Collegium, multosque prostrauerat vis mali contactu serpens. Inde dum suis Andreas omni officij genere præsto est, morbum contraxit: eoque patientissimè tolerato, quod magni animi, Christianæque fortitudinis exemplum ediderat septimo ante anno, ab Clericatu Cameræ Apostolicæ ad Societatem accessu, idem præbuit discessu è vita, quam libens pro suis fratribus posuit. Et fuerat vita omnis plena religiosi exempli, quam ex hoc vno æstimare profectu licet. Cum delicatæ extra modum corporis insueuisset curæ (vt fusius in loco est dictum) tamen ita se se vicit, vt in supremo morbo, cum præ imbecillitate stomachi è contusis carnibus iuscula præberentur Medicorum iussu, id contenderit studio paupertatis, & euicerit, primo, vt ex communi opsonio illa fierent, deinde vt non ex integris, & intactis partibus, sed ex reliquijs mensarum, cum diceret eas reliquias fore satis. Quod ego ab Andrea Eudæmonioanne noti ingenij scriptore, qui ægroto Spinulæ aliquandiu ministrauit, acceptum grauiterque affirmatum, prodendum censui. Demortuo successit Rector Alfonsus Agazarius Senis accitus, cum tres principes familias in ea Ciuitate, vixdum ex veteribus, grauibusque inimicitijs magna omnium lætitia inter se reconciliasset. Digni quoque memoria sunt Petrus Angelus Consul Perusinus, & Cosmus

28 Et Petri Angeli Consulis, & Cosmi Stellæ.

Stella Brixiensis: hic Mediolani dum Theologiam interpretatur, ille Parmæ dum inter cætera Aulæ Confessiones audit, vita omnium virtutum insignibus clara perfuncti. Multum debebat Petro Angelo Parma, Nobilitasque inprimis, & Principis domus, quam longo tempore ad pietatem

tatem, operâ sane, & populo, & Principibus accepta, & salutari instituerat. Professus est Euerardo Generali ipsemet, valde sibi vtilem expertum eam cogitationem, quòd semper ita Societatis obibat munera, ac si totam Societatem ipse fundasset. Eo studio orabat eo laborabat, eo corpus suum tractabat, eo denique cum proximis versabatur, & causas animarum curabat, hunc Socijs ingenerare sensum studebat. atque inde potissimum fecisse Deum existimabat, vt sibi ferme omnia recte, atque è sententia euenirent. Ibidem etiam aliquandiu Collegio ipse præfuit. Porro arcanum, vt eadem epistola loquitur, quo vtebatur ad animos Principum sibi deuinciendos hisce continebatur capitibus, Primum, inquit, non venari apud eos existimationem meam, sed eorum dumtaxat salutem. Deinde nihil vnquam, nec mihi, nec

29 Petri Angeli ratio agendi in Aula.

alijs petere. Tertio loco, limen eorum haud ingredi, nisi cum ipsorum interfit. Quarto eniti, vt autoritatem eorum, & simul meam conseruem. Quintum libertas, & veritas in ore: vt si me talem probent, talem accipiant, non aliter.

Cracouiæ in Polonia Philippus Vidmanstadius in Domo sanctæ Barbaræ, cui præerat, cursum mortalitatis peregit. Prouincialis Ioannes Paulus Campanus nunquam de eo, nisi cum magnæ virtutis elogio meminit, & mortuum nuncians, Patrem Vidmanstadium, inquit, iam liberauit Dominus Iesus; ad

30 Philippi Vidmanstadij mors, & virtutes.

se, vt Angelo aliquo, sicut erat, illo accepto. Et alio loco, abijt bonus ille, ac Pius Pater Philippus Vidmanstadius, qui febri acuta correptus Cracouiæ in Domo S. Barbaræ nocte insequente diem S. Antonij placidissime, obijt; relicto apud omnes magno sui desiderio. De eodem cum Vilnæ Cancellarium Academiæ ageret, Religiosissimus inquit, ab omnibus habetur, ac re vera talis est, omnes ædificat, laborat pro tribus; & tamen ita est in quodam nihilo sui defixus, vt nec audeat Rectorem adire, & inter fratres se peripsema existimet, neque putet se dignum nomine consiliarij Prouincialis, à quo liberari se postulat: neque titulo Cancellarij, quin etiam talem haberi se credit, qualem se ipse iudicat. Quod ad obedientiam attinet, nemo illo exactior, etiam post duodecim annorum Rectoratum. Itaque in minimis etiam rebus exemplo obedientiæ cunctis prælucet. Interdico illi meditationes animum deprimentes, ne modum excedat, lætasque propono, quas ipse quidem obedienter accipit: sed & in his inuenit suum nihilum. Hæc, & alia multa sæpe Campanus de præstanti eius viri iam matura virtute, plane consentanea testimonijs, quæ alij tribuêre adolescenti. Namque anno 1559. hæc inter præclara alia de eo Patres Austriaci prædicarunt, puritate, & studio propemodum Angelus, nobili est & indole, & ingenio præditus. Idoneus admodum ad præclara quæque studia nobis semper est visus, ac præcocis ingenij, & qui nostris semper hic instar virtutis, ac exemplar fuerit, vt nunquam satis iuuenis probitatem pro dignitate nos posse exprimere videamur. Erat Germanus ex Sueuia ex oppido Nelligensi: inde à puero studijs deditus pietatis. Verum sub annum ætatis duodecimum tumultuante Germania ob religionis res; calumnijs, & sermonibus impiorum aduersus sancta gliscentibus, cœpit abhorrere sacrorum virorum

31 Philippi Adolescentia.

consuetudinem, quam ante exoptauerat, iamque abiecto religiosæ vitæ consilio ad militarem verterat curam. Cæterum anno 1552. cum Viennam venisset, nec multo post in disciplinam Societatis traditus esset, cœpit admirari vitæ innocentiam Patrum, in quibus, vt ipsemet retulit, tanta simul eruditio, tantus animi candor, tanta libertas Spiritus, & pietas elucebat, vt totam Viennam in admirationem raperent: atque ipse quidem nequaquam vulgares homines, sed Apostolos Dei videre sibi videretur. Inde igitur pristinis sensim igniculis reuiuiscentibus, mutari animo cœpit, reuereri Sacerdotes, Sacramenta frequens obire, ad Societatem sic affici, vt vnicum solatium, vnicum haberet gaudium in Collegio obuersari. Quin nec stude-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re, nec cibum sumere, nec fere agitare quicquam iubebat. Adeo mens, cura, & cogitatio continenter habitabat in Societate, ad cuius se vitam, ac mores penitus componebat. Si quando calamitas aliqua, belli metus, pestilentia, tempestas, & tonitrua ingruerent, reputabat apud se felicitatem Patrum, qui nec mortem, nec quicquam quod mortalibus aduersi accidere potest, metuerent. Quicquid vel in concionibus, vel alibi audiebat, ad miseram, & periculosam vitæ suæ, seculique conditionem referens; hominum è contra, qui ad Religionem, veluti portum tutissimum, se contulissent, tranquillissimam, ac felicissimam vitam admirabatur. Anno tandem 1556. tertio nonas Martij Societate donatus est, cum annum ætatis ageret decimumseptimum. Expolitus in ea literis latinis, & græcis, & altioribus egregie disciplinis imbutus, cum Philosophiam Viennæ docuisset, Bransbergam translatus est. Hic varia primo munia per quatuor annos, tum Collegium ipsum duodecim annis strenue, ac prudenter administrauit. Inde ad obedientiæ nutum Viennam, postea Cracouiam abijt, vbi peregrinationem vitæ mortalis bene, atque feliciter clausit. Grauis, ac pestilens in Septentrione fuit annus. Polonica Collegia fere omnia, paucis qui vrbibus inseruirent domi relictis, in salubriores plagas disperia: & vbique se Religiosi præbuere incolis salutares, & benignitatem vicissim incolarum sunt experti: memorabili ante omnes pietate Alberti Zaianskonij Abbatis, qui socios ex Posnanensi Collegio sexdecim ad se accitos, multos menses perinde habuit, ac si suo in Collegio degerent. Singulare visum est in Bransbergenses diuinæ clementiæ pignus: quod cum vndique lues Vrbes circumiectas, pagosque depasceret, & ipsa Bransbergæ suburbia, nunquam intra mœnia penetrauit. Tributum id est pietati Seminariorum, quæ Orationem Quadragenariam in Orbem toto periculi tempore continuarunt: adiecta etiam voluntaria supplicatione. Tyrocinij etiam Cracouiensis habitum est singulare priuilegium, quod cum nuper in armorum strepitu militaris licentia obuia quæque vastaret, ferret, ageret; fundus eius Tyrocinij, tanquam nota salutis consignatus, ne Angelus percutiens eum contingeret, quamuis multa haberet quæ raptorum inuitarent cupiditatem, inter vastata, ac direpta circa omnia intactus relictus est.

32 Ingressus in Societatem, & vita in ea.

33 Socij ex Collegijs Polonicis pestilentia dispersi.

Ad componenda ex noui Regis cooptatione dissidia missus à Pontifice legatus Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, qui dein Clemens VIII. Pontifex fuit, Poloniam omnem exhilarauit. Quo die Cracouiam venit in occursu Regio, totoque inde celebritatis tempore, prope Lunam recentem clarissima emicuit stella, quam populus vniuersus haud sine lætarum auguratione rerum lætus aspexit. Si quid natura maius interuenit, haud absimile vero est Pontificatum Cardinali, ad quem hæc legatio gradus fuit, & forte etiam Sigismundo incrementum Regnj præmonstratum fuisse. Claudius Generalis tum muneris, tum hominis causa, atque etiam ob caritatem, qua olim Ioannes Aldobrandinus Cardinalis Hippolyti frater Ordinem nostrum vnice dilexit, cum alijs, quacumque haberet iter, tum maxime Prouinciali Campano præcepit, vt quantum instituta paterentur, Legato Societas omni ope, ac studio præsto esset. Itaque nulla in re cessatum est: nec solum prompta fuere obsequia, sed etiam pondus habuere, vt non satisfactum modo Legato sit, sed fortasse etiam nimia visa potentia Societatis: cuius quidem labores ita ipse deprædicabat, vt vbi ex Italia excessisset, quicquid in Prouincijs, & vrbibus obuijs fieri ad sustinendam, & alendam pietatem vidisset, ab Societate diceret proficisci. Ægre tamen visus erat ferre cum ab Vrbe discederet, quòd Posseuinum ei comitem, vti flagitabat, Claudius Generalis negasset. Non cælauit tum Claudius, quam parum apud multos Posseuinus gratus esset, quam obesse legationi potius, quam commoda-

34 Stella noua in Polonia conspecta.

re

re posset, pro fama iam, & opinione inolita, omnia eum ad Suecum trahere: si quid vero ex vsu, quem illarum haberet rerum Posseuinus commodi posset percipi, id per literas posse repræsentari. Quod & factum est cumulate, nec tamen Legato penitus satisfactum, quia ipsemet ire permissus non est. Ita homines conantur nos rapere in publicas res, ac postea tanquam nos ipsi in eas velimus irrumpere conqueruntur. Porro Rex Sigismundus clariora in dies præbebat pietatis, & optabilis administrationis pignora. Concionatorem sibi Petrum Scargam poposcit, cum diceret educatum se ab Societate, nolle Patres suos mutare. Et sane ad cuiusuis eorum conspectum, non secus quam si germani sibi essent fratres afficiebatur. Scarga, & Bernardus Golinius, qui Regis iam inde ab Suecia audiebat Confessiones, eius ad obsequia, quocumque iret sequebantur: quos etiam atque etiam monuit ab vrbe Claudius, vt regia consuetudine, & benignitate, quam parcissimè vterentur. Inuidiosa enim esse talia, sermonumque, & criminationum segetem. Multò vero maxime abstinerent ab attingendis Regni negotijs: immò etiam omnem eius rei speciem, ac suspicionem, quamuis falsam vitarent. Cum in eo genere, quippe quod in opinione hominum situm est, ita ferme noceant falsa, vt vera. Eosdem frequenter loci sui, & muneris Prouincialis admonebat, vt quò conspectiore in statione agitabant, eò sæpius cogitarent se spectaculum factos Mundo, & Angelis, & hominibus: vitamque sic instituerent, vt imaginem religiosæ vitæ, propriæque hominum Societatis, ante oculos omnium ponerent: in Aula seculi, Christi se aulicos meminissent: eò magis intenti lucris animarum, quò maior præbebatur occasio plures Deo lucrifaciendi. Et quidem eos, ex quibus recte cultis plurimorum deinde adiumenta penderent. Denique semper se tanquam pereuntium animarum Asylum, totiusque Aulæ Sacrum condimentum præberent. Ostendit suam Rex non modo caritatem, sed etiam constantiam in defendendo Polocensi Collegio, cui attributum à Stephano Rege Oppidum nomine Elcimannam, Nicolaus Monuidius Dorostaiski Palatinus Polocensis, Caluini perdite sectator, inuaserat. Misit ad hunc Sigismundus ex Aula virum nobilem, grauiterque iussit, tum raptis cedere, tum in posterum ab vexando Collegio abstinere. Volebat Rex etiam Rigenses restituere Patres: verum cum etiamnum cruda res videretur, iussit eos perseuerare in Arce, commodiore etiam diuersorio attributo. E Iaroslauiensi Collegio Benedictus Herbestus in Voliniam profectus, more suo late salubres labores sparsit. Duxit hominem secum Bernardus Maciejoskius Episcopus, alter Fundatorum Lublinensis Collegij, dum suam Diœcesim Luceorienscm inuisit. Itaque Luceoriæ, quæ Voliniæ prouinciæ caput est, Torcini, Olicæ, Brestæ, Ianouiæ, alibique confessiones audiendo Catholicorum, Sacerdotes erudiendo, Ruthenicos, & hæreticos ritus confutando, corroborando Orthodoxos, exemplum vbique Sacerdotis impigri, & innocentis ostendendo, dignum opera pretium tulit.

35 Cardinalis Aldobrandini in Poloniam Legati parum bene uolus in Societatem animus.

36 Sigismundi Poloniæ Regis amor in Societatem.

37 Monita Generalis ad nostros, qui in aula eius erant.

In Transyluania non solum Claudiopoli, Albæ, & Varadini, vbi Societas stabiles habebat Sedes, sed longe, lateque per excursiones diuina res prosperè gerebatur. Ad Siculos magno operæ successu Matthias Tomanius excurrit. Marcus Siscensis in Oram Turcæ subiectam. Giulam primum est à Varadino Turcarum oppidum. Hinc ad Patres Varadinum legati venere Christianorum ibi residuorum nomine, Sacerdotem Catholicum omnibus precibus postulantes. Cumque responsum accepissent, sine voluntate Turcæ Præfecti suscipiendum iter non videri, paucis diebus cum literis ab eo publicæ fidei redierunt. Tum Marcus, qui domicilio præerat, nec deserenda tanta studia ratus: nec periculum si quod res haberet Sociorum alij cedendum, Giulam ipse contendit. Catholici velut lapsum è Cœlo hominem excepere. Ad Beëgum (ita Præfectum appellant) deducunt.

38 Sigismundus Rex Polociæ se Collegiũ protegit.

39 Benedicti Herbesti vtiles labores.

40 Missiones per Transyluaniam fructuosæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducunt. Is comiter pauca percunctatus, tota suâ ditione securum agere, quæque nostræ fidei essent docere iussit. Tum Pater percursare totum tractum, sacra facere, concionari, baptizare, aliaque ministrare Sacramenta. Magno gaudio afficiebantur, parique admiratione exiguæ illæ Catholicorum reliquiæ, sumebantque animos, & erigebantur aduersus hæreses, ac veluti terra ex longo sitiens, auide quæ dicebantur, auribus & animis hauriebant. Accedebant & Hæretici, orthodoxamque probantes doctrinam, se nunquam talia audisse memorabant. Vbi auditum est de confessione (nam fere iuuentus quid Missa, quid confessio, quid sacra communio esset, funditus ignorabat (ita paulatim cultorum inopia nostraque socordia vinea Christi syluescit,) tam alacres accurrebant vt Sacerdotem multitudine prægrauarent. Illud maxime erat acerbum, quod Ariani, & Caluiniani destitutum Pastoribus gregem inuaserant lupi: tantum Franciscani de Obseruantia, quorum nonnulla haud procul extabant cœnobia, per aliquos excursus fecerant, ne penitus religio sancta ijs locis extingueretur. Plerique è populo rectos, vti à maioribus acceperant, ritus tenebant, quos internoscere à falsis, ieiuniorum maxime solebant vsu. In eo tractu, qui inter Chrisium, & Marusium amnes interiacet, Ciuitas erat præcipua nomine Machoum, vbi duo erant Parochi, alter Caluinista, alter Arianus (nam Catholicus sexdecim milliarium Hungaricorum spatio nullus inuentus est) qui frequenter inter se de suis falsis dogmatibus in eodem templo decertabant. Quarta pars oppidi erat Catholica. Hi insperato Patris aduentu exhilarati, serio agitare cœperunt de Societate eo accersenda, & excitanda schola Catholica, cum eo tempore solum docerent Hæretici, à quibus pueri non tam literis, quam veneno impietatis imbuebantur. Nullus erat metus à Turcis, quin potius hortabantur ipsimet Catholicos, vt Sacerdotes sibi religionis suæ curarent: nempe ne sedem sacrorum causa mutantes Machoi solitudinem facerent. Itaque Marcus non plenus modo fructuum ex ea peregrinatione domum, sed etiam maxime animatus ad eodem sæpius recurrendum, & stationem Societatis Machoi curandam reuertit. Ergo aperiebantur albæ vndique regiones ad messem, iamque idoneus succrescebat è Seminarijs numerus operarum, & lecta in Societatem soboles transibat (nam nouem hoc anno recepti Tyrones egregij, quorum pars Romam missi); cum lætas adeo progressiones Satanas, eiusque Satellites ferre diutius nequiuere. Ergo ad perdenda omnia summo impetu, neque eo irrito coniurarunt. Præuiderat hosce motus sapientissimus Stephanus Rex; ideoque præter alia hortamenta, in ipso quod postremum edidit testamento, vti supra narratum est, his Orationem ad Sigismundum verbis conuertit. Ad te redeo Carissime Nepos Princeps Transyluaniæ Sigismunde Battori, tibique inprimis Collegium Claudiopolitanum & Albense lego, & committo. Quæ Collegia Pater tuus, & ego fundauimus proprijs ex facultatibus nostris sine cuiusquam iniuria. Quæ ita tuearis, ac defendas, quatenus animæ tuæ, patriæque cui præes, salus tibi cara est. Non deerunt puto Ariani, atque in primis Colosuarienses, qui ea euersa velint. Fauebunt ijs Senatores tui omnes aut Caluinistæ, aut Lutherani, nec deerunt opportunitati iuuenes, aut aulici, pariter hæretici, qui tibi adulantes procaciter in eos inuehentur, animum tuum transuersum rapient. Sed si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia, feruore zeloque pietatis magis magisque pijs hominibus contestata. O vtinam potuissem, vel in hoc solum meæ in te pietati satisfacere, vt si non omnes, saltem paucos tibi intimos Consiliarios & cubicularios Catholicos, & pios dare potuissem; tibi ornamento, mihi securitati fuissent. Sed ea ibi est temporis, & morum peruersitas, vt omnes declinauerint, varijsque hæresibus imbuti, Atheismum plerique spirent. Quo difficilior igitur tibi restat concertatio, eò

41 Christiani subiecti Turcis confirmati, & adiuti Sacramentis

42 Monita Stephani Regis ad Sigismundum Fratris filium Transyluaniæ Principem.

eò maius tibi præmium, & laus sempiterna. Igitur vti præuiderat Rex machinas omnes Hæretici admouere Proceres, vt ad suas partes Sigismundum pertraherent, & omnem Transyluaniam Societatis nudarent præsidio. Nullum faciebat vnquam Demetrius Arianus superintendens finem Claudiopoli vociferandi, Idololatriam magno labore è Regno propexactam; iam non paulatim, sed aperuatim magno successu regeri: maturandum antequam serpat longius, & radices propaget altius. Collegium illud Claudiopolitanum, illa Seminaria, & contubernia, idolomaniæ cubilia esse. Per literarum nomen circumueniri iuuentutem, papistica dogmata, Papæ tyrannidem inuehi. Hæc, aliaque atrociora assidue priuatim, publice, magnæ, ac minutæ Nobilitati occinens in conuentus publici tempus præseminabat inuidiam, odia irritabat: haud dissimilia Caluinianis quoque declamitantibus. Maio interim ineunte prouincialis Engedini habetur conuentus, & Demetrij vocibus instincta Nobilitas, contendit à Principe, vt ante omnia de religione agatur: dudum id prætermissum negotium, quod semper æquum sit alijs præuerti, difficilius fieri in dies; Sinat tandem conscientiæ quemque suæ consulere. Nihil cum impetrarent, id vrgere perrexerunt, vt ea res ne vltra conuentum proximum differretur. Ita conuentu dimisso, magnus omnibus bonis merito timor incessit. Nam causa religionis alia non erat, quam de Societate pellenda. Deinde in proximo generali conuentu accepturus Sigismundus regni gubernacula putabatur, vti euenit: perque eam occasionem verosimile erat adnisuros Hæreticos, vt in conditiones, quas libitum ipsis foret, adolescentem adigerent. Ad hæc in Poloniâ Regni res confirmatæ iam satis erant, vt nihil metuendum esset, ne suo Principi quicquam earum respectu incommodarent, si quid contra Catholicos statuissent. Adiecerant etiam oculos in bona Societati attributa. Denique eò ætatis, ac Doctrinæ venerat Sigismundus, vt putarent hominum religiosorum opera facile posse, fortasse etiam velle carere. Quin potius ipsummet, quod olim in Ioanne Regulo fecerant, ad suas partes haud ægrè pellectum iri, si hominis cuiuspiam famosi disciplina, aut certe consuetudine illigarent. Hac spe Ioannes Getzius Regni gubernator, Ioannes Galfius Marscalcus, & Volfangus Cancellarius Principem consensu adoriuntur: atque vbi magnis laudibus onerauere Michaëlem Brutum hæreticum, & apostatam, vehementer hortari insistunt, vt hominem in gratiam suam recipiat, & antiquorum res gestas interdum ex eo, tanquam ex fonte hauriat: dignum esse cuius eloquentiam, & eruditionem degustet: nec vllum Bruto cum Patribus Societatis fore dissidium. Quibus respondit; nec adhuc defuisse sibi, nec in præsenti deesse fontes, vnde rerum varietatem, solidamque Doctrinam sine hæresum fæce hauriret. Atque vt ea res Patres nihil tangeret, tamen sibi decorum non esse hominem hæreticum, eius præsertim scientiæ causa, quam ipse, vel abundè nosset, vel non tanti faceret, in gratiam accipere: studijs, curisque grauioribus malle tempus impendere. Ita cum homines reiecisset, totum certamen suo mox magistro per epistolam declarauit, hac apposita clausula: Iam facile poteris conijcere, qui simus futuri in religione Catholica defendenda, & propaganda, cum tam fortiter, & constanter, (liceat nobis aliquid, mi Pater, de nobis prædicare) restiterimus eorum conatibus. optime Vale Albæ Iuliæ XII. Iulij. Nec tamen destitere Consiliarij fallaces eniti, vt Brutus saltem nomine absoluendæ Vngaricæ Historiæ acciretur. Sed in eo quoque in præsentia frustra fuere. Rebus adeo turbidis, quo grauius impendebat discrimen, hoc impensius, & in Transyluania, & in cæteris Prouincijs, re Generali Præposito nunciata, placando Deo insudatum est. Tamen non defuere in Collegio Claudiopolitano quidam, qui nec erga Rectorem consueto Societatis

43 Demetrij Ariani in Societatem declamationes.

44 Periculum Societatis in conuentu Transyluaniæ.

45 Hæretici conantur Hæreticum hominem Principi Magistrum obtrudere.

46 Constantia Principis in eo recusando.

47 Domesticæ imperfectiones causæ cladis publicæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis obsequio, nec solita inter se caritate vsi, cum ne ipse quidem Rector exemplis satis rectis præiret, visi sunt nonnullam iræ cælesti causam dare. Et Albæ Stephanus Arator dum feruidius, quam consultius pro concione agit, offensionem Nobilitatis hæreticæ haud leuiter incitauit. Erant Cancellario impubes duo filij, quos de industria solebat Mater in ædem sacram immittere, vt concionanti Stephano obstreperent. Obsequebantur egregie loquaculi pueri; ac discursantes, & nunc ad hos nunc ad illos itantes nobilium, blanda garrulitate plerosque, interdum ipsummet Principem auocabant. Quam iniuriam Domus, Verbique Dei, & iacturam sacræ sementis cum ægre ferret Arator, post aliquantum patientiæ erupit; proque concione famulis, qui pueros introducebant mandat, continuo educant è templo, neque id temporis amplius introducant: qui cum paruissent, Mater femina impotens indoluisse ita dicitur, vt cum postea ad Megensia profecturus esset Comitia Cancellarius, aduoluta genibus institerit obsecrare, illatam vt communibus liberis contumeliam vltum iret.

Interim rursus Engedini ineunte Nouembri Prouincialis habetur conuentus. Multis diebus à Caluinianis, & Arianis acriter declamatum, vt tandem religionis causa tractaretur, & Societas, vt Idololatriæ Seminarium exturbaretur è Regno. Lutherani fuere modestiores; quin apertè significarunt, nullo iure posse Societatem pelli: seque si mutandum quid esset, ad Catholicos ante omnes ritus transituros. Haud indormiendum causæ rati Patres, adfuere Engedini Proprouincialis, & Claudiopolitanus Rector, Emmanuel Vega, & Arator: qui vbi videre adeo pertinaces aduersariorum conatus, postulatis criminibus, quæ obiectabantur, vt respondere de more possent, cum ea nulla darentur, pridie Nonas Nouembris hunc in modum coram Principibus è scripto, quod deinde etiam tradidere, alloquuti sunt Sigismundum. Ea Princeps Illustrissime, vitæ quam nos profitemur conditio est, vt non multum nostra intersit vbi terrarum simus, cum perinde patriam vbique, & nusquam habeamus. Si Transyluania eijcimur, paratæ sunt cum alibi, tum in Polonia Sedes, & ipsa nunc Hungaria amplum adornatur Collegium, vbi cum animarum commodo fortassis maiore, certe nostro cum minore periculo, operam Deo, publicæque rei pro nostra tenuitate nauemus. Itaque potes certum habere, si de remansione hic nostra contendamus, non quæri à nobis, quæ nostra sunt, sed quæ Christi IESV, quæ ad salutem, decus, emolumentum Celsitudinis tuæ, & Regni huius maxime faciunt. Ad hæc constantia postulat, vt recte cæpta non deserantur: & Christus Dominus cum voluit transire Apostolos de domo in domum, multo magis ostendit non leuiter migrandum è Regno in Regnum. Has ob res nisi Præpositi nostri reuocemur mandato, vel alio iusto compellamur imperio, deliberatum, ac fixum habemus stationem hanc nullo modo deserere. Quod enim potest, vel simulacrum iuris obtendi cur solum mutare cogamur? aut cur donata nobis bona eripiantur? Anno 1579. Parens tuus vir clarissimus Christophorus Princeps ad se se nos euocauit: & Patruus tuus maximus, ac fortissimus Poloniæ Rex Stephanus misit. Anno inde 1581. ab vniuerso Regno in generali conuentu recepti sumus, ac possessionem Monostori, & adiunctorum pagorum, monasterijque, & scholarum Claudiopoli, nullo prorsus aduersante, iniuimus. Hæc adeo certo iure accepta, tandiuque pacate possessa, nisi quid à nobis tam atroci dignum pœna commissum ostendatur, sine barbarica iniuria auferri non possunt. At crimen ne inimici quidem certum vllum proferunt, nec, Deo gratia, subest: Nam religio obiectari non potest, pro Catholicis enim inde ab initio admissi sumus. Atqui si sectæ aliæ tam multæ, licet deterrimæ tolerantur in Regno, an æquum est non habere ibi locum religio-

48 Oratio PP. Societatis ad Principē in Comitijs Transyluaniæ.

gionem Catholicam superioribus omnibus Comitijs approbatam, quam totis sexcentis annis iam inde à Sancto Stephano Rege primo Hungari cum reliquo orbe Christiano amplexi constantissime coluerunt? Quod si volunt in Transyluania æquam cuique religionis libertatem esse, cur eam Catholicis denegent, quæ ne inter Turcas quidem eripitur? Si cuiuis nobilium licitum est suæ religionis administros habere, quid est causæ, cur idem tibi nolint licere? Qui sua tantopere iura conseruata volunt, cur tua tibi ereptum eunt? Res certe hic, Optime Princeps, verbo nostra, re tua agitur. Nihil dico de Præceptoribus, & Concionatoribus tuis, quibus secundum parentes, vel etiam ante parentes deberi sapientes monent, quam tuæ æquitatis, & clementiæ sit, eos procul ab iniuria conseruare, cum conseruare omnes debeas: Tuum est Patris, Patruique tui clarissimorum virorum, & sapientissimorum dignitatem, placita, acta defendere. Cum igitur plane compertum habeas, quam illis cordi fuerit Ordinis huius in Transyluania collocatio, quanta voluntate, atque constantia aluerint eum semper, protexerint, exornarint: quale denique supremis mandatis de eo iudicium Rex fecerit, quamque te vltimis verbis obtestatus sit, debes profecto, Illustrissime Princeps, nullo modo permittere, vt tam constans eorum voluntas pro vana, ac fatua, contemptui, ac ludibrio sit. Quid? Illud ne placet introducere exemplum, vt quæ ab vno Principe constituta sunt, ea vix dum illo è conspectu sublato irrita fiant? Detur hæc licentia, tanta præsertim in re, tamque firma, atque fundata, nihil profecto reliquum fiet stabile: nutabunt omnia, & conuellentur, & corruent. Violentur nostra priuilegia tam rata, & solida, equidem miror, qui hoc vrgent, non videre, quam sibi ipsi faueam faciant. Nos, Deo bene iuuante, nouem per annos ita versati in hac patria sumus, vt læserimus neminem, prodesse omnibus studuerimus. Te ipsum ab incunte ætate cum in pietate, tum in artibus honestis, pro nostra virili instituimus: iuuentutem Transyluanicam ad omnem humanitatem informare conati sumus: Catholicorum reliquijs consolandis, ac Verbo Dei, & Sacramentorum administratione pascendis per pericula assidua, per ærumnas, ac vigilias præsto fuimus. Vectigalibus, quæ nobis donastis non ad luxum sumus abusi, sed ad iuuenum è vestris pauperum subsidia, & ad virorum doctorum alimenta, ad templorum, ac scholarum ædificationem contulimus. Si hæc crimina sunt, inficiari non possumus talia à nobis commissa. Si quid præterea aduersarij criminantur, palam afferant, iudicioque disceptent, tum si libet eijciant nos, ne si indicta causa pellamur, eiecti per tyrannidem videamur. Nam quod quidam nos, cæterosque Catholicos Idololatriæ accusant, parati sumus siue concione, siue disputatione, seu scripto malint, palam facere omnibus nequaquam Idololatras nos, sed qui aduersas sectantur partes, eos plane hæreticos, impios, & atheos esse. Præterea tecum ipse, Princeps Illustrissime, pro tua sapientia reputa, quanto ornamento, fructuique (absit verbo inuidia) Societas huic Regno sit. Nomen tuum, patriæque huius apud Pontificem summum, & alios Europæ Principes, apud Æthiopas, & Indos, nouumque Mundum celebre factum est. Noster Ordo toto Orbe terrarum sparsus est, vt facile per eum Transyluania cum reliquis Regnis coniungi notitia, & quadam societate possit. Quis non videt, quam sensim rectæ teneræ ætatis institutio barbariem quandam morum abstergat? Quam prope sit, vt nouus, seu Iudaismus, siue Ebionismus, quem plerique omnes huius Regni Proceres, meritò oderunt, stirpitus euellatur? Vides præterea quanti sumptus facti sint in Academia (qualis nunquam in Regno Hungariæ fuit) excitanda, quanta mole ex Hispania, Italia, Germania, & Polonia idonei viri ad eam instituendam, & post acceptam ex peste cladem, restituendam, accersendi fuere. Igitur sapientissimis viris, pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

triæque suæ amantissimis, Patri tuo, Patruoque, ac toti Regno hæc fiet iniuria, vt tot, tantique conatus, & sumptus, inanes, & cassi reddantur? Quid Seminario fiet, quod à Rege eodem, Summoque Pontifice institutum, luculentisque instructum reditibus, tantum huic Regno, & splendoris, & commodi affert? Hic tenuiores è nobilibus, hic alij bonæ spei adolescentes in omne posterum tempus ad omnem humanitatem liberalibus disciplinis gratuitò excoluntur, qui ad id tempus, vel per inopiam, rudes, ignari omnium rerum consenescebant, vel, haud sine magna, & patrimonij, & morum iactura, ad exteras nationes studiorum causa mittebantur. Hæc subsidia morum, hæc ornamenta Regni, hæc domicilia sapientiæ, quæ omnibus votis, & opibus expetenda, & conquirenda forent, si abessent, vltro donata, tantum prouecta, adeo florentia, semper in dies proficientia dissipabuntur? Et potest quisquam amans patriæ videri velle, dum patriam sic oppugnat? Considera ergo, Princeps, quæ causa, & quorum agatur. Proscriptiones, exilia, rapinas bonorum, in summa mortes religionis causa Christi famuli in lucro ponunt: nam cedit ijs tandem in victoriæ decus quicquid aduersarij moliuntur in pœnam. Verum Celsitudo tua, & Transyluania vniuersa apud Christianos Principes, qui & pietatem Regis Stephani, & Societatem perspectam habent, vt leuissime dicam, non bene audiet: neque impietatis, inconstantiæ, crudelitatis, extremæque barbariei notam effugiet. Quicquid sit, rite coram te, & Magnificis Consiliarijs, regnoque vniuerso contestamur, nos partibus nostris nolle deesse: Te ipsum nobis à parente tuo sanctæ memoriæ Principe Christophoro, & à Patruo Sereniſſimo sæpe, atque etiam in supremo vitæ actu vnicè commendatum, in hoc præsertim lubricæ ætatis ambiguo, nullo modo destituere velle, ac prodere, sed quacumque possimus ope, salutem, dignitatemque suam paratos esse defendere. Denique stat sententia ex Transyluania non discedere, nisi, quod nostri Ordinis alij in Anglia consequuti sunt, pro Christo, & Catholica fide mactemur; seu certe nisi iusta electionis causa proferatur: ne quid per Tyrannidem fiat, ne & ipsi videamur te ad vim, & tyrannidem instituisse. Satis per se animatus erat ad defendendam, & suam, & religionis causam Sigismundus, nec parum animi hac oratione accessit: iurasse dicitur se cum Societate pariter, vel occasurum, vel discessurum. Id quidem scripsit ad Prouincialem Campanum, se Patres, ac religionem, vel cum Regni, & vitæ suæ iactura tegere conaturum. Conterruit etiam aliquantum aduersarios in tuendo suo iure Patrum constantia. Cæterum adeo multorum è nobilitate mentes pertinacia obdurarat, & quidam quasi furor impleuerat, vt tanquam Sacramento conuenerint, se consuetum vectigal Principi non ante soluturos, quam de religione statueret. Cumque ille rem in proximum reiecisset generalem conuentum*, pessimo exemplo, se quoque ante eam diem pensuros tributum negarunt. Cum hac hæreticorum contumacia, & Principis fortitudine discessum, generalibus Comitijs in vltimam sacri Aduentus Dominicam indictis; breuiore solito die decreta, quo maioribus nostri includerentur angustijs, neu Cardinalis Battoreus, qui aduentare dicebatur, occurrere ad tempus posset. Tanto instante discrimine Transyluani Patres vno è Socijs magnis itineribus misso, de rei statu Prouincialem admonuere, orantes, vt si fieri posset, ipsemet aduolaret. Tum impense ad Numen placandum adiectæ curæ: omnia vbique pietate feruere. Ipsi Catholici Claudiopoli, Albæ, Varadini, alijsque in Oppidis, & Pagis nihil in se sæperitatis, nihil religiosi piaculi prætermittere. Academici Claudiopolitani precationem habere perpetuam, quam toto sesquimense continuarunt, cum vnum diem Sodales B. Virginis, alterum Seminariani, tertium cæteri Discipuli delegissent. Ad hæc sacris quibusque diebus habitæ supplicationes ordine procedentium, & præter quotidianas priua-

49 Fructus eius Orationis in Sigismundo.

50 Hæreticorum contumacia.

51 Catholicorum feruor.

priuatim pœnas susceptas, aliquando (insuetum ijs locis spectaculum) publica verberatio adhibita: nec interim quod poterat humana præcaueri diligentia, omittebatur. Præparatæ sunt de vera, falsaque Idololatria theses: aditi etiam Procerum quidam è longinquo, & causam edocti: Nonnulli palam ex Hæreticis fauebant: ardebant Catholici, maxime Stephanus, & Balthasar Batthorei: adolescentium quidam fidem sibi mutuam dedere, si offerretur subeundi occasio Martyrij, vna fortiter subituros. Accessere, & commendatitiæ à Magno Poloniæ Cancellario literæ. Prouincialis serius admonitus est, quam vt occurrere tempestiue posset: rescripsit tamen ad Principem, laudans simul constantiam eius, simul de animo erga Societatem gratias agens, spondensque illam erga eum studio nequaquam dissimili fore. Addidit ad multos Procerum literas, ratam habens contestationem à Patribus Engedini interpositam: & adijciens, si amplius viginti Sociorum, ne ægros lue Catholicos desererent, tertio ante anno mortem Claudiopoli præoptassent, multo nunc paratiores extrema passuros, vbi eâ solum causa, quod Christum Dominum Deum verum adorarent, & Sanctos eius colerent, de Idolomania accerserentur. Porro causa eo munitior, & prope inexpugnabilis videbatur, quod cum Principe, & vniuersæ gentis Battoreæ dignitate coniuncta erat. Itaque tolerabilis exitus sperabatur. Duodecimo Kalendas Ianuarias in Oppido Saxonico, Megges nomine, generalis conuentus incipitur. Eo ipso die Ariani, & Caluiniani Pseudoepiscopi in Societatem atrociter inuecti. Criminum capita erant vsitata illa Hæreticis iam tum Sancti Ambrosij tempore, quæ Sanctus Antistes Oratione de non tradendis Basilicis his verbis complectitur, *Semper Christi laudes verbera perfidorum sunt: & nunc cum laudatur Christus, dicunt Hæretici quia seditio commouetur: dicunt hæretici quia his mors paratur, & vere mortem habent in laudibus Christi.* Hæc, inquam in Societatem maxime iactata, quod seditionis, atque tumultuum causa vbique foret; quod Idololatriam, quod Papisticum dominatum, quin etiam de religione quæstiones ad Hispanicum ritum inueheret. Ad ea postridie in conuentum cum aliquot Sociorum admissus Vviecus Proprouincialis respondit: neque obscure calumnias, si apud æquos Iudices ageretur, refellit: Quam fideliter Societas operam suam instituendæ iuuentuti, solandisque Catholicis nauarit: quam pacis vbique tranquillitatisque, multas licet vexationes perpessa, non studiosa modo, sed & custos fuerit, satis patere omnibus. De Romano Pontifice multa inuidiose iactari ab diuersarum religionum doctoribus, nec mirum id esse, quod aliter suos ipsi diffidant in obsequio continere posse Sectatores, nisi odijs per malas artes incitandis ab Romano Antistite auertant. Porrò tantum abesse Societatem, vt quæstiones de religione ad morem Hispanum introduci moliatur, vt ijs negotijs nulla in ora terrarum vbi stant ea tribunalia, quantum conniti queat, immisceri se se permittat: nec se recusare quin si cui vnquam Sociorum ea de re in Transyluania mentio excidat, fraus capitalis sit. Quod vero maxime crimen ingereretur Idololatriæ, paratos esse id quacumque ratione mallent, seu voce, seu stylo refutare; vehementerque petere, vt hæc sibi potestas fiat: itemque de facultatibus, quas possideant, legitimum instituatur iudicium. Hæc, & alia vbi Vviecus latine dixit, Hungarice eadem Arator peregit, paulo vberius immoratus calumnijs aduersus Pontificem, & orthodoxam fidem diluendis. Quibus attente auditis pollicetur responsum Nobilitas, sed nullum dedit. Supplicem præterea libellum Catholicorum nomine obtulit Christophorus Theresturus Cuiauarienſis, & Nasbanienſis Capitaneus, vir studio Catholicæ pietatis acerrimus, quo petebant, vt ex institutis Regni maneret sua etiam Catholicæ religioni libertas, neu Pastores animarum suarum diuexari sinerent. Egressis è templo Patribus Hæretici, quanquam multum Orthodo-

52 Literæ Prouincialis.

53 Criminationes Hæreticorum in Societatem.

54 Ijs respondetur.

55 Libellus ab Hæreticis ad Principem missus contra Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

xi, & Sombrius Regni thesaurarius non Catholicus repugnarent, mittunt libellum ad Principem, iterum flagitantes, vt è Regno Idololatria, & eius propagatores Iesuitæ tollantur. Nihilo segnius, & suum Principi, & Gubernatori misere libellum Patres, testantes innocentiam suam, obtestantes ne per iniquissimam vim opprimi se, suaque priuilegia violari, & Sacrosancta Catholicæ fidei mysteria proculcari patiantur, nec illam inuri notam Transyluanico nomini, vt quos paulo ante regno volentes receperint, iam causa indicta exturbent. Se per nouem annorum labores, insectationes, pericula, in bene merendo de omni hominum genere, nil tale commisisse, cur deteriores habendi sint, quam Ariani, quam noui Iudæi, & Ebionitæ, quam Lutherani, Caluiniani, Græci, Rasciani, & Valachi, vt illis liceat pacatis in Regno viuere, sibi autem non liceat, quorum fides, & religio ab Apostolis profecta, & in Transyluaniam per Sanctissimos Reges Hungariæ introducta, vsque ad hæc tempora per annos sexcentos steterit. A te vero Magnifice Gubernator vehementer petimus, inquiunt, teque obtestamur, vt memor esse velis, & officij, & iurisiurandi, & potestatis tuæ. Officij quia tibi salus, dignitasque, & existimatio Illustrissimi Principis commendata est, ac nominatim Societatis nostræ, & religionis Catholicæ defensio à Rege Stephano credita: iurisiurandi, quo sancte spopondisti te cuiusuis gradus homines in suo iure, libertate, religione conseruaturum, nec sine legitima cognitione quemquam impediturum, aut impediri permissurum: denique potestatis, quia tua in manu est importunis istorum postulationibus occurrere, si modo dixeris potestatem tuam certis limitibus definitam esse. Etenim cum tui iuris non sit cuiquam vltra tres, ac triginta colonos attribuere, multo minus fas erit tantum nobis facultatum inuitis eripere. Ergo te etiam, atque etiam rogamus, vti ius nobis, quemadmodum adhuc fecisti, integrum tuearis. Hæc altero, & vigesimo Decembris die acta, magna Sigismundi constantia; qui Hæreticorum postulationi respondit: nec Præceptores suos, nec homines sibi à Patre, ac Patruo commendatos, & à Regno receptos, indicta causa pelli ab se decere, cum præsertim eius religionis essent, quam ipsemet sequeretur, & aliqui etiam non Catholici eos affirmarent Regno peropportunos esse, & ad suorum institutionem liberorum retineri postularent. Postero die libellum Hæretici alterum summisere plenum criminationibus inuidiosis: Iesuitas hostes animarum, insectatores fidelium esse, autores effundendi sanguinis: Denique bona possidere contra fas Regni. Nam sub Regina Isabella editum in Comitijs decretum, ne qua Ecclesiasticorum bona semel ad Fiscum delata vllo vnquam tempore Ecclesiæ redderentur. Respondere statim libello Patres, cæterisque vt sæpe ante confutatis criminibus, quod ad bona pertineret, demonstrarunt primùm, Comitia illa sub Isabella Regina non sacrilega modo fuisse, contraque diuinum, & humanum ius, quod suum cuique reddi iubet, sed etiam nullo iure habita, quia nec Princeps, nec Regina, nec Petrouitus, qui Tutor tum erat Principis, fidem ea tempestate Regno iurarant, nec Regnum illis; ita vt eo tempore cum iusto capite Regnum careret, iusta condi decreta nequiuerint. Deinde etsi firma, ac iusta, quam quæ optimo iure fuissent, tamen anno seculi eiusdem octogesimo primo ijs obrogatum fuisse decreto Generalium Comitiorum, cum Societatem in Regnum, & in possessionem bonorum admiserunt. Ad hæc cum in ijs bonis rite Societas locaretur, nec Regnum, nec planc quemquam Regni nomine contra iuisse, adeo vt pacate inita, totque annis vsurpata possessio, cum causa subinde nulla noua extitisset, nisi per manifestam iniuriam attrectari non posset. Hæc maxime dum feruent Getzius ille gubernator ad cuius maxime pertinebat fidem Acta Stephani, à quo administrationem acceperat, conseruare, penes quem, & ærarium, & armati milites erant, inclinatam

56 Alius libellus pro Societate.

57 Alius libellus Hæreticorum Et responsio ad eum.

58 Gubernator causam inclinatam præcipitat.

tam præcipitasse causam dicitur: cum per Emissarios suos concitata multitudine minutæ nobilitatis, admotoque terrore, etiam Catholicorum quorundam animos expugnasset, Principem ipsum, vel inuitum adegit, vt impijs decretis subscriberet: ita furere nobilitatem obtendens, vt nulla superesset declinandi supremi discriminis via, nisi tempori cederetur. Ergo in peruigilio Natalitiorum Christi cum Patres in Prætorium accersissent Cancellarius, & alter Senator, Principis nomine sic eos alloquuntur: Quandoquidem Nobilitas vniuersa ita vrgeret eorum ex Transyluania profectionem, vt Princeps obsistere vltra non posset, nisi Regno priuari vellet, ac sinere omnia pessum ire, cogitandum illis esse quid faciendum videretur, vt aliqua iniretur concordiæ via. Cupere quidem Sigismundum Patrum, ac Præceptorum suorum tueri innocentiam, conseruare iura, caritatem, ac merita remunerari: verumtamen quando eò vsque Nobilitatis pertinacia excesserat, oportere aliquid ei dare, nec videri fieri posse, vt posthac omnia Societas obtineret loca, quæ ad id temporis tenuisset. Vix habere Senatum, quid edito sub Regina Isabella decreto de bonis Ecclesiasticis nunquam Ecclesiæ ipsi reddendis, responderet. Ad hæc Patres misso ad Principem scripto responderunt, Nihil sibi quidem magis cordi, quam concordiam esse: sed quemadmodum salua conscientia, & regni iure, confici posset non videre. Nam si iubeantur Principem deserere, antequam ei Sacerdotes alij Catholici præstò sint: & à concione, scholis, alijsque abstinere Ecclesiasticis muneribus, nullo id pacto fas esse, cum id, præterquam quod vitæ, quam ipsi profitebantur repugnabat, saluti tum Catholicorum, tum præcipue ipsius Principis aduersaretur, cuius potissimum causa acciti fuerant: Nec fas esse bonis cedere, quæ ob eam rem Claudiopoli, Albæ, & Varadini, donata iure perpetuo fuerant, primùm quod optimo illa iure possiderent donata à Rege, & Principe, & possessione ex Regni decretis, nemine repugnante, recte inita: deinde quia siqua ex parte sua ipsi paterentur iura violari, ex facili omnia perderent, autoritatique, ac piæ voluntati Principum detraherent, ac pessimum cæteris exemplum præberent similia audendi. Præterea in magnam ignominiam cederet ipsius Principis, Stephanique, & Christophori, tanquam illi inique donassent, quæ sui iuris non erant, vel suæ potestatis fines ignorassent, ac nescissent, quid cui tradere liceret, vt eorum decreta velut irrita, & iniqua oportuerit statim dissolui. Ipsi præterea viderentur eadem, vel inique possedisse, vel tale aliquod admisisse crimen propter quod infami illa mulcta digni iudicarentur: Nec posse multorum scandala auerti, qui propterea cessisse eos existimarent, quod re ipsa fraudis conuicti essent: quare quod ante fecerant, nunc de integro profiteri, nec iure suo, nec bonis, nec priuilegijs cedere: quod si per vim adempta essent, nihil tamen ijs velle detractum: Nam decretum sub Isabella, & inane, & iniquum semper fuisse, & eidem, si quid valuisset, rite postea obrogatum luculenter se se iam demonstrasse. Quæ cum ita essent, tamen pacis causa, si hæc duo sibi salua relinquantur, vt ministeria pro Instituti ratione libere exerceant, & in suis bonis, ac locis pacate viuant, de reliquo paratos inire concordiam, & conditiones, quæ honestæ ferantur subire. Communis erat opinio Nobilitatem, si modo Iesuitæ à Principis latere amouerentur, satis ab se impetratum existimaturam, eoque fore contentam: tamen summo mane Christi Natalis, decretum ab Senatu, & Gubernatore fit, vt cedant Iesuitæ cunctis Regni vrbibus, liceat tamen suis in fundis, suoque Monostoro degere: Quod decretum cum eodem die in Comitijs promulgaretur, Nobilitas siue ab tragediæ autoribus incitata, siue ex eo, quod iam vltra spem expresserat ad vltima extorquenda audacior facta, institit flagitare, prorsus vt ex omni Transyluania iuberentur facessere. Nulla fuit dimicatio, adeo aduersa factio inualuerat. Conduntur ex eorum libi-

59 Princeps decretis Hæreticorum subscribit.

60 Responsio PP. Societatis ad dictam orationem sibi factam.

61 Decernitur Societati exilium è Transyluania.

Universidad de Deusto
Biblioteca

libidine multa aduersus sanctam religionem decreta : inter alia, vt Iesuitæ intra quintum, & vigesimum diem ex omni Transyluanorom ditione excedant, bona eorum Fisco addicantur : nec posthac cuiquam Transyluanorum fas sit Iesuitarum quempiam apud se habere, neque ijs, aut vllis omnino Religiosis pateat vnquam in Regnum accessus. In hæc coactus est Sigismundus iurare die S. Stephani Protomartyris, Patribus, nequid mouerent, vetitis domicilij sui limine pedem efferre. Qui cum interrogari iussissent, num amplius Princeps ad sacra vti opera illorum vellet, Gubernator respondit, sacra posthac nequaquam necessaria fore Principi; statimque religiosam supellectilem ab Prætorio ad eos remisit. Diuinæ eius diei voces, quibus Christus Dominus Iudæorum, & Sacerdotum principes compellauit : Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de Ciuitate in Ciuitatem: & aliæ eiusmodi è psalmis, tum consolabantur famulos Dei, tum ad misericordiam pereuntium gentium commouebant. Die S. Ioannis cum Meggesio iussi essent Patres Claudiopolim se referre, tanta coorta procella est, vt tectum templi eius, in quo proscriptionis decretum promulgatum erat, & caminum ab domo Principis, & Pontis Albani partem disiecerit. Præcurrit Claudiopolim proscriptæ fama Societatis. triumphare hæreticorum plerique (nam quidam ex ijs quoque querebantur iniuriam) mœsti, mutique Catholici tanquam stupore quodam torpere : Scholasticorum iuuentus impleri lacrymis : Sociorum alij aliter affici : hi dolere, quod animis tam multis tantum pararetur exitium : hi gaudere, quod digni ipsi haberentur pro Christi nomine quidpiam pati. Superuenere his ab conuentu Patres, postque mixtos lacrymis amplexus, gratijs Deo actis, quod tali ipsos exercitatione, ac rudimento dignaretur, imploratoque lumine ad cognoscendam eius voluntatem, consultare aggrediuntur, parendum nec ne iusso impio videretur? Nemo erat omnium, quin si censeretur, siue vniuersis, siue lectis quibusdam manendum, eam sibi prouinciam deposceret. Perplexa tamen admodum deliberatio erat. Audendum passim censebant, nec committendum, vt iacta tot laboribus, atque adeo tot funeribus Sociorum, sementis & adulta iam seges proterenda bestijs, & ante omnia ipse Sigismundus, in quo tanta adhuc indoles apparuerit, velut inter frementes lupos agnus, desereretur : quem si forte (quod Deus auertat) hæretica fraus, aut vis transuersum ageret, omnis anteacti labor temporis, omnis futuri spes concideret. Quid futurum in mora damni? Fortasse nimbum illum præteriturum. Quid si fundatur sanguis? Nonne tanti esse? Ecclesiæ ne, an Societati nouum, per supplicia roborari, propagari per neces? At ex altera parte cum Christus Dominus dixerit : cum persequuti vos fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam, succurrebat vereri, ne adeo recenti inuidia, si repugnarent, id satis rationabile obsequium non esset. Si palam manerent, aperta videretur contumacia in contumeliam Regni totius : affirmatum iri, quod semper Hæretici clamitabant, seditionem, ac tumultum cieri : ad vltimum ita extrudendos, mactandosue, vt in omne æuum Societati Transyluania clauderetur; Sin autem dissimulanter apud Orthodoxos hærerent nobiles, futurum vt nec diu fallerent, & periculum ipsis quoque crearent nobilibus. Nam propter amplitudinem Regni, & Catholicorum frequentiam, multo plus licere in Anglia. Quod si tantisper cederent, exemplum præbituros modestiæ, per quam & iniquorum ex aliqua parte saturarent odia, & misericordiam plebis concirent. Multo magis augendum mox desiderium vbi sublata illa celebritate Academiæ, nullus supereſſet splendor literarum in Regno, nulla iuuentutis cultura, ablegarique in longinquas terras oporteret cum solicitudine parentum, periculis filiorum, rerum dispendio, qui nuper in oculis conuictuque carorum erudiebantur. Carendo enim magis, quam fruendo pretia rerum cognosci. Confirmaturum suas paulatim opes Sigismundum. Denique eò apertiorem breui reditum fore, quò obedientius in præsens cederent, ostenderentque inter alia tam vberes agros tam facile relinquendo, nequaquam ab se terrenos adhuc, sed cælestes modo in Transyluania fructus quæsitos. Hæc, & id genus multa in partem vtramque cum dicerentur, Proprouincialis censuit explorandam Sigismundi voluntatem : tum si ita ille censeret, seruiendum necessitati, ne si quid forte in ipsum Nobilitas committeret, tanquam Regnorum euersores Iesuitas suo more Hæretici infamarent. Nec multo post absoluto conuentu susceptis Regni gubernaculis Sigismundus Albam reuertit, sed ita Hæreticorum obseptus custodia, potentiaque oppressus, vt cum aditum ad eum Proprouincialis quæreret, in eius conspectum admissus non sit : responsum est, postridie eius copiam fore in templo, quò esset venturus : sed cum haud venisset, per libellum rogatur, vt quanquam bonis exuti essent, pateretur tamen aliquos de Societate Sacerdotes subsistere. Deum illis suppeditaturum : sed responsum relatum est, nemo vt omnino maneret. Erat Albæ Ioannes Lelesius, qui Principem à prima pueritia educarat, in eaque cura ex Cœli iniurijs contracto morbo, aliquot iam annos inter acerbos dolores ita paralyticus decumbebat, vt se commouere non posset : is misit rogatum, vt quando iam proxime aberat à morte, liceret eam sibi Albæ opperiri; sed & huic missi equi sunt, quibus in summa frigorum asperitate in Arcem finitimam cui nomen Guynar, asportaretur. Edictum tamen est, vt nemo discedentibus molestus foret. Tertio Idus Ianuarias ad Principem, quamquam ægre, tandem vt eum vltimum salutarent, admissi, verba ita fecerunt : In hoc graui nostro casu est nobis, Princeps, consolatio ingens, & vera lætitia, quod isto te loco intuemur, in maiorum tuorum constitutum sede. Caritas enim, qua nostris hæres visceribus, minus sentire nos nostra sinit vulnera, dum tua cernimus incrementa. Est item aliquis nobis fructus, quod sub disciplina ita nostra profeceris, vt ista ætate imperio dignus habitus sis. Tibi igitur, vt ex animo gratulamur, ita immortales nostro, tuoque nomine grates agimus Deo, ad istud qui te culmen euexit; Maiestatemque illam præpotentem, atque optimam cunctis veneramur precibus, vt bene, feliciter, sancte, pieque euenire tibi ad suam gloriam, tuamque ac popularium æternam, & præsentem beatitatem istum principatum velit : vt sit tibi accessio dignitatis virtutis profectus, & progressio virtutis gradus ad decora ampliora. Alijs tuo conspectu, maturaque virtute licebit frui. De nobis, quando aliter visum æternæ sapientiæ est, non possumus tamen in hoc vltimo, quo te affamur digressu, gratias tibi non quam maximas agere de voluntate, qua adhuc nos, Ordinemque nostrum complexus es. Perspeximus enim singularem semper tuam erga nos pietatem, benignitatem, atque adeo obseruantiam. Vtinam possemus, vel fuso sanguine testificari merita, & studia tua non pessime esse collocata. Vnum quod nobis vnice solatio est, plane persuadere cupimus tibi, nos culpa vacare, proscriptos nullo iudiciorum ordine, nullo defensioni relicto loco, præter omne ius, fasque beneficijs Parentis tui, & Patrui, sapientissimorum, & pijssimorum Principum spoliatos. Quicquid tamen sit, si quis in ea re adolescentiæ tuæ adhæsit error, non modo tibi, cui vim prope allatam nouimus, sed & ipsis totius tempestatis concitatoribus, & quicumque vllo modo fuere participes, vltro prudentes, volentesque, vti religiosos, & Christi sectatores decet, ignoscimus, concedimus, condonamus. Ita ignoscat summus ille iudex è Cœlo, & aperiens suarum sinum benedictionum, pro ijs malis, quæ nobis inferre voluerunt, millies geminata bona in eos effundat.

62 Deliberant Patres an iniusto decreto parere debeant.

63 Non permittitur, vt quisquam Sociorum in Transyluania maneat.

64 Lelesius æger, & mortiproximus summa hieme Alba ejicitur.

65 Oratio discedentium Patrũ ad Principem.

Deni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Denique si quid suprema hæc verba ad eam quam habes possunt constantiam addere, precamur te illud, & obtestamur. Memor esto Sigismunde, qui sis, qui fueris adhuc, ex quibus ortus sis. Magnum habes ex ipsa prima tua ætate ad magna pro religione præstanda calcar, quæ ea dedit Christiano orbi pignora, vt impense laborandum sit tibi, vt expectationem, quam concitasti, ne fallas. Memor esto, quam à Patruo, Parenteque tuo hæreditatem gloriæ è studio incorruptæ religionis tuendæ partam acceperis: illos intuere: illi consilijs vbique tuis intersint. Ante omnia id cura semper, vt salua sit religio, quia in ea sunt omnia. Eo abs te nos corporibus quidem auellimur, animis tamen hæremus apud te, & obseruantiam tui, gratique animi memoriam nobiscum asportamus. Quod poterit à nobis tibi vsus esse in precibus, & sacrificijs, hoc enim vnicum relictum est obsequij genus, certum habeto, enixe, assidue, & recentissimo semper studio delaturos. Responsum est nomine Principis: agnoscere eum, se ab Societate ad omnem virtutem, & pietatem recte fuisse institutum, & in literis eorumdem opera non mediocres progressus fecisse. Causam eiectionis fuisse Regnicolas, quibus obsistere Princeps nequiuerit, cum magnam habeant libertatem prout voluntas tulerit, decreta condendi: futurum se perpetuo sui similem, inque fide Catholica permansurum. Dedit abeuntibus in viaticum bonam pecuniæ summam; dein adiecit literas, quibus fidem faciebat, dimissos, quod ferre eos religionis causa Nobilitas nequiuisset: In suis muneribus, recte se, laudabiliterque gessisse. Sociorum alij in Poloniam rediere, alij concessere in Austriam: alij abiere in Moldauiam, vt anno insequenti fusius explicabitur. Hunc finem habuit prima Societatis in Transyluania commoratio. Claudius Generalis non admodum probauit, quod cuncti abijssent. Longe maiore cum spe, quam periculo, præsertim cum Balthasar, & Stephanus Bathorei postularent, potuisse paucos subsistere. Quo die præfixus fuerat nostris exitus è Transyluania, eo Getzius dudum male valens animam miser exhalauit, multum gemens, & ingeminans, Væ mihi, qui Stephano Regi meo datam fidem fefelli. Aliud pœnitentiæ iustæ signum non edidit. Sane & Cancellarius tandem, & cæteri religionis Catholicæ euersores dederunt meritas pœnas, cum alij Genti Batthoreæ, alij Sigismundo Principi nominatim moliti exitium essent. Vxor autem Cancellarij, quæ virum rabide incitarat, deprehensa in adulterio, vulgataque per totum regnum infamia, ac repudiata, miserrimam vitam miseriore morte mutauit. Sed vt abdito Dei consilio quidam quasi orbis vertitur humanarum rerum, & magnus ille Conuiuator posteaquam primo inuitati noluerunt venire, nuptias filij sui aliunde frequentat. Ecce tibi dum Transyluania Orthodoxæ Doctrinæ clauditur, Moldauia in proximo aperitur. Prouincia ea est Turcarum Domino vectigalis: nomen apud incolas ab interfluente nacta Moldauo amni: Nam quidam exterorum superiorem Vallachiam nominant. A Moncastro Vrbe secundum pontum Euxinum, quem ad Orientem, habet ad Danubium vsque descendit, eoque clauditur à meridie: Ab occasu æstiuo Vallachiæ, tum Transyluaniæ; inde versus septentrionem Russiæ, ac Podoliæ iungitur. Getæ olim, quos Dacos Romani vocabant, habuere. Metropolis Zitzauia est: Iassium Principis Sedes: religio ferme Ruthenica, sunt tamen & Armeni permulti cum Antistite suo, & aliarum sectarum admista colluuio. Multi proximis annis Catholici quoque incolebant, ferme ex proxima Hungaria, & Transyluania, alijque ex Insula Chio, atque Epiro, siue negotiorum causa, siue turbulentas domi res fugitantes, eò sedibus translatis: sed magnam subinde partem Hæretici simul corruptores ingressi vitiauerant. Principum dominatus admodum incertus est, Turcis Satrapis leui momento, prout libido tulit euertentibus hos, extollentibus illos. Præerat hac tempestate

66 Responsio Principis.

67 Viaticum, & testimonium virtutis eorum Patribus datum.

68 Quo se receperint.

69 Supplicia eorum, qui causæ iniuriæ fuerant.

70 Moldauiæ descriptio.

state Princeps nomine Petrus, apud quem gratia plurimum valebat, & Magister erat cubiculi Bartholomæus Brutus Lapusnæ Capitaneus, natione Epirota, religione Catholicus, eiusque conseruandæ, ac restituendæ inter paucos studiosus. Is fecit, vt Princeps etiamnum secta Ruthenus, omnes Caluini, Lutheri, Arijque administros Moldauia pelleret, & ad deceptos ab ijs populos dedocendos, excolendosque Catholicos, quorum ad millia quindecim censebantur, auxilia Societatis expeteret. Interposuit Ioannis Archiepiscopi Leopolitani apud Sixtum Pontificem autoritatem, dein Nuncij Apostolici Annibalis de Capua, postremo Legati Aldobrandini. Horum igitur nomine cum Claudio Generali actum est Romæ, & eum Prouinciali Campano in Polonia, vti pium negotium susciperent. Et Pontifex plane mandauit, & suas ad Principem literas paternæ curæ testes adiecit. Missi sunt tres initio Sacerdotes cum Laico, Stanislaus Varseuitius, qui coram inspiceret statum rerum, ac protinus renuntiaret: mansurique in Moldauia Ioannes Kunig Schonhouianus, & Iustus Rahab. Ineunte Septembri ad Principem peruenere, qui cum aula sub pellibus agebat in campo ad pestilentiæ fugam, quæ late desæuiebat. Excepit eos perbenigne Petrus, Pontificisque literas venerabundus exosculatus capiti imposuit: tum iussit Patres, quoniam oppidum Kotnar, vbi sedem ijs parauerat, infestum habebat lues, domicilium sibi arbitratu suo deligere. Inter munuscula dederunt ei Patres libellum, in quo sacra Martyrum certamina æneis formis affabre excusa visebantur. Quæ dum versat è Sancti Petri conspectu occasionem sumpsit ostendendi, quam ab Catholicis non procul abesset. Ex Græco Monacho, qui intererat, cum quæsiuisset, quid de primatu Sancti Petri sentiret, ac Monachus respondisset, fuisse quidem illum inter Apostolos ordine primum, sed potestate parem. Instituit quærere, cuinam claues, quæ summam potestatem indicant, Christus Dominus tradidisset? Nec Calogerus abnuit traditas Petro, Tum Princeps, At Petrus cui post se habendas reliquit? Cumque ille hæreret, Fare, inquit, Apostolus vbi posuit moriens caput suum? Affirmante Monacho haud dubie Romæ, Ergo excepit Princeps, vbi caput suum posuit, ibi etiam traditas sibi claues reliquit. Contra quæ nihil succurrit Schismatico, quod afferret. His, & alijs documentis apparebat Principis ad Romani Pontificis imperium, & Catholicam fidem propensio. Cæterum cum sparsi degerent longe, lateque Catholici, nec vsquam vllus afforet Pastor, prima in eo collocanda videbatur industria, vt instituerentur paulatim, qui possent in Parochorum suffici munus. Nihil autem opportunius ad id offerebatur, quam vt Seminarium aliquod conderetur, expertum iam, & vulgare subsidium: quod tamen præ inopia Princeps, graueque tributo, quod Turcæ pendebat, liberalius pollicebatur, quam re posset præstare. Itaque hoc in primis renuntiauit Varseuitius Legato, & Nuncio Apostolico apud Pontificem Sixtum curandum. Reliqui duo Patres, qui in Moldauia cum Socio substitere, delecto interim ad incolendum Oppido, cui Romanum est nomen, quod ipse amnis Moldauus alluit, desertam illam, ac dissipatam vineam magno animo, conatuque perpurgare, ac restituere cœperunt.

In ipsa quoque Hungaria aperiebatur campus peramplus industriæ Christi præconum: nisi quod Thurocienſis Præpositura ad excitandum Collegium à Cæsare superiore anno collata, prægrandis videbatur molis, & religiosæ tranquillitati parum conueniens. Erant præterea quidam nobilium Hungarorum, qui ægre ferrent ablatum nobilitati tantum dignitatis subsidium. Hæc fecere, vt multum consultaretur: retinenda nec ne Præpositura, an minus impedita, & inuidiosa Collegio fundamenta curare satius foret. Dum autem in omnes partes cura diligenter intenditur, visum est in præsentia nihil mouere. Nam præter leuitatis, & inconstan-

71 Princeps Moldauiæ auxilia Societatis exposcit.

72 Patres ad eum perueniunt.

73 Principis Moldauiæ prudens disputatio de Primatu Petri.

74 Opera Catholicæ religionis restitutioni in Moldauia nauata.

75 Deliberatio de Thurocienſi Præpositura, an retinenda Societati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ periculum si adeo præceps mutatio fieret, dubium non esse quin Præposituræ subiecti populi, si ea in Collegij maneret iure, multo facilius conseruaretur in fide, abductique reuocarentur, cum metuendum ex altera parte esset, ne si in ditionem hæretici cuiusquam Dynastæ venirent, funditus in exitium traherentur. Constabat præterea multo stabiliorem fore Collegio Sedem ita in ea regione fundato, quam si nihil aut parum haberet soli, iurisque. Nusquam fere Societati non esse ardua initia: sed tandem patientiæ, ac perseuerantiæ nihil obstare. Præpotentem Deum ad superandas difficultates, quæ eius pro gloria subirentur, propitias adiuncturum manus, & ancipitibus cœptis secundum exitum, quod alibi, & præsertim in India experimento patebat, daturum. Neque enim minus Pannonicas oras sanis cultoribus, quam Indicas indigere: neque minus de Hæreticis, quam de Ethnicis laborandum, cum & grauius sit malum hæreticorum, & nobis ipsi arctius, quippe sacri lauacri nexu coniuncti, ac denique maius periculum ex ipsis, tanquam ex vicina contagione immineat nationibus integris. Igitur cum stetisset de Præpositura nihil mutare, magna restabat dubitatio de Sede Collegio ipsi legenda. Interim Selliæ quidam Patrum, alij Varalliæ cum penitus cultum sacrorum deformatum, moresque gentis corruptos reperissent, eo cum successu restituendæ, excolendæque pietati nauabant operam, vt hæc ipsa exordiorum fœlicitas ad maturandum Collegium inuitaret. Inter hæc Crumlouiæ in Boëmia, postridie iduum Maij magno apparatu adita Collegij rite possessio, & celebrata. Guilielmus Vrsinus, qui & Rosensis Fundator, cum aliquot Dynastas, & Antonium Antistitem Barisensem, Pontificium ad Cæsarem Nuncium, augendæ celebritatis causa accersisset, ijs spectantibus ius Collegij in Prouincialem Georgium Baderum transtulit: isque ei post Sacrum ab Nuncio Pontificio peractum Candelam tradidit Fundatoris insigne. Factum sub hæc initium scholis tribus, haud sine venusto Dramate: quarta Elementariorum classe externo Magistro delegata. Sociorum numerus ad quindecim amplificatus, quibus idem, qui modo stationi præerat, Bernardus Cocchius primus loco Rectoris præfuit. Nimirum quo operarum maior factus est numerus, hoc & in oppido, circaque per agrum res Catholica cumulatius, ac melius gesta, lætissimis oppidanis, maximeque Collegij parente Guilielmo, qui totam ditionem suam volebat, gaudebatque sacris bellatorum Christi excursibus peruiam esse. Missi etiam sub annum extremum ad vicinum auxilia flagitantem Pastorem Sacerdotes duo. Duo oppidula, quæ nec arte vlla, nec vi poterant ab hæresi deterreri, ad legitima sacra traducta. In conuersis ducenti Patres familias numerati. Fortis interim miles, & spolijs dives, missionem bonam à Cælesti Duce accepit Olomucij Ioannes Aschermanus, Littouiensis patria, natione Morauus, iam inde ab seculi anno 1557. sub signis in Societate versatus. In Hungaria, in Polonia, perdiuque in Austria, præsertim Viennæ docendo, concionando, domesticos regendo, fideliter Deo, Ecclesiæque eius militauit. Exemplo erat maxime cum docens Viennæ in Academia publica sacram Theologiam, quicquid inde vacabat, ad proximorum conferebat obsequia. Nunc ad carcerem, nunc ad Nosocomia itabat, nunc ad ægrotos per Vrbem, ad quos frequens accersebatur. Sacris vero diebus matutinum tempus omne expiandis confitentibus dabat: pomeridianum concionibus, alijsque misericordiæ, & pietatis officijs. Iuuabat firmitas virium, & parsimonia temporis, vt ad tot, tamque diuersa vnus sufficeret munia. Supremum denique morbum Olomucij, dum maiore caritate, quam cautione in Nosocomio præsto est ægrotis, contraxit. Inde confectus mire recreauit Fratres in vltimo spiritu, quem effudit dulciter hymnum Aue Maris Stella decantans. Nempe vt in Virginis laudibus, cuius semper præcipuo in obsequio vixerat, vocem, vitamque consumeret.

76 Crumlouien sis Collegij initium.

77 Duorum oppidorum ab hæresi conuersio.

78 Mors, & virtutes Ioannis Aschermani.

Ad

Ad fines Stiriæ inferioris, qua in Hungariam vergit, Fustenfeldia est Ciuitas non ignobilis, in hanc missu Caroli Archiducis Michaël Cardaneus cum Socio profectus miserum in modum deprauata inuenit omnia. Catholici erant perpauci, qui Catholico instituto communicarent numero omnino tres. In propinquum pagum accurrebatur ad hæreticam concionem. Tanta super hæc tenacitas, ac sitis furtiuarum aquarum, vt vbi Michaël obiectare se se, deterrere populum ab audiendo Hæretico, Catholicos introducere ritus cœpit, nullas non admouerint machinas, quo pia cœpta turbarent. Sæpius Principem, & Nuntijs fatigarunt, & literis quibus, vt pondus à consensu suorum adderent, modo octodecim, modo nouem. & quadraginta apposuerunt signa. Primarium virum, penes quem iurisdictio erat, quod Catholicus factus esset, veneno sublatum suspicio fuit: quique ei successerat, posteaquam & ipse resipuit, ferro aggressi duobus vulneribus impositis pro mortuo reliquere. Denique vulgo auditæ sunt voces sæpe testantium, se quamuis luce clarior ob oculos poneretur veritas, subituros tamen potius æterna supplicia, quam vt Lutherum suum, sub quo totam egerant vitam, deserere, & ad Papam transire animum inducerent. Dum tamen fretus cælesti ope Michaël instat operi, nec labori, nec Doctrinæ parcit, solidisque veræ fidei firmamentis paternas admonitiones miscet, atque omnia vitæ suæ rectis exemplis, & Christianæ pignoribus caritatis ornat, & roborat, in tantum profecit, vt sub Pascha trecenti triginta duo in Paræcia sacram Eucharistiam rite perceperint. Sub festa natalitia plane ciues omnes quatuor demptis, quos Pater haud dum satis instructos tenuerat, Senatores præter vnum, omnes ad auita sacra redierint, multaque instituerint pietati augendæ: inter alia, vt sexta quaque feria priusquam in consilium conuenirent, sacro interessent, Sacerdoti ob eam rem stipendio, vt promptum sacrum esset, decreto. Quæ omnia tanta populi profecta voluntate sunt, ac lætitia (quæ est natura omnium recte factorum, vt duriora principia exitus iucundissimos habeant) vt se se ipsi mirarentur, & suam priorem cæcitatem, cum acri detestatione Impostorum, miserarentur. Satis hæc religionem recte, ex animoque receptam probabant: ac præterea pietas in frequentando sacrificio Missæ, & sub vnica specie Eucharistiæ susceptio. In vicinis etiam oppidis sexcenti pagani, quos nullæ ante infregerant pœnæ, ad ritus Catholicæ communionis volentes translati, Sacerdotibus vbique ad officij sui partes excitatis, & institutis. Haud euentum dissimilem in superiori Germania sortitum oppidum Lauffenum, iam inde ab eo tempore, quo Basilea, cuius Diœcesi subest, ab Romana se Ecclesia abscidit, hæretica tabe corruptum. Iacobus Christophorus Episcopus Basileensis, & Apostolicus ad Heluetios Nuncius Octauius Parauicinus, qui postea factus est Cardinalis, instituere autoritate Pontificis interposita, vt eò de Societate quispiam mitteretur. Ab Lucernensi Collegio probatæ virtutis, industriæque Sacerdos Iodocus Itæus vnum dumtaxat in mensem datus. Successu mox inuitante, & instante Nuncio, spatium ei in menses quatuor prorogatur. Quo longior mora hoc melior erat euentus. Itaque iam Pontificis iussum præcisum denuntiatur, incœpta ne deserantur. Mittitur ergo Iodoco auxilium, atque solatium alter Sacerdos, nec vitæ laudibus, nec sedulitate operis dispar Marcus Grafius: adeoque concordi, ac fideli constantia boni Patres intendere laborem, vt anno insequenti postridie Natalis Sancti Lucæ, cum iam ipsi superatis difficultatibus, & idoneis ad promouendum opus recte institutis Sacerdotibus, ad Collegium recessissent, tota Ciuitas cum quinque circumiacentibus pagis, præfecturaque Zuingensi, eiecto concionatore hæretico, & clausa Synagoga Lutherana, consensu communi ad Ecclesiam Romanam vltro se adiunxerint, datis ea de re ad Episcopum literis, additaque sponsione,

79 Missio in Fustenfeldiam.

80 Obstinatio immanis Hæreticorum.

Mirabiliter victa.

81 Lauffenum oppidum opera duorum Patrum Ecclesiæ restitutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne, vna cum vxoribus, & liberis, etiamsi profundendus sanguis esset obedientes Ecclesiæ victuros, ac morituros. Cuius rei lætitia gestiens Antistes literas ad Patres gratulatorias dedit, vt & ipsi è suorum laborum seminibus lætitiæ fructum degustarent. Lucernensis templi lapidem primum idem Apostolicus Nuncius tertio Idus Martij, qui dies in secundam Magni ieiunij Dominicam incidit, communi Ciuitatis lætitia posuit, quod extruendum Vrbis Prætor Ludouicus Pfifferus impensa sua suscepit.

82 Templi Lucernensis fundatio.

Aucta Rhenana Prouincia Monasterienſi Collegio. Vrbs est Monasterium Vestphaliæ, seu veterum Saxonum caput, Miningerdefurda olim vocabulo, quam Carolus Magnus subactis, & Christo adiunctis Saxonibus Episcopalem Ecclesiam fecit, Sancto Ludgero præposito. Vbi cum Hermannus Episcopus, qui S. Ludgero successit, templum Deiparæ, & Monasterium dedicasset, id adeo breui inclaruit, & accolarum frequentia celebratum est, vt inde paulatim in vrbem ipsam, veteri abolito, nomen transierit. Est vrbs perampla, & frequens, quippe maritimis opportuna, terrestribusque commercijs, feraci solo, Cælo salubri. Multa humanitas Ciuibus: religionem incorruptam ab Lutherana vsque tempestate cum tenuissent, tartareo demum vndique, maxime per Saxoniam grassante incendio, & ipsi ambusti sunt. Impius quidam presbyter Bernhordus Rotmannus Lutheranam primus nequitiam introduxit. Sed quia id ferme hæreticis euenit, quod per montis abrupta ruentibus, qui vt semel cœperunt in præceps impetum, in aspreta, & saxa alia ex alijs illiduntur: idem Rotmannus post paulo Lutheri pertæsus, Anabaptistarum inuexit fatuitatem, atroci plane successu. Nam sub annum secuti huius tertium, ac trigesimum, cum, & numero, & viribus increuisse se vltra spem viderent, electis Magistratibus, occupato rerum omnium dominatu, ipsi sibi fanatici homines Ioannem quendam Sartorem Batauum cooptarunt Regem. Annum ferme impia stetit tyrannis: qua per iustam vim demum ab Episcopo depulsa, & vrbe in potestatem redacta, quanquam is, & meritas de latronibus pœnas sumpsit, ac repeti cultum sacrorum pristinum iussit, tamen spuria vitulamina, nec parua, nec pauca resederunt: & periculum glisebat assidue ex vicinorum afflatu. Itaque bonos viros ad remedium, ac munimentum intentos, eò grauior extimulabat cura, quò recentior Anabaptistarum ante oculos furor obuersabatur. Ea maxime solicitos cura habuit, pro singulari eorum pietate, Ioannem Cliuiæ, ac Iuliæ Ducem, ad quem Monasterienſis administratio delata erat, & Godefridum Rosfeldium Ecclesiæ eiusdem Decanum. Hi cum animaduerterent per languidam populi, recentisque ætatis culturam maxime errores propagari, vehementer Ciuitati commodam rati fore Societatem, quæ & spargenda per rudes Catechesi, & occupandis castæ Doctrina nouellis ætatibus, cæteraque sua industria serpens malum fisteret, vehementer de ea accersenda contenderunt. Domicilium ei Dux in vrbe destinare conatus est, de ære suo additurus, quod ad prima cœpta sufficeret. Cæterum cum Ciuium multi nescio quid ab Iesuitis, quos non aliunde magis, quam sparsa ab hæreticis infamia norant, metuerent, ne qua daretur causa tumultui, non vltra processum est. At Decanus cum anno 1582. cum Francisco Costero, per id tempus Rheni Prouinciali, magnopere egisset, isque rem hauddum maturam censuisset, nequaquam abstitit cœpto. Multo quin etiam acrius instituit, posteaquam anno 1585. à Canonicis Princeps, & Episcopus Monasterij postulatus, probatusque est Ernestus Bauariæ Dux Archiepiscopus Colonienſis, quem Decanus valde in Societatem propensum non ignorabat. Accito ad se Oliuerio Visitatore, quid instituta Societatis, rationesque Collegiorum ferant, edisceit: nec tamen optatum exitum, nisi è Cælo, vn-

83 Monasteriense Collegiũ cœptum.

84 Lutheranismus à quo, & quando Monasteriũ introductus.

Qui mox mutatur in Anabaptismum.

85 Annua Tyrannis Bataui Sartoris.

86 Ad conseruationem restituteq; Religionis expetita Monasterij Societas.

87 Collegij Monasterienſis molitio longo tempore tracta.

de & iuuisse opinari æquum est, vidit. Nam anno 1586. Quinto Kalendas Nouembris pius vir pie decessit, condito testamento, in quo pecuniam ad Collegij impensam non paruam legauit. Vrgentibus inde testamenti procuratoribus, cum Ernestus non solum autor, sed & hortator accederet, & à frequenti Canonicorum Collegio res probata esset, Petrus Michaël primo huius anni vere Monasterium mittitur, qui cum virtutis, Doctrinæque suæ experimento planiora omnia reddidisset, transactum de Collegio est, ac missis subinde Socijs ipse Michaël primus Rector est declaratus. Principio nouam Religiosorum Coloniam haud æquis oculis Ciues videbant, hærente etiamnum è famosis hæreticorum fabulis præiudicio, Iesuitarum nationem pessimam quandam sectam esse, plenam inhumanitatis, atque barbariæ. Quæ cum vsus dein sensim refutaret, tanto iucundiores pietas, & humanitas, & virtutes reliquæ, quo minus expectatæ, accidebant. Dum autem idonea Sedes Collegio quæritur, quiddam euenit, quod valde homines aduertit. In ijs, qui Societatem repulsam volebant nobiles duo iuuenes Canonicorum è numero pugnarant acerrime: cumque iam de Collegio in quibusdam ipsorum Canonicorum ædibus, & in agro, quem dominicum vocant, ob situs amplitudinem, ac loci immunitates statuendo ageretur, illi in suamet capita execrabantur, si quam in rem, quæ Iesuitas attingeret, præterquam ad eos expellendos, adduci se sinerent. Paucis post diebus inter nuptiale conuiuium cum petulantius agerent, admoniti modestiæ ab Equite Melitensi, admonitione in contumeliam accepta, in hominem irruunt, & in præsens cohibiti, in digressu forte rursus oblatum insectantur, quoad in Cœmeterio, quò se fuga eripuerat, consequuti confodiunt. Quo ex indigno facinore non solum honoribus spoliati, sed etiam, quod famulis Dei inique struebant, summo iure luentes, Ciuitate sunt pulsi. Eoque propensius, & cumulatius ædes Collegio cum horto, & prato, quæ fluuius Alpha irrigat, siue ad vsum, siue ad amœnitatem percommodis, attributæ. Postridie solennium Sancti Lucæ, vulgatis iam per excusum Typis indicem scholarum titulis, decantato magnifice in ædem primaria Sacro, cum elegantibus Oratorum, ac Poëtarum prolusionibus, deque Philosophia, ac Theologia concertationibus gymnastici labores incœpti. Quatuor inferiorum disciplinarum, tres superiorum discretæ classes. Auditores primo septingenti, mox alijs, atque alijs è vicinitate confluentibus, mille pernumerati sunt. Multo iam magis Ciuitas conciliata est, vbi institutionis literariæ specimen degustauit. Delectabat domi patres familias suorum quemque in præparando Scholastico penso puerorum sedulitas, intelligentes è discentium diligentia, dexteritatem, curamque docentium. Verumenimuero tanta Societatis propinquitas non leuiter hæreticos circumcolentes vrebat. Sed belle cecidit Osnaburgensi quodam in oppido, vbi cum Lutheranus declamator Monasterienses Ciues acriter morderet, quod Iesuitis vrbem suam patefecissent, simplex vulgus, vt Iesuitarum nomen audijt, flexo poplite, & apertis capicibus reuerentiam exhibuit: idque cum iterum, ac tertio, & quoties nomen idem ad aures accideret, faceret, stomachari Prædicans, ac prope disrumpi, tandem aperte denunciat, attendant immoti, de Iesuitis se loqui hominum seductoribus non honore, sed omni probro dignis: at populus nihilominus tum quoque caput aperuit, vt exinde confusus omni ea mentione seditiosus rabula abstinere coactus sit, ne cum ignominia sua venerationem ijs crearet, quibus serebat infamiam. Vrbs item Saxoniæ Hildesium est, quo anni superioris exitu Canonicorum vocatu Ioannes Hammerus Goslarienſis cum adijsset, mirum quantum viri religione, sapientia, eloquentia, summaque laborum contentione in minima valetudine, vniuersa Ciuitas capta est. Itaque non modo nullam admittebant

88 Petrus Michaël primus Rector Monasterij.

89 Duo Canonici ad Societatem Monasterio ejiciendam coniurati, eij ciuntur ipsi merito atrocium facinorum.

90 Collegium Monasterij Instituitur.

91 Declamatio nis hæreticæ in Iesuitas ridiculus euentus.

92 Hildesium Vrbs Collegium expetit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

93 Enrfordiæ vtiliter concionibus cultа.

tebant de eius discessu mentionem, sed omni cœptum est agi conatu de Collegio primo quoque tempore aduocando. Optabili quoque cum fructu Michaël Scillingius Enrfordiæ hoc etiam anno cum Petro Taueramundano Socio perseuerauit. Audiebatur auide non à reliquijs solum Catholicorum, sed etiam ab Hæreticis, certatimque ad varia templa euocabatur. Sed lætissimam fecere messem sub ferias Paschales ex Collegio Treuirensi duo Sacerdotes Sirichij, quod Diœcesis Treuirensis est oppidum, in Lotharinga ditione super amnem Mosellam. Ibi præter alia emolumenta, homines sexaginta hæresim abiecere. Archiepiscopus Treuirensis ædificationem noui Collegij solenni cæremonia Treuiris inchoauit. Marchio Badensis Collegium in suo Oppido Bada meditabatur, iamque destinato loco, & vectigalibus, prope erat vt reciperetur, & Socij ad incolendum mitterentur, cum morte sublatus est. Imbecillitatis humanæ eò clarius documentum, quod simul in medio apparatu nuptiarum cecidit. Inter reuocatos ad fidem magni fuit nominis, & momenti Ioannes Pistorius, vir oppidò eruditus: educatus in Lutheri disciplina, tandemque spurcas hominis stomachatus ineptias, ad Caluini tectiores dolos transierat, cum vnius Sociorum congressu, ac disputatione edoctus quemadmodum Sancti Patres expendendi essent, salutare monitum probans, Catholicorum monumenta accuratius versare, ac fidelius cœpit. Inde vsum cum Societate frequentans, & scrutandis Sanctorum voluminibus insistens, magis magisque Deo intus illucescente, vsque eò profecit, vt die Pentecostes in Spirensi Collegio damnatis erroribus, palam reconciliatus Ecclesiæ Sanctæ, Deoque sit. Ac protinus exorsus Hæreticorum fraudes, quo notiores habebat, eò neruosius, & voce, & stylo retexere. Totus interim Rhenus, ac pleraque Belgij armorum strepitu miscebantur: impeditissima erant itinera, vt non sine insignibus cælestis tutelæ pignoribus ad necessaria Collegiorum, aut proximorum fas esset exire munera. Nouitius rei domesticæ Coadiutor dum Treuiris Confluentiam pergit, vt Lotharingum declinaret militem, cum in Oppidum Traërbachium diuertisset, male mulctatus est à præsidiarijs hæreticis; tamen cum ad Consulem perductus suppliciter ingenua prouolutus libertatem peteret, præter omnium opinionem liber est missus, monitus tantum ne ad eas amplius partes accederet. Alter eiusdem sortis Coadiutor Ægidius Vandeboz nomine, dum in Sylua Collegij Brugensis in domesticos vsus ligna cædit, captus Vlissingam abducitur. Præfectus homo erat Anglicanus, & quanquam hæreticus non tamen expers humanitatis, cum interrogasset quis esset, quid artis profiteretur, cognouissetque hominem de Societate esse culinæ operatum, delectatus hominis innocentia, atque simplicitate, duci in culinam, & consuetos sibi obire labores iussit. Qui dum fideliter paret, ita omnium sibi animos adiunxit, vt sineretur pro sua voluntate precationi dare operam, per totum ire oppidum, de religione sermones instituere. Demum non alio pretio, quam cum gregario milite permutatum, non modo Societati eum Præfectus reddidit, sed etiam viatico benigne instructum dimisit. Cæterum haudquaquam parem sortiti casum Scholastici duo tyrones. E sua copia Costerus tres mittebat in Austriam, Baderi Prouincialis rogatu, curriculum Philosophiæ permensos. Bataui erant natione, lectæ indolis. Duo erant germani Fratres Riccardus, & Arnoldus Biler, tertio Iacobus Lappius nomen. In Syluam prope Treuiros cum venissent, rusticorum manus Ricchardum, & Iacobum inuadit, atque in interiora abductos, alterum ferro, alterum laqueo enecant, ac spoliant. Arnoldus forte substiterat ad colligendum in sarcinulam pallium, cum prægressos duos, latrones inuasere: itaque fuga arrepta, quanquam rusticorum quidam insequuti sunt, Deo tutan-

94 Collegij Badensis designatio irrita.

95 Ioannes Pistorius conuersus.

96 Nouitius ab Hæreticis captus, & dimissus.

97 Alterius Socij captiuitas. & liberatio.

98 Duo è nostris occidun tur à Latronibus.

tutante, euasit, ac demum Treuiros sospes peruenit. Occisorum corpora multis post diebus alterum alteri superiecta Crucis in modum: & quamuis loca essent lupis infesta, omnino ab ijs intacta reperta sunt. Verosimile est insignem recepisse mercedem in Cælo, qui in primo feruore spiritus, dum ad incruentum pergunt religionis martyrium, vitam in obedientiæ cursu fuderunt. Eoque ipso die mane antequam syluam intrarent, magna cum pietate, & Parochi (vt postea narrauit) ædificatione, in proximo pago Diuino sacrificio interfuerant.

Inter obitas à Patribus Belgis excursiones saluberrima fuit, quæ Ernesti Principis missu ad Mesacos susceptа est. Hi vrbem incolunt in Leodiensis Diœcesis finibus ad Mosam, cui nomen vulgo Maëseyk. Nicolaus Hirtius de Fal cum Socio Sacerdote, & Collegij Traiectensis Rector Ioannes Helmontanus totum ibi ieiunij tempus, deinde magnam æstatis exegerunt partem, inuitante successu. Renouationem morum velut à capite à Christianis puerorum rudimentis exorsi. Ex tribus eos literarijs ludis conuocabant, incendentibus adolescentium studia Decano cum Collegis suis, Prætore cum Consulibus, ac Senatoribus, qui nunquam ab sacro ludo passi sunt autoritatem præsentiæ suæ desiderari. Vnum quoque è Ludimagistris Prætor, quod parum vtilia pietati doceret, eiecit. Ad perennitatem mox religiosæ institutionis, in omnes scholas Ledesmæ Cathechismus inductus, data opera, vt eius generis libellorum magnus numerus, itemque magnus Rosariorum adueheretur. Libri autem, siue pernicioſi, siue leuiores amoti. Longum sit in promiscua multitudine correctos mores, vitia excisa, noxarum expiationes ex longo, vel etiam à primo æuo repetitas exequi. Centum ferme etiam hæresum laqueis expediti. Gemino Virginum Cœnobio, & Nosocomio item consultum. Ad hæc impetratum à Principe, vt etiam Episcopum mitteret, qui ab annis viginti intermissum sacri Chrismatis signum, carentibus impertiret: quod populus frequens magna voluptate, pietateque, vt à Patribus institutus fuerat, suscepit. Sacer item ornatus templorum, & altarium instauratus, & in Fidelium sepulchra Cœmeterium consecratum. In sacris ad populum tractatibus, ea præcipue, quæ superba Hæreticorum aspernatur ignauia, in existimationem adducta. Obtulit occasionem promulgatum à Pontifice Maximo propter Ecclesiæ necessitates Iobelæum, de ea re, summique potestate Pastoris, quæ admodum euiluerat, disserendi. Actum de Sacrosancto Missæ Sacrificio: inque Rogationum diebus, de litaniarum vsu: inde habita supplicatio eâ celebritate, quantâ nulla vnquam oppidanorum memoria: vehementer quotidiana cœpta frequentari sacrificia: denique die Pentecostes Prætor, Consules, Senatus, & Ciuium ferme primi, ac locupletissimi, haud sine cæterorum admiratione diuinæ palam mensæ accubuere. Ita si idonea adsit cultura haud ægre sequitur ad pietatem, quò ducitur natura mortalium. Maxima dein Cæremonia diuinissimi Christi corporis anniuersarium solenne celebratum. Vbi inflammatus est ad rem pro maiestate suscipiendam Prætor, is tum Senatum, tum primores oppidanorum facile incendit. Ergo mundities toto oppido, & ornatus statim curatur, aræ extruuntur, comparantur faces, quarum cum in oppido copia haud votis suppeteret, magna vis Traiecto, Leodioque petita. Itaque demum pulcherrimo spectaculo in præcipuis Oppidi regionibus cum altaria excitata starent viginti, facibus magno numero collucentibus, Senatu cum tribubus togato prosequente circumlata Diuina Hostia est, festum inter sclopetorum, & maiorum tormentorum applausum. Addidere supplicationi gratiam dispositi ad præcipuas aras adolescentes, qui vernaculo carmine ex veteri, nouoque testamento veritatem, & laudes admirabilis Sacramenti concinne exequebantur. Eodem die post meridiem Drama in scenam productum de veteri man-

99 Res Catholica in Vrbe Maëseyk feliciter curata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri manna, & nostra cælesti esca magno Ciuium assensu. Similia his in vicino minore Oppido Stochem curata: similia duo alij Sacerdotes Aquisgrani, vnde octauo ferme ante anno tumultuum causa discessum erat, gessere. Nullum initio cum ad conciones pateret templum, suum eis Augustinianus Cœnobiarcha patefecit. Inde primores Ciuitatis ædem Sancto Foliano sacram ab Iuliæ Duce, cuius in patrocinio erat, impetrarunt. Catholicorum lustratæ scholæ, disseminati Cathechismi, & pueri Cathechesim edocti, haud sine grandiorum profectu. Vna & altera B. Virginis ex ætatum discrimine Sodalitas instituta, & alia de more edita ad culturam pietatis, & firmamentum. Magno inter hæc animo, ac profectu profanos inter milites militum versata est Sacrorum industria. Verdugi accitu ad exercitum in recipienda ex hostibus Bonna certantem Henricus Samerius missus, præclara de scelere fixit trophæa: Coërcuit dicta impia: sedauit dissidia. Ducum tentoria pellicibus expurgauit, non sine muliercularum probris, ac minis: quæ miles Christi boni operis additamenta non ægre ferebat. Denique omni officij genere præsto omnibus erat, vt eò aduersus pietatis hostes mouerentur arma felicius, quò ipsi pugnatores colerent fortius pietatem. Multò hæc eadem in Ducis Parmensis Castris acta robustius, vbi perpetuo septem interdum ad viginti desudarunt Sacerdotes. Præerat vniuersis Thomas Sailius. Inter alias alij dispersi cum agerent nationes, sæpe vnum in locum vniuersi conueniebant, vt se se mutuis excitarent ad labores alloquijs, & confilijs erudirent. Vincentius Zelander, quæ vsui erant vitæ necessitatibus impigrè cuique expediebat, singulorum stationes identidem interuisens. Iucundum erat videre, quam obedienter miles in officio esset; ab vique abstineret, ac furtis: atque ærumnas bellicas quanto perferret animo. Procul hinc quoque Scorta, animorum & corporum pestis, abacta. Certæ præterea decretæ leges in execrantes temereue iurantes, in eos, qui pronocarent ad singulare certamen, in ebriosos, in Helluones, militibus ipsis multum volentibus. Pertinebat ad res Belgicas huius anni graue certamen à quibusdam Academiarum Louanienſis, & Duacenæ Doctoribus aduersus Leonardum Lessium, & Ioannem Amelium nostros in Collegio Societatis Louanienſi Theologiæ Professores. Verum quoniam clarigatio hæc velut quædam, ac prima dumtaxat velitatio Belli magni, & longi fuit, Opere proprio narrandi, Consultius visum est res naturâ connexas tractatione non seiungere. Quare ista nunc omittimus in aliud tempus, ac suum locum reseruata.

100 Item in oppido Stochem & Aquisgrani.

101 Mussio Castrensis.

102 Prætermissio concertationum Belgicarum.

Inter Gallicanas à bello pestilentiaque calamitates, annus abijt admodum Societati pacatus, ac prosper. Prudens Laurentij Magij Visitatoris Religio animum Regis ita deliniuit, ac cæpit, vt cum rebus compositis comeatum ab eo peteret, negaret Rex consuetudine eius velle se tam citò carere. Vbi tempestiuum foret vltrò se admoniturum. Precatu eiusdem Odonem Pigenatium non modo in pristinam recepit gratiam, restituique ei prouinciam æquo animo tulit, sed sæpius ad se accitum ea comitate fiduciaque tractauit, vt Odo plurimum vereretur ne in locum Augerij aulicis se tricis inuolueret. Idcircoque maturauit quamprimum abire Lutetiâ Prouinciam lustraturus. Subinde Magius quoque commemorans, quam Romæ opera sua desideraretur; quam ipsius Regis interesset cæteras Gallicanas Prouincias abs se inspici, bonam abeundi veniam impetrauit. Circumire tamen Collegia nec festinatio, quâ Romam accersebatur, nec obsidentia vias arma permiserunt. Prouinciæ Aquitaniæ loco Petri Lohierij, Clementem Puteanum, Lugdunensi Ludouicum Richeomum Prouinciales imposuit, quorum hîc vicariâ operâ Lugdunensem, ille Francicam administrabat. Mauriaco Sociorum Reliquias, quod assiduè circumstrepente hoste in medio versarentur salutis discrimine, nec magis

103 Gratia Magij, & Pigenatij apud Regem Henricum III.

104 Mauriacense Collegium ad tempus relictum.

magis Oppidanis prodessent, quam apud Hæreticos sua præsentiâ aggrauarent inuidiam, rerum custodiâ viro bono, & amico delegata, omnino euocauit. Tum, ex itinere Lugdunensis Collegij rebus compositis, in Italiam remigrauit. Noui Prouinciales, & sua sponte, tanquam integris viribus, ac simul Præpositi Generalis, simul Visitatoris incitati monitis, omni studio prouehendis ad interiorem disciplinam Sodalibus institere: illud prouidentes, vt pro tumultibus publicis assidue preces ad Deum fierent, & alia diuinæ paci exposcendæ, nullo autem modo quisquam, seu foris, seu domi eas res, ne sermonibus quidem attingeret. Complebatur inter labores voluptate maxima Odo, tantam vbique pacem, tantam excipiendæ culturæ facilitatem, proficiendique curam inueniebat. Quanquam dissiparet Lues Collegia, & multa peregre, & inter armorum licentiam, ac furorem Hæreticorum toleranda essent, tamen vigebat perfectæ virtutis exercitatio: & laborum pro communi bono, ærumnarumque, & periculorum cupido. Præclaram quoque, ac numerosam summittebat Deus Nouitiorum segetem: Collegia vndique noua petebantur: vndique Catechistæ, & sacri præcones expetebantur. Res maxime Parisienses florebant. Delectauit Ciues puerorum, è Catechismi schola supplicatio, qui ab Professorum domo magno agmine candidati coronatique cantillantes pia carmina per vrbis magnam partem deducti sunt. Collegio additæ de Sacra Scriptura Hæbræaque lingua, & disciplinis Mathematicis scholæ, vt iam religiosæ absolutioni Academiæ nihil deesset. Numerus vero auditorum longe vltra capacitatem Gymnasij affluebat; quorum sexaginta supra ducentos Conuictores censebantur è bono genere: Nec discrepabant ab ardore literarum studia pietatis. Itaque vt rebus diuinis amplior esset sedes, noui sacelli iacta sunt fundamenta ab Lusignano Episcopo Cypri xv. Kal. Decembris. Apparuit super hæc communis Procerum in Societatem propensio in Conuentu, qui de publicis rebus ad extremum autumnum habitus est. Vbi cum haud recte sentientium non nemo agi vellet de Societate, vel eijcienda de Regno, vel prohibenda docere, qui delectui referendarum ad conuentum rerum præerant, libellos eiusmodi, & sermones omnes reiecere; adijcientes id potius agendum, vt Collegia eius vbique per Galliam ponerentur. Pauloque post Senatus quoque Parisiensis, Prioratu quodam nostris omninò ignaris attributo, beneuolentiæ suæ pignus extare voluit. Nouas duci colonias difficultates temporum prohibebant, cum & turbulentissima essent omnia, & maiorem quandam tempestatem, tanquam intentæ vndique supra caput fœdæ nubes portenderent, præsertim ad exitum anni, vbi Dux, & Cardinalis Guisij sublati sunt. Ergo cum Rothomagenses instarent, qui septingenti è primoribus libello subscripserant, quo ab Cardinali Borbonio id precabantur, cum Redonenses, & Altisiodorensis Antistes, tum Auscitani, alijque, inchoata Auscij statione: vnicum in Lugdunensi Prouincia Collegium datum Anicienſibus. Merebantur id flagrantia, & perantiqua Ciuium studia. Quippe ab annis viginti eam curam coquebant, & Antonius Senneterrius Præsul anno seculi septuagesimo sua sponte domicilij ædificationem inchoarat, insignibus nominis IESV appositis. Est præterea Ciuitas Velaunorum caput, frequens, & ad omnem pietatem paratæ indolis. Vrbem habent in Cliuo sitam, vnde vernaculum illi nomen Puy ex podio factum. Inclytum stat in summo Cliuo Deiparæ templum, donarijs, præsentique Virginis adiutorio late clarum per Gallias. Igitur cum multis legationibus ad Visitatorem Magium, & ad Prouincialem Richeomum, tum etiam ad Generalem Claudium literis; tandem cuncta in vsus necessarios suppeditatura instaret Ciuitas, voti compos est facta. Locus Collegio captus est opportunior, quam vbi designarat Antistes. Quoad ibi nouum extrueretur domicilium,

105 Pax, & disciplina domestica inter luem, & bella in Gallia floret.

106 Collegium Parisiense auctum.

107 Fauor bonorum, & Parlamenti Parisiensis in Societatem.

108 Multa Collegia perita. Vnum tantum datum Anicienſe.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium, temporariæ Sedis die S. Michaëlis ad extremum Septembrem inita possessio, ibidemque familia capitum quatuordecim constituta Michaële Coyssardo Rectore. Sexto idus Nouembris consueto cum præludiorum honore præceptores quinque, quibus mox sextus accessit, patefecere Musarum Sacraria, quæ cum initio frequentare circiter ducenti cœpissent, ita breui alij super alios affluxere, vt anno post facile numerare esset quingentos. Diuionensi Collegio difficultate rei domesticæ laboranti, benigne Senatus, priuatique Ciues, & Carolo Duce Meinæo Burgundiæ Prorege referente, Prouinciæ Concilium, decreta stipe succurrit. E Socijs Billomensibus confecit iter mortalitatis Ioannes Balmesius, vir & cognitione rerum, linguarumque multiplici, & Christiana professione domi, forisque vtilis. In cætero cultu pietatis eximia cura Sacrosanctam Eucharistiam venerabatur: præcipuo etiam honore colebat Sanctum Ioannem Baptistam, & Virginem Matrem, qui fideli clienti opportuno tempore neutiquam abfuere. Ipse enimmet moribundus affirmauit vtrumque se videre sibi præsentem: pauloque post etiam insidiantem calcaneo vidit anguem tartareum. Sed frustra dirus obrepebat ei, quem talia è Cælo muniebant præsidia.

109 Diuionensi Collegio subuentum.

110 Ioannis Balmesij mors felix è vita bona.

Dum breuibus hisce tanquam inducijs interquiescunt res nostræ in Gallia, cum quies nonnulla in Hispania quoque affulsisset, turbinem vix dum vnum præteritum nouus excepit. Octauo idus Aprilis Sacri Quæsitores Vallisoleti cum voluntatem Pontificis de captorum Sociorum finienda causa perspexissent, accersitis ad se Hieronymo Acosta Domus Præposito, & Francisco Calarza Rectore Collegij, cum alijs quatuor Patribus, in conspectu eorum, nemine ex externis præsente, recitarunt sententias in Antonium Marcenium, Franciscum Labatum, & Ioannem Lopium, qui suis cum pallijs stabant: inde domum liberos remisere. Quæ iudicij forma, & benignitatem Quæsitorum, & nihil magnopere animaduersione dignum in reis deprehensum ostendit. Labata statim restitutus in Collegij Salmanticensis Rectoratum, quem ante administrabat, & sua Ioanni quoque Lopio omnino permissa libertas. Marcenio in biennium ab omni præfectura interdictum. Hic exitus vulgo existimatus est optimus, magnoque plausu exceptus, ac passim gratulationibus magni æque, ac infimi, nec solum beneuolentia ante noti, verum etiam parum fauentes, animi sui lætitia declararunt. Aliquid residebat curæ de causa Ripaldæ, cuius in Doctrina ferebat rumor non pauca affinia errori comperta. Sed & is quoque paulo post dimissus est: adeòque probata ferunt eius scripta, vt vnus Quæsitorum eorum sanctitate, & sapientia captus, exemplar describi sibi omnium iusserit. Non permissus est tamen statim ad populum dicere, quod quidam interpretabantur eò factum, vt immodicam lætitiam, qua continuo producti auditique priores erant, lueret. Inter hanc lætitiam res etiam publicæ pietatis è sententia gerebatur. In Regia Ioseph Acosta reuersus è Peruuia, & Alfonsus Sancius ex Insulis Philippinis habebant conciones frequentes, & apprime gratas. Florebant Gymnasia per omnes ferme Prouincias Hispaniæ. Peregre etiam per Missiones magno cum profectu multum operæ ponebatur. Ex Prouincia vna Castellana duæ susceptæ verno tempore per Castellam, vna per Cantabriam, per Galleciam quatuor. Salmanticæ autem tum in concione, tum in exempli narratione Francisco Vasquio facile terna auditorum millia operam dabant, haud minor ad Ioannem Ferdinandum Vallisoleti concursus: qui præter cætera Sodalitatem nobilium virorum, ex qua profecta deinceps sunt memorabilia pietatis opera, in formam redegit Congregationum Societati consuetarum: eamque & alteram adolescentium Generalis Claudius Romanis adiunxit. Sub idem tempus initium factum Collegio Areuali. Cum præmissus Antonius Larius domo

111 Marcenius Labata, & Lopius ex Sacri Tribunalis custodia liberantur.

112 Ripalda quoque post dimissus.

113 Missiones per Hispaniam multæ perutiles.

114 Collegij Areualensis initium.

mo conducta temporarium sacellum adornasset, accessit eò cum multis è grauioribus Patribus Prouincialis Villalba, vt initium fieret octauo Kalendas Martias, die S. Petri Antiochena Cathedra venerando. Eo die Clerus, & Magistratus, quo maiore nouos colonos benignitate exciperent, qua Cæremonia anniuersario solenni deferri per oppidum solet, vniuerso Clero, Sodalitatibusque deducentibus inter festum omnium Curiarum tinnitum, ad nostros Sacrosanctum Christi corpus detulere ex Parœcia Sancti Dominici. Nostri obuiam albati progressi aduentantibus: introductoque Sanctissimo Christi corpore, sacrum ab Emmanuele Lopio, cantante Clero, peractum est. Secundum quod Prouincialis verba fecit ad populum. Triduum ea missarum magna Cæremonia, & cantu, & concionum celebritas, mire gaudentibus Oppidanis tenuit. Septem dumtaxat nouæ Coloniæ posuerunt initia, quoad Collegij res paulatim Ferdinandus Tellius Gusmanius, qui instituebat, firmaret. Vir fuerat, hic militaris, præclaraque gesserat munera, præfectusque Oranum arcem tenuerat: tum secedens sibi victurus, & Deo, quia perituram sobolem natura negarat, facultates suas destinare cœpit in perpetuam successionem meritorum, assentiente coniuge Maria Tellia, & adiuuante collata ex æquo pecunia. Ingressus primum in Collegij instituendi voluntatem Ferdinandus hoc modo est. Anno ante hunc decimo cum ex Abulensi Collegio (namque in Abulæ Diœcesi est Arealum) Antonius Larius cum Socio ad Euangelica ministeria accessisset, quæsiuit ex eo, quem verum, & prudentem Dei præconem cognorat, quando heredem Deus non dederat, quonam modo de facultatibus recte suis posset consulere ad Dei gloriam, animæque suæ salutem? isque ei cum alia Christianæ pietatis opera, tum religiosas aliquot familias, ex quibus quam vellet accerseret, nominauit, nulla nostræ facta mentione. Quarum in rerum delectu dum, & ipse per se se Ferdinandus, & per alios multum Deo supplicat, vltro in Societatis cogitationem venit; laudansque Antonij modestiam, qui eam præterijsset, instituit eundem fatigare, vt plenius, quid illi institutorum, quid munerum esset, quid condendo opus foret Collegio sibi expromeret. Neque id cognouit auidius, quam probauit impensius. Vltro curam in Collegij institutionem fixit, permansitque in ea procuratione multos annos cum singulari plane constantia. Haud frustra multi crederent præcipuo Beati Ignatij patrocinio factum, vt cum celebriora multò loca repudiasset Societas, Areuali sedem poneret. Narrabant enim Ignatium ibi adolescentiam peregisse à Parente traditum Ioanni Velascio, Regum Catholicorum Ferdinandi, & Elisabethæ Quæstori, qui amicitiæ causa, cum suis careret, vnum liberorum, quem apud se educaret, à Beltramo Loiola poposcerat. Ipse igitur Ignatius tanquam veteris referre hospitij gratiam vellet, Collegium Arealensibus, & ad cæteras vtilitates, & ad rectam adolescentum educationem curasse, è Cælo est creditus. In Gandiense Collegium magno apparatu illatæ sunt sacræ Reliquiæ, quas Dux, eiusque Frater Ioannes Borgia donarant. Donum præcipue fuit Ducis particula è ligno Sanctissimæ Crucis, argentea Cruce eleganter inclusa. Supplicatio instituta ab templo principe. Ingens in eodem genere ducta pompa Murciæ. Miserat. Euerardus Generalis inter cætera insigne os Diui Stephani Protomartyris, qui ad memoriam Stephani Almeidæ Fundatoris, Collegio est tutelaris. Vt igitur hæc honestius, & sacra cætera asseruarentur pignora, populique ad cultum eorum pietas magis incenderetur, quinto Kalendas Martij ab templo principe, quò fuerant arcanò delata, in ædem Collegij Episcopus Carthaginensis Hieronymus Manricius retulit. Adfuit Clerus vniuersus, cuncta Parœciarum insignia, omnes Sodalitates, cumque consuetis honorum insignibus Magistratus. Multitudo è circumiectis quoque

115 Fundator eius Ferdinandus Tellius.

116 Antonij Larij moderatio Collegij Arealensis occasio.

117 S. Ignatius Areuali adolescentiam exegit.

118 Collegium Gandiense sacris Reliquijs auctum

119 Ea pompa insigni defertur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oppidis, & pagis accurrerat. Præibant proxime sacra repositoria pueri quadraginta, serico, auroque spectandi, cum sua quisque ardente face è candida cera. Pone sequebantur habitu militum ætate maiores scholastici, qui sub tribunis, ac ducibus distributi per tympanorum bellicum strepitum, & doctam vexillorum agitationem, militaria identidem ludicra cum pio quodam terrore, & venusta maiestate edebant. Triduum deinceps totum honores in templo continuati: quo tempore dies, ac noctes in Collegio Præsul Manricius egit.

Magnam hoc tempore adornabat classem aduersus Anglos Philippus Rex, cuius expeditionis prosperum vt exoraret euentum, multas Hispania tota preces indixit. Apparatissimæ fiebant vbique supplicationes. Eam ob rem, cum causa adeo esset grauis ac publica, visum est etiam Madritanis Patribus vti eo iure, quod generalis tertius conuentus in huiusmodi causa concedit, vt & ipsi supplicantes incederent. Cum igitur ad commouendam publice pietatem è Cœnobio, quod de Atocia vocant, Dominicanorum, religiosam Deiparæ Imaginem ad ædem Sanctimonialium excalceatarum ex Ordine Sancti Francisci Ciuitas detulisset, eoque supplicatum Religiosæ familiæ suo quæque die procederent, ex Collegio die Visitationi Deiparæ sacro processum hoc Ordine est. Scholastica prægrediebatur iuuentus, numero ferme sexcenti: candidus cuique in manu cereus: suam quisque Præceptorum ducebat classem: gestabant hi, & alia subinde pietatis argumenta, & in eleganti Feretro pueri IESV effigiem, circa quam eximia cum pietate Sodales B. Virginis incedebant. Post hæc Cruce præeunte sequebatur Ordo Sociorum (circiter sexaginta erant) Clericorum habitu cum superpelliceis, & ardentibus Cereis. Prosequebatur magna vis Procerum, magna populi. Plurimus etiam tanquam ad nouum spectaculum visendi studio accurrebat: & habuit vulgo res gratiam. Ad eamdem sub hæc formam supplicatum Vallisoleti, & Hispali. In alijs vrbibus, cum iam satis notus esset mos Societatis, appareretque quam propitiando Numini cæteris insisteretur officijs, supplicatio eiusmodi desiderata non est. Lectus est etiam à Rege nominatim Pater Iacobus Salazarius, qui pro hac causa Hierosolymorum sancta loca adiret. Viserat anno superiore iussu Regis idem Sacerdos insignia per Hispaniam religione loca, multumque pietatem suam, ac modestiam vbique probarat: quæ fuit causa cur hæc eidem peregrinatio longior iniungeretur.

Inter hæc Hieronymus Manricius, quem modo dixi, Carthaginensis Episcopus, Madritum venit, pro certoque vulgatur accitum à Rege, ab eoque diploma Pontificium accepisse, vt sacras Religiosorum familias recognosceret: verum etsi communi conceptum formula esset diploma, omnesque complecteretur Ordines sacros, tamen proprie vnius Societatis spectandæ causa curatum esse dicebatur, ab eaque incepturum Episcopum, & desiturum in ea. Ipsi quoque excidit Manricio, adesse se, vt Societatem inspiceret, atque reformaret. Hæc res vbi clarius vulgata, sedatius cœpit perpendi, adeo visa indigna est, vt nemo vellet autor, ac princeps haberi. Satis quidem constabat Comitem Oliuarium diploma à Pontifice impetrasse Regis iussu, qui, quando tam multa aduersus Societatis administrationem, & Instituta, Perturbatorum libellis deferebantur, vellet planius, quid in re esset cognoscere: cum alioqui fama esset etiam solitum eum dicere, abunde se aliarum Religionum res intelligere, vnius autem huius haud quaquam assequi posse. Verum quinam regias curas in tam multa sibi interiora intentas, & nunc maxime in Anglicanam illam tantæ molis expeditionem defixas, ad hæc deduceret, non satis certo constabat. Rumor ferebat Quæsitorum esse id opus, & ad Præpositum Generalem Dionysius Vasquius diserte idem perscripsit. Cæterum Cardinalis Quiroga omni opere conabatur opinionem hanc amoliri, affirmans palam, si deprehenderet, qui talem sermonem excitaret, eum se duci iussurum: cui non defuit, qui responderet, duci iuberet Dionysium, qui diserte Romam vsque perscripserat. Fons & origo haud dubie domestici erant perturbatores, qui alias vias cum desperarent exitum habituras, hanc expeditissimam suis machinationibus rati, nominatim in libellis, vt per hominem externum, & ab Quæsitoribus destinatum, & consueto Quæsitoribus ritu viserentur Hispanæ Prouinciæ, postulabant. Cæterum alijs hanc viam vno ore palam damnantibus, vnus erat Franciscus Abreus, qui non modo fatebatur eam probari sibi, sed & passim profitebatur probaturum se cuiuis euidenter, necessariam plane esse. Qui homo cum scientia Pontificij, Cæsareique iuris inter paucos celebraretur, operæpretium est cognoscere, quam fœde in domestici interpretatione iuris hallucinaretur. Nam idem (vti alias demonstraui) docuerat, ante professionem solennem neminem de Societate vere Religiosum esse. De Paupertate vero ita sentiebat, vt cum consulentibus ipse responsa Iurisconsultorum secularium modo ederet, mercedem nihilominus, quam Mercenarij interpretes iuris, exigeret: & ad subleuandam in Hispania Collegiorum inopiam existimaret stipendia pro consuetis instituti muneribus accipi oportere: Neque choro, neque processionibus publicis abstinendum: ac denique totam administrationis formam mutari vellet. Quæ notasse sat est, vt appareat quale esset hominum genus id, quod Sanctissimis Dei famulis omni virtutum genere ornatis, prudentia excellentibus, non solum de Hispania, sed de tota Ecclesia Dei optime meritis, negotium adeo indigne facessebat. Et tamen huiusmodi homines audiebantur, & regnabant, & minabantur: & Sancti Ignatij instituta, & Pontificum, & Sacri Concilij Tridentini sanctiones, quibus ea probata fuerant, atque ipsam tot annorum experientiam præ sapientia sua vere insipienti, & carnali aspernabantur, & perditum ibant. Id enim ante omnia per hanc Visitationem agebant, vt Societatem IESV euerterent, & Dionysianam aliquam turbam, aut Abreanam conflarent. Idcirco dederunt operam, vt in supplici libello, per quem à Pontifice potestas visendi petita est, ea conferretur in Cardinalem Quirogam, & cui ille delegaret. Et quia Pontifex primo haud Quirogæ, sed Spetiano Internuncio suo rem demandauit, eo minus contenti non destitere, quoad nominatim Carthaginensis Episcopus legeretur. Idcirco deinde curauerant, vt in formulam ex qua Quæstiones Visitator exerceret, præcipua conditarum ab Ignatio legum capita includerentur. Cuius quidem formulæ caput quintum hoc erat. Id quod præcipue spectari debet, est consensio, & conuenientia Ordinum inter se Religiosorum. Exploretur itaque quæ sit causa discriminis in habitu, in priuatis Cæremonijs, in repudiandis eleemosynis pro sacrificijs, & concionibus, in Choro minime habendo, in professione Votorum solenni, in potestate dimittendi, in correctionis Fraternæ modo, siquid dignum quid animaduersione visum fuerit, breui ad nos perscribatur, quo cum Pontifice agamus, vt mutetur. Adijciebatur deinde etiam videndum, cur Præsidum creatio Canonica non esset (ita vocabant, quæ per suffragia conuentuum non fieret) item cur tantum res ab Romano penderent regimine: quæ immunitas, ac potestas Præsidibus esset: qui modus reorum causas cognoscendi: quid ita interdicta essent libellorum Cruciatæ beneficia ad Confessariorum optionem: multaque his similia: ad extremum, & illud vt missæ Romam de cuiusque vita, ac moribus narrationes, & transmissa inde, siue aperta, siue arcana mandata cognoscerentur. Quæ omnia, quam pertinerent ad euertendam Societatem satis apparet. Simul tamen volebant ingratissimi, ac perfidi

120 Supplicatio nostrorum Madritensium pro successu classis in Anglos missæ.

121 Iacobus Salazarius Ierosolymam à Rege Philippo missus.

122 Manricius Carthaginensis Episcopus Visitator Societatis lectus.

123 Quis eius cõsilij autor fuerit.

124 Domestici Turbatores id petierant

125 Franciscus Abreus palam necessarium dicebat.

126 Eius errores & agendi modus.

127 Libellus turbantium ad Pontificem in destructionem Societatis.

128 Quæ mutari in Instituto Turbatores vellent.

129 Quid in his spectarent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidi filij per hanc criminandi secretam licentiam parenti suo, atque Præposito dolorem inurere, administrationem eius carpendo: quanquam id ita faciebant, vt fere hominem commendarent, sed culpam in absentiam referrent, quo viam ad extorquendum Commissarium præmunirent. Denique volebant pariter bonos Fratres, & obedientiæ sanctæ tenaces vexare: Ipsi vero, vel appetitos gradus, aut Præfecturas, vel certe impunitatem ea via nanciscì. Nam etsi pro paucitate sua numeroque, & constantia fidelium Sociorum non admodum benigna suberat sperandi materia, tamen cum res ageretur per occultissimas quæstiones, perque homines præiudicio imbutos, & magis vetustiorum, quam recentis huius Ordinis peritos, vt sunt male conscìorum improbæ spes, ac metus audaces, multum garrulitate sua, multum ferocia, multum qua apud Quæsitores, apud Quirogam, apud Regem (vt quidem sibi videbantur) & apud ipsum Visitatorem valebant autoritate, & gratia confidebant. Postremo, vt nihil sperarent, permisceri tamen volebant omnia: quia turbulentis omnibus commune est, quoniam nihil in tranquillitate possunt sibi boni polliceri, vt ipsam tempestatem quæstui habeant. Verumenimuero germanos Societatis filios pro magnitudine periculi solicitudo ingens torquebat. Nam eius sunt generis Religiosorum causæ, vt de ijs nisi, qui in eadem disciplina diu, multumque versatus sit, nequeat iudicare. Transcendit communem hominum sensum perfectionis apex, & vsque eò transcendit, vt facile, quæ blandiora sunt sensibus, ea iudicent meliora. Quippe cum ex sua imbecillitate, vulgique ignauia, humilem nimis opinionem induerint, crassa illa trutina vim honestatis, non exacta Euangelij statera examinant. Quod si eam ob rem, quamuis quieta essent omnia, nemo exterorum esset Iudex idoneus, quid fieret vbi cognitor non alienus modo, sed à turbulentis ipsis accitus, ac præiudicio occupatus accederet? Quid tum? quanta clades acciperetur, nouâ cognitionum, quæstionumque formula? Nihil enim æque perniciosum est religiosis conuentibus, atque si in eos inducatur forensium ratio iudiciorum. In his cum agendum sit cum pessimis hominum, ex quibus nisi vi, perque artes exprimi verum nequeat, suspicionis interpretationibus, insidiosisque tentamentis per cæcos anfractus locus est. In cœtibus vero sacris, vbi maxime veritas, & simplicitas colenda, & conseruanda est, si non aperta, ac nuda sint omnia, si inficiationes, tergiuersationes, & inuolucra, & fraudes irrepant, ipsa statim conuelli fundamenta perfectionis necesse est, & administrationem, quæ paterna debuit procuratio esse, in acerbum dominatum cuadere: ex quo fit, vt nec Præsides amentur, vt Patres, sed timeantur, vt Domini; nec tanquam ingenuos, liberalesque filios se se gerant, qui parent, sed in seruiles paulatim mores desciscant. Vt omittam, quam indignum sit, si quid humani inter famulos Dei (cum homines, & ipsi circundati infirmitate sint) incidat, id quæstionibus, & tabellionum scriptis traduci. Hæc, & id genus multa, quæ infra attingentur, cum disciplinæ tenaces, amantesque Socij damna prospicerent, ab ipso primum Antistite obnixe precantur, ne tale munus assumat. Alios id quatuor Episcopos dici abnuisse: posse & ipsum abstinere. Quod si reciperet, æqui, bonique duceret omnibus machinis obniti Societatem. Nimis enim ad viuum vulnus infligi: nec præsentibus modo, sed & posteritati perniciosam rem incœptari. Hac modesta deprecatione, ingenuaque denunciatione cum absterritus nihil, sed potius irritatus esset Episcopus, statim Proprouincialis Franciscus Porrius rem cum primis Patrum communicat. Illi pari consensu extemplo cum Rege agendum censent, vt ipse, qui autor habebatur, iubeat ab incœpto desisti: & ad P. Generalem scriben-

130 Religionum causæ à Religiosis iudicandæ.

131 Forensium Quæstionum vsus à Religiosa vita alienus.

132 Rogatur Mauricius, vt Visitationis munus recuset.

133 Eo id munus cupidius ambiente ad Regem recurritur.

bendum in Vrbem, vt id à Pontifice exoret. Colligunt igitur causas grauissimas, quæ ostendebant Visitationem eius generis, nec vllo modo necessariam, nec vtilem remedio, si quod opus esset, nec ipsi Regi, aut Regno opportunam, aut decoram esse: Societati vero plane pestiferam, & libellum in hanc sententiam Regi tradunt. Nobis quidem, inspici nostras res, corrigique sicubi est opus, pro eo ac decet talem vitæ sectam professos, gratum iucundumque est: habemusque, & agimus gratias Maiestati Tuæ, quæ partem curarum suarum ad nos deriuat. Cæterum quod adiumenti causa comparatur, vt alienus nos visat Antistes, non opis est, sed ruinæ. Dudum statuerat Præpositus Generalis mittere certos homines ipsa de Societate ex Tuæ Maiestatis sententia, qui res cognoscerent, & componerent; sed perturbatio temporum moram iniecit. Hos protinus pro tuo delectu mittet; quibus id erit maxime cnræ, vti Tuæ Maiestati satisfiat, nec alieno Visitatore sit opus. Vere enim ipse consueuisti, Rex sapientissime, dicere, non nisi ab Religiosis, & ab sui quosque generis hominibus Religiosos spectari debere. Nam si de militari disciplina nemo recte iudicet, nisi vir militaris: neque de nauicularia arte, nisi maris peritus: multò est necessarium magis, vt is, cui de Religiosis cognoscendum sit causis, Religiosorum mores, & instituta non cognitione solum, sed etiam vsu perceperit. Idque in causa nostra eò est certius, quod alia obtenduntur, re autem id agitur, vt quæ à Parente, & Fundatore nostro Spiritus Sancti afflatu conditæ leges sunt, quibus adhuc stetimus, & Deo iuuante, tantum profecimus, quas & Pontifices, & Concilium Tridentinum probarunt, aboleantur. Num igitur accipiemus ab extero leges? vel, is recte iudicabit, quæ retinendæ, quæ antiquandæ sint? Huc accedit, quod rumor fert à Quæsitoribus id proficisci incœptum, ideoque & virum delectum, qui diu de eorum consilio fuit: quo quidem nihil magis infame potest huic Ordini euenire: cuius Maiestas Tua si vtilitatem expetit, conseruet necesse est autoritatem. An sumus Hæretici omnes, vt simus omnes hac notandi infamia? an latent inter nos Hæretici, & peruestigandi hoc strepitu sunt? Ducant si quos habent suspectos, vti duxere alios quatuor: inquirant proprie in eos, notent, exurant: totum Ordinem infamari neque æquum est, neque Ecclesiæ Dei vtile, neque Quæsitoribus satis decorum. Quod si non fidei causa, sed alia tractatur, non est cur tractetur per eos; nec cur id erroris populo, ac suspicionis offundatur. Quin ipsi Hispanæ probrosum Nationi est, hoc primum in nostris Prouincijs attentatum. Nam alienis quoque in Regnis tanta res celebrabitur; & Hæretici quidem triumphabunt, Catholici autem mirabuntur, & cognita re offendentur, quod ex omnibus Mundi Prouincijs vnica Hispania fuerit, in qua, vel mores nostri sic essent corrupti, vt alieno rectore egerent: vel ita oppressa esset æquitas, & libertas, vt sine causa, perque summam iniuriam vexati, infamiaque notati fuerimus. Nam de domestico damno, quid dicere attinet? Perturbatores nunc quidem pauci sunt, sed, quæ est humani ingenij infelicitas, simul procedere conata eorum cœperint, plures fient. Seditiones enim Ciuiles vbi subsidia externa nactæ sunt, immane quantum inualescunt. Nec poterit, quamuis velit, Episcopus coërcere. Bonorum vero tantò acrius irritabitur patientia, & ira ad obsistendum armabitur. Quippe virtutis amantes nihil ita exagitat, & obfirmat, vt causa pietatis; pro qua, si vel vsque ad necem decertent, præstare se Deo sacrificium putant. Quantum igitur, quam graue exardescet dissidium inter eos, qui mutata volunt instituta nostra, & eos, qui conseruanda, vel sanguine fuso existimant: paratique sunt potius mori, quam perpeti ea attingi? Quam in longum offensiones, quam implacabiles serentur?

134 Libellus Regi pro Societate oblatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ? Quantum negotij ipsi fiet Antistiti, quantum Maiestati Tuæ ingeretur molestiæ ? Quæ si nulla essent, per ipsum nomen adeundi, alloquendique Visitatoris, quam multa, quæ quieta sunt turbabuntur ? Assument sibi quiqui sunt leuiores ingenio, & impatientes disciplinæ quidlibet moliendi licentiam : ac Præsides, nec audebunt eos in officio continere, nec poterunt. Omnia igitur pessum ibunt, omnia suspicionibus implebuntur : offensiones, & simultates alentur, & licentia grassabitur : & vnde petebatur medicina, inde accersetur interitus. Quæ cum certa sint, Maiestatem Tuam totus hic Ordo, vel certe plurimi, optimique ex eo, prouoluti ad pedes omnibus precibus orant, & obtestantur, vti conseruatos ipsos velis ad tua, tuorumque Regnorum obsequia ; quibus si fidelem, ac non instrenuam, neque prorsus inutilem operam adhuc nauarunt, nouo hoc aucti beneficio enixius etiam nauabunt in posterum. Hæc multoque plura breuiter comprehensa, Patrumque præcipuorum quinque, & quinquaginta subscripta nominibus, tradidere Regi : coramque grauissimi quique rem acriter egere, & Hispanicæ omnes Prouinciæ grauibus obstitere literis communi nomine scriptis. Ipsi quoque Lusitani suo, & Indiæ, & Brasiliæ nomine magna vi institere. Verum nihil responsi relatum est, nisi : Regem consideraturum.

135 Hispaniæ, & Lusitaniæ Prouinciæ Visitationi Externi obstitunt.

At Romæ cognito nouo turbine Claudius, & ipsiusmet grauitate rei commotus, & Patrum Hispanorum plenis querelarum, ac mœroris incitatus literis, Pontificem confestim adit ; atque vbi summam causæ paucis exposuit, Hoc nimirum est, inquit, Beatissime Pater, quod homines isti clanculum hactenus egerunt, quod votis, ac spe deuorarunt. Volunt se se non solum Præpositi sui imperio eximere, sed ab Sancta quoque hac sede, quoad possint, ita subducere, vt suum sibi domi regnum statuant, nihilque, aut quam minimum cum Vrbe commercij habeant : hoc enim certe tradito sibi Visitatore assequuti videbuntur, qui nomine Apostolicus, re ipsa pro eorum arbitrio Societatis leges, mores, iura omnia peruertet. Prolatoque quoad volet munere, & alijs deinceps ad exemplum substitutis, id efficient, quod dixi, vt nobis res illic nostras curare non liceat, neque vt solemus Apostolicam de ijs Sedem consulere. Persensit incommoda Pontifex, &, occursum, inquit, vellem. Nam satis nobis est persuasum non nisi per homines ex Ordinibus suis, Religiosos visitari debere, & nunc ipsum id habemus in manibus. Quin videas, inquit, volo, & continuò ostendit, quam per id tempus edidit instructionem Congregationi super Regularibus institutæ, in qua diserte mandabat, vt Visitatores deligerentur ex ipsis Ordinibus, qui visendi forent. Tum addit : Cæterum Pater Generalis, quid remedij supereſt, cum ita nos obtuderint, vt expressum diploma, transmissumque sit ? Hoc, inquit Claudius, vt differant rem, donec Sanctitatem Vestram de omnibus certiorem faciant, & capita illa mittant, de quibus cognitionem instituendam censuerunt. Hæc enim à Sanctitate Vestra cognosci magnoperè cupimus, ad quam propriè spectant : cum de Instituti nostri rebus ab Sancta hac Sede approbatis agatur. Quanquam & illud æquum esset expromere, quid causæ fuerit, cur ex omnibus Spurium hominem deligendum putarint, cui potissimum hoc visitandi nos munus imponerent. Iuuat admirari nodi difficillimi solutionem vbi Dei sapientia collocarit, nec id ab quoquam aduersariorum satis prouisum, cum Pontificis ingenium adeo omnibus esset perspectum. Vt enim Sixtus Spurij nomen audiuit, cum supra modum ab eo hominum genere abhorreret, tanquam fucum sibi in ea re factum indignatus, extemplo Cardinali Carafæ mandat, vti suo nomine ad Cæsarem Spetianum Internuntium det in Hispaniam literas, moneatque, vt Regi denuntiet : sibi non placere, vt eo diplomate vtantur. Adiecit

136 Generalis Pontifici supplicat.

137 Pontificis benignum responsum excusantis rem iam factam nec reuocabilem.

138 Spurij Episcopi mentio forte illata Pontificem ad reuocandam facultatem datam inertat.

cit & suas ad Regem literas Claudius, modeste, sed grauiter expostulans, secum in tam graui causa sic actum fuisse. Orare Maiestatis eius prudentiam, ne falsis paucorum querelis præbere aures velit : sique in ipsa Societate minus quid probet, id non extraordinarijs, sed visitatis modis per ipsos eius Præpositos corrigendum curet. Ad Prouinciales præterea Hispaniæ scripsit, vt viritim è Professis omnibus, ac domiciliorum Præfectis quærerent, censerent necne Visitationem Societati per hominem extrarium vtilem fore ? nominaque omnium in libellum relata singulæ Prouinciæ per fidum hominem ad Regem transmitterent.

139 Vir magnæ autoritatis Manricium legitimo cõiugio editum pertendit.

Interim Romæ vir magnæ autoritatis, per quem diploma expressum à Pontifice erat, si quid in ea re peccarat, haud leuiter (vt est pudor ingenuis animis tortor, & cruciatus acerbissimus) luit. Interrogatus enim à Sixto de Præsulis Carthaginensis natalibus, non tam, vt verosimile est, dissimulandi studio, quam quod siue minus recordaretur, siue nesciret, honestos, iustosque affirmauit esse, & graui dignos mulcta, qui Pontifici secus narrassent. Cui Sixtus, inquire igitur, & comperta mihi renuntia. Tum ambo in Hispaniam, ad suos ille, Pontifex ad Speciatum dedere literas. Vbi autem plane allatum est, quod erat, rursus ex homine Sixtus, quid deprehendisset quæsiuit, faterique prioris dicti insciam, seque mulctæ, quam in alios pronuntiarat, reum profiteri, ac veniam deprecari coëgit.

140 Sed breui manifestè reuincitur magno suo pudore.

Magno studio Prouinciales Claudij mandata exequuti : ij recens munus inierant omnes. In Castella Ægidius Consaluius propter viri autoritatem, ac prudentiam ex Bœtica temporum causa translatus. In Aragonia Petrus Villalba ex Castella profectus. In Toletana Consaluus Auila, qui Collegio Burgensi præerat, cum inde ab vinculis Marcenij Prouincia careret Præposito, & Vicarius administrasset Franciscus Porrius. In Bœtica Ludouicus Gusmanus. Ioannes Correa in Lusitania Sebastiani Moralis successor. Nemo prope omnium fuit, qui contra illud Visitationis genus non subscriberet. Vnicus extitit primo in Aragonia Iosephus à S. Iuliano, non quod rem probaret, vt aiebat, sed quod verebatur, ne rem ita vulgatam, tantumque progressam reuocare velle pro argumento acciperetur conscientiæ. Mox tamen planius re, vt aiebat, inspecta, cum eiusdem formæ libelli Romam quoque ad Pontificem mitterentur, suum & ipse nomen adiecit. Ipse Perturbatorum dux Dionysius pariter subscripsit, magnum iusiurandum iurans ex animi sententia ita se censere, neque talis negotij se participem esse. Quæ hominum in subscribendo voluntas curam injciebat nonnullam, ne sententias omnium conspirationis vi expressæ suspectas faceret. Dictitabant enim Perturbatores, quæ ipsi magno animo tanquam se pro communi bono deuouentes conarentur, plane alios sentire vniuersos, verum domesticæ vexationis metu absterreri ne sententias suas nudarent. Tamen, Deo re commissa, literas ad Regem Prouinciarum, nominaque idem censentium detulere Alfonsus Romanus ex Aragonia, Ioannes de Siguenza ex Bœtica, Franciscus Porrius ex Toleto, Ioannes de Aguila ex Castella, Petrus Fonseca ex Lusitania. Qui seperatim diuersis temporibus Regem alloquuti sunt, grauissimeque in hunc modum Fonseca. Tametsi in ea Visitatione non ageretur de Lusitania, tamen Prouinciam illam, vt Societatis, excepta Romana, vetustissimam, intelligentem graue inde in totum corpus damnum redundaturum, censuisse nequaquam satis perfunctam se officio suo, nisi post datas ad Regem vnas, & alteras de re eadem literas, ipsummet Fonsecam allegaret, qui pro notitia, quam dudum, ex tempore quo Generali Euerardo fuit Assistens cum Regi tradi libelli cœpere, totius habeat Societatis, coram de tota causa sincere testificaretur. Pro certo igitur Rex haberet, qui machinationem illam admouebant, neque priuatis

141 Patres Prouinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ magno consensu Visitationẽ Externi noxiam pronunciant

142 Ipse quoque Dionysius Valquius idem se sentire iureiurando firmat.

143 Delegati ex Prouincijs Regem alloquuntur.

144 Fonsecæ grauis oratio ad Regem pro Societate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniurijs commoueri, quibus esset promptum domi remedium, neque Præpositi Generalis administratione, quam Procuratorum conuentus nuperrime summe laudarit, sed impatientia disciplinæ, & ambitione, quod honoribus deiecti, quos sibi, suisue sperarant, in grauissima quæque totius instituti membra impetum facere animum induxerint. Itaque de mutanda Religione agi, quam cuncti ab ea condita Summi Pontifices, Concilium Tridentinum, tot annorum vsus, diuinum etiam tot rebus bene gestis iudicium comprobarit. Verumenimuero propter hæc pignora tantum abhorrere Societatem ab re quacumque de natura Instituti, quamuis seruatu ardua videatur, mutanda, vt in Conuentibus Generalibus hoc primum statuatur fundamentum, nihil ex ea via, quam nobis Deus per Ignatium, pro sua bonitate monstrauit, & per quam hactenus duxit, attingendum. Sic exempla docere Sanctorum, & præcipue Sancti Francisci, qui cum turbulenti sui Ordinis in Generali conuentu vehementer, per gratiam quoque vnius Cardinalis, tenderent, vt paupertatem ab eo institutam tanquam extraordinariam, & ab alijs Ordinibus diuersam mutarent, vir humillimus, magna libertate in eum sermonem erupit: Nemo mihi aliam quamlibet Religionem, aut viuendi formam, prudentem licet, & cautam obijciat. Nam Deus me ad hanc simplicitatem vocauit: per hanc incedendum mihi: per hanc credita mihi familia deducenda est. Itaque cum Deus Societatem vocarit, vt per abdicationem voluntatis, ac iudicij in obedientia, & perfecta legum suarum custodia, perfectum exterioris sui, & interioris hominis immolet sacrificium, atque ad proximorum salutem incumbat. Qui hoc institutum tentet inuertere, & aliud quoduis inducere, plane eius hostem habendum esse. Non enim id esse Religionem reformare, quod est ad pristinam reuocare formam, sed deformare, ac funditus euertere. Hæc autem vt efficerent, seditiosos conquestos esse: Generalem externum esse, tanquam Generales, qui Hispani fuerunt externi non fuerint nationibus reliquis: aut qui nunc est Italus, non & Gallis, & Germanis, alijsque gentibus alienigena sit. Quo loco addidit Fonseca, id homines male habet, quod dominari ipsi, vt sperarent, si Hispanus esset, nequeant. Ideoque cum primum Generalatus ad Belgam collatus est, moliri noua cœpisse: & nunc, quo longius à spe absunt generalatus totius, eo instare acrius, vt suus sibi proprius, nomine Commissarius, re Generalis detur. Sed tamen, cur Hispanis potius, quam alijs nationibus iste Vicarius detur? Nonne id agitur, vt quod vna impetrat natio, idem sibi continuo iure suo deposcentibus cæteris, ex concinno hoc corpore, monstrum enorme multorum capitum fiat? At longius hinc abesse Generalem, quam recta administratio ferat, queruntur: certe non abest longius, quam cum Generales Hispani erant, nec longius ab Hispania, quam ab remotissimis alijs Prouincijs, quæ tamen Commissarium nihil desiderant, ac sine eo regi se optime profitentur. Cura boni communis obtenditur: ambitio animos stimulat, spiritus quidam dissidij persimilis Schismatico spiritui hæreticorum, quorum primus ruinæ gradus est ab capite semet abscindere: veluti cum ijdem negant decere, vt si quando incidat nostræ operæ vsus, Tua Maiestas ab Vrbe petat, expectetque ab Vrbe responsum (quod per vanissimam adulationem iactant, cum id incommodi præuidens Claudius Rectori Madritano, alijsque Patribus, qui apud te sunt, præceperit, vt ad nutus omnes tuos ex tempore accurrant.) Sed illa cum ingerunt, Ecclesiasticorum eorum imitantur superbiam, qui olim, quo supra debitum sibi se tollerent apicem, & iustum iugum excuterent, contendêre, vt vbi principatus rerum humanarum erat, & diuinarum statuerent: quod Constantinopoli, & Rauennæ tentatum, sua tandem superbos Præsules, Principumque

145 Refellitur querela causantium Generalem Externum esse.

146 Rationes cur non conueniat Societati Commissarius.

147 Adulatio Turbatorum in Regem coram ipso Rege reprehensa.

que ipsorum pernicie scimus luisse. Cum è contrario ea felicissima regna sint, in quibus maxima curâ sui gradus potestatibus sacris suum conseruatur obsequium. Hinc alia cum refutasset querelarum capita, subiecit Fonseca: turbulentos hosce similes quoque Hebræis illis esse, qui quod minus capaces erant Doctrinæ Euangelicæ, Christo dixerunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Item hos ideo Societatis disciplinam culumniari, quod tantæ perfectionis capaces ipsi non sint. At quemadmodum Christus non idcirco abstitit ab sua Doctrina, quod aliqui abierunt retrorsum, sed potius dixit, Nunquid & vos vultis abire? Ita Societati potius curandum, vt hos cum pace dimittat ad Religiones, si quæ eis conueniant, quam vt de regula sua quicquam peruertat. Porrò Visitationem, quæ tentabatur, contra Tridentinum Concilium esse, quod Religiones, si ex ipsis idonei viri suppetunt, vetat per alienos inspici. In Societate autem haud dubie multos suppetere peridoneos. Deinde esse contra ius, quod tot annorum vsu, cum postquam instituta est ab alienis spectata nunquam sit, aequisiuit: quod ius inauditæ non posset sine iniuria eripi. Adhæc perniciem exempli longe permanaturam in Prouincias nostras, & Religiones alienas. Præterea expressum à Pontifice Diploma per fucum fuisse, præsertim cum Societas ita postulare tota diceretur: quod longissime à vero abesse è subscriptis nominibus, ex tanto reluctantium consensu, & ardore Rex oculis suis perspiceret. Nec debuisse in causa tam graui solos accusatores audiri. Adiecit offensionem publicam, & existimationis iacturam, quam cum maximo animarum detrimento Religio ad hanc diem tam publice salutaris faceret. Quid quod ne appareret quidem inspectio illa, qua via posset institui? Neque enim circumire domicilia ipsum Episcopum posse omnia, neque ad eum Socios aciri, ne omnia turbarentur. Ad extremum interdictam quidem esse Episcopo interpretationem Constitutionum Societatis, quam Pontifex Gregorius XIII. sibi vni, Præpositoque Generali reseruat. At si quacumque tandem potestate commutatio aliqua fieret, sciret Rex integrum fore Socijs eas leges accipere, aut reijcere, plurimosque non recepturos, eorumque imbecilliores causam idoneam nactos, remigraturos in sæculum, firmiores migraturos in externas Prouincias, seditionibus omnia, confusione, tumultu complenda. Talia se sanctè coram Deo ex animi sui sententia testari ita esse, & scire quotquot in Societate sunt viri prudentes, vereque religiosi, eiusdem sententiæ esse: Regique se expromere, vt conscientiam suam liberet: & dignum aliqua fide esse, quod amplius annos quadraginta in Societate vixerit, & præcipua in ea gesserit munera, dignam quoque Lusitanam Prouinciam, eiusque fidelitatem: dignos desudantes in India, & Brasilia Socios, quorum summas preces, & obtestationes benigne respiciat, & nouo hoc clementiæ pignore in diuino, ac regio obsequio labores eorum, animosque confirmet. Patribus adeo in hanc curam intentis fauebant præcipui ex Aula Dynastæ. Ex Lusitaniâ Albertus Austriacus Regni moderator perstudiose scripsit super eo negotio ad Regem: Theutonius Archiepiscopus Eborensis suas ad Internuntium Pontificium dedit literas, aperte professus, quò sibi notiora erant Societatis instituta, hoc magis deberi fidem affirmanti talem inspectionem exitialem fore. Specianus autem receptis à Pontifice literis, apud Regem sic egit, vt minime videretur (ita Patres Hispani loquuntur) Præpositus ipse Generalis agere vi maiore, ac studio posse. Cui Rex dicitur, breue id responsi dedisse, fiet, vti mandat Sanctissimus: verum tanto studio opus non erat. Idem Specianus sub annum extremum cum Romam decederet, maxime animatus venit ad Pontificem confirmandum, ne quid tale, si rursus peteretur, concederet. Vehemens enim suspicio erat, qui negotium suscepernt nequaquam destituros, quoad

148 Ijdem comparati Schismaticis, & discipulis à Christo recedentibus.

149 Visitationis per Externum Consilium à Tridentino reprobatum.

150 Diploma Pontificium falsa narratione subreptum.

151 Interpretatio constitutionum Pontifici reseruata.

152 Confusio rerum omnium secutura ex Visitatione Externi.

153 Dynastæ vtriusque Regni causæ Societatis fauent.

154 Specianus efficacissimè causam Societatis agit, & à Rege assensum in rem optatâ elicit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex voluntate perficerent : sed nihil impetrare ab Sixto præterea potuere. Quinimmo causam hanc ita complexus est, vt cum Internuntium nouum mitteret Annibalem de Grassis, illam ei nominatim etiam atque etiam commendarit.

Iam velut ex acie ad triumphalem Hierusalem iaculemur obtutum, omnique emeritorum è numero, quos inter homines maxime heroicæ virtutis opinio prosequuta est, delibemus. Hi fuere in Castella Prouincia Iacobus Vela : in Bœtica Iacobus Sancius : in Toletana Ioannes Peralta, ac Petrus Pinnanus. Abulensis erat Vela, stirpe clarus, eoque potissimum obedientiæ statum delegerat Sacerdos creatus ; oborta religione, quasi tantum honoris, ac muneris suscepisset indignus ; quando iam integrum non erat deponere, illud restare existimauit, vt quod sua voluntate susceperat, aliena administraret. Hac animi inductione Societatem ingressus, perinde in ea vixit, magno semper studio animarum flagrauit, nec ob eam causam dies, ac noctes vlli pepercit labori. Apostolicas peregrinationes frequens obibat, ad quoscumque accederet populos mire gratus, ac fructuosus. Itaque ijs in oppidis, quæ lustrauit, viuax permansit memoria virtutum eius, & sanctæ institutionis. Villagarziæ lateris dolore ictus, initio tam impense precabatur à Deo, etiamnum vitæ annum ad sua, vti loquebatur, expianda peccata, vt diffidere plus nimio videretur. Sed ad extremum, ita confirmatus, ita repletus fiducia est, vt Christi effigiem manu tenens in hæc verba eruperit, Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per IESVM Christum : atque ita securus in pace requieuit decimo tertio Kalendas Martij. De eo sic scripsit ad Præpositum Generalem Prouincialis Villalba : Iacobus Vela quatuor Votorum Professus, vir ex optimis huius Prouinciæ religiosis, ingens Operarius, magnique exempli, decessit Villagarziæ beatissimo fine, quo omnes ad pietatem valde commotos reliquit, illustribus editis, vti semper ante præstiterat, sanctitatis argumentis. Biduo post Hispali decessit Iacobus Sancius nihilo minore fama sanctitatis : de quo item Generali Præposito Ægidius Consaluius tum Bœticæ Prouincialis sic nunciat. Placuit Deo Iacobum Sancium ad se se assumere. Obijt cum exemplo, & pietate, qua semper vixit, susceptis Sacramentis, & summe cupiens dissolui vinculis huius vitæ, vt ad fruendum eo, quem tantopere adamauit, euaderet. Hic ille est Sancius, qui Romæ anno seculi huius octogesimo, dum Anglicana instituitur expeditio, studio animarum, & multa tolerandi pro Christo incitatus, in eam Pontifici Gregorio se se obtulit ; ab eoque admonitus, vt cogitaret de Societate eius expeditionis gratia ineunda, dum preces facit in S. Petri, claram vocem, quæ è sacro tabernaculo erupit, audiuit : Esto de Societate nominis mei. Inde posito Romæ tyrocinio, Mussipontum translatus est in Lotharingiam, vt ibi occasionem opperiretur in Angliam transeundi. Sed cum postea Orator Hispanus ex eo Regno cessisset, & homines Hispani rebus agendis ob hæreticorum suspiciones minus idonei forent, in Belgium missus est, vt regijs copijs nauaret operam, quod fecit singulari caritate, patientia, industria, magno bono militum, summa valetudinis suæ iactura. Quam ob causam primum Virdunum, deinde iterum Mussipontum concedere iussus, est, hinc Mediolanum, & ad extremum valetudine magis semper fluente, Hispalim ad natale Cœlum traductus. Vbi vbi fuit singularis vestigia Religionis impressit. Ex ea diuina voce, qua mirabiliter ad Societatem vocatus est, ita rerum piarum cogitationi mens viri adhæsit, & quodammodo affixa est, vt deinceps ne posset quidem in alijs cogitationibus immorari. Eadem voce altissima mysteriorum Christi repletus est scientia, vt de ijs tanquam homine maior, vbertate, & magnificentia maxima loqueretur. Et vt semper inhære-

155 Iacobi Velæ summa vitæ.

Sancti mores.

Et mors felix.

156 Iacobi Sancij vocatio in Societatem mira.

157 Varijs locis vitæ religiosæ edit exempla.

158 Donum orationis insigne.

bat mente diuinis, ita nunquam nisi de diuinis habebat sermones. Quod si quis forte alienos inferret, statim ad diuina commode transferebat. Quod cum esset iam celebre, non defuere interdum, qui experiundi studio de industria ad alia humanæ consuetudinis conarentur illum deflectere, illata mentione belli alicuius, aut noui euentus. Ac Sancius magna quidem modestia, & comitate sermonem illatum excipiebat, sed extemplo ea dexteritate, vt vix collocutor sentiret, ad cælestia traducebat. Fiebatque beata permutatio, vt qui voluerat cælestem hominis Dei conuersationem deuocare ad terram, is cum minime sentiret, admiraretur se se sublatum in Cælum. Accessit hisce donis, & illud, Precatus à Deo est, vt omnem sibi patriæ, propinquorum, ac rerum terrenarum memoriam eriperet, quod ita est consequutus, vt aliquando iucundè ipsemet dixerit, plus sibi quam postulasset, datum. Ita enim memoriam amisit, vt statim à cæna, ne id quidem recordaretur vtrum cænasset : nec facere sacrum (statim vt inciperet memoria deficiente) posset. Qua tanta in obliuione magis erat mirum, si de Christo rebusque cælestibus differendi daretur occasio, nunquam deesse, quod diceret, sed nouos vsque grandesque sensus ex beata illa vena profluere, summa perspicuitate, suauitate, ac vi. Tum vero cum de diuinis beneficijs, bonitate, & amore Dei loqueretur, totus animo, totus ore igneſcere. Infundebat autem se illi tanta cælestium luminum, & suauitatum vbertate sæpe diuinitas, vt æstuans, & quodammodo exundans, clausis oculis, & ambabus manibus ad os admotis, inclamaret, Non plus Domine : Serua mihi hæc in alteram vitam : Noli hæc mihi iam ostendere : non est tempus. Tu es nimis bonus : tu expectare non potes : testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Admodum ægre ferebat, quod ad sacrum faciendum memoria non sufficeret. Cum autem coram Sanctissimo Sacramento communicaturus adstaret, dixisses ipsis cum oculis Diuinissimam Trinitatem intueri, eo venerationis, submissionis, & attentionis adstabat habitu. Cæteris, qui aderant ipse eius conspectus pro magna erat face, vt pietas, & ipsos penitus inflammaret. Dixit aliquando visum sibi dum communicaret videre Christum Dominum, qui ad se se paruulus ingrederetur, seque illi dixisse, Domine, tu es verus Deus, & homo, & tantus quantus ego sum, ergo extende te, & imple caput hoc meum, hæc brachia mea, corpus hoc meum : tuique sint hi oculi, tuæ hæ aures, tuum hoc os, & manus, & pedes. Tu loquere, tu ambula, tu vide audique in me. Quæ cum dixisset suauissime exclamauit, Viuo itaque iam non ego, viuit vero in me Christus. Alio tempore dixit visum sibi deuorare Domini Crucem, quæ cum parua esset initio, postea extendisset se se, ac totum impleret. Quare aiebat, Nunc ergo Christo confixus sum Cruci, nunc mihi Mundus Crucifixus est, & ego Mundo. Nec aliter, se ac loquebatur gerebat. Nam hisce donis aliud haud minus, & cæterorum probatio, ac fides, adiungebatur ardentissimus Crucis amor. Nihil habebat in ore frequentius, quam duo hæc verba, amare, ac pati. Sæpissimeque solebat Deum precari, vt morbi omnes, & imbecillitates Patrum, ac Fratrum in se vnum conferrentur ; quo cæteri omnes expediti, & alacres in Vinea Domini laborarent. Nulli enim se visui aiebat esse posse, nisi vt ferret onera. Quare & illo psalmi versiculo sæpe Deum alloquebatur : Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum : non raro, vt ostenderet, quam esset sorte illa contentus, adijciens, funes eeciderunt mihi in præclaris. Denique feria etiam sexta, vti optabat, tanquam Crucis in regno vitam absoluit, hectica febri consumptus bo. Nec dubium fuit, quin morienti cælestium adesset corona, quorum duos claro micantes lumine ipsemet sibi eo ipso die in cubiculo vi-

159 Assiduitas loquendi de rebus diuinis.

160 Obliuio Patriæ, & rerũ terrenarum petita, & obtenta.

161 Abundantia consolationum diuinarum.

162 Sensus eius cœlestes, & ardentia, Colloquia.

163 Summa votorum, eius amare, & pati.

164 Sancte moritur.

sos

Universidad de Deusto
Biblioteca

165 Ioannes Peralta homo insignis innocentiæ.

sos aperuit. Ioannes Peralta cognomentum nactus ex patria, Diœcesis Pampilonensis oppido, nunquam integritatem mentis, aut corporis, nunquam stolam innocentiæ primam mortifera labe creditur maculasse. Bono ortus genere, pollens ingenio, omnibus condiscipulis forma virtutis: Theologiæ Compluti sub Alfonso Deza nauabat operam, cum Deo ad Societatem vocanti diu restitit, quod indignum se, & repudiandum tanquam inutile pondus arbitraretur. Vicere tandem immodicam cælestes instinctus modestiam. Anno 1568. admissus, tyrocinio Villaregij, partimque Placentiæ, vna cum Theologiæ curriculo, absoluto, sexennium Compluti per varia exegit munera, summa in singulis approbatione omnium. Inde Madritum euocatus, & confessionibus domesticorum præfectus, non solum ei muneri cumulate satisfecit, sed & exterorum permultos excoluit, multo alacrius quos inopia, ac solitudo, quam quos opes, & humana id genus decora commendarent, complectens, studio non solum Deo, sed etiam hominibus accepto. Inde enim etiam à nobilibus ita breui cœpta eius sella frequentari; vt vix alter esset æque in Collegio occupatus, Adeo conciliatrix est Christiana modestia: & quisque existimat eum optimum fore alienæ rectorem conscientiæ, qui norit suas moderari cupiditates. Matrona certe prænobilis, non nisi alacritate, qua Pater rogatus, vt ancillæ cius confessionem exciperet, respondit eo se maxime loco adesse, vt pauperibus, & mancipijs inseruiret, commota est, vt ipsa quoque confessarium sibi eum deligeret. Ille vero nullo commodi sui respectu omnibus præsto erat: admonitis ianitore, & ædituo, vt quoties adessent inopes, nunquam prætermitterent quin se se accirent: cumque aduocabatur, dicto ocius accurrebat, ipsos solitus ædituum, ac ianitorem appellare Præsides suos. Quicquid deinde superabat temporis (nec parum superabat vnæ animarum agenti negotia) totum Orationi, Sanctorumque lectioni Patrum impendebat: toto die certa in spatia, & opera distributo, quæ non modo constanter, sed & propemodum religiose seruabat. Hinc, quod incredibile videatur, consequutus est, vt tot inter continuas occupationes, longasque preces, & imbecillitatem valetudinis, præcipue oculorum, triennio diligenter quæcumque ad mores pertinent, recognouerit; omniaque Sancti Gregorij, Ambrosij, Augustini, & quorumdam præterea peruolutarit opera, excerpseritque, quinque excerptorum voluminibus confectis. Tanta, si quis connitatur, in humanæ naturæ imbecillitate inest vis: tanta in temporis malignitate benignitas. Adeoque verum est, quod scriptor nobilis pronunciauit, Magis naturæ industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. Duodecimo ab adita Societate anno Villaregium Rector, Magisterque Nouitiorum destinatur. Quo in munere singulari cum alumnorum profectu, suoque, sex annos posuit. Inde ob subortas Collegio lites, vt mitigarentur quidam litigatorum, qui sine causa contra eum exarserant, Talabricam ambitus est, insigni cum obsequij documento, animique sui tranquillitate. Nec multo post grauiter ægrotus curandi causa Talabrica Toletum deuectus: cum ita creuissent dolores, oculorum præsertim, vt alter eorum ex ipsa acerbitate mali foras emicaret; tandem Nonis Octobris, sexto, & quadragesimo ætatis anno, post recepta pie Sacramenta, terras reliquit. Ad eius, quam dixi initio sanctimoniæ custodiam, & nutrimentum, præter excellentem modestiam, ac verecundiam naturæ bono inditam, adiungebat voluntaria ipse præsidia. Custodiam suis sensibus vndique seueram circumdabat: Oculos quidem ipse præmuniuit Dominus, cum ita affecisset, vt vel aura lucis offenderentur. Fugiebat nouas res audire, nedum scitari: cum diceret: abunde esse Religioso viro domi suæ, quod curet, nedum vt ei curare aliena vacet. Linguam supra potius, quam

166 Ingressus eius in Societatem, & labores in ea obiti.

167 Agit libentius cum pauperibus.

168 Diligentia in studio Sacro.

169 Pie moritur.

170 Insignis in eo custodia sensuum,

infra

infra modum coërcuit: Comis in remissione domestica: sed si adesset, qui loqueretur, perpetuus auditor. Cuius rei causam aliquando cum redderet. Quid mihi, inquit, optabilius, quam iter facienti vt sit qui sumptum suppeditet? Gustatum ne valetudinarius quidem violare sustinuit vlla re extra communes. Ex hepate præcalido perpetua vrebat sitis, nec tamen extra refectiones ordinarias, vel gelidam degustauit. In morbo, quamuis grauissime stomacho fastidiente, nunquam vel quid appeteret exprompsit, vel repudiauit, vel minus probauit oblata. Quinctiam aliquando cum per incuriam appositum esset vitiatum iusculum, & delibatum seposuisset, hortante Sacerdote, qui rei imprudens aderat, vt paulo plus ex eo sumeret, nullo edito vitij signo, obedienter sumpsit. Neque vero mirandum id in Peralta est, qui ad Francisci Borgiæ imitationem pharmaca etiam odiosa haurire sorbillando tanquam suaue poculum, consueuerat, vltimo haustu multum os colluens. Iam afflicta adeo valetudo satis poterat pro voluntaria afflictatione censeri, ille tamen ter in hebdomada vsurpabat flagellum, duos dies induebat cilicium, duas noctes abstinebat lecto. Quo vero patientiæ per hæc studia peruenisset, sæpe alias, at clarissime palam factum est supremo tempore, cum præ dolore, vt dixi, oculus exiliuit. Ita enim eam acerbitatem pertulit, non modo vt nunquam ingemisceret, sed vt nec pertinere quidem ad eum videretur. Par erat laudibus hisce animi submissio. Nunquam passurus erat, vt ad Quatuor Votorum professionem admitteretur, multum reluctans, multisque cum lacrymis sese indignum esse contendens, nisi confessarius adegisset. Nunquam se quamuis per iniuriam, falsoque notatus, purgauit: monentique vni Præsidum, vt rationem sui redderet Generali Præposito circa lites, quas supra dixi, Mea, inquit, nihil interest ista purgatio, Si Pater Generalis necessariam iudicabit, ipsemet requiret. Obedientiam vsque eo coluit, vt cum Medicus aliquando super quodam remedio sententiam eius exquireret (aliquid enim medicinæ artis norat) responderit: Tu vero arbitratu tuo. nam mihi quidem obedire potius est, quam valere. Quem igitur se aduersus Spirituales medicos ferret, qui ita Medico parebat corporis? Iam familiarem cum Deo consuetudinem ab tyrocinio cœptam ad vltimum vsque spiritum produxit, tenore perpetuo, etiam in grauibus morbis. Dicebat enim malam valetudinem non impedire memoriam eius, quem ames, neque eius allocutionem, quo delecteris. Binas quotidie, alteram mane, alteram vespere, ponebat in precatione, ac meditatione horas: & hunc multum omnibus commendabat morem. Cogebatur præ oculorum infirmitate lacrymas continere: impetrare autem haud poterat, quin multæ inter adhortationes, multæ inter sacrificia erumperent. Erat ea opinio, & felici constabat experimento, qui cum P. Peralta versarentur, ijs ex ipsa eius consuetudine sensim adhærescere pietatem. Quod est præstantis documentum virtutis. Quamuis enim, quæ nostra est prauitas, non perinde, ac vitium propagetur vsu virtus, tamen & ipsa cum vulgarem modum excessit, ad proximos quosque quasi contactu se fundit. Huius autem viri talis erat, adeoque nota perfectio, vt & viuens, ac moriens, domi, iuxta, ac foris pro sancto sit habitus. Petrus Pinnanus Ocaniæ honesto loco natus, cum iam quinquagenario maior ad religiosam vitam animum appulisset, atque ad familias alias optimis conditionibus inuitaretur, hanc nostram delegit, ad exercendæ humilitatis materiam. Quamobrem, & oblatum à nostris Sacerdotium non accepit. Anno 1562. ineunte admissus, inde continuis quindecim annis Compluti, dein, quoad pene vita superfuit, Madriti Procuratoris domestici munus gessit, non modo sine vllius querela, sed etiam cum laude vniuersorum. Nempe vt serus accesserat ad Vineam Domini, ita summa in omnes virtutes cura intendebat: adeout coërcendus esset, cum modeste ipse subquereretur, ac diceret,

171 Temperantia seuera.

172 Gustatum amaritie domat.

173 Patientia eius egregia

Et animi demissio.

174 Obedientia excelluit.

175 Conuersatio eius assidua cum Deo.

176 Conuersatio eius sancta.

177 Petri Pinnani serus ad Societatem accessus. Vita inculpata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceret, videre Patres pauxillum quod in præsenti recte faceret, non
178 Strenuitas in laboribus. quam multum ante deliquisset. Fugiebat suos vulgare annos, ne respectu ætatis laborem ei Præsides mitigarent: & spinosa inter opera eam reperiebat suauitatem pietatis, tantumque lacrymarum donum erat adeptus, vt quicquid vspiam audiret lenioris deuotionis, vel in publico, vel ad mensam, vel in familiari vsu, iret totus in lacrymas. Lapsis iam viribus, nec sufficientibus ad Procuratorum discursus, quod maxime sordidum, nec parui laboris erat domi ministerium ambiuit, flagitauit, expressit. Mox ad cætera opera inutilis, iucundum erat videre, quam impigre ad Orationem cum cæteris surgeret, quam multis quotidie adesset sacris, quam assidue Rosarium tereret; quo ex munere, tanquam ex quodam rudimento, ad otiosissimum illud, beatissimumque Cælestis patriæ negotium laudandi perpetuo Dei, atque fruendi, secundo, & octogesimo
179 Orandi assiduitas. ætatis suæ anno translatus est. Illud inter multa Domini erga fidelem hunc seruum testificari indulgentiam potest, quod cum ei aliquando Madriti nummi aurei octoginta forte excidissent, nec reperire potuisset, plenus mœrore ad preces se se conuertit. Is interim, qui pecuniam excidentem viderat, & collegerat, cum sæpe tentaret illam ad suos vsus impendere, tanto semper metu repente corripiebatur, vt absumere nequaquam posset. Idque toties euenit, quoad religione tactus, Toleto quo
180 Amissam pecuniam oratione recuperat. concesserat, Madritum remittendam ad Pinnanum curauit: quo factum est, vt suarum hic precum fructum perciperet, & ille inutili se noxa facilius explicaret.

Sacræ Reliquiæ, quas anno superiore Olyssipponensi Professorum Domui Ioannes Borgia donarat, celebritate, ac pompa totius Ciuitatis,
181 Sacræ Reliquiæ multæ, & insignes in Olyssiponense Professorum templum pompa insigni illatæ. quantam homines nullam meminerant, in templum nostrum è principe deportatæ. In ijs spina erat è Corona Domini, nec modica Sanctissimæ Crucis particula: Diuorum capita vnum, & viginti, brachia sex, aliaque ossa magno numero. Lipsanothecæ ex argento, tum subtilitate operis, varietateque, tum gemmarum splendore visendæ. Totius pompæ descriptio commendata literis, vulgataque typis extat. Multæ per Lusitaniam è singulis Collegijs fructuosæ excursiones de more factæ. Maxime grati accidere Algarbijs duo Eborensium Patrum. Itaque ex Oppidis Faro, & Lago, tum publico nomine Magistratus, tum suo Negotiatores, vt Collegium impetrarent, literas ad Præpositum Generalem
182 Missiones terrestres, & nauales. magna cura dederunt. In Regiam classem, quæ aduersus Angliam Olyssippone conflata est, viginti de Societate profecti: ex Lusitana Prouincia octo, ex Toletana, ac Bœtica seni. Horum plerique dum, vel ægrotis ministrant, vel alias strenue animarum causa ærumnas tolerant, graues hausere morbos. Ludouicus Fonseca Sacerdos ex Bœticis: ex Lusitanis Robertus Rochfortus Hibernus item Sacerdos, & Balthasar Almeida Laicus extincti. Robertus Societate anno 1564. donatus Romæ, mox
Tres in hac extincti. 183 Roberti Rochforti præclare acta. Dilingam, inde in Hiberniam missus multum exhausit in Catholicis iuuandis laborum, inter frequentia vitæ discrimina, quoad vulgata iam notitia eius, & præmio interfectori proposito, cum nec latere diutius, nec posset vsui esse, clanculum euasit, & in Lusitaniam venit. Laboriosus rectique exempli vir erat, & multarum instructus linguarum peritia, quo magis incommoda, & acerba mors eius accidit classi, tanquam multos in vno perdidisset. Sebastianus Morales ex Prouincialatu, Philippo
184 Sebastianus Morales creatus Episcopus Iaponiæ soluit in Indiam. Rege petente, Iaponiorum delectus Episcopus, riteque sexto Kalendas Aprilis consecratus, cum Sociorum septem lecto manipulo in Indiam soluit.

Inter multa, quæ legati Iaponici, & Romæ cum Pontifice, & Mantuæ Carpetanorum cum Philippo Rege Catholico in commodum illius Christianitatis egerunt, vnum illud fuerat non è postremis, vt Ecclesiæ iam pro-

prope Quadragenariæ, quæ reges in familiâ suâ censeret; numeraretque, in suis supra ducenta capitum millia; atque adeò, & satis opulentæ, & satis adultæ, vt sponsum haberet, Episcopus daretur, à quo cum alia
185 Episcopus Iaponiæ datus. eius gradûs, atque ordinis perciperet commoda, tum præsertim tam necessario illis locis, ac temporibus confirmationis Sacramento roboraretur. Spatio considerandæ rei sumpto, cum vtrique Principi æqua esset postulatio visa, Rex Philippus eum, qui supra nominatus est Sebastianum Moralez, tunc magno suo merito Lusitanæ Prouinciæ præpositum, & animo,
186 Sebastianus Moralez. consilio, virtute, industriâ, magnæ cuiuis rei parem, Pontifici ad id munus obtulit; à quo is probatus, & diplomatibus Apostolicis rite munitus, hoc anno Vlyssippone Iaponiorum primus Episcopus rite sacratus est: nec ita multò post, eo, quo dictum est comitatu, versus Indiam soluit. Sed ei Deus suâ inscrutabili prouidentiâ veterum laborum repræsentare mercedem maluit, quam vitam & vires dare ad nouos, quos animo destinauerat exhauriendos. Nauigatione huius anni parùm salubri vsus, cum morbus per vectores, & nauticam turbam grassaretur pestilens lethiferi le-
187 Morbo extinguitur in naui. thargi, ipse impiger inter primos ægrotis iuuandis administratione Sacramentorum, aliaque quauis, quæ opus foret operâ, diurnam, nocturnamque sedulitatem adhibuit, nullâ in re sibi parcens, quoad vel haustu vitiati Cœli, vel contactu afflatorum, ipso illo contracto morbo in naui decessit; quâ mox subductâ in vicinum Mozambici portum, omnium studia pro viri dignitate, quam experimenta virtutum venerabiliorem redderent, ad funus eius honorandum exarserunt. Est Mozambici Sodalitas celebris Fratrum Misericordiæ, quos vocant, virorum addictorum varijs hominum miserijs caritate subleuandis: ij æquum censebant suo in Sacello sepeliri Episcopum, qui ministrando infirmis, quod vnum ex ipsorum offi-
188 Contentio de loco eius sepulturæ. cijs esset, oppetitâ morte, se in ipsorum numerum vltrò inferre voluisse videretur. Contra Dominicani Patres, suo illum templo deberi dicebant, quod Episcopum Religiosum peregrè mortuum, vbi sui Ordinis templum non esset, credibile videretur in Religiosorum æde sacrâ potius, quam vbiuis alibi terræ mandari voluisse. His diuersa sentiebat Clerus Templi Maximi, contendebatque corpus Episcopi Aduenæ haud alibi, quam apud ipsos deponi oportere. Incendebantur studijs lites, & periculum in iudicij euentu offensionum erat; nisi prudenti temperamento, qui Lusitanis ibi rebus præerat Prætor Sofalæ, Sacello Deiparæ, cui ab arce cognomen est, Iaponij Episcopi corpus extra sortem excipiendum decreuisset, nemine auso reclamare. Iustis optimo Præsuli persolutis, quinque naues Lusitanicæ resumpto cursu Goam tenuere, nauigatione non infeli-
189 Nouem hominum millia conuersa. ci, si salubrior fuisset. In Indiæ Prouinciâ hoc anno nostri suis quique in stationibus, strenuè in Euangelij prædicationem incumbentes, nouem hominum millia Christo adiunxerunt: distinctè non exequar, quibus quidque locis quoue modo singillatim gestum id quod summatim expoui, nisi si quid notabile præ cæteris erit; cuiusmodi videntur Raciolani Collegij huius anni res. In eo enim præter plurimos Brachmanes ad
190 Vici quatuor ad Christi Religionem accedunt. Christi Religionem adiunctos, toti vici quatuor populariter communi consensu Christo nomen dedere. Id maximè mirum visum in vno ex istis vicis antea sic addicto Idololatriæ, vt capitale ibi esset de Christianâ fide amplectendâ cogitare, professis palam cunctis, se illos quicumque ad Christianos deficerent interempturos. Et facilè credebantur in rem
191 Vnius ex illis mutatio. iturae minæ, propter feram, & sanguinariam hominum indolem, rapto fere viuentium: nec quidquam pensi habentium, iure, morèque nullo, sed belluino potius impetu inter se viuere, confusissimo discrimine iurium officiorumque cunctorum. Iamque nec limites agris erant, nec omninò certa cuiquam vllius rei possessio, vi palam audaciaque dominante. Atque ea colluuies morum annis iam quadraginta inueterauerat. Quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

miserante Deo emolliti Primorum animi, dociles Euangelio commodantes aures, alios quoque, & hi sensim cæreros in Societatem salutaris consilij traxerunt. Dominante deinceps religione virtutibus statim cunctis suæ dignitas constitit. Publicæ res ordinatæ. Iudicia restituta. Res ablatæ spoliatis redditæ. Finibus agrorum autoritas sua sancita. Discordiæ, quæ multos odijs internecinis committebant, arbitrio missi Sacerdotis è nostris compositæ. Quin eò vsque processit emendationis studium, vt cum animaduertissent admonitu seniorum, & vsu ipsi proprio, inde adeò superiorem illam redundasse corruptelam, quod vino, maioribus eorum insueto potui, largius insueuissent; cultis ad hoc ipsum in terrâ ipsorum vuæ fertili vineis, deinceps publicè decreuerint à vino conficiendo abstinere; cumque occurreret, vnde igitur penderent vinarium vectigal dudum à Ministris Regijs exigi solitum? tamen perseueratum in proposito, constitutumque, vt aliunde solueretur quod vini nomine fisci rationibus imputatum erat. Tanti enim esse istâ quantacumque tributi annui pensitatione, libertatem exercendæ sobrietatis redemisse. Denique haud dubiâ Diuini spiritûs operatione tantam mutationem sui multitudo illa ipsa mirabatur, sancto per omnes gliscente gaudio, ac spe optimâ perseuerantiæ, proprium ac perpetuum id bonum fore pollicente. Duabus hoc anno expeditionibus nostri ad militum animas curandas expetiti comites à Ducibus sunt, successu vtriusque ad fructum religionis memorabili. Venerat ad Eduardum Menesium Indiæ Prætorem Nuncius, obsideri ab Ethnicis hostibus Columbum arcem. Repente is Classem armauit, eique Præfecto Emmanuele Sosâ Cotinio, ad liberandam arcem ire iussit. Erant ita numerosæ hostium copiæ, vt præter exercitum, qui arcem oppugnabat, aliæ abundarent, & legiones, & Classes, quæ transitum subsidio venturis intercluderent. Quare haud pacatum iter Cotinio fuit. Cæterùm Deo iuuante, quod primum agmen habuit obuium disiecit, fugauitque. adortus quin etiam arcem, in quam refugerant, vi cæpit. Pergenti occurrunt triginta hostium naues: captæ omnes incensæque. aucto hinc militibus animo, itum in oppida vicina. Duo ex his expugnata, direpta, combusta. Reliquum iter obsepiebat Vrbs Maritima, non arte magis, aut situ, quam superstitione, ac præstigijs munita. Fanum erat in faucibus portûs nescio cuius ibi culti Dæmonis. Huius occultâ vi (nisi ludibrium oculorum erat) efferuescebant aquæ ad appulsum nauium hostilium. Id tunc quoque factum, sed contemnentes Lusitani Satanicas minas, bullientes inaniter vndas remigio frangere, ac vi perrumpere institerunt: & patuit euentu Dæmonis infirmitas non vltrâ speciem inanem efficacis. Lusitani Cruce prælatâ Deique, ac Christi inuocato numine claustra portus irrumpunt, Vrbem direptam concremant, Fanum ipsum euertunt: moxque nullo iam obstante admoti Castris Columbum obsidentibus, mille hostium cædunt, in ijs Centuriones decem, Elephantos tres, Fugientes reliquos ad pontem, quà necessarius erat transitus, assecuti occidione occidunt. Dehinc tot, ac tantis rebus exiguo tempore, mirâ facilitate perpetratis, onusti præda reuertuntur Goam, omnes incolumes, desiderato tot pugnis nemine; quatuor dumtaxat vulneratis. Malacæ Christianorum rebus magnus, nec is ex vano haustus, impendebat metus. Rex Deioris pertæsus fœderis cum Lusitano prius icti, nouam Societatem cum Rege Maurorum Achene contraxerat. Validæ singulorum vires, immanem potentiam coniunctione faciebant; cui sustinendæ haudquaquam par futura Vrbs Malaca videbatur. Et iam suspicione ipsâ belli, cessante commercio, laborare fame Ciuitas cæperat. In hoc discrimine Antistes Vrbis, exquisita sacrificijs Dei pace, Paulum Limam adit Nauarchum strenuum, & bello fortem, qui per eos forte dies paucas, quibus præerat naues in

192 Vini vsus publice abdicatus.

193 Expeditio felix, Deo Christianos iuuante.

194 Satanicæ præstigiæ Diuina vi discussæ.

195 Duorum Regũ in Malacenses coniuratio.

196 Episcopi Malacensis pia sedulitas

in portu Malacæ habebat. Exponit quo in periculo, & publica res, & religio sit, coniuratione Saracenorum cum Ethnicis. Actum de Malacæ otium perfidis detur orsa pertexendi. Vnum locum victoriæ relinqui, si quis occupet immaturas adhuc, & malè cohærentes molitiones improuisâ irruptione opprimere. Quid multa? Paulus consilium probat, offert operam, negotium suscipit; cuius tamen successum profitetur à Diuinâ potius ope, quàm ab humanis se sperare viribus. Ante omnia duos è nostris Sacerdotes postulat, cum his exiguam manum quadringentorum viginti Lusitanorum militum in Insulam promouet Vrbi Deioris obiectam. Excensione ibi factâ postridie Idus Augusti, totum eum diem operari religioni iubet. In patente Campo excitatâ arâ, circum eam residentes Sacerdotes duo militibus peccata confitentibus operam dant, cunctos expiatos Missæ Sacrificio peracto, Diuino epulo reficiunt. Hæc è muris Vrbis suæ prospiciens Rex Deior misit percontatum, quid illic agerent? Responderi iussit Paulus Lima: Lusitanos eo maximè modo se comparare ad mortem fortiter oppetendam. Diluculo posteræ diei, quæ sacra erat Assumptæ in Cœlum Deiparæ, irrumpunt in Vrbem Lusitani sanè frequentem, & manu munitam: sed quid Deo, ac Dei Matri resistat? Paucis horis cæsi vbique hostes, superata mœnia, capta Ciuitas, naualia fœdifragi Regis incensa, victores prædâ onusti, quinquaginta dumtaxat Socijs amissis, Malacam gratulatione magnâ reuerterunt.

Paucis priusquam hæc fierent diebus transierunt Malacâ, septuagesimo, quam Goâ soluerant die, Iaponij Legati cum Alexandro Valignano, & Socijs septemdecim in Iaponiam destinatis. Quo Valignanus consilio eum his Iuuenibus in Iaponiam rediret paulò distinctiùs explicandum est. Acceperat is Goæ à Coëllio Iaponiæ ViceProuinciale litteras, quæ indicatâ nouâ Faxibæ potentiâ, & eiusdem in Christi religionem studio, subijciebant optimum factu videri ad eum magis, magisque Christianæ rei conciliandum, si Prætor Indiæ legationem ad eum mitteret, per quam gratijs actis ob fauorem hactenus in Christianos impensum, etiam atque etiam rogaret, vt suâ illos beneuolentiâ fouere pergeret. Sic enim, & à se se, vti, & à Philippo Catholico Rege, cuius ipse vice Indiam regeret; sed, & à cunctis Europæ Principibus gratiam ingentem initurum. Animaduersum multis indicijs esse, mire cupere Faxibam laudari, honorarique à Regibus, & Populis exteris: quare haud vanam spem esse istud tali modo exhibitum officium Proregis Indici, haud vulgare apud ipsum momentum habiturum. Probabat facilè consilium pro suâ prudentiâ Valignanus; nec dubitabat, pro eâ, quam habebat notitiâ Prætoris, quin ille gratificandi Religioni libenter occasionem arrepturus esset. Cunctabatur tantùm in muneribus ad talis legationis ornatum necessarijs, quæ cum sumptum requirerent priuatâ munificentiâ maiorem, verebatur, vt inconsulto Rege, Prætor aut vellet, aut posset tantum impendij regijs imputare rationibus. In his eo hærente appellunt Goam ex Europâ reduces Iaponij legati cum donis, quæ pretiosissima simul, & speciosissima permulta à varijs Europæ Principibus acceperant. Nihil ad rem, quam cogitabat opportunius accidere potuit. Nam, & pars istorum munerum abundè futura videbatur ad legationem commendandam, & præseferebant Iaponij Iuuenes, se se, quoad ipsorum arbitrij res esset, libentissimè cuncta in spem iuuandæ religionis impensuros. Vnà igitur, & Prætori negotium exponit, & assensum eius elicit: nisi quod haud ita releuari se sumptu munerum est passus, vt non ad ea, quæ Iaponij ex Europâ tulerant, quæque ipse donare ipsis à Rege iussus erat, plurimum adiungeret. Legatum igitur Eduardus Menesius Prorex Indiarum suum ad Imperatorem Iaponiæ Faxibam, quod bene verteret, Alexandrum Valignanum destinat, eique in eo munere comites adiutoresque

197 Religio militum in expeditionis procinctu.

198 Alexandri Valignani legatio in Iaponiam, quo consilio decreta, & suscepta.

199 Munera legationi ornandæ vnde sumpta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

200 Legati Amacaum perueniunt.

que Adolescentes Iaponios volentissimos adiungit, ac tempestiuo ad nauigandum mari Decimo Kal. Maias hoc anno Goâ emittit. Ij paucis dumtaxat ad necessariam quietem diebus Malacæ morati, nono, & vicesimo, quam iterùm vela fecerant die Amacaum tenuerunt, non vno circa scopulos Oræ Sinicæ naufragijs infames, periculo perfuncti. Hinc ne in Iaponiam, quò votis desiderijsque ferebantur, consueto ei traiectui tempore soluerent, Præfecti Regij auaritia obstitit: qui quantumuis à Rege iussus esset, nullo anno Iaponicam nauigationem omittere; tamen, quòd eo tempore sibi quæstuosiorem ad Philippinas Insulas traiectum certis indicijs speraret, exorari nullis precibus potuit, vt nauem regiam vela facere in Iaponiam sineret: quare vsque ad annum fluentis sæculi nonagesimum, duodeuiginti totos menses desidere Amacai legati coacti sunt. Interim iuxta ea, quæ Iaponici Patres in Conuentu Firandensi decreuerant, Dominicus Monterus Nauarchus Amacaënsis nauis, quæ sola è Iapone ad finas nauigatura erat, cum in procinctu ad discessum esset, circa principium huius anni, Franciscum Garzesium Clientem suum cum munere non parui pretij ad Cambacundonum Ozacam mittit, excusans haudquaquam potuisse se tantam multitudinem Patrum in onerariam imponere: ægrè constipatis vectoribus ac nautis, locum tribus Patribus repertum, cæteros necessariò in aliud tempus differendos. Tres qui discesserunt clerici erant proximè ad sacros ordines dispositi. Hi mittebantur Amacaum initiandi Sacerdotio; ac mox, vti fecerunt, redituri. Hæc audiens Cambacundonus excanduit: Itane, inquiens, Patres in Iaponiâ meo iniussu perstabunt! Adi dic Patrono tuo, conijciat illos in sentinam si locus alius deest, & saburræ vice inculcet. Ad ea Garzesius humillimè veneratus, & donum porrigens: atqui Domine, inquit, Patronus meus ventis vocantibus dare vela coactus est, hoc maximè mœrens, quod Tuæ Maiestatis in digressu salutandæ vrgens occasio soluendi otium negauit. Igitur hoc munusculum me ferre ad te iussit, tenue pignus obsequij, atque addictissimæ tibi voluntatis suæ. Accepit donum, nec placari tamen voluit Barbarus, qui constantiam in iniuriâ partem sapientiæ putabat. Ergo nouo edicto flammis aboleri Templa Christianorum iussit. Quadraginta ea numerabantur supra ducenta. Horum pulcherrima quæque, puta Meacense, Ozacense, Sacaiense, statim euersa sunt, aliaque furori Gentilium magis obuia ad septuaginta, cæteris intactis ab hoc turbine. Quo tamen conciderunt Cruces omnes in locis antea eminentibus præclarâ specie positæ. Consolabatur nostros in his malis spes placandi Cambacundoni. Fauebat enim apertè Christianis, non modò eius vxor, de quâ diximus, sed prætereà Frater, & Fratris filius, vt summos alios eius aulæ Principes fileam. Prætereà Simon Condera, & Augustinus Christiani Dynastæ pristinum apud Cambacundonum gratiæ locum, & ex eo potentiam obtinebant. Satisque constabat Imperatorem Iusti Vcondoni iacturâ deterritum, non audere negotium ipsis de Religione facessere, ne tam fidis, tamque strenuis ducibus, quibus similes haud facilè reperiret, carere deinde cogeretur. Horum fauor nullâ in re sibi parcentium, incredibiliter vtilis erat his tam duris Ecclesiæ temporibus. Iusto Vcondono Augustinus non modo tutum, sed, & pro acerbo rerum statu, commodum, & quodammodò amœnum receptum dederat in semotissimâ, & maximè deuiâ quadam Insula Iunogimâ. Erat ex eo locò facilis traiectus Meacum. Quare Organtinus, qui prouinciam in se susceperat visitandæ, ac consolandæ clam Meacensis Ecclesiæ, in eadem Insulâ latebras quæsiuit. Diuersabatur in tugurio à littore remoto, nec facilè obseruabili: indeque inuisebat crebrò Iustum Vcondonum ad tertium inde milliare cum propriâ fami-

201 Ibi per sesquiannum morari coguntur.

202 Nauis è Iaponia soluit cum tribus è nostris.

203 Cambacundoni, qui omnes Patres abire iusserat, ex eo ira.

204 Septuaginta Christianorum templa destructa.

205 Vxor Cambacundoni Christianis fauet.

206 Duo Proceres Christiani gratiam apud Imperatorem seruant magno Ecclesiæ bono.

207 Iustus Vcondonus, & Organtinus latent in Insula Iunogima

familiâ degentem. Darius Iusti Pater aliquantò vlterius in eâdem Insulâ non incommodum & ipse Domicilium habebat: ijsque cunctis Augustinus omnia necessaria perliberaliter suppeditabat. Præfecerat etiam eidem Insulæ Equitem Christianum, Georgium nomine, cui impensè innocentes illos exules commendauerat; stareque ipsum continuè ad portum iusserat, & omnes aduenas, maximè Idololatras, ab aditu Insulæ excludere. Per hæc tam calamitosa tempora magnum videri poterat si suos Ecclesia filios teneret; nimium verò, & spe superius nouos sibi subditos parare. Tamen, vt mira est vis Diuinæ gratiæ, permulti, ijque insignes, baptismum hoc tractu temporum, & petierunt, & impetrarunt. Ex innumeris eius generis exemplis, quæ dicere omnia fas non est, equidem non prætermiserim vocationem Reginæ Tangi. Erat ea filia Aquequij, qui Nobunangam interfecerat, Vxor Iacondoni Regis Tangi, mulier ingenij maximi. Huic iam ante per viri absentiam, Imperatorem expeditione Ximensi comitantis, vehemens curiositas increuerat cognoscendæ Christianæ legis, de quâ tam multa ferebantur. Obstabat isti desiderio, quòd vir eius haud intactus Zelotypiâ, insigni coniugis formæ in tam vagis Imperatoris cupiditatibus metuens, ne quis eam Cambacundono laudaret, seuerè discedens vetuerat, ne Domo vspiam prodiret. In peramplo perque ornato ipsam Palatio reliquerat inter numerosum lectissimarum puellarum gregem, sub curâ nobilium virorum, sibique fidissimorum, quibus enixè commendauerat, vt Palatij fores custodiri diu noctuque validâ cohorte fortium militum curarent, neque, aut quemquam omninò se absente hospitem introì admitterent, aut Reginam quamlibet volentem efferre pedem limine paterentur. In his angustijs Regina Tangi sæpe frustra tentato ad Christianorum Ecclesiam accessu, piâ fraude cum matronis puellisque sibi fidis compositâ, per posticum, cuius illæ clauem habebant, veste mutatâ, comitantibus paucis ipsarum, clam prodijt, Vincentiumque nostrum Catechistam linguâ Iaponicâ disertissimum, in templo nostro de Christianâ lege diu differentem attentissimè audiuit. Sub concionem, ipso Catechistâ, & Patribus vocatis, quædam dubia proposuit, quæ non vulgare ipsius ingenium probabant. Responsis auditis iam planè conuicta, baptismum, quem conferri alijs cernebat, sibi quoque continuò administrari magnoperè contendit: eâ maximè de causâ, quod eam suam esse sortem diceret, vt vix sperare posset facultatem sibi alias futuram eò redeundi. Interrogata quænam esset, magnas sibi esse causas id in præsentiâ celandi respondit. Apparebat haud vulgarem esse mulierem, venitque in suspicionem Patribus, esse illam forte vnam è trecentis pellicibus Cambacundoni, quæ in eius Ozacensi Regiâ custodiebantur. Deterruit hoc eos maximè, ne alioqui satis eruditam de fidei mysterijs, ad baptismum repente admitterent. Quare responderunt: haud quaquam eam satis paratam ad mysterium videri. Bono tamen esset animo, & Deo confideret, viam explendi tam sancti eius voti conuenientem prouisuro. Hac vice sermonum, multâ iam nocte ingressi sunt Ecclesiam quidam è custodibus Palatij Regis Tangi. Hi cognito excessisse postico Reginam, consternati per omnia eam Idolorum templa, eâ forte die aperta, propter anniuersariam quandam Iaponici ritus supplicationem, quæsierant; conspicatique patens, & populo refertum Patrum Templum, explorabundi subeuntes, Dominam cum comitibus puellis, sellis, quas secum ad id ipsum tulerant, Domum reportarunt, attentiori deinde custodiâ egressum prohibituri. Postridie Matronam grauem cubiculi sui Præfectam, & omnium cogitationum arbitram, ad Patres misit, iussam suo nomine gratias agere, quod heri tam benignè, ac patienter Christiana mysteria

208 Darius item Iusti Pater.

209 Multorum conuersiones.

210 Regina Tangi seuere custodita.

211 Pia fraude in nostrum templum clam venit.

212 Et Catechismo audito baptismum petit.

213 Cur repulsam passa.

214 A suis custodibus reperta, & domum relata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

steria sibi declarare granati non essent ; tum offerre chartam , in quâ ipsa manu sua dubia quædam circa res auditas , de ijs Domi cogitanti recens enata , descripserat : & officijs , & dubijs ita responsum à nostris , vt tam Reginæ , quam eius interpreti , matronæ multi iudicij , satisfieret . Deinceps nullus abibat dies , quo die non aliquam , aut aliquas è suis mulieribus Regina Tangi , (quando adire ipsa non poterat) ad Patres mitteret . Audiebant eæ , quæ à Catechistâ dicebantur , auditaque , prout captus earum ferebat , Reginæ recitabant . Quæ inde magis , magisque in fide proficiens eas hortabatur ad eam felicitatem vsurpandam , quæ ipsi negaretur , videlicet ad baptismum suscipiendum ; id quod ex ijs septemdecim breui tempore fecerunt . Sic habebat apud se Regina domesticam iam Ecclesiam , cum quâ totos dies assiduâ religione transigebat , oratione , piâ lectione , sermonibus sanctis ; planè , vt Cœnobium sacrarum Deo Virginum Gyneceum Regis Tangi Ozacæ videretur . Animaduertens interea Regina ad expeditiorem vsum commercij per quotidianos internuncios continuandi cum Patribus , præter copiam pendentium è suis nutibus mulierum , requiri fauorem , ac beneuolum studium viri alicuius ex domesticis , nobilem bonæ indolis iuuenem quæsito prætextu ad Patres allegat , prius admonitos , quid fieri cuperet . Vincentius Catechista quasi forte Domo prodiens in occursum iuuenis ad se venientis exit , ad se audiendum pellicit , efficaci de mysterijs nostræ Religionis oratione planè percellit . Quid multa ? Christianum efficit , mirâ gratulatione Reginæ iam in hoc quocurabat sacri baptismi gratiam participare , ipsa nequiret , cum neque ipsa ire ad Patrum Templum , nec Patres ad ipsam penetrare possent . Dum hoc loco res essent , affertur Ozacam inopinatissimus nuncius indictæ persecutionis in Christianos , & Exilij Patrum . Incredibile dictu est , quantum indoluerit bona Regina , quam præter causam religionis ipsi carissimæ , cura suæ salutis stimulabat , verentem ne vbi Patres solum vertissent , nemo superesset , qui baptismo illam tingeret . Ergo ad id extremum consilium mentem appulit , vt clam se in arcâ conderet , quam mox obseratam suæ mulieres funibus noctu demissam per fenestram , ad Patres deferendam per fidos homines curarent ; qui eam baptizatam rursum ijsdem funibus è fenestrâ pendentibus ligatam , mulieribus superne tracturis restituerent . Sed cum hæc exposuisset prudentioribus Matronarum , quas secum habebat , vehementer illæ repugnarunt , insuperque affirmarunt se , pro eâ notitiâ quam haberent mentis , & sensûs Patrum , non dubitare quin id consilium valdè improbaturi forent . At nostri de his omnibus certiores facti , quotidianis maximè colloquijs cubiculi Præfectæ , Matronæ nobilis , & gratuis , cui nomen in baptismo Mariæ obtigerat ; quæque pro suâ apud domesticos autoritate facultatem satis liberam habebat palatio exeundi quoties vellet : decreuerunt non frustrari diutius iusta desideria Reginæ ; quare illam ipsam Mariam satis edoctam , quid , & quomodo faciendum esset , Sacramentum baptismi administrare suæ Dominæ iusserunt . Fecit illa , & Gratiæ nouo nomine Reginæ imposito , ad Patres rediens : Ego , inquit , ita me honoratam , & veluti consecratam sentio sancto illo ministerio , quo me fungi voluistis , vt nefas ducam implicare me amplius curis humanis . Itaque vobis testibus Deo voueo perpetuam castitatem ; & in eius rei signum comam tondeo . Nam , & in Iaponiâ quoque comæ detonsio abdicationem rerum humanarum indicat . Erat Maria in flore ætatis , ac formæ , regio genere , opibusque cuiusuis fere Iaponicorum Principum matrimonio non impar . Quare votum eius vbi percrebuit , admirationi omnibus fuit . Redijt haud mul-

215 Septemdecim puellæ Reginæ Tangi baptizantur ipsa procurante .

216 Item vir nobilis ex eius domesticis.

217 Incenditur Regina desiderio baptismi.

218 Quem accipit Domi à Matrona Christiana.

219 Hæc deinde castitatem vouet.

220 Reditus Regis Tangi, & aduersus eius minas Reginæ constantia.

multò post hæc Iacundonus cum Cambacundono Ozacam , & cognitâ noua Religione suæ vxoris , homo , & superstitioni per se addictus , & è Cambacundoni nutu pendens , vehementer indignatus est , iussitque continuò redire ad patrios ritus . Quod cum illa generosissimè respueret , paratissimamque se ad mortem offerret , Barbarus , qui non ferè minus eius formam amabat , quam religionem oderat ; neque illam ab se dimittere sustinuit , & omni contumeliarum genere sine vllâ intermissione vexauit , Gratiâ Reginâ nihil vmquam remittente de liberrimâ professione Religionis Christianæ , & ad eam identidem domesticorum aliquos adducente , quin etiam duos filios , totidemque filias coniugij sui fructus , nequidquam viro ringente baptizauit Mater . In hunc modum vixit , si hæc vita vocanda est , & non mors potius , ac martyrium continuum , sic inquam vixit annis inde tredecim Christiana Regina Tangi in contubernio Regis Idololatræ , quasi in Busiridis ergastulo . Conuitia , maledicta , minæ , verbera quotidiana . sæpe furijs ignescentibus strictum mucronem Barbarus pectori , aut iugulo coniugis admouit , ni Christum eieraret sanguinem expoleens ; mox illâ , feriret sanè clamante , resiliens . Sæpe caras ipsi Gynæcei ministras , & comites Christianas coram ipsâ cædere , ab ipsâ abducere , Domo pellere ; Mariam tamen nobilitatis suæ merito reuerentiùs tractatam magno suo solatio semper Regina tenuit . Cui aliquando , mox vt putabat moritura , tantùm viri furor exarserat , peccata confessa est : errore in Neophytâ congressu Magistrorum prohibitâ excusabili , existimans eam in Pœnitentiæ item , vt in baptismi Sacramento Sacerdotis obire vices posse . In quo quantum erraret admonita , cum primum potuit , curâ Patrum est . Ad extremùm Mense Augusto anni millesimi sexcentesimi , confecta ærumnis Regina decessit , maximum , quod vix credibile videbitur , sui desiderium viro relinquens , serò videlicet agnoscenti quantum amisisset , malo more inuidiæ humanæ virtutem præsentem auersantis , sublatam ex oculis frustra requirentis . Egit vltrò Rex Tangi cum nostris Patribus , vt Reginæ mortuæ funus quam apparatissimum facerent ritu Christiano , sumptumque in id liberalissimè suppeditauit , & ipse mœstissimus spectauit , nullum finem laudandæ mortuæ , suique eulpandi faciens . Hæc in antecessum ex occasione delibata præter morem sint ex actis anni ab hinc tertijdecimi , tunc forte in mentem non ventura si nunc omitterentur . In Regno Bungi Constantinus Rex nutare sub hæc tempora in fide cæpit . Primus illi ad Apostasiam gradus fuit expulsio quinque Patrum , quos vltrò expetierat , vt clam in suis terris Christianos iuuarent . Eos mutatâ nunc sententia , Cicacatæ pessimi Idololatræ consilio vsus , Regno eiecit , obtendens metum iræ Cambacundoni si is latebras Patrum in terris Ditionis Bungi resciuisset . Hactenùs prolapsus non ibi constitit , vt sequens Annalis reddet .

Offert hic annus è Brasiliâ exemplum memoratu hodie salubre , quando pars autoritatis putatur , obdurare in conscientiâ mala , & peccati quamuis vulgo noti pœnitentia infirmi animi vitium creditur . Baia est cognomine omnium Sanctorum Ciuitas in Brasiliâ primariâ , in qua Sacerdos in primis gradu , & dignitate clarus , quippe qui , & in Maiori Ecclesiâ Decanus , vt vocant , & in totâ Diœcesi Proepiscopus esset , præterquam cætera vitâ haud sanè laudatus , etiam professas , nec vllâ idonea excusatas causâ , cum Patribus illic nostris inimicitias gerebat . Non rarò Diuina Prouidentia medicinam animabus facit è languore corporum . Ita huic supinâ securitate dormitanti vellit aurem haud molliter acer monitor officij lethifer morbus . Vocat repente Sacerdotem , peccata fatetur , & detestatur , emendationem promit-

221 Maria, quæ Reginam baptizarat eam consolatur.

222 Mors Reginæ Tangis & viri eius mutatio .

223 Funus ei Christianum curantis , & spectantis .

224 Regis Bungi primus ad Apostasiam gradus.

225 Sacerdotis Primarij pœnitentia insignis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittit si contingat reualescere. Hactenus multos habet similes; illud eximium nec commune plurimis ostendit; quod cum Diuinâ benignitate recepisset vires, perstitit in professione pœnitentiæ; nec eam clam habere apud se contentus, publicandam apud omnes curauit, quos offensos vitæ suæ licentiâ sciebat. Ergo pro suâ Proepiscopi potestate concionatores duos celebres, ad diuersas, easque numerosas producens concliones, suo nomine petere à Populo veniam iussit, ob parum recta exempla olim à se præbita. Cum nostris quoque dedit operam, vt suus in gratiam reditus non minus publicus foret, quam eius in nos odium vulgò notum fuerat. Venit in Domum nostram: omni significatione veri affectûs nostros amplexatus est; insuperque Præpositum Prouinciæ enixè rogauit, admittere vt se se in Societatem dignaretur. Concedi hoc quidem homini seni, & morbis fracto non potuit, quod nec ipsi, nec nobis expediret: tamen omnis honos merenti habitus, & rationibus latè adductis repulsæ acerbitas lenita est. Non multò post nouo morbo inuadente finem viuendi fecit, condito testamento, quo rem omnem familiarem satis copiosam Pauperibus legabat. Haud vanè est creditum concessum illi breue interuallum valetudinis, vt fructus Pœnitentiæ plenos edere, ac quasi tempestiuè maturare posset. Per reliquam Brasiliæ Prouinciam, præsertim in Residentijs Ilheorum, & Portus securi, in Collegio Fluminis Ianuarij, & Piratiningæ, res Christiana fortiter gesta, nec sine successu. Ecclesiæ adiuncti ex Infidelibus circiter mille. Exculti fideles industriâ pari. pacibus conciliandis, impuris amoribus dirimendis, aut sacro coniugio mutandis labor impensus, vti & ministrando Diuino Verbo, & Sacramentis Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ, quæ supra millia viginti hominum haud valde solitorum ijs vti, nostrorum operâ percepe-runt. In Vrbe Mexici hoc primùm anno S. Ildefonsi Seminarium institutum est, inductis in paratum ad id domicilium centum pueris probatæ indolis, è maiore congregatorum è diuersis valdeque longinquis Regionibus multitudine delectis, & eorum institutioni præfectis tredecim è nostris. Nouum quoque Collegium Vadalaxaræ in nouâ Gallæcia fundari cæptum, & quatenus licuit, ante exploratum Præpositi Generalis in eo admittendo consensum, studijs populorum moram tam longinqui responsi non sustinentibus, inchoatum est. Episcopus loci suam in Diœcesim veniens, tres è nostris, quorum duo Sacerdotes erant, magno ambitu impetratos secum duxerat. Eorum opera per septem totos menses in concionibus ad omnes ordines, lectionibus Catecheticis ad plebem, & rudem ætatem, Theologicis, aut de officijs ad Clerum, administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ita cunctis probata est, vt conspirante Ciuitate in votum Sedis perpetuæ tam vtilibus operarijs apud se statuendæ, Episcopus cum Clero repente decem aureorum millia contulerint; eique summæ Canonicorum vnus tria millia nummûm; alter Laicus è primoribus Vrbis tantundem addiderint, eque istâ pecunia confestim, & ædes, & annua vectigalia parata, quæ fermè duodecim è nostris alendis sufficerent. Itaque scholæ iam tunc aperiri ceptæ, vberi in præsens profectu, sed spe in posterum maiori. Per reliquam Prouinciam idoneis locis missiones ex æquo laboriosæ, ac frugiferæ frequentatæ.

Tepotzolæ, & Angelopoli charitas nostrorum in pestilentiâ fœdam passim stragem egentium corporum edente, magna vtriusque Ciuitatis approbatione conspecta. In Manilanâ apud Philippinas sede Templo iam satis amplo ædificato, maiori successu ministeria Societatis ad salutem animarum exercebantur. Domicilium quoque habitationi nostrorum destinatum egregiâ liberalitate Ioannis Paciechi Maldonati viri ijs in locis primarij, magnificè surgebat. Vim addebant industriæ nostrorum Ethnicos ad suaue Christi iugum feruenti prædicatione vocantium, Diuina interdum pro-

226 Pro concione declarata

227 Petit admitti in Societatem.

228 Cur non admissus.

229 Fructus ministeriorum Societatis per Brasiliã.

230 Nouum Collegium inchoatum in Gallæcia nouã.

231 Ministratum infirmis.

232 Nouum Templum Manilæ.

prodigia, qualia irrigandis nascentium Ecclesiarum quasi plantarijs, benigna Dei prouidentia solet impendere. Vnum exempli causa ponam. Venit in Templum nostrum Mercator Ethnicus, se se cum duobus filijs paruis ad baptismum offerens. Narrabat is se paulò ante traijcientem lintre flumen à Crocodilo immane os pandente tam fero impetu inuasum, vt declinandæ, aut potius tantillum differendæ mortis non aliam rationem inuenerit, quam demittendo se se in aquam penitus, quò tamen miserum statim auida bellua secuta, faucibus è profundo abreptum extulerit. Tunc ipsum visum sibi videre duos viros, præstanti specie, albatos, qui se se ex ore monstri extractum celeri natatu in ripam extulerint: clarâ sibi inter hæc, & si non ad aures sensibili, animum personante voce, quæ admoneret; vt si tanto beneficio gratus esse vellet, baptismum susciperet. Hunc ille euentum narrando quamplurimis, vt non sibi soli salutaris fuisset, assequebatur.

233 Mira vocatio Mercatoris Ethnici ad fidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARTIS QVINTAE

TOMVS PRIOR

A.C.1589. **Liber Nonus.** Soc. 50.

1 Mœror, & metus Societatis ex immutato Sixti Pontificis animo.

INITIO anni 1589. qui toti fere Christiano Orbi turbulentus decurrit, ingentem Ordini nostro curam iniecit immutatus repente Sixti Pontificis animus. Quæcumque enim adhuc procellæ fæuierant, minus terroris incusserant, quod paratum in Sanctissimo Patre perfugium erat. Nunc vero difficile in omnes partes offerebatur negotium, quod vnde petendum erat auxilium, inde oriebatur periculum. Sed multis modis perspecta est cælestis cura gubernatoris, non in exitu modo huius tempestatis, sed etiam in exortu: cum moliri quicquam Pontificem non ante fuerit, quam ex coortis in Hispania fluctibus ipsemet saluam hanc nauiculam propemodum explicasset. Miserant Perturbatores ad eum (vti supra narratum est) per sacros Quæsitores aceruum ingentem libellorum, alioque super alios obtrudebant in dies, adeò importunè, vt doleret Pontifex, ac profiteretur: per Comitem Oliuarium (nam is libellorum delator, & procurator erat) non licere sibi quiescere. Quarum delationum vanitatem, & nenuose Claudius, aperteque refutarat, & ipse per se se perspiciens Sixtus contemptim solebat eas libellos famosos nominare, & Pasquillos ne flocci quidem faciendos. Interim tamen ex eorum lectione fieri non potuit quin aliquid suspicionis adhæresceret, præsertim in ijs, quæ de Obedientia Cæca, deque autoritate quam sibi Præsides nostri res quoque fidei decernendi dicebantur assumere. Quibus cum accessissent Iuliani Vincentij calumniæ, tum demum, siue cuiuspiam aduersariorum impulsu, siue suopte nutu, Instituta Societatis sibimet videnda, & expendenda duxit. Igitur ab libello, qui Primum, ac Generale Examen inscribitur, initio facto, in ipsummet, quasi limen, impegit; nomenque notauit, quo, statim principiò, Minima hæc Congregatio à prima sui institutione Societas IESV à Sede Apostolica nominata dicitur. Igitur pergenti, facile animo minus beneuolo occurrêre non pauca, quæ perstrictum suspicione animum vellicarent singulis, vt quæ minus arriderent, apponebat notam: tum Cardinali Carafæ cognoscenda omnia tradit. Huius rei Claudius Generalis omnino ignarus ad Sixtum cum venisset, & Hispanicorum intulisset mentionem libellorum, suo ille more ridere se illos dixit. Verum quædam ab se notata, quæ digna plane animaduersione essent, ea Carafæ tradita. Obstupuit nec opinata denunciatione Pater: quidque negotij, & à quo cooriretur extemplo peruidit: sua tamen illa, & animi,

2 Sixtus videt libros Instituti Societatis.

mi, & diuinæ fiduciæ magnitudine sustentatus rogat, vt quod sanctitati eius minime probaretur, indicare sibi vellet, vt vel satisfieri, vel cogitari de remedio posset. Haud grauate id Pontifex dedit, iubens ex Carafa cognoscere: dumque adire illum Claudius parat, ipsemet Cardinalis præuenit; atque vltro profitetur, quæ Pontifex notarit, sane friuola sibi, nec ponderis vllius videri: non leues ipsas res, sed causas quare notabantur, significans. Multa enim erant grauissima de reddenda ratione conscientiæ; de varietate graduum Societatis; de nomine eius: de dilatione Professionis: de Correctione Fraterna: de Obedientia cæca: nec probabat, quod patrimonium dicunt Constitutiones distribuendum in pauperes, & amorem carnis erga consanguineos exuendum, & alia id genus. Quæ quanquam satis manifesta in perfectionis Euangelicæ schola, ac plane certa erant, tamen & reuerentia, quæ debebatur Christi Vicario, & constans, propositique tenax ingenium Sixti, arduum, solicitumque reddebant negotium. Claudius de Assistentium consilio non solum ad diuinam confugiendum opem decernit, multis ob eam rem precibus & sacrificijs indictis, sed & humanis adminiculis connitendum. Scripsit, per Oras maxime Septentrionis, ad Prouinciales, vt ab diuinarum, humanarumque rerum Principibus, ac præsertim à Pontificijs Nuntijs, curarent ad Sanctissimum Dominum commendatitias literas, quibus declararent, quam operam, quôque profectu, religioni, ac pietati publicæ nauarent homines nostri: qui motus in ijs futurus esset partibus, quanta Hæreticis lætitia, quantus dolor Catholicis, quanta fidei labes, si mutarentur Societatis Instituta; eiusque autoritas, vulgato parum fauente Pontificis animo, euilesceret. Nec segniter inter hæc Romæ curare quæ causæ vsui forent. Ipsemet rationes collegit, per quas scrupulus omnis eximebatur: in quibus late illa patebat, quæ rem apud rudes quoque subtilioris sapientiæ homines planam faceret, leges iubebat, quæ notatæ erant inuerti. Statuamus, vt vbi quis patrimonium distributurus est, non in pauperes id, sed in propinquos diuidat, quomodo stabit, quod edocuit Christus: Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da Pauperibus? Præcipiamus non exuendum erga cognatos carnalem affectum, & in Spiritualem mutandum, sed contra, vt erga suos quisque cognatos nullo Ordine caritatis, ex deprauatæ impetu naturæ feratur. Conscientiam suam nemo aperiat, sed id quisque curet, vt plane arcanum habeat. Nemo cum, quid iubetur, iussa exequatur, etiamsi nullum crimen in ijs appareat, priusquam multum ipse expenderit, suoque iudicio statuerit, obediendum sit nec ne. Quis hinc non modo Religiosus Ordo conflabitur, sed omnino consistere hominum, vel perditorum cœtus poterit? Iam vero Societatis IESV nomen videri ab Sede Apostolica comprobatum, sicut varietatem membrorum eius, & graduum comprobatam liquido constabat: nec quippiam euenisse cur ea mutari deberent, nec mutari posse, quin tota Societatis fabrica mutaretur. Id verò si fieret, videndum, qui in hanc se contulissent Religionem, num in eam, quæ de nouo conderetur adigi possent, vellentue transire. Cum his, & id genus rationibus ad Carafam profectus, quid ei videatur, interrogat. Is vt Sixti ingenium prudenter æstimabat, causam quidem non esse ambiguam dixit; tamen videri sibi differendum, moramque quoad fieri posset, trahendam longissimam: atque vt Societatem intime, & cum paucis amabat, dissimulauit ipsemet, distulitque impositum sibi munus exequi, & de censuris ijs referre ad Pontificem: sed in cæteris curis illa angebat maxime, quod Philippi Regis nomine instari eodem tempore apud Sixtum pro certo ferebatur, vt is duas res quibus tota administrationis ratio peruertebatur, iuberet. Altera erat, vt lex

3 Notata ab Sixto in Instituto.

4 Rationes P. Generalis pro seruando Instituto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

annalis conderetur, per quam statum figeretur tempus cooptandis in certos gradus: & suum cuique gradum non Generalis Præpositus, sed Prouincialis conuentus decerneret. Altera priori conueniens, vt item Rectorum, & quorumuis Præpositorum creatio non ab vno summo penderet capite, sed vt fere in cæteris Religiosorum familijs tenet consuetudo, per domesticorum conuentus, & suffragia fieret, quæ Capitula vocant. Quippe rerum studiosi nouarum, cupidique dominationis, postquam & Commissarij spe impetrandi exciderant; nec successerat inspectio, quam per Carthaginensem Episcopum attentarant, cunctas vires, & machinas eò conuerterant, vt si non vnius imperium, ac regnum, certe rempublicam quandam, & multorum dominationem sibi proprie constituerent. Quod cum vrgeretur acerrime, eique formulæ insueuisset Pontifex, & iam ad nouanda multa satis aperte ferretur, metus erat, ne mortiferum vulnus acciperetur. Causam cognoscebant Cardinales de Sacrarum Quæstionum Consilio, ad quos libelli omnes Perturbatorum reiecti erant. Igitur aduersus hæc quoque, vt erat facile tam bona in causa tanto illi tamque experto ingenio, collegit Claudius, & Cardinalibus proposuit multa, & grauissima argumenta, quibus commissæ sibi familiæ communiret iura, & integra conseruaret. Quicquid enim in alijs Ordinibus eueniat, quos venerari, non iudicare nostrum est, in hoc certe nostro, si conuentus illi inducerentur, pestis haud dubie simul maxima introiret. Præter alia incommoda, quæ de his agens enumerat Martinus Nauarrus, apud quem videri poterunt, ostendebat Claudius habere nostrum Ordinem alia propria sibi item grauissima, quibus non tam forsitan aperta, & nihilominus certa ruina ad solum daretur. Etenim B. Ignatium ita descripsisse hoc corpus, vt obedientia illud coagmentet, eademque contineat; item alat, vegetet, moueat, regat obedientia. Nec potuisse aliter institui ad eum finem, atque ea opera, ad quæ conditum, atque compositum est. Quippe virum sanctissimum cum impense flagraret Christi amore, eamque ob rem gloriam eius, & regnum, omni ope toto Orbe terrarum propagandum susciperet, quasi cohortem colligendam sibi putasse, quam proprij Sacramenti religione Apostolicæ Sedi subijceret, tum vt per hunc nexum plenior à capite Christo per Vicarium eius vitalis succus, ac vigor descenderet, tum vt quemadmodum peruertendarum animarum Hæretici initium faciunt à peruicacia, abscindendisque ab hoc capite membris, item ipse conuertendarum opus ab Obedientia, & connexione quàm intima auspicaretur: tum demum, vt ne deessent Pontifici, ad quem totius terrarum Orbis cura pertinet, quorum in longinquis, ac periculosis expeditionibus promptam haberet operam, & qui mitterentur, tum corroborati Obedientiæ, (quæ victorias loquitur) præsidio, tum autoritate legationis legitimæ communiti, vi, efficacitate, ac felicitate maiore injuncta obirent munera. Hæc autem fieri non potuisse in Ordine, qui longe, lateque pateret, nisi in Præpositum vnum collectus ita Pontifici subijceretur, tradereturque, vt vniuersam multitudinem in eo, quasi vnum hominem, promptam haberet, & ad nutum flecteret, veluti ad vnum capitis nutum est prompta manus. Ad id autem fuisse necessarium, vt in Generali Præposito tota administrationis resideret potestas, quod Pontifices Paulus, & Iulius diserte confirmant, & quò ipse Pontifici Summo obedientiam quam maximam præstaret, ordinariam Sedem apud Pontificem ipsum habere. Vnde fieret, vt cum ipse semper adesset Pontifici ad omnem nutum intentus, & ipsi cuncta Societas obedientissime subiaceret, per totum Orbem terrarum nullo negotio Apostolicæ Sedis iussa permearent, & cum fide transigerentur. Porro ita S. Ignatium, ita pijssimos, ac prudentissimos sensisse Patres nostros, quandiu perfectè hæc pulcherrima series in

5 Vrgetur apud Pontificé, vt cooptatio in gradus, & electio Superiorum Generali eripiatur.

6 Rationes P. Generalis in contrarium.

7 Capitulorũ incommoda.

8 Corpus Societatis obedientia vegetatur.

9 Necessitas Præpositi in Societate plena potestate sub Põtifice illam gubernantis

in Societate vigeret, vt obedientia expedite per totum means corpus ab Vicario Christi tanquam à capite per Generalem Præpositum quasi per collum facilè in corpus descendens, ac diffusa omnes per artus cælestes perferret alimentum, & vitam, ac spiritum distribueret, prosperrime eam habituram, & ad Diuinam gloriam, & animarum auxilia saluberrime functuram muneribus suis. Interrupto autem, vel resoluto nexu illo, tanquam luxata membra, sensim fore, vt extabescat, ac moriatur. Vehementer autem Perturbatorum postulatis, siue intercidi, siue laxari hanc vnitatem, & consensionem sole clarius apparere: quia cum quæque Prouinciarum sibi Præpositos, ac Rectores creabunt, iam perexiguum restabit cum Præposito Generali commercium: eoque etiam minus cum Romano Pontifice. Quod vbi non essent ab Vrbe petendæ Præfecturæ, Religiosi non ita curarent iussa Præpositi Generalis, à quo nec spei, nec timoris causas haberent, & Principibus sæculi multo facilius adhærerent. Considerarent igitur Patres Amplissimi, quanta res moueretur. In præsentia dum viget ille vitalis ordo, cum res postulat, vbicumque terrarum ad nutum Præpositi Generalis excipere Patres, & exequi diplomata, ac iussa Pontificum, si abeundum sit in longinquas Prouincias, vt nuper Antiochiam, legi, ac destinari quam aptissimos viros, etiamsi Rectores sint. Nullo enim incommodo sufficì à Præposito Generali protinus alios. At si tollatur communicatio illa, nec ita delectum liberum relinqui idonearum personarum: nec si qua publica necessitas incidat, Prouinciales homines in potestate Præpositi futuros. Præterea permagni interesse hisce præsertim temporibus, vt conseruetur facultas Moderatores mittendi ex alijs in alias Prouincias, vt ex ijs in quibus stet disciplina, ac magis religio vigeat, in alias, in quibus laboret. atque opportunitates haud mediocres extitisse missis ex Italia in remotas partes complures Moderatoribus: quod ipsemet Pontifex Sixtus cum esset sermo de Prouincijs Gallicanis valde probauit. Hæc autem interiret commoditas, simul primum sua Prouincijs comitia ad creandos sibi Magistratus darentur. Quid quod in Prouincijs quibusdam, vt in India, Iaponia, Brasilia, Peruuia, Mexico, nullâ ratione hæc forma legendorum Præsidum seruari posset. Primùm quod conuentus Prouinciales in ijs terris non nisi sexto quoque anno habentur: immo propter conueniendi difficultates ex locorum distantia, & viarum periculis, Conuentus Generalis decreuit, ne tum quidem habendum, nisi prius per literas, & suffragia absentium constiterit conueniendi necessitas: sexennium ergo moderatores ijdem præsessent. Quod si quis interim, vel morte, vel casu alio deficeret, mutariue deberet, nonne intolerandum esset? Adde quod per distantiam, & exiguam inter se communicationem, etiamsi conuenirent, necessaria inuicem notitiâ carerent, quam tamen egregie Prouinciales, aut Visitatores tum per literas assiduas, tum circumeundis domicilijs, cumque suis consiliarijs tractantes nanciscuntur. Sed vbiuis locorum quis non videt plurimum ipsorum interesse parentium conseruari hanc in summo Præposito ditionem? Nam si forte quis minus recte potestate vteretur, vexaret subiectos, seu per indulgentiam, ac remissionem sineret labi disciplinam, vel aliæ inciderent causæ tales, quid damni acciperetur si expectanda essent comitia? Quid turbarum cieretur, si ante tempus deijciendus de gradu esset? Iudicia instituì, causas dici, citari testes, & omnem fori strepitum suscitari oporteret: tum hominibus adhærere infamiam, & inimicitias, & alia consequi, quæ ex iudicijs solent. Cum vt nunc habent mores, nullo negotio, nulla cuiuspiam offensione, ac nota, si opus sit à rectione quiuis ad alia munera traducatur. Has & id genus ob causas cum inde vsque ab ortu Societatis hæc Præsides creandi forma à Fundatore sancita sit, & Constitutionibus insita, & ab omnibus

10 Creatio Superiorum à Generali quam necessaria.

Ad Missiones longinquas.

Ad curationes Prouincialium per missos alium de Superiores.

11 In transmarinis partibus vtriusque Indiæ creationes Superiorum per Capitula fieri nequeunt.

12 Incommoda ex potestate per Capitula accepta.

Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conuentibus Generalibus probata, immo diserte à Paulo, & Iulio Pontificibus confirmata his verbis: Proprij cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis. Cumque per annos vndequinquaginta eam vsus tenuerit, nonne planum est nullo modo mutari debere, nisi grauissima, quæ aliter tolli nequeant, vsus demonstrarit incommoda: idque sentiant de Societate grauissimi, ac sapientissimi viri, quique & numero frequentes, & religione, prudentiaque præstantes habeantur? At hic contra omnino res habet. Qui mutata hæc volunt cum vniuerso collati corpore paucissimi sunt, virtute vero multo maxime inferiores, partim ambitione, alijsque priuatis studijs perturbati, partim ab ipsis perturbatoribus in fraudem inducti, qui cuiusmodi sint, vel inde ostendunt, quod venire in lucem non audent: neque sua hæc deliramenta sustinent ad communes Societatis Conuentus referre, sed sperantes in calumnia, & tumultu, vt ait Isaias, per externas opes ad summum dominatum grassantur. Quo facilius Sanctissimus Dominus, vosque Patres Amplissimi, intelligetis, num æquum sit, vt homines numero perpauci, virtute nulli, qui inuerecundè suum Parentem, ac Fundatorem proscindunt, num inquam æquum, aut tolerandum sit, vt homines eiusmodi leges imponant toti Religioni, quæ tanto consensu hominum tam multorum, tamque sapientium malignis eorum inuentis obstitit ad conseruandam disciplinæ tranquillitatem, eamque formam, cum qua edita est, & ad hanc vsque diem propagata, & confirmata per autoritatem omnium qui deinceps fuerunt Pontificum. Denique nihil esse causæ cur debeat mutari ea ratio, perspicue constat ex vanitate eius causæ, quam Turbatores allegant. Negant enim, per absentiam, Generali notos esse quos præficiat, sed sequendum esse Prouincialis iudicium, vnde fiat, vt minus idoneos legat. Quæ ratio apud ignaros morum Societatis, speciem quandam videtur habere: sed vbi primum res declaratur, apparet nihil posse humano more fieri sincerius, & prudentius, quam fit inter nos lectio Magistratuum. Nam primum inde vsque ab Tyrocinio descripta singulorum nomina ad Præpositum Generalem mittuntur, explicatis cuiusque, & animi, & corporis dotibus, & præcipuis capitibus rerum cæterarum; vnde homines plane Præpositus cognitos, atque perspectos habeat: eademque posthæc tertio quoque deinceps anno instauratur descriptio, vbi ex sententia Rectorum, Prouincialium, Consiliariorum, & aliorum grauissimæ autoritatis Patrum, item facultates cuiusque, & virtutes, & Doctrina, & gesta munera explicantur. Adhæc cum vnoquoque triennio è singulis Prouincijs Romam Procuratores mittuntur Prouinciali lecti conuentu, hi coram Præpositum Generalem de Prouinciæ statu, deque singulis edocent. Præterea sunt certa capita, quæ partim ipse Claudius introduxit, partim planius explicauit, quibus capitibus Prouinciales, eorum Consiliarij, itemque Rectores hominum de quibus agitur, alijque probatæ autoritatis terni minimum Patres de vnoquoque expromunt, quæ cognoscere opus est, vt iudicetur, quo collocandi sint in gradu, & alia separatim capita, quibus palam fit, an sint Præfecturis idonei, & qui præfuere, seu præsunt, quam bene perfuncti sint munere, vel fungantur, cuius interrogationis capita, totamque formulam inspiciendam Cardinalibus Claudius dedit. Nihil enim esse potest exactius. Super hæc semel, iterumque singulis annis ad Prouincialem, ad Præpositum Generalem Consiliarij de suis quisque Rectoribus scribunt, & quibus de rebus visum fuerit. Eodemque modo de Prouincialibus Consiliarij eorum, & rebus Prouinciæ bis, immo ex recenti Decreto quater ad Generalem perscribunt. Super quæ omnia cuique Superiorum, aut inferiorum copia fit amplissima, quæ ex vsu suo, communiue censuerint, indicare. His rebus fit, vt nemo Sociorum

13 Mutationis autores pauci, qui volût res vt sunt stare, permulti in Societate.

14 Quam plena certaque ex notitia Superiores in Societate creétur.

15 Id ipsa Turbantiũ Confessione comprobatum.

rum cuiquam familiarium suorum interius notus sit quàm Generali Præposito. Quod & Perturbatores, qui maxime rerum ignorationem ad patrocinium suæ causæ venditabant, immemores mentientem oportere memorem esse, tandem professi sunt, expostulantes minima quæque ad Præpositum debere perscribi. Ea igitur notitia, & maxima est, & sincera, ac certa, non solum quia nunquam ita se inuicem alij alijs aperte, tantaque cum religione, & cura indicant, vt summo capiti, communique Ordinis Parenti, sed etiam quia cum tot vijs, tam multos per homines, tantoque temporum tractu, adhæc scripto, vbi curæ plus adhibetur, & literæ conseruantur, capiatur, procliue est omnia inter se se conferre, & obseruare, quid alij, atque alij, alio, atque alio tempore iudicarint, vt etiamsi qui fallere velint, non possint, &, si qua inter homines de hominibus certa cognitio est, humana prudentia nullam desiderare hac certiorem queat. Hanc cognoscendorum hominum curam vbi Claudius explicarat, ita rationum colligebat summam. Ad certam Præpositorum lectionem necessaria in primis duo videri, personarum notitiam, & vacuum perturbatione animum. Hæc namque si præsto adsint, neque per imprudentiam, neque praua voluntate peccatur, qui sunt omnium fontes errorum. Notitia quanta in hac administrationis forma insit, satis est dictum, quæ tanto etiam plus habet momenti, quanto & prudentia, & vsu pollere necesse est supra vulgus inferiorum, qui supra omnes euectus tanquam ex alta specula Ordinem vniuersum circumspicit. Nam vbi res suffragijs agitur multorum, vel, vnius error officiet summæ: quippe cum efficiendo numero perinde valeat ignarus, ac prudens. Iam vero si perturbationes suæ Præposito sint, & suas vnicuique inferiorum esse: & quidem æquum videri in vno quopiam è numero minus esse temperatas, quam in eo, qui legatur è toto Sociorum corpore, vt probatissimæ, præstantissimæque virtutis. Cæterum, quæ perturbatio, quæ studia transuersum ferant Generalem, cui res cum hominibus sit adeò remotis, adeoque subiectis. Quid timeat inde, quid speret, cum præsertim perpetuum gerat magistratum? At in conuentibus studia eò facilius dominantur, quod sibi quisque præficit eos, quibus subesse mox debeat: itaque eos prætereant necesse est, à quibus, vt semper fit, aliquid timeant, illos vero præficiant à quibus sperent: nec tam boni communis, quam priuati commodi ratio habeatur. Adde quod in Ordine hoc eo maiore custodia intercludendus est aditus ambitioni, atque superbiæ, quanto varietas, & genus munerum, quæ in commune bonum tractantur, opportuniora sunt ijs pestibus; quantoque magis ad conseruandam disciplinam domesticam, & vtilem foris nauandam operam, necessaria est firma possessio, & perennis exercitatio Euangelicæ humilitatis. Hæc & alia in eandem sententiam non solum Cardinalibus causæ præfectis exposuit Claudius, sed & cum increbesceret rumor vrgeri hoc caput à turbatoribus, nec abhorrere Pontificem, Marco Antonio Columnæ Cardinali impense rem commendauit, rogato vti ex occasione eliceret Sixti mentem, sique opus foret ab incœpto auertere conaretur. Accedit Cardinalis causa optime cognita, & vndique rationum telis instructus, haud per cuniculos, & ambages, sed palam quasi manu conserta dimicaturus. Incipit ergo: auditum sibi nescio quid moueri de mutanda ratione, quam ad id loci Societas in suis Rectoribus, Præpositisque creandis tenuerat; idque agi, vt eorum designatio posthac non à Præposito Generali, vt ex Instituto Ignatij, quod inspiraſſe creditur Deus, adhuc cum Diuina gratia recte successerat, sed in Prouincijs per conuentus, & suffragia fieret. Quæ vix audierat Sixtus, cum interpellans. Quid? inquit, Capitula volunt? tum vero totus permisceretur Orbis: magnos paruos, deuotos quisque, ac deuotulas interponeret suas. Cum eorum Capitulis cunctarum simul Ciuitatum,

16 Duo necessaria ad bonã Præpositorũ lectionem.

Ea in Generali reperiũtur.

In conuentibus vix sperari possunt.

17 Marci Antonij Columnæ Cardinalis beneuolum officiũ apud Pontificem.

18 Pontifex à creatione Superiorum per Capitula abhorret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatum, & singularum domorum essent Capitula : totum denique commouerent Orbem . Iube , inquit , esse securos : Scimus nos non esse Iesuitarum ex vsu ista Comitia . Quæ cum retulisset Generali Columna , pars curarum non leuis decessit , simulque est cognitum : nequaquam id vere vnquam Regis Philippi iussu attentatum , sed solum nomen simulate obtentum . Quin potius solitum eum in hac parte admirari , & prædicare Ignatij prudentiam , qui tale genus administrationis suum in Ordinem induxisset . Hac igitur exempta cura , de certo Professorum , & aliorum graduum tempore etiamnum solicitudo restabat : edocendisque insistebatur Cardinalibus quanta id necessitate fieret , vt nullus esset terminus communiter præstitutus . Non enim nisi exploratæ , certæque virtutis homines cooptari posse in Societatis gradus . Nec vero ex æquo omnium explorari facultates , neque ex æquo matureſcere , siue ætatem , siue Doctrinam , siue virtutem ; cum hæc tam diuersa signa ad Religionem afferant . Interim tam multæ , tamque honorificæ , & acres ex Polonia , ex tota Germania , Belgioque adfuere commendatitiæ ad Sixtum literæ ab Rodulpho Imperatore , ab Sigismundo Rege , & omnibus fere sacris profanisque Principibus , vt magnum suæ in Ordinem nostrum pietatis documentum ediderint , nobisque æternum referendæ gratiæ onus imposuerint : ac denique Sixtus non leuiter expostularit , tanquam sibi quæsita apud eos esset infamia . Cæterùm præcipua commendatione digna est Guilielmi Bauari pietas . Ita hac de causa laborauit , ea Procuratori in Vrbe suo Minutio mandata dedit cum literis compluribus ad quoscumque opus foret , iusso cuncta administrare ex Præpositi Generalis ductu , itemque ad se sua manu frequentissime scribere , quo in gradu res esset , vt si de toto eius ageretur dominatu haud facile videatur potuisse solicitudinem magis intendere . Literas ad Pontificem sua manu has dedit .

19 Regis Philippi autoritas falso interposita .

20 Literæ comendatitiæ Principum pro Societate multæ ad Sixtum scriptæ .

21 Fauor insignis Guilielmi Ducis Bauariæ in Societatem .

Beatissime Pater .

Præclara venerandæ Societatis IESV in Catholicam religionem merita , eiusque in his Germaniæ partibus , vel restituendæ , vel conseruandæ labores , ac studia nouis quotidie occasionibus , felicibusque successibus sic à Deo benedicuntur , vt non raro Diuinam prouidentiam in illis ego quidem suspiciam , ac deprædicem , qua calamitosis hisce temporibus Ecclesiæ à Deo missi , strenuos in illa , summeque necessarios se operarios exhibent : mihi vero , terris , ac populis meis , quibus hisce Patribus , eorumque laboribus frui contingit , plurimum gratuler , nihil magis exoptans , quam vt institutum adeo salutare faciem illam constanter retineat , qua non parum Christi Sponsa Ecclesia hactenus recreata , nouoque fœtu multiplicata fuit . Quod propter Apostolicæ Sedis robur , quo hæc Societas , & Religio firmata est , felicemque eius Instituti cursum semper mihi firmiter persuasi , neque nunc quidem secus , vt accidat diuinam bonitatem permissuram confido . Patrum vero , qui in his partibus rei Christianæ dant operam , contrarium quendam timorem non absque animi mei molestia his ipsis diebus ex ipsismet didici , cum de nescio qua innouatione in eorum Instituto forte facienda dolentes mihi significarent , adque eam nouitatem inducendam Sanctitatem Vestram à quibusdam non parum incitari . Quoniam vero Sedis Apostolicæ autoritate , & defensione , vel vnica eorum Societas in primæua sua integritate , puritateque hactenus perstiterit : & contra quoscumque eam impugnantes , vel in dubium ipsum Institutum vocantes se tutata sit , quo animo iam esse ; quidue sibi polliceri debeat , cum Sanctitatem Vestram institutum aggredi , & mutationem in eo facere velle intelligant . Ego vero Beatissime Pater , non tam Patrum istorum nomine , quibus tam propter fidelem , quam mihi populisque subiectis nauant operam plu-

22 Literæ ad Pontificem eius manu scriptæ .

rimum

rimum debeo , quam propter religionem ipsam Catholicam illis in his partibus potissimum innitentem , pro mea erga Sedem Apostolicam obseruantia , & tranquillitate Ecclesiæ status zelo , ac desiderio , non possum non Sanctitati Vestræ debita cum reuerentia , animique submissione aperire qualemcumque huius Ordinis Societatis hoc tempore perturbationem absque quidenti religionis Catholicæ in his partibus detrimento accidere non posse . Quæ ex eorum Instituti immutatione , vel innouatione non tam ipsorum Patrum affirmatione , quam mea quoque sententia maxima cum sit futura , eam Sanctitas Vestra pro suo erga Christi Ouile amore , ac studio præcauere vt velit etiam , atque etiam submisse rogo . Illud præterea perpendere , ex Instituti Societatis per Sedem Apostolicam hoc tempore innouatione , vel aliqua mutatione , tum frigidos in Germania nostra Catholicos , tum obstinatos Hæreticos in concepta contra Ordinem Societatis opinione non parum confirmandos fore . Qua Catholici dissolutiores , præsertim Ecclesiastici , virtutum splendorem , & vitæ exemplum horum Patrum non ferentes , cum in vita , & moribus eorum nihil carpere , & reprehendere possint : institutum ipsum eiusque procedendi rationem in dubium vocare solent , Ordinisque Societatis dilatationem in his partibus impedire ea ratione , vel à se hanc Religionem arcere conantur . Qui tamen facile Sedis Apostolicæ autoritate , qua Religio hæc Clericorum Societatis IESV iuxta totam suam rationem sibi propriam , & primo institutam , & toties postea per Summos Pontifices , vt etiam per Sacrum Concilium Tridentinum , approbata fuit , repressi hactenus fuerunt . Hæretici verò nonnulli ab alijs Hæreticis , qui Iesuitas & ipsi vocant fidelissimos , & iuratos Papæ defensores , & Ministros proclamant , & propterea cane , & angue peius oderunt dissentientes ; inter alia , quæ contra Societatem perperam effundere solent , Iesuitas nec Catholicos quidem , sed nouam quandam sectam esse apud suos pronunciant . Quantum iam Beatissime Pater vtrique , dispari ratione licet , in pernicioſa sua , falsaque opinione confirmabuntur , si intelligant Societatis institutum in dubium à Sanctitate Vestra vocari ; quædam in illa innouanda , ac immutanda esse . Quam gaudebunt in sinum suum religionis Catholicæ , huiusque Societatis aduersarij ? cum luctu quidem Societatis , detrimento vero Ecclesiæ , pro qua tam fideliter hi Patres laborant , vitam quoque & sanguinem pro illa exponentes . Ac certe Sanctitas Vestra mihi credat , nihil periculosius Ecclesiæ in his partibus excogitari hoc tempore posse , quam si Patres Societatis in suis functionibus , quas iuxta suum Institutum pro Ecclesiæ bono hic exercent , remitterent , aut propter mutationem in eorum Instituto factam , cum pristino Societatis spiritu , ac feruore illas non obirent . Cum propterea Societas hæc erga Sedem Apostolicam in eius autoritate apud quoscumque ex peculiari instituti sui ratione tuenda , & persuadenda fidelissimam se hactenus exhibuerit ; vt tum Regna , & populos ad illius obedientiam , & subiectionem adduxerit , tum Principes quoque Catholicos ad debitam erga eandem obseruantiam , & deuotionem permouerit , nec in hoc genere finem faciat : ac nisi Sedis Apostolicæ per ipsam autoritate magis , magisque amplificata , crescere se non arbitretur , omnem vicissim ab eadem Sede protectionem mereri videtur , qua non tantum à Sanctitate Vestra ipsum institutum omnem erga se fauorem , Apostolicamque benignitatem experiatur , verum etiam Sanctitatis Vestræ autoritate Ora ei obloquentium , vel quid noui contra illud à tot Summis Pontificibus confirmatum molientium retundantur . Quare Beatissime Pater submisse iterum rogo hocce religionis Catholicæ in his partibus fere vnicum præsidium , laudabilem hanc Societatem , ea ratione tueri nobis , vt velit , ne circa eius salutare , totique Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siæ proficuum institutum vlla ratione perturbari, vel contristari eam, sinat: quin potius id suorum Prædecessorum exemplo in sua pristina integritate conseruando, ac tuendo, fructu, & incremento Religionis Catholicæ ex eorum ministerio plurimum se gaudere declaret. Neque enim latebit Sanctitatem Vestram similia contra Societatem ab aliquibus parum bono zelo ductis apud alios Summos Pontifices esse tentata aliquando, mutationemque, seu nouitatem in Societatis Instituto valde sollicitatam fuisse. Quæ tamen Sanctissimi Pontifices altiore intellectu ponderantes, parum ad Ecclesiæ vtilitatem accommodata intellexerunt, & loco nouitatis petitæ ipsum Institutum, totamque illius rationem, nulla in eo mutatione factâ, de nouo confirmarunt, pluribusque priuilegijs ornarunt. Quod item à Sanctitate Vestra pro flagranti ipsius boni communis desiderio mihi pollicebor, & communem tum Religionis huius, tum Principum Catholicorum in his partibus consolationem in hac causa, humiliter expectabo. Sanctitati Vestræ me perquam humillime, omnesque meos commendans. Datæ Monachij 29. Martij 1589.

23 Literas Ducis Bauariæ Sixtus Pontifex supposititias, & confictas suspicatur.

Has literas vbi Sixtus accepit, compositas à Iesuitis fremere, atque adeo suppositas: vt egregie laborandum Minutio fuerit, prolatis alijs Guilielmi epistolis, vnde & manus eius, & stylus enotesceret. Respondit autem Sixtus, & ad alios Principes in eam ferme sententiam. Nihil sibi de mutando Societatis instituto veniisse in mentem, quod laudabile confiteretur, & vtile omnino Ecclesiæ Sanctæ, & conseruari omnino vellet: sed tantum displicere sibi vitia quorundam, præsertim qui in Aulas se, & rerum publicarum administrationem inferrent. Quæ magis dicta sunt ex præiudicio superiorum annorum, vulgarique cantilena, quam quod in præsentia designari facile posset, quid in hoc genere peccaretur. Cum Posseuinus quidem priuati Sacerdotis vacaret munijs, & Edmundus nuper, vt infra dicetur, excessisset è Gallia: & calumnia quædam de Transyluaniæ rebus, de qua item mox referetur, satis detersa esset. Reuersus subinde ex legatione Polonica Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, & ipse perspectos ab se toto septentrione Societatis labores Pontifici retulit, addita commendatione, vt creditum est, non vulgari. Ita nulla re innouata per Dei gratiam exactus est annus: eo præsertim, quod Cardinalis Carafa, quæ ab se notata ei cognoscenda tradiderat Pontifex, prudenti cunctatione, ac tergiuersatione in longum extraxit.

24 Responsa Sixti ad Principes, de Societate.

25 Commendatur Societas à Cardinali Aldobrandino.

26 Cardinalis Carafæ prudens, & benenola cunctatio.

Inter has molestias miram Claudius erga Christi Vicarium conseruabat reuerentiam, & conseruari ab suis volebat. Nullos neque coram se, nec vsquam haberi patiebatur, nisi permodestos de eo sermones: cumque aliquando responderet Emerico Forslero, qui nuntiauerat literas paulo duriores de Societate ad Carolum Archiducem à Pontifice scriptas, hæc addidit sua manu, Pater mi, qui scripsit Breue Pater noster est, & Pastor, diligit nos, & cupit humiliari; meliora sunt hæc vulnera diligentis, quam si parcens nobis, nos elatiores efficeret. Oremus pro illo Dominum serio. Ita se aduersus Pontificem gerens summa item humilitate, ac reuerentia Diuini Numinis in tota hac exercitatione prouidentiam venerabatur. Monita hæc cælestis Patris plena caritate existimabat. Consideransque quod Sanctus Nazianzenus ait. Nequaquam graue esse plagis affici, sed longe esse grauius, & acerbius plaga non fieri meliorem. Illud assidue volutabat animo, quemadmodum posset lucrum ex damnis facere; præsentibusque incommodis ea admouere remedia, quæ eadem munimenta in posterum forent. Omnia mente colluſtranti facile apparuit summam in Præpositorum, ac Rectorum qualitate sitam, qui si recte suo munere fungerentur, bene omnia euenirent. Igitur re cum Deo multum, & Assistentibus consultata, cum videret

27 Claudij Generalis erga Pontificem reuerentia.

Or. in pl. gr.

28 Curat Generalis, vt Societas ex aduersitatibus proficiat.

deret legum, ac præceptorum affatim esse, solum curam Præsidum, & operam posse desiderari, saluberrimum hoc quod totidem verbis placet adscribere, de hora singulis, aut minimum alternis diebus in considerando officio suo ponenda, decretum edidit. Quod, inquit, nonã parte constitut. cap. 7. §. 13. docuit Pater noster, tempus omne, quod valetudo, & vires corporis permittent Superioribus, partim cum Deo, partim cum officialibus, & Ministris, partim secum seorsum considerando, & statuendo esse impendendum, tanti momenti est, vt ex huius Constitutionis neglectu plurima incommoda sequi, & ratio manifesta demonstret, & experientia non obscure conuincat. Nam cum Rectoris officium sit, vt habetur par. 4. cap. 10. §. 5. Oratione, & Sanctis desiderijs totum Collegium velut humeris sustinere: deinde curare, vt Constitutiones seruentur: Collegialibus cum omni sollicitudine inuigilare; eosdemque ab ijs, quæ nocere possint defendere: vt omnes in virtutibus ac literis proficiant, curare (quæ verba in illius officij regulam, 21. & Præpositi 22. translata sunt) liquet eum qui hæc non omni solicitudine præstet, quæ sui officij sunt præstare non posse. Quæ cum animo voluerem, & intelligeremus sine dubio fore, vt non modo quotidianæ admonitiones, & literæ, quibus Superiorum animos ad pastoralem vigilantiam excitare conemur, sed ipsæ etiam regulæ sine fructu editæ sint, & commendatæ, nisi re ipsa, quæ ordinata sunt executioni mandentur, ac perpetua quadam industria moribus potius nostrorum expressa, quam literis consignata cernantur: Visum est nobis in Domino, re diligenter illius Maiestati commendata, in eam curam omni studio incumbere, vt ea Constitutio, ac Regula exacte seruetur, & id Superiores opere ipso præstent, quod præstare tenentur, & quamuis Constitutio satis indicet quantum in ea re temporis impendendum sit, totum scilicet, quod valetudo, & vires corporis permittant; tamen quo melius, & certius præcipuæ huius operis parti, ideſt Orationi, considerationi, & deliberationi aliquid temporis tribuatur, videtur maximæ futurum vtilitatis, si quotidie aut certe alternis diebus integram horam sibi præscribant in qua secum, & cum Deo considerent, & statuant, quæ ad rectam domus, vel Collegij administrationem spectant. Eo tempore in conspectu Dei considerent quomodo se habeat status domus, vel Collegij, quomodo subditi in spiritu, & virtutibus proficiant, quid impedimenti, quid distractionis habeant, quo spirituali morbo ille, vel ille laboret, quo remedio iuuari possit, vt adhibeatur: quomodo Præfectus rerum spiritualium, quomodo cæteri officiales suum officium exequantur: quomodo Regulæ, Generalium Ordinationes, & Religiosa disciplina seruentur: quis erga proximos per nostra ministeria fructus colligatur. Denique præter examen quo proprios defectus personales proprie solent examinare, examinent hoc tempore defectus circa gubernationem, legant Regulas Visitatorum, & Superiorum iussa. Caueant tamen ne hanc lectionem perfunctorie, & quasi cursim præteruolent, sed accurate, & meditato plura studiose considerent, & deliberent, quam legant. Denique disquirant quam diligentissime quomodo omnia ad nostrarum Regularum præscriptum, mentem Constitutionum, & maiorem Dei gloriam componantur. Hoc autem ita cupimus obseruari, tanquam eam Constitutionem, ex qua vere cæteræ pendent omnes, vt etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ id præcipiendum putaremus, nisi obedientia ipsa Superiorum, & amor in Societatem, quam hoc studio maxime iuuandam, ornandamque confidimus, tam vehemens calcar excluderet. Cæterum intelligant Superes hoc præcepto semoto, quacumque possumus efficacia, maiori quo valemus affectu id nos ab illis per viscera misericordiæ Christi, per caritatem, qua Societatem, atque animas suas, & Fratrum suorum diligunt,

29 Decretum de hora considerationis Superioribus quotidie impendenda in rebus sui officij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ardentissime flagitare. Hæc ita constituta misit ad Prouinciales, vt cum omnibus communicarent Moderatoribus, darentque operam, vt qua opus erat voluntate, studioque susciperent, atque eosdem ipsi, idoneos administros tribuendo, cura rei familiaris leuarent. Excepere magna alacritate mandatum hoc Patres, gratiasque Deo egerunt, qui tam salutarem suo Pastori mentem iniecisset. Scripsit Bartholomæus Perius de Nueros iam Bœticæ Prouincialis, hanc cætera emendandi clauem esse. Iosephus Acosta Visitator cæleste sibi dixit monitum visum ad corrigenda, si quæ sunt praua, ad expolienda, & perficienda, quæ recta. Ipse autem Generalis quamuis tanta premeretur occupationum mole, tamen Considerationis quotidianam horam seriò ipsi sibi præscripsit, seruauitque postea pari constantia, & conscientiæ suæ æquitate, & Ordinis totius profectu.

30 Qua approbatione exceptum id mandatum.

Egregios inter viros, quos dedit hoc anno Cælo Societas, iure memorandus est Ioannes Baptista Elianus. Quinto nonas Martij in Romano Collegio, quo fuerat ab Domo Pœnitentiariorum æger relatus, sancte post cuncta Sacramenta decessit. Vir erat salutis animarum ad infinitum sitiens, laborioſus iuxta, atque industrius, sui contemptor nobilis. Bis in Ægyptum, bis ad Maronitas profectus late suam caritatem disseminauit: multarum linguarum subsidio instructus omni ope omni nationi salutaris. Nec parum in Italia, Romæque præsertim, de Sancta Ecclesia meritus, ex Iudæorum fæce multis ad Christianam fidem traductis, eorum impietati detractis nutrimentis, cum magnam vim intercepisset Talmudicorum voluminum, quæ Pontifex Gregorius dari flammis eius indicio iussit. Eas ob res Iudæorum in pertinacia hærentium insigni odio dignus est habitus. Christianam plebem Christianis complectebatur visceribus. Nouas in dies reperiebat artes, quibus aut peccantium arceretur illecebra, aut inopum subleuaretur calamitas. Inter alia excogitauit, perfecitque vt mysteria fidei, & præcepta Decalogi in picturam redacta formis excuderentur, vt haberet in ijs rudiorum tarditas disciplinam, memoria subsidium, languor incitamentum. Placuitque adeo inuentum, vt Præfectus Vrbis, Vicariusque Pontificis, in Cauponis omnibus, & Diuersorijs affigi eos libellos iusserint: permultique Dynastæ in suas ditiones exemplaria eorum multa transmiserint. Peregrinationum eius ærumnæ, vexationes, naufragia, vincula, suis dicta sunt locis. Cum in eosdem dies incidisset mors Farnesij Cardinalis, non defuere, qui dicerent, duos simul Pauperum Patres obijsse. Adeo diues caritatis mendicitas Ioanni Baptistæ idem pepererat nomen, quod tanto Cardinali pecuniosa benignitas. Farnesius, quâ illum decuit pompâ celeberrimis per Vrbem exequijs, Plebe vbique plangente, in Templum IESV ab ipso conditum elatus, ibi à duobus, & quadraginta Cardinalibus præter Prælatorum, & omnis generis virorum insignium lectissimum numerum, iustis funebribus honoratus est: Societasque per Orbem Terrarum vniuersa multis illum Sacrificiorum millibus, & precum, ac piaculorum defunctis vtilium numero ingenti gratè prosecuta, non tamen sibi satis vmquam visa est beneficiorum eius magnitudini, æquam officiorum suorum vicem rependere, ac quasi pari modo remetiri potuisse. Nam is plane vir beneficâ in nos quadam electus Dei prouidentiâ visus est, qui hanc minimam Familiam ex infirmis crepundijs initiorum, ac velut è fascijs infantiæ, in Ecclesiæ lucem, ac publicæ vtilitatis celebritatem excitaret. Magna, & multa, & vltro, & affectu semper vltra dona redundante largitus, gratificatusque nobis est; & alioqui talis fuit claritate, ac sapientiâ, vt quos diligeret, suffragio laudis honestare putaretur. Cui enim obscuritati splendorem non adiungeret eius æstimatio, atque amor, qui sacram purpuram annis quinque, ac quinquaginta, quam dignè gestauerit declarauit locuplete testimonio sapientissimus Imperator Carolus Cæsar quintus, auditus de Alexandro Farnesio

31 Ioannis Baptistæ Eliani mors post vitam bonam, & pios labores.

32 Talmudicas nugas aboleri curat, inde Iudæis exosus.

33 Industria eius in tradenda Catechesi.

34 Cardinali Farnesio comparatur.

35 Funus Cardinalis Farnesij.

36 Eius in Societatem beneficia.

37 Iudicium Caroli V. de eo.

nesio attentissimè inspecto eum diceret: extare in viro illo tam illustre specimen Apostolici Senatus, vt si ex eo de cæteris Purpuratis Aulæ Romanæ Patribus censeri oporteret, dubitari nequiret, quin sacrum Cardinalium Collegium, augustissimum Orbis totius Concilium esset. Talis vir nostrum Ordinem, & à principio sine exemplo, & ad extremum vsque suum spiritum sine tædio, aut intermissione fouit, promouit, commendauit, præsidio, ac patrocinio protexit. Auenionense Collegium, cum illam Vrbem, ac Prouinciam Legati potestate administrandam suscepisset, condere Societati cæperat; Pontio Cogordano, & Iulio Onofrio nostris eò secum ductis: sed morte Iulij Tertij reuocatus Romam, & à nouo Pontifice alibi detentus, deficiente occasione cæpti perpetrandi, constantem tamen tenuit de nobis bene merendi voluntatem; dum Archiepiscopali Montis Regalis Cathedræ in Sicilià impositus Collegium in eâ Vrbe nostri Ordinis magnificè ædificauit, & largè dotauit. Dignus ob hanc forte liberalitatem cæteramque pietatem habitus, quem Romanæ IESV Basilicæ conditorem fuisse Diuinitus electum, S. P. Ignatio dum adhuc viueret afflatu prophetico significatum videatur. Etsi eius Templi constructio non nisi duodecimo post viri Sancti obitum anno cæpta est. Annis inde septem eatenus promota, vt marmori vestibulo interiori conspicuè inferto verè insculpi potuerit, anno eam Iubilæo 1575. perfectam. non tamen ante annum Christi 1584. rite dedicata ea Sacra ædes est; sacris operante Cardinali S. Seuerinæ: cuius anni eiusdem, die Assumptæ in Cælum Deiparæ Sacro, primum sacrum in eius Arâ Maximâ Summus Pontifex Gregorius XIII. fecit. Ex quo tempore multis adhuc annis, expolire, ornareque opus istud suum munificentiâ, qua cæperat Alexander perrexit: idque illum curantem occupauit mors, multis eorum, quæ in eo genere designauerat, non perfectis, quibusdam ne inchoatis quidem. Tholum enim inter cætera, & testudinem Cameræ imminentis Aræ Maximæ, vermiculatâ picturâ Museaci, vt vocant, operis, pretiosissimi simul, & speciosissimi, decorare constituerat. Sed Deo aliter visum, qui conscientiæ officiosæ voluntatis repræsentare mercedem absoluti operis voluit; eo, vt sperare licuit, recipiendo in Cœlestem suam Domum, quem sibi Domum terrestrem ædificare, ornareque conantem videret. Cuius sui Consilij præsensum ei afflasse aliquem multò prius videri potuit. Biennio siquidem ante supremum diem, nempe anno Christi 1587., quem Cardinalis Alexander Farnesius octauum, & sexagesimum vitæ numerabat, bene adhuc valens, & quam maximè florens, sponte sepositis humanis curis, cum lectâ religiosorum comitum manu rus secessit; ibique primum reuocata memoria omnium longæ vitæ actorum, quicquid in ijs vitiosum agnouit, Sacerdoti cum lacrymis, & ingentis doloris luculentâ expressione confessus est. post quod ibidem perseuerans, vnicè intentus faciendis, vt Sacræ literæ monent, dignis pœnitentiæ fructibus, sacrificia quotidie offerri Deo plurima curauit in suorum peccatorum expiationem. Et quia suasum Regi Magno à Propheta meminerat, peccata, vt eleemosynis redimeret, in eum propriè finem largitiones in egenos profusiores quam vmquam instituit facere. Ipse interim orationibus, & sacris ad septem præcipuas Vrbis Basilicas peregrinationibus vacans, virorumque Sanctitate insignium Religiosarumque familiarum ad idem suffragia corrogans; nullos nisi de rebus Cœlestibus, deque mortis piè obeundæ ratione sermones cum familiaribus serebat. Viginti circiter mensibus in isto secessu sic traductis, sepulcro suo in IESV Basilicâ dudum cæpto, manum imponi vltimam iussit; instinctu, si ex euentu licet æstimare, præsago: tertio enim ferme post mense, ipsius postridie Kalendas Martias hoc anno mortui cadauer eò illatum est; laudationes ad Panegyrim eius funebrem perorarunt Iulius Nigronus, & Franciscus Benius

38 Collegium Auenionense designat.

39 Montis Regalis condit.

40 Maffeius vitæ S.P. Ignatij l. 3. c. 14.

41 Templum IESV quando inchoatum, perfectum, dedicatum.

42 Secessus Alexandri Cardinalis biennio ante mortem.

43 Eius Pœnitentia, & vita laudabilis

44 Mors, & sepultura.

45 Qui de eo scripserint.

nostri

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostri ille Parmæ, hic Romæ, alijque deinceps è Societate præstantissimi eius viri memoriam, quà soluta, quà vincta numeris oratione celebrarunt: imitati splendidissima eius ævi ingenia, Paulum, & Iacobum Sadoletos, Marcum Antonium Flaminium, Aldum Manutium, Petrum Victorium alioſque plurimos, quorum è scriptis palam extantibus, quæ hic desunt inclyti huius Herois decora repetere licebit: nos enim, pro instituto, ea dumtaxat, quæ ad merita eius in nos, nostrumque in eum vicissim gratum animum pertinere videbantur, attigimus. Apud Professos Ioannes Milanus decessit rerum domesticarum iam dudum ab anno 1549. adiutor: cui de perseuerentia aliquando sua solicito in Dei famulatu, Beatus Ignatius dixisse fertur. Esto securus: nam si ego in Societate perseuerabo, tu quoque perseuerabis. Cellulam sibi ad diuersandum instar Sancti Alexij ligneis sub scalis in ipsa humo concinnarat, ibique in Sancti Alexij peruigilio hora ferme postquam recte valens Sacram Eucharistiam in templo susceperat, repentinò fugiente anima, extinctus est. Sed multo magis incertum vitæ mortalis in Carolo Maranno spectatum. Ministrum in Germanico agens Collegio, cum omni virtutis exemplo, florens ætate, robustisque viribus, & firma valetudine quinto Idus Aprilis, vbi primum mane excitatus est, nescio quid de Collegij administratione cum vno è Fratribus exorsus, extemplo animam exhalauit, maximo beneficio vitæ religiosæ consequutus, vt illo tanti momenti transitus, quanquam improuisum eum, non tamen imparatum opprimeret. Eo etiam beneficium notabilius fuit, quod cum is Romam olim venisset, duos vt adolescentes Vincentium Maranum, & Vergilium Ceparium sibi cognatione iunctos à Dei famulatu abduceret, malus captator bene captus in Christi retibus, quæ rumpere tendebat, hæserat. Interrupit mortalitas & Francisco Marino viro docto, ac pio multa, quæ habebat inchoata præstantis sapientiæ, quæ studiorum in Neapolitano Collegio Rector, post diuturnam Theologiæ professionem, cum ad lucem, posteritatemque limaret, euocatus est ad mercedem, & operum cæterorum, & vt sperare licet, eius quoque voluntatis. Duo in hac Neapolitanâ Prouinciâ recepta Collegia, Salerni, & Consentiæ: cum vtraque Ciuitas, & per se se vehementer instaret, & autoritas Comitis Mirandæ Proregis accederet. Is quin etiam Salernitanis autor fuit. Nam cum hi petijssent, vt sibi in Regis dumtaxat potestate esse ab omni Dynastarum iure liberis, quod, in Domanium se conferre, vulgo appellant, Prorex eam per occasionem vicissim ex Ciuitate, vt Collegium aduocaret, petijt: quod summa voluntate est factum. Nulli hoc anno Salernum missi Collegæ. At Consentiam Archiepiscopo Euangelista Pallotta, eodemque Cardinali Datario, postulante, iuere Fuluius Butrius, & Octauius Palmerius; & mox Marius Sardus. Non defuere initio, qui magis partium studio, in quas erat dissecta Ciuitas, quam tædio Collegij, cœptis aduersarentur; mox tamen communis omnium prompta fuit benignitas. Præsertim postquam in attributis domicilio ædibus tria conflata sunt Sodalitia, Nobilium, & Opificum, & Scholasticorum; quamquam nullasdum Collegium haberet scholas. Plurimum iuuere opus autoritate sua Hieronymus Valanus, Hispanus natione, per id tempus Calabriæ Præses; & Cardinalis Consentinus; è Ciuibus autem Fabius Passalacqua, Secretarius Regius. Iam inde ab anno 1584. maximè Caroli Mastrillij incitata concionibus Ciuitas in eam rem Consilio publico certam pecuniam destinarat; certum etiam numerum pagi circumiecti, certum priuati Ciues spoponderant. Adiuuit etiam vehementer hoc anno è Cappuccinorum sacra familia Laurentius Brosçia, qui per magni ieiunij conciones, multorum Ciuium, quæ refrixisse videbantur, voluntates, magnæ suæ, & eloquentiæ, & charitatis igne pristino calori restituit.

46 Ioannis Milani Laici adiutoris solicitudo de perseuerantia.

47 Imitatur S. Alexium, & eius peruigilio moritur.

48 Subita mors Caroli Maranni.

49 Vocatur in Societatem cum alios auertere ab ea studet.

50 Francisci Marini scripta; præclara morte imperfecta.

51 Collegium Salerni conditum suasu Comitis Mirandę Prorę gis.

52 Consentinũ Collegium inchoatum agente Cardinali Pallotta.

53 Aduersarij, & Fautores eius operis.

In

In Sicilia ex receptis superiore anno Collegijs Calataneſletense ædificari cœptum. Ipsis Ianuarij Kalendis primo locato lapide, cum optimis Sanctissimi IESV Nominis auspicijs. Ædificabat, fundabatque Ludouica Luna lectissima fœmina, tum ituris iusto numero incolis, cum domicilium, ac cætera in expedito forent. In præsens perpauci tanquam in stationem præmissi. Minæi magna gratulatione Nouembri mense sub duobus magistris publicatæ literæ, vir pius, & locuples, & liberis carens Thomas Guerrerius eius Collegij parens fuit, in perpetuam piæ, sapientisque Posteritatis successionem. Præfecti Cruciatæ in Regno Siciliæ, quod triennio ante tetenderant, hoc iterum anno vrsere, vt apud nostros, libelli cruciatæ imprimerentur. Volebant primum, qui ei præficerentur operi, ab suorum Rectorum obedientia exemptos, vnius parere Cruciatæ Præfectis; deinde in chartam, & cætera necessaria sumptum facere nostros, cum eo, vt & lucrum, quod ex libellorum distractione fieret, ipsis itidem cederet. Ita adhuc factum dicebant. Sed cum ostensum esset, alterum aperte cum obedientia, alterum cum Societatis paupertate pugnare, illud temperamentum probarunt, vt impendium, & lucrum omne ad ipsos pertineret. Nostri autem operam fidelem, ac sedulam, sub Præsidum suorum potestate conferrent.

Messanæ Tyronum Magister, vir siue intelligendi, siue agendi recte laudibus apprime pollens, Antonius Maria Parentucellus Lunensis in diœcesi Sarzanensi ad superos in æui flore migrauit. Philosophiam Romæ docuerat: inde missus huc venerat, tum ob egregiam religiosæ prudentiæ indolem tyrones vt regeret, tum ob valetudinis infirmitatem: cui Siculum Cœlum fore commodius sperabatur. Magnum sui desiderium Domesticis perinde atque Externis reliquit. Nihilo autem minus Valentinus Arigonius Venetæ Professorum domui Præpositus. Vir erat solida instructus virtute, familiaris cum Deo consuetudinis tenax, magno ardens studio animarum, idemque efficax, vel supra vires laboriosus. Moriens id habuit curæ inprimis, vt veniam postularet à Socijs, si quempiam offendisset, & suam illis testaretur, cum qua decedebat animi lætitiam, & conscientiæ pacem; sæpius professus abire se omnino lætissimum: neque per Dei gratiam residere quicquam, quod conscientiam, vel leuiter commoueret. Hoc nimirum est non gustare amaritiem mortis; hæc famulatus Dei habet in decretorio illo articulo Immortalitatis pignora, quibus vel vnis, quæ conferri mortalis fælicitas queat? Reliquit in eadem Veneta domo Ioannes Antonius Segala admirationem raræ virtutis, longo Sanctæ Marthæ laborum tractatu collectam. Templum eius domus Franciscus Barbarus electus Aquileiensis Patriarcha Iulio mense, ritu solenni, summa voluntate sua, & gratulatione Populi consecrauit. Carolus Philibertus Sabaudiæ Dux, cum aduersus Geneuenses bellum mouisset, quatuor secum è Societate, cum Iulio Coccapano Confessario suo duxit, militum animis seruituros. Illi verò, & corporibus seruiuere, Nosocomio ægris, saucijsque recipiendis instructo. Curarunt male valentes, mortuis Catholico ritu preces adhibuere, ac sepulturam. Pugnantibus ante, postque pugnam, & in ipsa acie præsto fuere; multorum dissidia composita, multi inquinatæ Doctrinæ flammis dati codices; cæteraque id genus gesta, nec sine magno negotio, nec pœnitendo successu. Fuere ij tutiores, inter arma, quam in media pace. Ioannes Franciscus Vipera. Is Genuæ pro nota sua virtute multum nactus auctoritatis, multorum auctor rectè factorum, inter cætera viro nobili flagitij materiam interuertit. Vnde homo accensus in furias, cui gratiam referre parem nequibat, feritate barbara vitam decernit eripere. Ergo structis certo loco insidijs, dispostisque Sicarijs; nomine primariæ fœminæ, quæ ægra simulabatur, accitur de nocte Vipera, eius vt Confessionem exciperet. Arcana omnibus erat præterquam Viperæ insidiarum suspicio:

54 Collegiũ Calataneſleten se adificari cœptum: Fundatrice Ludouica Luna.

55 Minæi Collegium cœptum fundatore Thoma Guerrerio.

56 Præfecti Cruciatæ opera nostrorum vti volunt conditionibus molestis.

57 Antonij Mariæ Parentucelli mors. Item Valentini Arigonij.

Et Antonij Segalæ.

58 Templum, Domus Professę Venetę consecratum

59 Missio Castrensis magni successus in exercitu Ducis Sabaudiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

60 Claudius Pules in Exercitio obedientiæ nefariè occisus.

cio : quare cum Rectore Simone Arpio egit, vt quempiam mitteret exploratum, vere-ne Matrona, quemadmodum narrabatur ægra decumberet. Simon duos præmittit Fratres, Claudium Pulem, & Carolum Antonium Malateſtam, conſultò lectos humilioris ſtaturæ, cum Vipera eſſet procerior, ne ſi forte in inſidias præcipitarent, per errorem in ipſosmet ſæuiret. Sed nulla cautio ſatis fuit ad auertendum facinus. Vbi boni Fratres certum in locum venerunt, Sicarij ex inſidijs coorti, Claudium Pulem magna plaga in humero, & plumbea ſclopeti glande in femine ſauciant; vnde tertio die confectus eſt: tanta mali diritate, vt cum locus, & ictus minime lethalis eſſet, exiſtimatum ſit imbutam veneno glandem fuiſſe. Tam inſana inceſſerat Viperæ tollendi libido. Sed Deus ad diuturniores labores ſeruare illum voluit, & Claudium, perferendo vti fecit, magna æquitate eo caſu præparatum, præſenti remunerari mercede. Erat enim eximiæ virtutis; & vt obedientiæ cauſa lætabatur talia ſibi perpeti conceſſum, ita etiam profitebatur, perlibenter ſe Viperæ Vicarium mori: quòd ille multum adhuc poſſet Eccleſiæ Dei, Societatique prodeſſe; ipſe autem homo, vt loquebatur, nihili eſſet. Senatus fœdum facinus indigniſſimè tulit, maximaque propoſuit præmia, qui autores indicaret: nec vltra vulgari à nobis neceſſe eſt: niſi quod paucis poſt menſibus cum rabies libidinum deferbuerat, tanta nobilem illum pœnitentia ſubijt, vt ſponte, quod palam eſt cognitum, ad Viperæ pedes prouolutus, veniam ſuppliciter rogans, Confeſſionem rite peregerit.

61 Autor necis Claudij reſcipiscit, & veniam petit.

In Polonia, cum Varſauiæ Regni conuentus haberetur, vehementer Hæretici coorti ſunt contra Societatem. Videbantur audaciam aſſumpſiſſe ex Tranſyluanorum exemplo. Itaque & Polocienſes, & quidam ex Caliſſio, nec pauci ex Vilna Nobiles clamabant, ſed Rigenſes obſtinatiſſimè. Quæ fuit cauſa, cur Prouincialis Campanus Varſauiam ſe conferret. Clamoribus, querimonijs, calumnijs, tanquam vſitata iam fabula, nihil Rex, aut Proceres mouebantur: magis erant de Riga ſolliciti. Miſerat ea Ciuitas oratores, qui primum omnium conarentur id obtinere, vt nihil apud ipſos Catholicum ſupereſſet. Si hoc expugnare nequirent, illud vtique extorquerent, vt Ieſuitæ procul amouerentur. Et vni Oratorum, quo enixius cuncta moueret, duo & viginti florenorum millia ferunt tradita. Igitur ita armati cum veniſſent, grauiſſimè declamarunt, profeſſi (id quod inter Auditores fabula factum eſt) Ieſuiticum ſe neque vultum, neque cultum poſſe aſpicere. Illud callidè quoque ante curarant, vt negotium in ſupremos Comitiorum dies reijceretur, quò breuitas temporis, conſultantiumque fatigatorum, & abitum ſpectantium feſtinatio, deliberandi maturitatem adimerent; tantoque facilius tota res ad eorum arbitrium raptim, ac temere fecaretur. Cæterum mira obſtitere conſtantia Catholici Senatores, & ardentiſſimis ſtudijs. Dedit & ſuum libellum Campanus in publico recitandum conſeſſu; in quo cum expoſuiſſet, quid paucorum turbulentorum cauſa, Collegio, quod Stephanus Rex Rigæ poſuerat, tolerandum fuiſſet; iniuriarum capita exequutus, ad extremum Societatis nomine rogauit, vt veniam illis Rex, & Proceres benignè darent, vti & Societas ex animo omnes condonabat, & obliterabat iniurias. Tantum vellent, iuberentque Collegium in ſuam ſedem, vnde per vim exturbatum erat reſtitui: ne iniqua vis comprobata videretur conſilio publico, alijſque Ciuitatibus, & exteris quoque nationibus tale exemplum præberetur. Committitur negotium certis ex conuentu delectis, in quibus Archiepiſcopus erat Mackieouius, & Cardinalis Radiuillus: è ſæculari ordine Cancellarius magnus, & alij, pars maior Hæretici. Hi & Religionis cauſa, & æquitatis, & ad Stephani defendenda acta, & regiam autoritatem, vt par erat, in poſterum quoque firmandam, ſine dubio ſtatuerunt Reſtituendum Collegium, & quidquid in eius tutelam, & com-

62 Hæretici in conuentu Varſauienſi Societatem oppugnant.

63 Rigenſes vehementer agunt contra Societatem.

64 Catholicorũ ſtudia pro Societate, & poſtulata Prouincialis.

65 Decernitur reſtitutio Collegij Rigenſis.

commoda Stephanus decrerat, ratum, firmumque eſſe debere. Sub hæc comitia ſoluuntur: & quò quemque voluntas tulit Proceres dilabuntur. Tum aduerſarij poſtquam fauentium Collegio Senatorum, pleroſque digreſſos videre, de integro adnituntur, vt cauſa extra comitia, in regio Senatu retractetur: nec deſtitere vociferari, clam, palam miſcere omnia, quoad in illo Senatu ſtatutum eſt, ſæcularem parochum Rigæ collocandum, ne ſi Ieſuitæ exoſi nimium reuocarentur, noua motibus nouis alimenta ſuggererentur. Hæc vbi cognouit Campanus, ſciens pro Regni more, talia Senatus Conſulta rata non eſſe, niſi Rex approbator accederet: eique Senatorum audita ſententia, integrum eſſe, quod videtur decernere; libellum ad Cardinalem Radiuillum, cum Rege prandentem miſit, conquerens modeſta cum libertate, iam prope eſſe, vt Societas peius in Polonia, quam in Tranſyluania acciperetur. Videret certè ne Tranſyluanorum, & Rigenſium comprobare facta videretur, ſi illud valere Senatus conſultum vellet: videret quantam aperiret tumultibus portam. Quod extorſiſſent Rigenſes idem poſt paulò attentaturos Derpatenſes, & Polocienſes, & alios. Quæ, & alia multa eiuſdem generis ita Campanus, eaque mente ſcripſit, vt Cardinalis, quod is fideliter fecit, libellum ipſi oſtenderet Regi: poſtridieque eum ipſemet Prouincialis conuenit. Reſpondit benignè, id fieri temporis cauſa: mox vbi quies rediiſſet, cuncta ſuum in ordinem reditura: ſuamque pietatem, ac prudentiam in eo Rex oſtendit; quod cum ijs conceptum verbis decretum eſſet, per quæ Societas excludebatur, atque vnicum Regi Sancti Iacobi templum reddebatur, ſua manu Monaſterium Sanctæ Magdalenæ adiecit, formulamque ita correxit, vt ius Societati integrum permaneret. His quiddam interuenit, quod veram de Societate exiſtimationem, dum tantum vbique exagitatur, nudauit. Dum Sigiſmundus, & Maximilianus de Regno, ſeu pace diſceptant, & Sigiſmundus Confeſſarium, & Concionatorem Ieſuitas habet, item Maximilianus Sacramenti cauſa ab ducentis millibus paſſuum ad ſe Rectorem Fuldenſem accerſit, & ſuper hæc vnus idemque Pater, qui inter Pacificatores à Sigiſmundo miſſos, rem diuinam promulgato Iobelæo, & alijs ſtudijs promouebat, ab alterius quoque partis, eadem apud ipſos curaturus accitur. His vere primo geſtis Campanus de Rigenſi re ſolicitus, Collegia Poloniæ, ac Lituaniæ obiter viſens, & ordinans, in Liuoniam pergendum ſibi putauit. Miſerat enim Legatos Rex, qui ſtatum Rigenſis Ciuitatis componerent: inter prima mandatorum dare operam iuſſos, vt Collegium reſtituerent. In his duo erant ſtudijs plane diuerſi. Legationis Princeps Caluiniſta erat acerrimus: primus ab eo ſupremus Lituaniæ Cancellarius, biennio ante vna cum coniuge ad Orthodoxos reuerſus: qui quantum pro Eccleſia Dei, & Societate aſſumebat negotij, tantum ab hæretico oppugnabatur. Tria ſeditionis capita in medio foro ſuſtulere, in quibus, & turbulentus ille Ghiſius ſupremo affectus ſupplicio eſt. Exules Senatores, & Magiſtratus reſtituerunt in priſtinum locum, & alia fermè redintegrarunt omnia, pacata omnino Ciuitate. At de reſtituendis templis Caluiniſta Legatus, non ſolùm in vltimum curarum reiecit, ſed etiam inſidioſis vocibus inſtigare ciues nunquam ceſſauit, vt obſequioſos de cætero præſtarent ſe ſe, in hac vna peruicacia perdurarent: ita demùm fore victores. Tum vt omnia funditùs euertendi cauſæ aliquid alicunde erueret, vetuſta recognoſcere occœpit priuilegia Ciuitatis. Cum reclamaret Campanus, & Societatis priuilegia clariora, & recentiora, atque adeo firmiora obiectaret, reſpondit nullam inmandatis fieri Ieſuitarum mentionem. Quod ne eſſet obtentui, miſſo magnis itineribus Socio ſuo Boxa ad Regem, qui Liuoniam, per id tempus peragrabat, nouum, apertumque impetrauit mandatum, de templis nominatim Societati reddendis. Cauillari tum Caluiniſta (quod ipſum falſum

66 Subreptitiũ aliud decretum furtim ab Hæreticis obtentum.

67 Querelæ de eo Prouincialis ad Cardinalẽ Radiuillum.

68 Rex ſapienter eludit ſpes Hæreticorum.

69 Principes inter ſe diſſidentes inuendo Societatis operã conueniũt.

70 Legati componendis Rigenſium rebus ſeditioſos mittunt.

71 Caluiniſta Legatus religionem oppugnat.

72 Nec Regis mandato cedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum omnino erat) autoritatis plus esse in mandatis, quæ comitia condidissent, in quibus nulla Iesuitarum mentio fieret, quam quæ dedisset Rex. In summa id fore nouorum causam tumultuum in Ciuitate, ad quam missi essent pacandam. Porrò toti erant Rigenses in eo, vt Catholicum nihil in Ciuitate haberent: priuilegia de ea re sibi amplissima esse dicentes, violata à Stephano Rege per fraudem duorum Ciuium, qui quod inscia Ciuitate templa Regi tradidissent, merita essent nece sublatis. Nec factiosi Ghisij loco minus illo impotens, & acerbus extiterat Secretarius Senatus. Ita obseptam Rigam cum Satan haberet, Campanus quanquam vehementer dolebat, nobilem adeo deseri Ciuitatem, tamen, vt quam minimo cum detrimento relinqueretur, nec Liuoniæ copiarum, spiritualium quicquam decederet, de Collegio Vendam transferendo cogitare coepit. Inuitabat Venda non procul dissita Ciuitas, post Rigam, ac Derpatum, Liuoniæ prima, & pacata, & per id tempus Episcopi Sedes. Rigæ vero cum præsidium Polonorum inde deduceretur, Socijs qui residebant in arce, post hæc, & minus erat assuturum, quod agerent, & minus tuta salus futura, vt medios inter Hæreticos. His Romam perscriptis, Rex ipse Rigam per Autumnum, facie haud modicè indignantis accedit. Nam cum in arcem diuertisset, inuitatus ad ineundam Vrbem, iam magnificis in eius ingressum spectaculis, & arcubus triumphalium instar paratis, dedignatus est ingredi; nec missa in arcem munera accepit, nec Ciues, & Senatores salutatum venientes admisit. Qui cum sæpius repulsi, tandem iussi spondere templa reddituros, aditum impetrassent. Primum gratulati aduentum eius, deinde obedientia cum donis delata: ad templorum causam postremo delapsi, dolenter, sancteque testantur, quo minus ea reddant, se se conscientia prohiberi. Ad hæc indignabundi Regis admonitu Procancellarius (is erat Episcopus Premislienſis Albertus Baranouski) quod gratulentur Regiæ maiestati, facere, ait, quod fideles populi solent, ac debent. Ciuitatem ipsum agnoscere suam, sed in qua quantum expertus est fidei, tantum requirat obsequij. Munera esse Regi non ingrata, sed cum sua donent, gratius ei fore, si non retineant aliena. Templa itaque statim ijs, quibus eripuere restituant: quod nisi faxint, nullam sperent clementiam. Neque per Comitiorum sibi nomen blandiantur: nam & proximo in conuentu restitutionem mandatam esse, & ad vltimum, Regij hoc iudicij, non Comitiorum esse. Ad hæc consternati omnes, præsertim quod ad oscula manus vetiti erant accedere: cum breue ad colloquendum spatium peterent, ita est datum, vt protinus secundum prandium Regis, plane, ac diserte, responderent. Dicta hora cum adfuissent; Syndicus Senatus inde orationem exorsus, quod vt Populares, fides, & Obedientia, ita Regem Clementia commendaret. Quando ipsi obsequium Regi suo detulerant, æquum aiebat, vt vicissim Rex illis aliquid clementiæ impertiret. Id Stephanum, id priores antè eum Reges, id olim magnos quoque Theutonicos Magistros fecisse. Neque aliam se postulare clementiam, quam vt templa, quæ repetebat, Ciuitati dono remitteret. Nec tantam calamitatem inferri conscientijs, tantamque cladem communibus rebus pateretur, quanta, si templa illa redderentur procul dubio impendebat. Cum hic peroraſſet, prodijt in medium Ministrorum vnus oratione facta, & memoriæ ad verbum mandata; ita vt iussus rem in pauca conferre, etiam inter conuicia Cantilenam suam, ad finem vsque ferreo ore, fronte nulla cecinerit. Nec sine stomacho auditus, nec sine risu dimissus est: præsertim quod finiens duobus digitis Regi benedixit. Respondit Procancellarius: sanè fide, & obedientiâ populos commendari: cæterum Rigenses fidem Regi videri probasse, nullo autem modo obedientiam: proinde neque clementiam expectare debere, quandiu non resipiscant: cum peccatum non remittatur, nisi restituatur

73 Cogitatur de Rigensi Collegio Vendam transferendo.

74 Rex Rigensem arcem ingressus Ciuium tamquam Rebellium officia respuit.

75 Idem obiurgantur à Procancellario

76 Eorum allegationes frigidæ, & contumaces.

77 Iterũ obiurgantur.

tur ablatum. Expectanti Regi rem, etiamnum verba eos attulisse: si pergant in peruicacia, vias illum inuenturum, quibus ad officium cogat. Hæc, & multo acerbiora alia cum dicerentur, præsente Senatu Regio, Senatoribus Ciuitatis, Tribunis, Ministris, & Ciuium plus trecentis, quotquot aula capiebat, Syndicus Rigensium subiecit: Si Rex noster clementissimus, à nobis, vt respiscamus postulat, ergo spatium nobis simul indulgeat, quo agnoscamus erratum. Petit itaque Ciuitas Rigensis, quam fieri potest infimis precibus, huius noctis reliquæ vsuram (erat enim iam altera hora noctis, & Rex postridiè discessurus summo mane) ad deliberandum cum populo, atque respiscendum. Cui Procancellarius; tametsi clementiâ Serenissimi Regis abuti iam videmini, dum in re adeò aperta, ac iusta illum hic, diem totum, ac noctem tenetis, tamen nec vlla re vobis defuisse videatur, tantoque meliore consilio redire ad benignitatem eius possitis, en regia maiestas huius vobis gratiam facit noctis, non ad deliberandum, sed ad persuadendum male sanis, vt ea templa restituant, quæ nec Euangelici vnquam, nec Lutherani ædificarunt, sed Catholici, ita tamen moram hanc donat, vt si obedienter imperata facere, animum inducatis, primo mane adsitis, sin autem perstare in pertinacia vestra malitis, coram eius Maiestate nequaquam appareatis. Non enim deerunt illi rationes, quibus temerariam istam duritiem frangat. Vbi dies illuxit templum offerunt vnum, quibus respondit Rex, perinde hoc esse, vt si quis furatus chlamydem, restituere dimidiatam velit. Paulò post respondent, Senatum consentire, vt Regi templum vtrumque redderetur, sed oportere Concilium conuocare plebis, & apta persuasione eblandiri consensum illorum: alioquin vbi Rex discessisset, Senatores omnes in frusta concisum iri. Et quoniam Rex properabat Mittauiam, Ducis Curlandiæ Vrbem, eò se postridie responsum certum missuros. Hic Rex accersito Campano, quærit ex eo, si restituere ita Ecclesias velint, quemadmodum Varsauiæ statutum fuit, vt Parocho, & Vicarijs sæcularibus traderentur; recipere nec ne deberet. Cui Pater conandum primo respondit, vt Iesuitæ nequaquam excluderentur: si tamen id obtinere non posset, omnino reciperet. Facilius enim mox ipsos è Catholicis recuperaturos. Iubet ergo Rex sequi illum Mittauiam, vt si forte Rigenses Societatem exclusam omnino vellent, suam rite ipse protestationem interponeret. Ita Rex proficiscitur, omnibus indignantibus, tantùm paucorum seditiosorum valuisse peruicaciam; vt ab Rigæ portis, neque inita Vrbe, neque porrecta vlli, vt moris est, in clementiæ pignus, manu, suum abire Principem, nunc primùm ad eos aduectum, permiserint. Eadem vulgatâ contumacia, quicquid in Comitijs conati erant calumniatores Societati labis aspergere, in caput ipsorum vertit. Neque tamen finis hic fuit. Mittauiam deinde venit Secretarius Ciuitatis, nuncians, cum Senatores, & Consules iam regiæ se voluntati dederent, Ministros seditionem populi in eos concitasse. Itaque summopere orare, atque obsecrare, vt rem integram in Comitia pateretur differri. Pupugit acriter responsum id Regem, iam verò palam illudi sibi existimantem, vt Campanum bonam spem iubens habere, non iam Societatis, sed suam omninò rem agi diceret. Omnes Catholicos hæc Regis constantia vehementer corroborauit, & spe bona compleuit. Rem autem omnem vbi Claudius Romæ cognouit, Campanum admonendum putauit, satis hactenùs, superque tentatum: nihil præterea vrgeri Societatis nomine pateretur; primùm ne qua grauioris tumultus caperetur occasio: deinde ne si Collegium ciuibus vsque eo inuitis reduceretur, nullus tanto par impendio profectus extaret; cum Societatis industria, nisi pacatis, amicisque excipiatur animis, frustrà sit. Potiùs igitur, quod eidem in mentem venerat, de sede ponenda Vendæ cogitandum; vnde & in Rigen-

78 Spatium deliberandi petunt, & impetrant.

79 Templi tantum vnius restitutionẽ offerunt.

80 Rex re infecta recedit.

81 Noua seditio Rigensium, & Regis in eos ira

82 Generalis vlterius tentari vetat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

83 Multorum conuersiones.

sem interim agrum, & aliquando etiam in Vrbem posset excurri. Multi inter hæc toto Regno, in ijsque multi primarij ad Catholicam fidem reuocati: propagata vtilitate etiam ad Populares eorum. Ita prope Posnaniam Comes eiecta hæresi, cum oppida sua iam diù deprauata, perpurgare haberet in animo, aliquot Socijs impetratis, vnico quadragenarij ieiunij tempore, ad septingentos opera eorum Ecclesiæ reddidit, quinque templis, quæ iam trigesimum sextum annum ab Hæreticis tenebantur, sinceri cultus ministerio restitutis. Magno fuit exemplo errantibus, magno bonis solatio Palatinæ Voliniæ conuersio. Quæ cum filiam nuptum tradidisset Duci Nicolao Christophoro Radiuillo, sæpe ante memorato, & hæc subinde errores deseruisset, nec multò post item filius eiusdem Palatinæ Rakouij Dominus, non modo ad Catholicam se pietatem recepisset, verùm etiam maximè eam foueret, tamen ipsa in errore perseuerabat. Sed non ceciderunt irritæ preces, & vota bonorum filiorum, & Generi, & pij nostrorum conatus. Ad extremum diuinâ aspirante luce, deceptam se se nomine reformatæ Religionis, Caluinique dolis, agnouit: ac die Pentecostes expiata, octauoque post die inter Generum, ac filiam Diuinæ mensæ particeps effecta; ac deinceps magno studio pietatis exercitationem sequuta, sexto mense vitam finiuit: cum inter alia testamento iussisset, in Oppido suo templum extrui, & Sacerdotem constitui, designato vectigali perpetuo. Crescere his Duci Radiuillo animus: noua semper Niesuisiensi suo Collegio ornamenta conquirere. Noui iecit fundamenta templi, & in Comitijs curauit sedulò, ac tenuit, vt regio decreto, Senatusque consulto rata essent, quæ Collegio bona tradiderat, eaque immunitates, & vacationes onerum, quam optima conditione haberent.

84 Dux Radiuillus suum Nesuisiense Collegium auget.

In maxima varietate temporum, maior Vilnæ, quam optabilior seges, publicis seruiendi commodis, & incommodis fuit. Cum remissa superioris anni lues, initio anni consuetis muneribus repetendis magna cum gratulatione publica, maturitatem attulisset: iamque templum, & Gymnasium floreret, ac lætissimâ pompâ ingrediens vrbem, receptus esset Sigismundus Rex, qui etiam Collegium inuisit, & eleganti dramati interfuit: tandem sub Iulium recrudescens malum, lætissimum eum cursum abrupit. Geminabat calamitatem, non iam penuria, sed plane inopia rerum, sine quibus vita non sustinetur. Ex Lituaniâ prope totâ, ingens agrestium colluuies affluxerat, quos ex oppidis, & pagis suis, vt fit, fames eiectos Vilnam compulerat, additamentum miseriarum. Habebat enim & suorum ipsa mendicorum numerosam turbam, ex ijs maximè, qui manuum labore victum parare soliti, per intermissa superiore lue commercia, ad vltimum miseriarum deuenerant. Itaque ex his, & rusticanis aduenis, tanquam spirantium cadauerum agmina spectabantur horrendum in modum errantia per vrbem, & cuncta stridore miserabili, eiulatuque complentia. Commoueri his vocibus, his spectaculis famulorum Dei pectora: quodque in se opis esset expromere. Nulla cum essent ptochotrophia turbæ capacia, autores sunt Magistratibus, vt post referta vetera hospitia, in domum peramplam, quæ superfuit multitudo, conijceretur, sumptu publico assignato, idoneisque procuratoribus destinatis. Multum simul collectum stipis, ad leuandam eorum inopiam, quam pudor vulgari prohibebat. Sodalitium misericordiæ, & mons pietatis excitata, quasi perennes deinceps futuri fontes benignitatis, & patrimonia egenorum. Deindè cum pestilentia grassaretur, Collegij corpore in suburbanum prædium submoto, pauci custodiæ domus; ægræ autem Ciuitati subsidio, & solatio quatuor Sacerdotes relicti. Hi dum sui copiam omnibus faciunt, dum percursant vrbem, quam pro suo numero in quatuor regiones distribuerant, egressi, prima luce, sacro peracto, nec nisi nocte iam ob-

85 Pestis, & fames Vilnæ.

86 Subuentum à nostris inopiæ, & infirmitati plurimorum.

scura reuertentes, explicari non potest, quantùm ferrent laborum, quantum pereuntibus ad æternam vitam afferrent auxilij; quantum haberet charitas eorum, salutisque suæ, pro aliena salute contemptio, admirationis, & gratiæ. Cumque sæuitia pestis, fugatis opulentioribus, publicam quoque aggrauasset inopiam, per literas, per internuncios, solicitarunt absentes, ex eorumque liberalitate opportuna corrasere subsidia. Neque interim ipsi plerisque Nobilium gratiam in Vrbe leuem retulere, data opera diligenter, vt eorum domus idoneâ seruarentur custodiâ, ne per occasionem publici mali, aucta furacitate, nequissimis prædæ essent. Aliquando etiam cum totius vrbis periculo grassanti incendio extinguendo, duces, adiutoresque fuere. Hunc spectantes operæ fructum, in media quotidie morte versantes, intelligebant sine præsenti Numinis ope, fieri non posse, quin funestus torrens, tanta cum strage ruens, tandem & ipsos inuolueret: illud modo Deum orabant, vt si quidem moriendum sibi erat, vitæ suæ fructu, non tam sibi, quam tot omni ope destitutis, tantisper prorogato, inter vltimos morerentur. Nec visa est sempiterna illa bonitas pia vota despicere. Duo primum extincti, remittente iam malo, bidui spatio, Iacobus Goliskius, & Ioannes Vilnensis: quorum funera vix credere est, quantis lacrymis, quanto ploratu prosequuta sit inops multitudo. Tum institere, vt superstites duo aliquantum sibi parcerent, inque salute sua, saluti omnium consulerent. In templo adeuntibus præsto essent: ita facilius inuentum iri, perfugiumque ad eos, tanquam in certum portum, futurum; ita operam suam in plures multo dispertituros. Qui cum paruissent, nihilo minus suam operam, promptam omnibus habuere, nec ad extremum glorioso fructu bonorum laborum sunt fraudati. Decessit Iaroslauiæ Martinus Huuiasdouius, quinto initæ Societatis anno; qui cum in Academia Cracouiensi, professor esset haud obscuri nominis, & primarius in æde principe Diuini Verbi tractator, ac summus ibidem Pœnitentiarius, repudiatis super hæc, & honoribus, & vectigalibus, quæ ampliora vltrò deferebantur, cum omnium admiratione Cracouiensium, humilem, pauperemque in Obedientiæ sinu vitam præoptauit. Consecuti sunt, vt in hominibus ætatis eius, & grauitatis vsuvenit, magnis exordijs conuenientes progressiones. Nihil modestius, submissius, obedientius illo; nihil mitius, Deoque coniunctius. Itaque quamquam serò accitus ad vineæ dominicæ culturam, quanquam exiguo spatio versatus in opere, iure adæquetur mercede operarijs, qui portant diei pondus, & æstus.

87 Periculis rapinarum, & incendiorũ occursum.

88 Duo extincti pestilentia.

89 Mors Martini Huuiasdouij.

Eius virtutes.

Ex Transyluanico exilio Sociorum plerique in Poloniam rediere: pars in Austriam, quinque in Moldauiam missi. Stephanus Arator, & Matthias Thomanius in Hungariam transiere, cumque vt in summa hyeme ingenti frigore, & niuosis procellis congelascerent, morbum inde Matthias ad Kisuarda contraxit, vnde & paucis diebus extinctus est. Adfuit illi summa caritate Arator, cumque moribundo Sacrum Viaticum porrexisset, repletus ille gaudio, Pater Stephane, inquit, lucrati sumus vitam æternam. Cui Stephanus: quidni lucraremur, qui pro Christo, eiusque Sacrosancto Euangelio exilium hoc sæuissimo tempore toleramus? Hæc ipsemet Stephanus, cum postea ad Generalem Præpositum scriberet, illa addit: Hunc ego, si liceat dicere, iudico esse martyrem, cum relegatio propter fidem, & mors in exilio obita, videatur ad martyrium sufficere. Corpus eius idem vehendum curauit in oppidum Lelesium: ibique in templo Catholico, decoro funere, cui Episcopus ipse Lelesiensis cum suo Clero interfuit, sepeliuit. Erat Thomanius natione Hungarus, ineunte anno 1569. in Societatem Viennæ receptus. Ex eo tempore partim discens, partim docens literas, partim alijs ministerijs, cùm Societatem, tum proximos iuuans, recto cum exemplo, & nomine

90 Matthiæ Thomanij obitus, ex incommodis exilij Christi causa indicti

91 Summa eius vitæ.

vitam

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitam exegit. Obijt 7. Kal. Martij, annum ætatis duodequadragesimum agens. Arator apud Episcopum Lelesiensem hyeme in sacris concionibus posita, inde latè discurrens, totam Imperatori subiectam Hungariam, Euangelio impleuit. Ioannes autem Lelesius, cum longius iter, adeò horrida tempestate, valetudo eius perdita minimè toleraret, in vicinam arcem Kuyuar delatus, vsque ad autumnum in ea cum Marco Siscienſi, & Ioanne Pace mansit. Singularis erat arcis Præfecti Christophori Krezturij pietas, vxorisque eius, ac filiorum. Marcus (nam Lelesio satis erat negotij, tolerandis morbi doloribus) non solùm Diuina mysteria, sed & Verbum Dei strenuè diuidebat præsidiarijs militibus. Multi etiam vndique, tanquam orbati alio omni perfugio, animarum suarum petentes remedia confluebant. Cœpit deinde vereri Lelesius, ne illa adeò in propinquo commoratio, in Sigismundi Principis, perniciem traheretur. Non enim dissimulabant Hæretici esse sibi intolerandam. Præterea falsus toto eo tractu rumor increbuit, Claudium Generalem Romæ demortuum. Quæ cum restitutionem in Transyluaniam omninò in longum dilatum iri promitterent, Lelesius cum Socijs in Hungariam, inde in Austriam venit. Multa multis locis agitabantur consilia, per quæ reuocari Societas posset. Transyluani enim Catholici omnes magni iuxta, ac parui, omnibus precibus obtestabantur: ne causa desereretur. Non deerant, qui vehementer suaderent, vt Turcici Imperatoris interponeretur autoritas. Tantam enim per iniuriam, quæ donarant iusti Principes erepta fuisse, vt haud dubiè ille ipse Tyrannus, iussurus esset reddi, si auxilium eius imploraretur. Multique ad id operam suam, & præcipuè Bartholomæus ille Brutus è Moldauia, satis in Constantinopolitana aula gratiosus, deferebant. Neque absurdum videri debere, si via eiusmodi tentaretur, cum ad profectum Euangelij Paulus ipse Cæsarem appellasset. Cæterum non eo redactam causam existimauerunt Patres, vt talibus niti molimentis deceret. Sperabant potius, vbi plus nactus esset virium Sigismundus, & aduersariorum deferbuisset inuidia, certiorem, molliorem-que patefactâ per ipsosmet Transyluanos viâ, reditum fore; dabatque non obscura huius rei Sigismundus indicia. Nam vt abiere Socij, venit ad eum Agriensis Canonicus Martinus Vndo, qui certâ causâ ab Societate dimissus, singularem aduersus eam obseruantiam, conseruabat: ac velut caduca poma, sæpè arborem, vnde excidere, opimant; sic ille in præsens Ordini, ex quo effluxerat, peropportunam nauauit operam. Grauem Sigismundo religionem iniecit, quod in sacrorum virorum eiectionem, adeò infamem, & sacrarum facultatum tam iniquam ereptionem, consensisset. Non modo fraude maximâ, maculasse eum conscientiam, talia compromittendo; sed etiam anathematis grauissimi se se induisse laqueis, vnde nisi Pontificiâ autoritate expediri non posset. Momordit bonam Principis mentem, iniectus scrupulus. Exarat furtim literas in Vrbem, ad Claudium Generalem, purgans factum omni verborum modestiâ, impensèque rogans, vt paternum aduersum se obtinere animum perseuerans, velit Cardinalibus manifestum facere, quantâ vi adactus sit, vt tempestati illi cederet. Cum Patre verò Sanctissimo, & illud non grauetur agere, vt se se anathemate, quo dicebatur irretitus exolueret. Adiecit ad ipsum Pontificem, cum Societatis luculenta prædicatione literas: ob studium, quod in restituendâ religione benè, fæliciterque ponebant, eiectos fuisse contestans: & alia pietatis, & Doctrinæ eorum præconia. Mirum dictu est, quam hæ literæ ad Sixtum in tempore delatæ sint. Quidam Michaël, vt Cardinali Batoreo, nihil tale, vt credere æquum est, requirenti, aut probanti, gratum faceret, scripserat ad Pontificem Venetijs; eiectam Societatem, quod compertum esset, id clanculum eam moliri, vt in potestatem Austriacorum, Transyluaniam traderet. Hanc impudentem calumniam

92 Aratoris, & Lelesij peregrinationes.

93 Consilia varia de restituenda Societate in Transyluaniam.

94 Martini Vndonis dimissi è Societate vtilis opera ad nostram restitutionẽ in Transyluaniam.

95 Literæ Sigismundi Principis ad Generalem Societatis. Et ad Pontificem in laudẽ Societatis.

96 Calumnia impudens tempestiuè renincta.

niam sperasse dicitur Michaël vtilem fore, Cardinali, vt ei Pontifex tantò pronius peramplam in eas oras potestatem permitteret. Pontifex certè, multique ex Romana Curia, nec pauci Venetijs, vanissimam illam expulsionis causam, pro certâ, compertaque sic arripuere, vt tempestas ingens inuidiæ, in totum Ordinem cooriretur. Nam quamuis posset ex facili, inde redargui turpe mendacium, quod cum hæretici vndecunque conquirerent, eruerent, accerserent, vel simulacra causarum, ne viderentur vnius religionis odio eiecisse, nullum ne vestigium quidem eius fraudis, nullam suspicionem attigerant: tamen calumniatoris autoritas, omni rationi præponderabat, quod intima ille negotij penetrasse putaretur. Hoc igitur gliscente sermone, ad Pontificem Sigismundi literæ perferuntur, quæ sic opinionem eius priorem detersere, vt ipsemet rescripserit in Poloniam, magnâque cura Societatis innocentiam defenderit. Fecit quoque, rogante multum, ac spondente pro eo Patre Generali, Principi potestatem deligendi Confessarij, à quo salubri decreta pœna, absolueretur, grauiter monens, vt omni conatu, ad Societatem restituendam insisteret. Interim in Moldauiâ multiplicatis Operis, latius res gerebatur, non tamen cum optato successu, excitatis aduersus Principem Petrum tumultibus. Valentinus Ladus vnus erat ex ijs, qui è Transyluaniâ recens aduenerant. Is plurimùm omni Sacerdotis strenui laborabat munere, atque proficiebat. Agebatur de Claudiopolitano Seminario, Lublinum, aut Varsauiam transferendo, in quod Transyluani, & Moldaui reciperentur. Hac enim re laboranti Moldauiæ, absque noua impensa videbatur posse succurri. Verum vt Pontifex aliâ potius, quam huiusmodi Seminariorum viâ succurrendum Ecclesiæ iudicabat; statimque vt nostri Claudiopoli discessere, consuetas Seminario pensiones intermisit, consilium non processit.

97 Pontifex scribit in Poloniam pro Societate. Et eius restitutionem, Transyluaniæ Principi comendat.

Austriam Prouinciam Augusto ineunte Bartholomæus Villerius suscepit: designatus ante fuerat Federicus Bartscius Brausbergensis Collegij Rector, sed pro temporum statu, minus existimatus est idoneus fore, quod è Poloniæ regno accersebatur. Ex recenti Crumlouiensis Collegij successu in Boëmiâ, ortæ est occasio Commotouiensis. Georgius Popelius à Lobkouiz in Regno Boëmiæ, potestate secundùm Proregem primus, instituit initio anni, vt in eam Ciuitatem aliquot Societatis operæ mitterentur. Est Commotouia inter Ciuitates regias nobilis, loco peropportuno ad defendendam, & propagandam Religionem, à Dresdâ, vbi Sedem habet Saxonum Dux, decem milliaribus, Germanico modo; duodecim Pragâ distans. Vndique autem multis, & magnis cingitur oppidis. Quò igitur aptior magno profectui locus erat, eò libentiùs ad laborem accursum est. Ipse Georgius Baderus eo tempore Prouincialis, gemino Sacerdote, & Laico Fratre deductis, operi manum princeps admouit. Collapsa penitus erat antiquæ Religionis dignitas, & Sanctitas. Salutaris figurandæ Crucis consuetudo, aquæ lustralis vsus, obliterata erant. Omnis baptismorum priscus ritus abolitus. Nulla campano ære salutandæ Deiparæ admonitio. Hæc & alia non magno opere, è sententiâ restituta, præcipua cum populi admiratione, ad solennes baptismorum cæremonias, quas vbi primùm videre, tanquam exitiale quiddam exhorrescebant. Interdixerant obstetricibus hæretici Ministri, ne quem infantem domi, quamuis præsenti mortis periculo baptizarent, grauissimâ constitutâ pœnâ. Quippe cum ad ritus Ecclesiæ adijciendos, quos illi susciderant, nihil esset, cur postea ita baptizatus infans ad Ministros ferretur, nullum inde lucrum restabat. Malebant autem boni Ministri, perire infantem sine baptismo, quam suum ipsis perire lucellum. Hæc quoque exitialis sublata lex, coërcitaque Ministrorum auaritia, ne ex æternis innocentium periculis, quæstum satanicum facerent. Denique ad

98 Fructuosi labores in Moldauia.

99 Seminarium Claudiopolitanum extinctum.

100 Commotouij Res ad morum, & religionis restitutionem strenuè, ac feliciter gesta.

pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

101 Designatur Commotoriæ Collegium.

priscum pleraque correcta morem, non solùm in Vrbe, sed in vicinis quoque, ad quæ subindè excursum est, locis. Quæ initia inflammauerunt scilicet Popelium, nihil vt magis timeret, quam ne, cum prouectâ ætate iam esset, ante vitæ lumen amitteret, quam Commotouiæ Collegium iustum videret; ad omnia, quæcunque forent opus, sine exceptione vlla paratus. Michaël Cardaneus post Furstemfeldensem missionem, fæliciter obitam, in vicinam Artpergensem Ciuitatem, Caroli Archiducis mandato concessit: vbi cum adiuuaret sua autoritate Princeps, & antè omnia faueret è Cœlo Deus, ad legitimum Synaxeos ritum, omnes reuocauit; præter vnum, aut alterum residuos, veluti ad testimonium prioris erroris. Poëtouium inde contendit, Vrbem nobilem ad Dragum fluuium sitam: vbi cum tenuiores opinione communi reliquias sinceri cultus inuenisset, non despondit animum. Iamque sexdecim rectæ fidei restituerat, cum Græcium sibi adeundum existimans ad incœptorum effectum, morbo in via correptus est, eoque anno insequenti consumptus. Ab anno 1561. in Societatis disciplinâ modestè, ac religiosè versatus, cum præcipua dote, hæreticos ad fidem alliciendi. Vir, qui multum ædificaret, destrueret nihil.

102 Michaëlis Cardanei vtiles in Missionibus labores. Et mors piè obita.

103 Templum Ingolstadij consecratum magna pompa.

Ingolstadij consecratum est Collegij templum 4. Kal. Nouembris solenni cæremonia, quam ornatu multiplici Poëtarum cohonestarunt ingenia, haud sine pictura. Accessit à meridie, & Orator Ferdinandus Guilielmi Bauari Ducis filius, qui celebritatem eo exhilarauit lætius, quo tenerior eius ætas, in quadam prope maturitate sapientiæ, gratiam maiorem habebat. Data simul in area Collegij Conuictorum Tragœdia, Iezabel, & ipsa mirè spectantibus, non grata modò, sed etiam iucunda. Nec ignorari debet nomen eius, qui primus templi eius sepulchrum, quarto post die suo corpore dedicauit. Is fuit Narcissus Striglius, in ætatis flore consummatæ virtutis. Die Sanctorum omnium, quorum insignis imitator fuerat, ad beatam eorum Societatem excessit; Theologiam, quam ab Philosophico stadio ingressurus iam erat, in cœlesti Academiâ, non aure, sed oculis percepturus. Ratisbonense Collegium, quarto antè cœptum, hoc demum absolutum est anno. Monasterium Sancti Pauli, à Beato Vvolfango, quondam eius vrbis Antistite conditum, de quo ad Societatem transferendo, cum prope vacuum Sanctimonialibus factum esset, agebatur, autoritate Pontificis per solennia acta Prouinciali Albero suscipiente traditum est, tertio Kal. Martias. In sacrâ supellectili inter cætera calix erat, & vestis, quibus ipse Beatus Vvolfangus, ante sexcentesimum annum sacrificans, vtebatur. Octobri dein mense, in quatuor scholis, literarum disciplina peruulgatâ, cum & iuuentutem, quam adhuc sedulò erudierant Religiosi Scoti è Benedictinorum familiâ, eòdem contribuissent. Cum ad hanc diem Vendelinus Volchius rudimentis Collegij præfuisset, absolutum iam Simon Hiendlius cum Prorectoris nomine primus administrauit. Multa de more gesta peregrè in oppidis, pagisque cum emolumento publicæ pietatis. Nec inutilis Lauingana quædam velitatio fuit. Lutherana Ciuitas, & Academia, Lauinga est, haud Dilingâ procul. Hìc theses quasdam hæretici Theologiæ Doctores, an corruptores? cum aduersus bona opera disceptandas proposuissent, earum exemplar vnus auditorum ad Andream Syluium, Theologiam item Dilingæ docentem mittit; gratum fore multis adnuntians, si Iesuitarum quisquam eò disputatum accederet. Fortè aderat Dilingæ Gregorius de Valentia, deductus à Prouinciali ad nonnullam ex continuis laboribus requietem, cum proximè scriptis Sadelum & Krellium hæreticos confutasset. Ambo igitur ad diem Lauingam occurrunt Gregorius, & Andreas, qui vbi in Academiâ conspecti sunt, qui essent noscitantibus multis, admiratio omnes primò ingens defixit, tum admurmuratio consequuta

104 Narcissi Striglij mors felix.

105 Ratisbonensis Collegij initia.

ta est; postremò ad expectationem arrecta mens. Cum à Præside non inuitarentur, ipsi tandem inuitatos se se profitentes, transmisso quæstionum indice, modestè sibi quoque fieri disputandi copiam postulant. Post multas tergiuersationes tandem potestas facta, & vt erant causa superiores, ita ambo disseruere, vt laudem ab aduersarijs quoque reportauerint. Magna in primis vtebantur modestia actionis, & orationis, sine iurgijs, sine clamoribus, nodos dexteritate quadam subijciebant soluendos, in quibus frustrà laboraret ingeniosa calliditas. Eò demùm Gregorius adegit Præsidem, vt profiteretur se de ijs, quæ proposita erant, plura cum ipso priuatim velle conferre: qui implicatus insolubilibus nexibus, dum frustrà eluctatur, inter alia multa, quæ ad effugium absurda effutiuit, etiam dedit, necessariam ad salutem fidem non esse. Disputationes huiusce modi in Academia, vbi fermè homines intersunt haud planè rudes, exitum pro veritate feliciorem sortiuntur, quam quæ spectante, iudicanteque suscipiuntur vulgo. Nam cum multitudo rationum momenta vera non possit expendere, eum solet iudicare victorem, quem audaciâ, impudentiâue viderit superiorem. Nec desunt hæreticis artes, quibus eludant ad vulgus vim veritatis, & suas venditent nugas. Deinde etiam exitum, vtcumque cesserit, pro libidine sua euulgant. Nam qui pro mendacio certant, quid pensi habeant in exitu concertationis narrando mentiri? Eam ob rem, cum Ioannes Pistorius, de cuius conuersione supra narraui, disputaturus contra Schmigdelinum coram Marchione Iacobo Durlacensi, qui ad Catholicam Religionem propendebat, petijsset, vt vnus è Societate secum adesset, eò Præpositus Generalis inclinabat, vt nequaquam concederetur. Nam latissime expectationem concertationis eius fama distulerat, multique ex longinquo dicebantur sacri, ac Profani Proceres affuturi. Quamobrem si quis è Societate in eum locum producendus esset, non existimabat Claudius inconsulto Pontifice aleam subeundam: neque Pistorius grauatè rem tulit, qui cum certamen indicens, mentionem Societatis Patrum inseruisset, quia nunquam eorum hæretici in responsione meminerant, ita rescripsit. Quia Patrum Societatis, & Rectoris Molshemiensis (is erat Theodorus Busæus, nominatim ad id certamen petitus) in vestris codicillis mentionem facere non dignamini; & interim mira spargitis, quòd sine ipsis, non auderem; ecce solus nullius hominis, sed Dei solius auxilio fretus vobiscum congrediar. Sed deinde, & habita disputatio est, & Busæus interfuit, & Marchio, vti referetur, conuersus est.

106 Andreæ Syluij, et Gregorij de Valentia disputationes Lauinganæ.

108 Pistorij fiducia in concertatione cum Hæreticis suscipienda.

Iacobus Ernfelderus, ante Theodorum, Molshemij Rector, initio anni Rhenanæ Prouinciæ administrationem suscepit, Oliuerio Manaræo ad regendam translato Belgicam. Herbipoli noui ædificationem Collegij, Antistes Princeps, septimo Kalendas Iunias rite sacrato, & posito primo lapide inchoauit. Vbi cum aliàs, prout suggerebat animus, concepisset ad Deum preces, conatûs, vti mos, fortunare dignaretur; conuersus ad Ernfelderum Prouincialem, qui aderat: En Patres, inquit, quod meæ potestatis est facio; Vestrum posthæc erit ad felicem progressum, & exitum hæc incœpta perducere. Vos mihi adeste vestra diligentia. In me mora nulla erit. Nec promissa supra rem fuere. Dedit enim operam, vt ædificatio, quanta fieri celeritate posset, procederet. In hac Prouincia, multæ extra Collegia stationes erant, ac fere vbique inter graues hæreticorum concertationes. Erfordiæ maximè vna cum Catholicis Michaël Schillingius, & Petrus Teneramundanus exagitati. Sed Petrus initio æstatis ob tumultus, & inualetudinem auocatus, Moguntiæ vitæ innocentissimæ finem imposuit. Michaël interim Erfordiæ non suggestu modò, sed publico etiam diu caruit, in Moguntini Antistitis summotus ædes, intra quas ab impetu multitudinis circumiectâ noctes, & dies

107 Aedificatio Collegij Herbipolensis.

109 Turbæ Erfordienses.

Universidad de Deusto
Biblioteca

custodiâ tenebatur. Quippe Senatus aduersus Clerum coortus, multa Religioni noxia postulauit; interque cætera, vt Concionatores omnes loco mouerent, quibus ordinaria stipendia non præberentur; hac formula Michaëlem notabant. Inde motûs origo dicitur extitisse, quòd Præsul Moguntinus ad Pascha, quod instabat, Clero imperauit, vt communionem susciperent. Quam rem è Clero factiosi quidam, & sacra exosi, iniquè ferentes, Senatum concitarunt, & Societati conflarunt inuidiam, tanquam suasu eius mandatum Præsul edidisset. Inde igitur cessandum à publicâ dictione Michaëli fuit: neque licuit, nisi qui furtim accederent, sacris Catholicos impertire. Prorsus locum deseri Antistes vetuit, meliorum expectatione temporum, præsentem asperitatem consolans. Dicitur ipsemet Diabolus denunciasse antè, exciturum se se hos motus. Saxo enim quidam à puero Catholicus, dum è malo codice, conflandæ artem pecuniæ cupit addiscere, iamque ad experimentum faciendum, rus accedit; incidit in quemdam, quantum species præferebat, hæreticum, qui vltro promisit breui illum locupletissimum fore, si sibi obtemperaret. Saxo ex genere ac liberalitate promissi, suspicione perstrictus; tu verò, an ne es Diabolus è inquit, cumque alter se esse affirmaret, vehementer territus, frontem Cruce armans, Christianum se esse, nec vlle quicquam cum eo habere commercij contestatur. Non tamen impunè tulit periculosæ artis incœptionem. Multa à Diabolo perpessus, per aquas, per aspreta, per loca abrupta raptatus est. Sic hominem Deus volebat, per corporis vexationem, cautiorem ad animæ custodiam reddere. Interim constantiam ei, & bonam mentem tribuens, vt ad Michaëlem consilij, & auxilij causa se conferret. A quo Sacramentorum adiutus præsidijs, & edoctus, quid grauissima minitanti Dæmoni responderet, dum se ad sacram aliquando Synaxim pararet, atque ille id si faceret, vel in medio populo viuum discerpturum minitaretur. Mihi, inquit, illud est vnum in votis, vt Dei fiat voluntas. Proinde non recusem Ego, si Deus id velit. Quam modestiam contumaciissima bellua nequaquam ferens, frendens multùm, atque denuncians, se exorsurum telam, quam Michaël non ita facilè detexeret; odore relicto teterrimo, euanuit. Subinde, quem dixi, motus coortus est.

110 Earum origo.

111 Illas Diabolus prædixerat.

112 Discreditur Aquisgrano, imprudentia Concionatoris nostri.

Aquisgrano discessum est, & præclara cœpta anni superioris abrupta, haud sine nostri culpâ Concionatoris, qui in vitijs Cleri castigandis iusto liberior, suos, & Sociorum labores perdidit. Quæ attendere exempla necesse est diuino operi destinatos, vt cum Apostolo omnia ferre parati sint, omnia facere, ne quod Euangelio offendiculum ponant. Vocula vna inconsideratius missa instar scintillæ est, quæ sæpè magna parit incendia. Modestia, & aduersus omnes verecundia tuta vbique, & amabilis, eoque fructuosior, quòd quantulumcumque proficit, sine impendio quærit, sine periculo seruat. Quod si culpa abest nostra, recti operis testimonium est, improborum insectatio. Ita fuit Ioanni Hammero Goslarienſi, sua Hildesij patientiæ seges. Primarius enim ministrorum, dum aliter (vt in Catholicâ Ciuitate) nequit, lacerare eius famam libellis famosis cœpit: causam suscepere vltro Canonici, tacente omninò Ioanne: neque criminator nisi rationibus suis, & famæ obfuit. Et Pater, aduersarij nequitiam, suam prudentiam faciens, nihilo posthæc minore conatu, & acriore prouisu in causam pietatis incubuit. Fuit & Spiræ nonnulla trepidatio. Nam Ciuitates liberæ in conuentu, quem Vlmæ habuerant, dicebantur statuisse, omnem mouere lapidem, vt Iesuitas Vrbibus suis excluderent, ac proinde nolle tueri Clerum donec Iesuitas ille dimitteret. Existimabant prudentes hæc ad seditionis materiam, & ad Cleri totius vexationem, atque pulsionem inuenta. Hoc itaque enixius Spiræ, alibique, tuendæ Societatis Clerus curam suscepit,

113 Hildesij Calumnijs impugnatur nostri: veritate defenduntur

114 Trepidatio Spiræ.

pit, sed nihil præterea ab aduersarijs est motum. Inter hasce difficultatem & in Frisiam apertus est aditus. Verdugus Prouinciæ eius Præfectus, vir & Catholicus, & admodum pius, cum ad aliquot vexilla præsidiariorum militum excolenda auxilium postularet, Henricus Sammerius missus est Groëningam; simul à Verdugo iussus de ratione inducendi illuc Collegij, alendique dispicere. Eò cum peruenisset, quam solum ferax, & regionem pecore, ac lacte abundantem reperit, tam quod ad Religionem pertinet, omnia horrida, ac deserta. Vix vsquam supererat Sacrificij vsus, nisi primarijs in vrbibus, vbi tamen sine vllo cultu, ac reuerentiâ peragebatur à Sacerdotibus passim maritis. Catechismi, ac scholæ hæreticorum quamplurimæ. Cuncta ferè ab ijs quoque, qui Catholicos se vocabant, adeò Sectariorum fiebant more, vt ægre plebs Catholicos inter, & hæreticos ritus agnosceret. Exceptus est auidè Sammerius, & cum omni honore habitus; quo alacriùs ille protinus se in gentis vtilitates effudit. Continuò primores de aduocando Collegio cœperunt agere, deserta ad id domo, quæ olim Fratrensium fuerat, destinata; Templo etiam insigni, & aliquanto pecuniæ. Tum Verdugus, & Senatus Groëningensis, communi decreto ciuium, Syndico Ciuitatis misso ad Parmensem Ducem, & Consilium Regium institere, vt res ad exitum primo quoque tempore perduceretur. Ita inter cæteros Dominicanorum Prior magnæ autoritatis, vir doctus ac prudens, causam suscepit, vt etiam voto se obstrinxerit, eam rem omni studio promoturum. Inter hæc Sammerius, vt Prouincialem coram edoceret, ad quem etiam publicas ferebat à Ciuitate literas, Coloniam venit, dumque cum responso Frisiam repetit, adiungere se se aliquot cohortibus idem iter habentibus voluit: nam cum infesta essent itinera, optandum erat præsidium. Verum cum milites assequi nequiuisset, apparuit id Diuinâ prouidentiâ factum, ne vbi magis tutum se se putabat fore, ibi exitium inueniret. Nam Martinus Schinkius, aduersarum partium dux acer, ac strenuus, impetu in Regios facto, multos occidit: nec multò post homo impius, dum Neomagum tentat, dedit impietatis, ac temeritatis pœnas. Sammerius autem cum ab ea victoria hostiles copiæ licentius circa volitarent, penetrare in Frisiam prohibitus, ad quindecim dies errabundus, per noctes iter faciens, Coloniam tandem sospes vndè abierat, se recepit. Non ita, si humano interpretamur modo, feliciter cessit Henrico Valpolo, quamquam meliùs quiddam de eo prospiceret Deus. Is ad Anglorum militum culturam, non multò ante missus, cum Brugis Cortracum venisset ad Prouincialem Oliuerium, quædam communicaturus, dum postridiè eamdem relegit viam, antequam perueniret ad locum, vbi excipiendus erat à militum præsidio, in manus hostium incidit, vna cum simul euntibus quatuordecim. Nunquam eo loco à quatuor annis, neque post hostes conspecti, vt appareat ei propriè instructas insidias, quibus fortè locum ipsiusmet simplicitas dedit, quod aurigæ, cuius in curru venerat, dixit, vt item redituro, sibi locum seruaret. Vlisingam toto itinere cum honore, & multa humanitate habitus, abducitur, permissus pro voluntate psalmos, ac Rosarium recitare, & alias facere preces. Egere cum eo statim de Religione omnes Vlissingani Ministri, quos pia viri consuetudo, & eminens tota in vita Sanctitas ita cœpit, vt attestarentur omnes virum bonum esse. Guilielmus Stanlæus Eques auratus, & ductor Anglicanæ legionis, qui ad suam, suique militis vtilitatem Valpolo vtebatur, multumque hominis virtutem colebat, grauissime casum ferens, omnem cœpit viam circumspicere, vt in libertatem eum assereret. Hostes lytrum taxauerant florenos mille. Quod nisi expediretur, catenas, tormenta, & Angliam Henrico minitabantur. Quotidie autem conueniebant Ministri hæretici, alijque, quibus suæ Doctrinæ, & Religionis

115 Miserrimus Religionis status in Frisia.

116 Agitur de condendo Groëningæ Collegio.

117 Sammerius Diuina prouidentia seruatus.

118 Henricus Valpolus capitur ab Hæreticis. Eosque suis virtutibus capit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis cogebatur rationem reddere. Quod etsi fiebat ad eius tentandam constantiam, non paucis tamen in salutem cedebat, referentibus lucem, dum tenebras conantur offundere. Interim Anglus quidam Ducis Guilielmi Stanlæi tribunus ad hostes transfugit, & captum audiens Valpolum, cœpit voces spargere, fuisse eum euersorem Anglorum, Stanlæo familiarem, & consiliorum, quæ is contra Angliam moliretur, omnium conscium esse. Itaque nullo reddendum pretio, sed omninò auehendum in Angliam, & exprimenda ex eo Stanlæi consilia. Hæc quamuis multum vociferatur, quia tamen maturior ad supremum certamen reseruabatur miles Christi, & repræsentata in tempore, pietate Catholicorum, pecunia auiditatem grassatorum exacuit, initio insequentis anni dimissus est liber: adeò auctus sanctitate, & ardore spiritus, vt plane appareret excoctum eum, & inflammatum in fornace tribulationis: neque tam inter hæreticos, quàm velut in quadam Martyrum schola fuisse versatum. Hunc ardorem, & Oliuerio literis, & Patri Generali cum significasset, Claudius ei respondit his verbis: Auxit deinde etiam gaudium nostrum, Reuerentiæ Vestræ epistola, & animus, quem ea epistola ostendebat, vt hoc beneficium Dei manu, quemadmodum debebat, acciperet; & ita acciperet, vt se Deo, & Societati restitutam arbitraretur, ac propterea tantam voluntatem ostenderet, impendendi se totam diuino obsequio. Hæc igitur voluntas, vt plane iusta, Deoque debita est, ita precamur, vt Vestra Reuerentia in ea crescat, suosque deindè fructus ferat. Quæ Patris Generalis vota, quam non in irritum ceciderint, gloriosus tempore suo describendus triumphus ostendet. Quo loco, & alia quædam de hac captiuitate reddentur. Oliuerius cum in prouinciam venisset Belgicam, domesticas res satis bono inuenit loco. Iam controuersia Louaniensis consederat, nec quisquam è Doctoribus autor volebat eius videri: quin potius singuli significabant, tædere ipsos incœpti. Nullum erat molestius, quam cum Ricchardo Batzono negotium. Is Anglus genere, fuerat initio Personij comes in Anglicis rebus: dein multa egerat Antuerpiæ bona, quæ ad extremum omnia, dum fines audet transilire, corrupit. Venit Romam, nauigauit in Angliam, peragrauit Belgium; arcana sibi esse demandata negotia dictitans, ab Sancto Quæsitorum Romanorum Consilio. Per hoc nomen dabat literas, ad quos libitum esset: pecuniæ multum tractabat: etiam vbi Collegia forent Societatis, alicno vtebatur hospitio, nec satis apparebat, quo Confessario vteretur, quando faceret Sacrum. Quæ res præter curam, quæ de anima eius periclitante, meritò Præsides tangebat, exemplique, & scandali perniciem, eo etiam plus habebat periculi, quod Quæsitorum nomen, vt omnium Belgicorum semen tumultuum, totam Societatem suspectam in ijs Prouincijs, & execrandam facere poterat. Has ob res Generalis Præpositus, cum Cardinales Sacri Tribunalis alloquutus esset; illi quidem primò mirati sunt tantam per eorum nomen assumi à Batzono licentiam; diserteque denunciarunt suæ voluntatis esse, vt in officio, Præsidumque obsequio, perinde ac cæteri, teneretur. Quod si qua in re vti vellent operâ eius, admonituros Generalem Præpositum. Absurdum enim esse nescio cui vni è numero arcana committi, quæ latere Generalem deberent; plusque fidei gregali homini esse, quàm Duci. Quod si corrigi aliter non posset, tum Claudius iure suo vteretur. Nec sane aliter sanari malum, quàm membri sectione potuit. Franciscus Costerus procuratione Prouinciæ liber, quo plus habuit otij, hoc impensius in remedia animarum se se impendit. Ciuitas Hasseletum erat, quam hæretica pestis, eo diriùs depascebatur, quod Pastor ipse doctus cæteroqui, & eloquens, pro lupo se se gerebat, & habebatur. eo ab Electore Ernesto (est enim in Diœcesi Leodiensi Hasseletum) ad dicendam causam Leodium accersito, ne

119 Pretio à Catholicis soluto liberatur.

120 Literæ ad eũ Claudij Generalis.

121 Riccardi Batzoni irreligiosa vita.

122 A Sacris Quæsitoribus quorum autoritate se tuebatur, deseritur. Et è Societate dimittitur

ne Populus omni spoliaretur Magistro, eiusdem Ernesti postulatu, Costerus Hasseletum contendit. In summo templo duo erant Sacerdotes, alter admodum iuuenis, alter omninò idiota; neuter idoneus Confessionibus audiendis. Reliquâ in Ciuitate in Cœnobijs quibusdam quatuor omninò numerabantur. Itaque in tanta raritate cultorum, facilè est intelligere, quam esset neglectus ager. Per anni superioris aduentum, & huius quadragesimam, Concione, Catechismo, Sacramentis, vnus multorum vicem Costerus obiuit, ab longo tempore nusquam audita, qualia ipse diceret populo contestante, quamque habebat necessariam, tam auidè excipiente culturam. Edocuit paucos illos Sacerdotes Quæstiones conscientiæ, deditque operam, vt Pastor ab Doctrina, ac pietate sufficeretur idoneus. Inde etiam scribendis libris causam publicam instituit adiuuare. vtque præmuniret Catholicos, exarmaret hæreticos, Antonio Sadeelo, quem & Valentia confutarat, respondit hæretico nobili, qui recens de Sacrificio Missæ, & S. Eucharistiâ duos pestilentes libros emiserat.

123 Costeri vtiles labores.

Traiecti primum lapidem extruendo templo delecti primarij Ciuium duo posuere. Contulere liberaliter Ciues ad ædificationis impensas; contulere & Hispani milites vltro stipendiorum partem, vel renitentibus nostris, quod supra facultatem eorum, benignitas videbatur. Verum homines ad religiosa spontè euntes, vehementer impulerat perspecta Sociorum charitas. Nam cum è castris regijs, Traiectum curandi deportarentur ægri Germani, ijs tanta curâ sedulitateque Traiectenses Collegæ inseruiebant, vt nihil siue ad corporum, siue ad animorum solatia paterentur desiderari. Ea scilicet charitas erga milites, militum charitatem incendit. Cæterum in ipsis quoque Regijs castris præclarè *continuati labores*, multis Sacerdotum de Societate *per cohortes distributis*. Quorum inter militiam Adrianus Albissenus *feliciter triumphauit*. Vir (vt Oliuerij vtar elogio) *in vita sanctus ab omnibus iudicatus, in toto morbo*, & in morte multò sanctior, vt ferè non dubitemus eum inter Sanctos gloriâ magnâ donatum. Patria erat Dordracensis, anno 1567. Societati Louanij adiunctus, cum plus duodecim annos, magna laborum tolerantia, literas Humanitatis, duos Philosophiam tradidisset; iamque domesticum Sociorum Seminarium Audomaropoli Græcam linguam, quam percallebat, doceret; tertio nonas Octobris humana deseruit.

124 Traiectensis Templi fundatio.

125 Adriani Albissenī boni operarij pia mors.

Nunquam peiore loco publica res in Gallia, neque incertiora fuere consilia. Cum enim anni prioris exitu exulcerati Guisiorum cædes magnam partem Catholici rebellassent à Rege, & eum Sorbonici magno anathemate irretitum, & populos ab eius fide liberos pronuntiassent: atque ex altera parte, se nunc cum maximè ille profiteretur Catholicum, quæque egisset, iustâ necessitate facta defenderet; totumque in ciuilia bella regnum exardescceret, nihil licebat certi, siue de occultis hominum voluntatibus, siue de exitu rerum cuiquam sibi promittere. Laudabantur tamen vulgò fœderati, ac nominatim Parisijs (vt est ille populus religionis Catholicæ mirum in modum studiosus) tantus cernebatur ardor, seu defendendæ, seu sanguine contestandæ auitæ Religionis, vt enarrari non queat. Omnia precibus, ieiunijs, supplicationibus, & omni genere placandi numinis feruebant. In eum locum redacta videbatur res, vt tamquam ex decretorio momento summa penderet veri, aut falsi cultus. Nam si vrgeretur occasio, ac fœderatorum conata succederent, actum putabatur de noua superstitione; nec dubium, quin breui prisca vbique sacra restituerentur: sin autem opportunitas sineretur effluere, primoque illo populorum æstu deferuescente, suus Regi dominatus rediret, pro certo habebatur late hæresum flammas sparsum iri. Nam quamuis certa esset mens Regis, bonâque fide conaretur obsistere, quod planè erat mortalibus occultum, nequaquam id consequi poterat, nisi Fœderatorum

126 Fœda rerum perturbatio in Gallia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum ministerio, & viribus. Atqui vt Fœderatis, post fidei eius tale experimentum, tantumque dissidium, cum illo sincerè vnquam conueniret, sperandum nullo modo erat. Hoc ancipiti rerum statu, quo se modo gererent, valdè ambigebant Societatis homines. Initio, cum præter commune Ordinis præscriptum, etiam proprio Generalis Præpositi mandato, cauerent sermones qui ad alterutram partium inclinarent, Parisijs, alijsque in Ciuitatibus, in quibus Collegia erant, quæ fermè omnes, exceptâ Burdegalâ, Fœderatos sequutæ sunt, magnam vulgò admirationem, atque adeò offensionem præbuere; quod pro suggestu, cæteris Dei præconibus magnâ voce classicum canentibus, soli ipsi, seu segnitie, seu torpore, siue etiam mala fide cessarent. Itaque etiam Politici interdum vocitabantur, quo nomine eos insignire mos est, qui peruersè, & impiè præferentes humana diuinis, Religionem ex vsu terrenæ dominationis fingunt, ac temperant. Nulla quidem dubitatio fuit Augerio, quin priuatim, publicèque Lugduni, vbi degebat, Regis foueret partes, & facta defenderet: sed tantam sibi inde conflauit inuidiam, vt coactus sit, tanquam in custodia, se se intra Collegij tenere limen, ne, quod dicebant futurum, si in multitudinis veniret manus, præceps daretur in Rhodanum. Eò venerat odij, dum obstare Religioni creditur, qui paulò antè, dum eam fouebat, tanquam mirus Orator, ac Dei Apostolus in pretio, & veneratione erat. Nec defuere, qui editis libellis, famam eius lacerarent, ac Societatem vna perstringerent: nec sermonibus hominum finis est factus, quoad in Italiam accitu Generalis Præpositi, vitæ eius, ac Societatis nomini consulentis, migrauit. Prouinciales hæc vbi vident, datis ad Generalem literis, per quas eius sententiam exquirebant, quia expectando responso locus non erat, multum orato Deo, vt cœleste lumen injceret, diu, multumque cum suis deliberarunt Consiliarijs, quænam tenenda via esset. Omnibus visum ea esse tempora, eam vulgi opinionem, eam virorum doctorum, ac Religiosorum consensionem, vt ipsis sine graui offensione, atque ex eo vel vno capite sine graui piaculo, aut aliter sentire, aut se se tanquam medios seruare, inclinationem rerum opperientes, nullo modo fas esset. Statuunt igitur suscipiendam Catholicæ fidei defensionem, adhortandum populum ad constantiam, in hæreticos incendendum, de Regio tamen facto, ipsoque Rege mentionem studiosè cauendam. Persimile dehinc allatum ab Vrbe quoque responsum est. Prudentiæ Præpositorum esse in re præsenti, quid, & quatenus agendum foret, statuere, dummodo vbique verecundia Religiosa, & modestia teneretur. Hac incedentes viâ, haud sanè inutilem præbuere operam Ciuitatibus suis. Quin etiam Parisijs ad alendum militem de annonâ sua, vltrò contulerunt. Ter graue in periculum venit hoc anno vrbs, ne caperetur. In singulis periculis propulsandis laudarunt Duces operam Societatis. Itaque cum vacua esset domus, quam Henricus Rex modo ædificarat in sacri Cœnobij formam, eam Dux Meinæus habendis Tyronibus Societati tradidit: & aliquot ibi Prouincialis Odo tyrones constituit: quamquam Claudius, vbi rem cognouit, nullo modo probauit, præfestinatum dicens, & negotium plenum inuidiæ, ac sermonum; si minus in præsens Lutetiæ, at foris per Regnum, & in posterum fore. Inter hæc quamquam multæ vbique difficultates, nusquam tamen maiores quam Burdegalæ distrahebant bonorum sententias, cum ea Ciuitas Regias tueretur partes. Hic insignem ad vulgus caritatem, auctoritatemque Societatis, cum maximè suspectam Regij haberent, nusquam declinare aures & oculos ab eius dictis, factisque: assiduis quinetiam exercere eam calumnijs, vexare molestijs, & grauibus imperijs coërcere, dum fatigata, ac fracta, exilium vltrò sibi conscisceret. Itaque cum ipso die sanctioris Sabbati, ortus in Vrbe tumultus esset, occupare eam, qui

127 Societas inuerta consilij.

128 Augerius Regis partes tuetur, & inde grauia patitur, ac pene perieli tatur.

129 Euocatur in Italiam.

130 Alij populũ ad defensionem Religionis hortantur.

131 Domus à Rege structa Societati donatur à Fœderatis. Sed generalis accipi vetuit.

132 Societas Burdigalæ vexatur.

qui fœderatis studebant, conantibus (quanquam postea ad nudandos Ciuium animos, simulatè cœptum ab ipsismet regijs satellitibus tumultum, constans opinio fuit) exploratores continuò in Collegium missi, tanquam armatorum in eo deprehensuri manum, qui cum omnia obeundo, nihil vsquam, nisi demum congregatos ad preces, coram augustissimo Christi corpore Dei famulos inuenissent; nihilominus conijcere in eos causam perrexere turbarum; ac propediem luituros minitari, id nempe, quod & optabant, & moliebantur diuinantes. Impetrarunt igitur, aggregatis & aliunde calumnijs, ab Rege continuò literas, quæ contra morem non ad Senatum, sed ad Iacobum Dominicum Matignonium Franciæ Mareschallum, qui Aquitaniæ pro Rege præerat, die quarto & vigesimo Aprilis datæ sunt in eam sententiam: Regem tumultu cognito, qui pridie Paschæ extitisset, veritum ne seditiosi rursus coorti vehementiùs, repentèque occupatis munitioribus locis, totam vrbem opprimerent, imperare Matignonio, vti maturet ipse, arcendi periculi gratia, munitissima quæque loca præsidijs insidere, & firmare suis, præcipuèque Collegium Societatis, quod vt Prætorio proximum, ingens in eam partem à qua teneretur, momentum faceret. Patres verò ad Sancti Macarij oppidum translati, suis eo loco muneribus, dum ciuilia bella tenerent, impunè operam darent, Burdegalensium vsu abstinentes. Hæ literæ haudquaquam satis habere causæ Regijs visæ, rei protinus transigendæ, studia verentibus populi, qui ferè totus, vti modo dictum est, peramanter Societatem complectebatur. Cum tamen Patrum præsentia fœderatorum partes, quæ tunc Catholicorum vulgò putabantur, corroboratum iri persuasum haberent, maximeque sibi timerent, à nobilissima, & florentissima iuuentute, quæ disciplinis in Collegio operata, insignem in Hæreticos præ se ardorem ferebat, alias vndecumque venabantur, vndecumque captabant causas. Eò iam ventum erat, nullum vt concionatores temperamentum inuenire tale possent, quod extra calumnias esset. Quicquid è diuinis literis testimonij, exemplique proferretur, ad ciendos tumultus, ad auocandos ab Rege populos productum interpretabantur, & inuidiosissime dissipabant. Quæ videns Prouincialis Puteanus, simulque eos, qui ad Diuinum Verbum conuenirent, in hostibus Regis numerari; intermittendum omninò censuit illud munus, quod ad pietatem fouendam institutum, iam vitio temporum, incommodi longè plus, quam commodi procrearet. Hoc vbi consilium stetit, dieque Sanctissimo Pentecostes, quo igneis è Cœlis lapsis linguis, Euangelica prædicatio dicata est, muti fuere suggestus; Plebs tamquam execrabilis habita esset, vehementer in Senatum, & Mareschallum, quod Hæreticos impunè negotium facessere Patribus paterentur, commota est. Illi vt ab se propulsarent inuidiam, accito Ioanne Bordesio Rectore Collegij, silentij eius causam exquirunt. Rector ingenuè, euocatos, vt res erat, à Prouinciali concionatores, præter se, & alterum, qui muneribus alijs distinerentur, & ante omnia temporum difficultatem excusauit; ne, si qua cui vox minus considerata, aut suspicionis capax interpretationis excideret, non modo se orator, & Societatem, sed etiam optimum quemque Ciuium in discrimen accerseret. Ad ea Senatus, cum instaret tamen, vt conciones vtique repeterentur, neque rationibus, & precibus Rectoris, quod neque integrum sibi, neque omninò in potestate foret sua, ne frustra conari cogeretur excusantis, nihil quicquam flecteretur: ad extremum post obnixum vtrimque aliquandiu certamen, hinc acriter imperantium, illinc necessariò, sed modestè deprecantis Bordesij, decretum condit, & promulgat, quo nostris optio ferebatur, vel pollicendi se facturos, quod non poterant, vel fortunis omnibus excidendi. Non deerant, qui nunc demum apparituram dicerent Iesuitarum cupiditatem, & auaritiam, nihilque sanctum,

133 Literæ Regis quibus Societas Burdigala excluditur.

134 In eius mandati executione cuncta tum.

135 Intermittuntur à nostris conciones.

136 Eo silentio plebs concitatur.

137 Senatus resumere conciones iubet additis minis spoliationis bonorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum, vbi cum pecuniâ componeretur, habituros. Cæterum maioribus Senatum ipsum constantia Patrum difficultatibus inuoluit, ignarum quo deinde progrederetur, quam ipsos decreti eius propositio terruit, vt qui non modò bonorum iacturam iamdiù, sed extrema quæque pro Religione sibi proposuerant, ac præceperant animis. Itaque, cum in dies, vt ieuissimam pœnarum exilium expectarent, sensim Prouincialis euocare Tolosam Nouitios cœpit. Rebus ita tumentibus, sacrâ B. Magdalenæ luce, cum ex veteri more, ad ingenij præbendum specimen, & alendam gloriolæ gustu industriam, proposuissent scholastici ex suis quique studijs, publicum aliquod documentum; Poëtarum maximè aduersus hæreses, exarserunt ingenia. Namque ipsemet Senatus, & Mareschallus apertè pronuntiarant, licere in Hæreses, & libros Hæreticorum, etiam pro concione inuehi, modò nihil in Regem eiusque propugnatores conijceretur. Acriter pupugere Hæreticos Poëtarum aculei, eòque acriùs pleni minarum in Iesuitas ad speculandum, obseruandumque conuersi, si quam calumniarum ansam alicundè possint arripere. Vnus in tanto numero malignè cuncta notantium oculorum fuit minister hæreticus, qui cuiusdam discipulorum ænigma, acutè, vt sibi videbatur, interpretatus, exclamat iam se fraudem deprehendisse: sub illis inuolucris Guisianas defendi partes. Est sanè genus id orationis ænigma, vt dum operosè occultantur, & implicantur ambagibus animi sensa, haud difficile, qui sagacitate pollet, arcanas eiusmodi notas, & mutuatos colores, ad quam velit sententiam, accommodet; aptiùsque interdum aliò trahantur, & cadant omnia, quam in id, quod scriptori ipsi propositum fuerit. Atqui hæretici illius, vsque eo abhorrens, & infelix interpretatio fuit, vt cum accusationem ad Iuratos detulisset, & datus esset in carcerem scriptor ænigmatis, & quamplurimi conuocati Hæretici, ad germanum inde enucleandum, promendumque sensum, nemini omnium detorta illa Ministri, & criminosa interpretatio in mentem venerit, aut probari potuerit, præter ipsum. Quare cum ex altera parte seuocati discipulus & præceptor, aptissimè, & conuenientissimè exposuissent, missus è carcere est adolescens ab omni prorsus suspicione liber. Nihilo tamen minus inter causas, hæc celebrata Societatis pellendæ. Rumor fuit, ingenti quoque pecuniâ, exilium eius ab Hæreticis emptum. Quæ omnia fecere, vt satis iam ad populum causæ putarent esse exilij decernendi. Ergo 4. Kal. Sextiles, mittitur ad Collegium Iudex rerum priuatarum à Mareschallo cum Regijs literis, quas datas vigesimo quarto Aprilis narrauimus. Ostendit quamdiù Rex demigrare eos iusserit: quàm patienter Mareschallus benignè adhuc habuerit: etiamnum integra esse omnia: facerent modo, quod iubebantur; casuram illicò gliscentem in eos tempestatem: omnium carissimos Senatui, Mareschallo, cæteris futuros. Denique etiam atque etiam animo agitarent, quid responsi vellent ad Mareschallum referri. Cum in causa veteri, totiesque versata, haud noui quicquam incidisset, nihil esse noui, quod responderet, subiecit Rector. Postero die, qui Dominicus erat, præter modum populi concursus, qui periculum Patrum præsenserat, ad sacram Homologesim, ac Synaxim est factus. Eodem die Mareschallus ad se suam in arcem Patres Collegij aduocat: cumque ijs Præsides, ac Senatores, & Seuiros Vrbis, quos Iuratos vocant. In eorum consessu exponit, pridie se ad ipsos misisse literas Regis, vt tandem imperio, ac voluntati eius fieret satis. Rem se in eam protulisse, ac sustinuisse diem, quod speraret eos aliqua tandem flecti ratione posse. Iam ergo quoniam vijs nequicquam tentatis omnibus, in sententia sua fixi permaneant, coactum eò demum erumpere, vt ab Vrbe vniuersos dimitteret: proinde postero die exirent. Respondent illi, ex vrbe se se egressuros obedienter, eo lætos, quòd noxæ nullius comperti essent. Octidui solùm precari moram, dum

Pertinentibus ini sententia nostris.

138 Occasione propositorũ carminum, & ænigmatis suspiciones auctæ.

139 Exilium nostris Burdigalensibus decernitur.

dum ex annonâ, instrumentoque redacta pecunia, æs alienum exsoluerent, & hospitia ad quæ secederent, prouiderent. Quod tantum numerum S. Macarij Prioratus, haudquaquam caperet. Vnius tantùm diei gratiam Mareschallus fecit; se se recipiens, cum S. Macarij Ciuibus per literas effecturum, ne idonea eis deesse receptacula paterentur; partem etiam suum in Castrum, cui Mortagne nomen, recepturum. Huius rei fama celeriter totam vrbem peruasit, & quanquam Burdegala semper Ordinis nostri se amantissimam præbuit, tamen longe maiorem aperuit caritatem, quam humana cogitatio facile capere potuisset. Mira itaque die toto populi frequentia continenti euntium ac redeuntium agmine Collegium celebrauit. Flere alij, ac lamentari: alij domos, vel in Vrbe, vel in agris, ad res asseruandas offerre: alij vestimenta varij generis suppeditare, quibus dissimulato Religiosorum habitu, inter Hæreticorum insidias peregrinari, tutis liceret. Pecunias alij largè ad viæ impensas ingerere; ex quibus tamen pia tantùm fere voluntas accepta: alij quocunque pergerent, in quemcumque casum profiteri se comites; alij postremo conditis etiam carminibus suum dolorem, deque profectione ea sententiam aperire. Porrò discipuli à Præceptorum suorum latere auelli non poterant. Sed tanta studia cum Magistratui curam mouissent, vnusque Seuirum armatis cinctus, vt eam summoueret frequentiam, ad Collegium venisset, conspectâque in areâ Gymnasij deambulantium turbâ, dixisset, licere eis eo die liberè frui, saturarique conspectu Gymnasij, daturum se postmodum operam, ne cui pateret aditus: adeò intempestiua vox multitudinem instigauit, vt impetu in classes facto, subsellia, & exedras omnes, cancellosque, ne alienam in potestatem venirent, perfregerint: vixque abstinerent manus ab ipso Seuiro, nisi vnus Patrum feroces animos mitigasset. Ex eo tempore ne turbarum quid concieretur, armatorum circumpositâ acri custodiâ, quæ per vices alijs, atque alijs succedentibus interdiu, noctùque continebatur, tum Sociorum è Collegio egressus, tum accessus ad eum Ciuium prohibitus, spectaculo sanè miserando, cum & honestissimi adolescentes, & religiosissimi viri, qui vel vltimum salutaturi, vel monumentum amoris præbituri veniebant, superbè, minaciterque repellerentur: ac multi ne vultu quidem præferre animi dolorem, ne inter Regis hostes numerarentur, auderent. Patres præcipua supellectili tuto loco reconditâ, persoluto diligenter ex rebus raptim diuenditis, ære alieno, quod boni fuit exempli, ad profectionem se comparant. Nequaquam existimarunt abeundum vniuersis in Oppidum S. Macarij, ne eo loco tanquam in custodia tenerentur, in qua omnibus opportuni casibus perpetuo essent. Itaque nec temporibus, neque portis ijsdem, haud sine multis multorum lacrymis, qui nihil veriti obseruantium inuidiam, miserabiliter rogitabant, cui se incustoditos inter lupos relinquerent, Kalendis Augusti discessum est, die longè tetriori casu funestâ, quâ nimirum ipsâ Rex Henricus III. Parisios obsidens, scelestissimo post hominum memoriam est parricidio sublatus. Princeps ob raras naturæ, virtutisque dotes dignus meliori fato: itâque de nobis aliàs meritus, vt hanc eius vltimam voluntatem, quâ electi Burdegalâ sumus, imputare perturbationi turbulentissimorum temporum, non eius naturæ, iudicioue debeamus. Hæc tum fortuna Collegij Burdegalensis fuit. Cuius vt exilium exilij vniuersæ Societatis è Gallià omen, & quasi principium fuit; ita reditus, ac restitutio non falsum augurium habuit redintegrationis rerum ibidem, fortunarumque nostrarum, vt in loco reddemus. Nunc enim commemoranda humanitas singularis est Senatus, Populique Burdegalensis in nos illo misero, & calamitoso tempore egregiè probata. Non enim solùm in ipso discessu nostrorum, sed ne toto quidem reliquo absentiæ, ac postliminij spatio quidquam nobilissima illa Ciuitas erga

140 Societas Burdigala excedit.

141 Henrici III. mors.

142 Caritas Burdigalensium in Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ga Societatem officij prætermisit. Senatus ipse, vt magnam partem pius, ac perbenevolus erat, statim bonorum Collegij procurationem assumpsit: Sociisque, quanquam dispersis annuos redditus cum singulari fide, curaque perpetuò reddidit. Valuit multum ad confirmandos Catholicos ea secessio: illustrauit Societatis integritatem, contra eam opinionem, quæ vagabatur, tanquam nihil, nisi latifundia, & opimas hæreditates aucuparetur: ostendens non alia, quam religionis causa quæri terrena subsidia, propter quam, vbi vsus foret, desererentur. Ipse Romæ Pontifex cum rem ex Generali cognouit, quanquam aliunde iam inaudiuerat, summis laudibus id factum commendauit, prædicans obedientiam, quæ Sanctæ Ecclesiæ decretis exhibita esset: beatos dicens, qui persecutionem paterentur propter iustitiam: exemplum fore saluberrimum; sacrificium esse Deo, Sedique Apostolicæ acceptissimum, & alia hisce similia. Inter alias ex ea profectione in commune bonum vtilitates, ea quoque extitit, quod vti multas in Ciuitates sparsi Patres sunt, ita latius rem Catholicam sustentarunt, ac propagarunt: vetustam illam sibique nascenti æqualem obtinente laudem Sancta Ecclesia, vt per exilia crescat. Quidam ad Sanctum Macarium, alij Petrocorium, alij Auscos, in alia alij oppida digressi, tam insigni diuinæ tutelæ experimento, vt quanquam passim Hæretici insidiarentur euntibus, nemo tamen in potestatem eorum venerit. Per hanc maximè occasionem receptum est Auscis Collegium. Ciuitas est frequens, & nobilis in Nouempopulaniâ. In exitu anni superioris eò profectus Ioannes Grangeanus ad sacri Aduentus conciones, ac subinde Quadragesimæ; quam iampridem curam coquebant habendi Collegij, documenta industriæ suæ præbendo, Auscensibus maturauit. Communi consilio decernunt, collatis vndecumque redditibus, Societatem accersere: quòque facilius optata succedant, dimissis latinitatis Præceptoribus, sui Collegij possessione tradita Grangeano, Tolosâ Socios tres, qui tantisper vacua auditoria moderentur, ignaro impetrant Prouinciali, cum ante Grangeanus denuntiasset, si res Prouinciali, aut Generali non probaretur, cum bona ipsorum gratia Magistros Tolosam remigraturos. Grauiter tulit Præpositus Generalis festinationem illam, quæ obsequium, legesque præcurreret: nam ne missionis quidem nomine concedi solere magistros; tamen pia vota nobilissimæ Ciuitatis respiciens, & opportunitatem diuini cultus propagandi, rite Collegium admisit. In quo sub Petro Lohierio præside, Magistri quinque docere aggressi, mirè Canonicis, ac reliqua Ciuitate fauentibus. Sedes Ausci Archiepiscopi est: in præsentia Pastore carebant morte Cardinalis Estensis. Huc igitur ex Burdegalensi dispersione aliquot missi, non mediocre Auscensibus, & gaudium, & commodum attulere. Viginti eodem ex numero Petrocorienſium postulatis concessi, qui & in Ciuitatis Collegium, magna humanitate, & omnium Ordinum comitatu frequentissimo introducti. Quò promptior excepit hospites benevolentia Ciuium, hoc illi impensius in eorum incubuere culturam, Diuini Verbi, & Sacramentorum frequentia, reuocando vsu quotidie audiendi Sacri, abolenda dictorum impiorum, & execrationum vsitata licentia, reddendo sacris diebus honore, cultuque, & cæteris religiosæ industriæ præclaris inuentis. Ex eadem eiectione duo Camarsacum profecti, Oppidi eius Domino postulante. Alij duo dum viam militarem obsidentes hæreticos longo vitant circuitu, Albamterram delati. Vtrique vtrobique perbenignè accepti, priuatim, ac publicè cari, commodique fuere: præcipuèque Albæterræ teneræ ætatis Catechismus inductus. Ita factum est, vt non tam dissolutum posset videri Burdegalense Collegium, quam veluti è Seminario translatas frugiferas plantas, quæ desertos ornarent agros, ac fœcundarent. Quatuor etiam in Aragoniam missi Scholastici: quos Prouincialis Villalba, vti vltro ex Puteano petierat,

143 Pontifex factum nostrorum Burdigalensium laudat.

144 Origo Collegij Auscensis.

145 In quo accipiendo nimium festinatum Generalis censuit.

Tamen Collegium admisit.

146 Initia Collegij Petrocorien sis.

147 Alij Burdigalenses alio missi.

Quatuor etiam in Hispaniam.

rat, ita obuia caritate susceptit. In Prouincia Lugdunensi Ludouica de Ancezuna nobilissima matrona, vltrò susceptit Tyrocinium vectigalibus adornandum; benignitate eò magis illi Prouinciæ salutari, quò magis necessaria: Nam ad id loci Auenione primùm, dein Lugduni ex Collegiorum collatione Nouitij alebantur. Quod onus in cætera rei domesticæ difficultate vehementer in præsentia difficultates temporum aggrauabant. Erat Ludouica egregiæ pietatis fœmina, & singulari obseruantia colebat S. Ignatium, & aliquod iamdudum, quod in maximum cederet alumnorum eius commodum, suæ specimen benignitatis auebat edere. Itaque cum ex Ioanne Grangeano, quem modo Auscensis Collegij autorem nominaui, cognouisset, quam necessaria, quantæque sit Dei gloriæ, & vtilitati proximis recta tyronum institutio, in hoc opus curam omnem conuertit. Nullis conditionibus sua dona illigauit, nisi, vt quoniam in Auenionensi comitatu, suum ipsa Castellum habebat, Auenione Tyrocinium, cum per quietem liceret temporum, poneretur. Interim hoc primum anno à Collegio Lugdunensi seiunctum est, & conductis in ædibus collocatum.

148 Ludouica de Ancezuna Fundatrix Tyrocinij Prou. Lugd.

Auenione positi.

In Sardinia, quæ hac tempestate Aragoniæ contributa à Prouinciali per Vicarium regebatur Melchiorem à S. Ioanne, Collegij Alguerensis cœpta constructio. In huius deductione nouæ coloniæ fauentem præcipue Societas habuit virum nobilissimum, atque doctissimum, eumdemque religiosissimum Alguerensis Ecclesiæ Præsulem, Dominicum Andream Bacallar, postmodum ad Turritani Archiepiscopatus Cathedram, translatum. Anno superiore prægressus Iunio ineunte Melchior cum res præparasset, aduocatis Sassari Socijs, ex commodata Sede in domicilium, quod Ciuitas in eam rem conduxerat XIV. Kalendas Iulias commigrauit. Postridie qui fuit dies Dominicus, omnes in templum S. Michaëlis Collegio traditum Præsul modo nominatus introduxit. Hic & Melchior vniuerso Clero, Magistratu, populoque frequenti, instituta, & labores Societatis populari lingua exposuit; & Petrus Arcerius scholæ præfuturus latine dixit. Socij octo Collegij eius exordia sub cura Leonardi Aliuij posuere, Ciuitate lætissima, cupidèque, ac fructuosè Gymnasij, ac templi vtente laboribus. Inchoata subinde fæliciter in magnæ Matris tutela Sodalitas est, nec minore successu vetus in Vrbe Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod penè perierat, restitutum. Ita procedente opere hoc iam ingresso anno extitit homo rusticanus è pastoritia simplicitate, quasi alter Amos, qui cœpit diuinam Alguerio iram horrendis minis magna constantia denunciare, certo die (& disertè Sancto Martino sacrum diem tertium ante Idus Nouembris nominabat) Alguerium funditus omne cum Ciuibus perituram. Supplicationes publicas indici, ieiunia, & cætera Deo placando idonea volebat. Cunctabatur Episcopus habere fidem: nec satis, quod consilij caperet, certo statuebat, ne leuior, aut tardior videretur. Itaque mediam tenens viam, ad recta opera, ad fugam noxarum, & expiandas conscientias satis habuit Ciues hortari. At populus, vt fermè est fidei ad talia præceps, tanquam oraculum certò arripere, & ad illud tempus res, & consilia præparare, nostris eo lætis, quod per eam occasionem multorum conscientiæ rectè componerentur, multumque virtutis exerceretur. Ecce tibi Kalendis Nouembribus procella ingens effunditur mugiunt horrenda tonitrua, fulgura, & fulmina increbescunt: deiectæ domus, aliæ vehementer concussæ. Vulgus ea in prædictionis affirmationem capere, & appetentis exitij præludia interpretari. Tum Patres cum Antistite conuenerunt, vt illum ipsum diem, quem vltimum Diuinus Alguerio fore cecinerat, Collegio exordiendo destinarent. Eo die dum plerique pauidi horam præstolantur supremam, benigna luce serenum se Cœlum aperuit. Episcopus ad Collegium cum suis venit, sequuta est Ciuitas vniuersa: ille cum sacro ornatu,

149 Collegij Alguerensis in Sardinia fundatio.

Eo die facta, qui supremus ei Vrbi futurus dicebatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natu, cum cætera cæremonia lapidem primum in Collegij auspicia misit. Hæc eò lætior sacris ritibus fauit, quod suæ Vrbis, quo die expectauerat funus, eo quasi alterum natalem conspexit.

Barcinonem inter hæc acerba lues perculit sub Iulium exorta mensem, plus duodecim mortalium millibus, spatio inde semestri consumptis. Erat Barcinone Prouincialis Villalba, cum diritas contagionis comperta est. Qui Iunioribus in vicinum Collegij prædium, & mox longiùs subductis, relictis domi cum Hieronymo Rocca Rectore, qui Ciuium integris operam darent, nobilem manipulum secreuit eorum, qui pro morbidorum salute animas suas deuouerant. Hi tota vrbe, quocunque aduocarentur accurrere, omnibus vbique necessitatibus præsto esse, eo expeditius, quod Sacramenta pro curionibus porrigendi munus sibi assumpserant Capuccini, & Carmelitæ excalceati. Ex eo manipulo nouem peste contacti, confecti sex, Sacerdotes duo, Ioannes Seruentius, & Matthæius Paliaschus, cæteri non Sacerdotes, Iacobus Bestolius, Martinus Apparitius, Ioannes Lopius, & malo iam senescente, qui inde vsque ab initio in sanctis laboribus perdurarat, Ioannes Moreius. Magnæ erant omnes virtutis, probati exempli, cæterisque dudum caritatis officijs, ad illud palmare præparati, vt pro amicis suis ponerent animas suas. Proximam his laudem merentur, qui in regiam missi classem, vitam, vel sub incommodorum fasce, vel tempestatum arbitrio reliquerunt, Consaluus Alamus, & Damianus Gutterius Sacerdotes, cum Ferdinando Turrio, & Ioanne Occon Laicis. Consaluus Alamus Cordubensis patria perpetuam custodisse creditur pudicitiæ integritatem, quod facilè suadebat, singularis viri modestia, totiusque vitæ, ac morum candidissimus nitor. Sinceri erat animi, lætus in aduersis, mitis sine querimonia, silentij custos religiosi, precationum, ac cæteræ disciplinæ. Charitatem erga proximos Hispali, & Malacæ diù probauit, præsertim erga inopes carcere vinctos, & in remigium condemnatos. Hi cum distribuendi in triremes Malacam ex toto Regno cogi soleant, vt magno in numero multi sæpè erant qui non penuriâ solum rerum, sed etiam morbis conflictarentur, nuda humo iacebant, omnium egeni, ab omnibus destituti, loci situ perniciali, odore teterrimo malum grauantibus, Consaluus non carceris squallore, non pedore iacentium, seu qua alia specie fœda deterritus, inferebat medium se se miseris materno studio, medicamenta curabat, afferebat cibos, porrigebatque, & verbis consolationem addebat: quo pronius dein animas confessione sanabat. Denique omnibus omnium calamitosorum, inopumque miserijs succurrens, vulgò iam Patris pauperum, vt charitatem induxerat, ita nomine quoque dignabatur. Ad animarum necessitates eò promptior, quò necessaria magis, magisque ex Instituto Societatis curatio earum. Assiduitate mira suam terebat confessionalem sellam; & semel adeuntes, ita facilitate, ac bono Christi odore deuinctos mittebat, vt cupidè, constanterque redirent. Huius pinguedinem charitatis, humilitatis alebat escâ. Vbi quid vacui haberet spatij frequens ad iuuandum abibat coquum, humillima quæque ministeria tractans. Probauit eius virtutem fornax quoque tribulationis. Impudens fœmina ausa thesauro integritatis eius moliri insidias, vbi, qua par erat, seuera cum increpatione repulsa est, de crimine suo calumniam struit, & ad Rectorem aduersus Alamum querelam defert. Et quanquam satis cætera viri grauitas redarguebat criminis vanitatem, tamen, vt tanta in re, tam Societati abominata, non exigua inde vexatio innocenti fuit, quoad in grauem morbum criminatrix lapsa, diuinitùs immissum rata, vltrò calumniam retractauit. Is est, de quo, in Floridæ rebus inloco prodidimus, qui inde reuersus egregiè iudicij quoque sui pugnaciorem naturam perdomuit. Idem Bartholomæum Turrium Episcopum Canariensem in Canarias comitatus cum Iacobo Lupio, egregias insulanis vtilitates peperit.

150 Pestis Barcinone, & eius occasione caritas nostrorum.

151 Sex ex ijs peste laborantibus ministrãres absumpti

152 Quatuor in missione nauali pereunt

153 Consalui Alami virtutes.

154 Innocentia eius Accusatricis confessione detecta. P.3.l.5.num. 298.

rit. Missus demùm in regiam classem, tanquam præsentiret in propinquo metam esse, ita cursu ad omnem laudem intento, dum consolandis militibus, & omni ope iuuandis desudat, in Quadriremi Sancto Marco dicata, cum reliquis omnibus demersus est. Pari, cum eo, casu Ferdinandus Turrius extinctus est. Hic natione Lusitanus, in mercatura facienda sagax, cum Hispalim quæstûs causâ venisset, audita vnius Sociorum, in Sancti Francisci platea concione, statuit curam omnem ad Christi lucra transferre, domumque reuersus persuadere vxori vehementer institit, vt seriò se ambo concordi studio diuinis rebus addicerent. Annus erat vndeseptuagesimus, cum Hispalim pestilens flamma depascebatur. Rati acceptum id fore Sacrificium Deo, in ægrorum ministeria animo, conatuque magno, labores, vitasque deuouent suas: quo in opere cum mortem vxor oppetiuisset, Ferdinandus vitæ sibi reseruatam vsuram, ad nouum, ac perpetuum sacrificium putans, Deo consecrare omnem in Societate constituit. Non multum postquam receptus est locupletes quidam Iudæi, cum tota domo è Lusitania profugi, Ferdinandum, quem satis callidum, peritumque sæculi nouerant, accersunt ad se se Ragusam, tanquam de sua ad Christum conuersione acturi, re vera, vt fidem eius solicitarent. Permissus ab Euerardo tum Generali tentare rem, Ragusam Ferdinandus nauigat. Vbi peruenit, omni humanitatis genere exceptum, perfidi, fallacesque Iudæi, primò tectiùs, & per ambages pellicere, ad vltimùm oblata cum ingenti dote venustâ sponsâ, palam ad impiam desertionem inuitant. Cohorruit ille ad insanam vocem, adeòque seuerè, & acerbè increpauit temerarios solicitatorum conatus, vt hi commutatis in furorem blanditijs, mortem illi denunciare non dubitarent: & statuerant omnino de medio tollere, sed *Deus tantum audere non siuit.* Ferdinandus non destitit per aliquot dies conferere cum ijs manus: atque ita perturbabat, irretiebatque congredientes, vt mulctam proposuerint in Synagoga, nummos aureos septuaginta, qui vltra cum illo de religione in certamen veniret. Nec tamen sine præda Ferdinandus discessit. Iuuenem doctum, & inter suos Rabinum, secum in Italiam, vt Christianus fieret, deduxit. Cætera vita pie traducta, vbi destinatus est in Regiam classem, ex verbis Epistolæ eius, quam initio scripsit, quid moliretur, quid efficeret pronum est intelligere. Incœpi, inquit, sacras imagines, quæ in totam sufficiant classem parare: iamque tria, seu quatuor millia prompta habeo, nec absistam, donec viginti millia confecero. Inueni stipem ad coëmenda Rosaria, quæ item inter Socios nauales, & nauticam turbam diuidantur. Supra dena millia opus erunt. Iucunda res est, magnique exempli, fructum, qui hinc existit, videre. Diuido etiam piacularia grana, quæ lætissimi excipiunt ad gloriam Dei, eiusque Matris, suspensuri de collo, quo die pugnabitur (hac enim conditione accipiunt.) Quod spectaculum erit, hominum vel millia viginti cernere pendentibus à collo Rosarijs, & sacris imaginibus, contra eos pugnantia, qui sancta hæc detestantur? Gloria sit IESV, & Matri eius benedictæ per hoc ministerium. Hæc erant consilia, hæc vota Ferdinandi, quæ quanquam non omnino proceslere: tamen sua fraudari mercede ipse non potuit, qui in his, & propter hæc vitam demum effudit. Cæterùm parùm Societati commoda potuit videri pro statu rerum Hispaniæ mors Alfonsi Dezæ, humana spectantibus consilia. Quarto Kal. Februarij in Toletana domo, quinto iam anno Præpositus eius decessit, magnus virtute, magnus sapientia, magnus autoritate: nomen vt eius instar oraculi celebraretur. Summus idem D. Thomæ admirator erat. Nisi qui ingenium, curam, precandi studium, & cætera per quæ Sanctus Doctor profecerat, æqualia se habere confideret (quis autem confideret?) aiebat temerarium ei contradicere. Si qua verò in re sibi difficultas accideret, vbi-

155 Naufragio perit.

156 Summa vitæ Ferdinandi Turrij.

157 Turrius tentatur à Iudæis frustra.

158 Rabinum ad Christi fidem adducit.

159 Eius apparatus ad missionem naualem.

160 Mors Alfonsi Dezæ.

161 Eius deuotio erga S. Thomam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbique (perpaucis demptis) sic loquebatur : vera est Sancti Thomæ sententia , sed ego præ mea tenuitate non assequor : nec inficiabatur in huiusmodi nodis , locisque obscurioribus , ad mentem Angelici Doctoris peruidendam , patrocinio se eiusdem iuuari : sic certè euoluebat , vt ipsi Thomistæ interpretationes Dezæ deprædicarent . Circiter tres , & viginti annos in Complutensi Collegio Theologiam docuit , multis ex Academia auditum confluentibus : à quo etiam acceptum dictandi morem Doctores in Academiam introduxere . Nec segnius virtutes , quàm Doctrinam S. Thomæ assectabatur , præcipuèque modestiam , veramque humilitatem . Verecundus in alienis censendis opinionibus , in Gymnasio , extraque , seu publico , seu priuato sermone alienæ dignitatis fautor benignus . Quo die præfuturus erat disputationibus , induere solebat cilicium , tanquam modestiæ monitorem , ne quò per concertationis calorem transcurreret . Romæ anno 1581. , cum ad Generalem venisset conuentum , & regendis item præesset quodam die disputationibus ; cum Doctor Martinus Nauarrus contra theses dicturus hoc incœpisset exordio , liceat deliro seni delirare ; multum omnes delectauit Deza statim excipiens , liceat sapientissimo viro , omnium magistro omnes docere . Sed clarius illud fuit specimen summissionis Compluti , dum , vti suo loco narratum est , Vicarium , qui Emmanuelem Lopium volebat comprehendere , lenire , atque docere conabatur . Cum enim feruidus ille , vixque potens sui , cum stomacho , contemptimque abigens , facesse , dixisset , facesse Magistelle ; pacatè Deza , næ tu meum nomen dixisti , inquit ; cumque contumelias ille aggereret , ipse item adiecit ; & ista , & amplius ferre , vitæ est quam profiteor . Aliàs cum inter Marchionem , è magnatibus Hispaniæ , & Fratres de patrimonio dissidium conaretur componere , & Marchio ratus , Fratrum eum partes agere , vehementer iratus dixisset , Deum testor , & istam Crucem , non esse hominem in Hispania nequiorem te : eodem momento abiecit se ad eius pedes , dicens : sine , ista osculer vestigia ; nam beneficium ex te planè maximum habeo . Quæ humilitatis vera species , qui aderant , vehementer omnes permouit . Est & illud humilitatis Dezæ testimonium mea sententia , sincerum , & grande ; quod non solùm quos habebat in sæculo promptos honores ipse despexit , sed neque Toletanum Canonicatum , neque alia ornamenta , quæ in gratiam suam Fratri suo , homini minimè indigno deferebantur , tradi permisit . Quotum autem quemque inuenias , quem non blande titillet blandus honor ab ipso contemptus , possessus in suis , siue ad autoritatis incrementum , siue ad sui meriti fidem ? Sequebatur vt solet parentem filia , humilitatem obedientia . Statim vt animum ad Societatem adiecit , cum vt ipsemet scriptum reliquit , ideo seculo renunciaret , quòd existimaret , saluum se non posse aliter esse , ardens magna quadam cupiditate omnem virtutem toto animo complectendi , & quicquid imperaretur omni studio , & conatu exequendi , nihil habebat , vnde maiorem animi voluptatem hauriret , quam cum cogitabat vitam sibi in obedientia esse ducendam : neque sua sententia regendas actiones , neque sua voluntate exequendas . Nec postea quicquam erat adeo arduum , vel difficile , ad quod peragendum , non alacritatem , & gaudium animo præsentiscret , virtute obedientiæ fretus , planèque persuasum habens , id quod sibi per Superiores imponeretur , ad suam , & quietem , & salutem inter omnia aptissimum fore . Eam memorabat in præcipuis causam , cur Societatem adamaret , quod in vita , & actionibus eius , vitam Christi , & Apostolorum sibi videbatur agnoscere : vnde postea factum , vt cum studiorum semper laboribus , ac dein cum domesticæ præfecturæ cura , Euangelicæ in proximos charitatis occupationes impensè miscuerit , quas vt ex veræ norma sapientiæ obibat , ita omnes quidem promiscuè , humil-

162 Cæteræ virtutes eius.

P.3.l. 7. nu. 115.

163 Modestia eius, & patientia.

164 Quam is liber ab amore consanguineorum .

165 Quam idem in obedientia insignis.

humillimos , ac tenuissimos quosque , studiosissimè adiuuabat . Annum agens ætatis 28. ingressus die Paschæ 1558. , cum post dies viginti priuata deuotione occupasset tria vota nuncupare , ex eo die deinceps , ea singulis diebus sacræ communionis tempore renouauit . Demortuo non Toleti modo summis omnium studijs , sed Compluti quoque ab Academicis supremi exequiarum honores persoluti sunt . Domui professæ Toletanæ Antonius Marcenius præpositus est , cum Marchione Almazanio postulante , plenè restituissent eum Quæsitores in pristinam libertatem administrandi quidquid Societas censuisset . In eadem domo , verum non exitu pari Dionysius Vasquius , bimestri pòst interuallo , finem viuendi fecit . Segoniâ propter inualetudinem , & quia sanctè spondebat nullam posthac ab se fore Societati molestiam , vt tentaretur , quid per hanc indulgentiam proficeret , Toletum ire permissus erat ad natalis soli clementiam . Sed contra , ac sperabat , facta est ibi valetudo statim longe deterior . Torqueri cœpit grauissimè , exundante atra bile , qua nunc agitabatur in furias , nunc angore obruebatur ; ad extremum in meram excessit insaniam , eos edens clamores , vt ad euitandam vicinorum admirationem , in domus interiora remouendus fuerit . Existimata est haud dubiè hæc pœna vindicis Dei . Nec tamen minus mirum videatur hominem , qui præ ægritudine potens sui sæpe non erat , tantam potuisse nancisci autoritatem , vt cum ageret de legibus mutandis , quas homines prudentissimi , sanctissimique viri condiderant , & Sedes Apostolica confirmarat , tamen audiretur , tamque multos , & sectatores , & fautores haberet . Sed nimirum ad nocendum sæpe venenis plus inest efficaciæ , quam ad iuuandum amuletis . De æterna eius salute spes bona est , quod ingrauescentis mali principio , generali confessione peccata eluit , multum , ac sæpe contestans , in posterum Generali Præposito neminem fideliorem se , aut obedientiorem fore . Vixerat in Societate ab anno 1550. Hic Dionysij finis Perturbatorum non neminem haud leuiter ad sui curam aduertit : nec modicam iam in tranquillum inclinationem tempestas tota fecerat . Claudius Generalis nunquam dubitarat , quin si probe Rex semel edoceretur , cogniturus esset , quæ in Societate quidam mutata vellent , non ad emendationem , sed ad euersionem eius spectare . Hanc ob causam Iosephum Acostam , qui Peruuiæ statum Romam retulerat , pro eius apud alios , & ipsum Regem autoritate idoneum iudicauit , qui hoc munus probe obiret . Optimè igitur instructum remisit in Hispaniam adiuncto Roberto Personio , qui de rebus Anglicis propriè acturus cum iret , ex occasione iussus erat causam Societatis inserere , & statum rerum candidè Regi , ac penitùs aperire : quod ille non minus feliciter , quam fideliter præstitit . Cum enim principio anni ambo Madritum venissent , quanquam Patres censuerant priùs Acostæ , qui ob eam rem propriè mittebatur , alloquendum Regem ; tamen is cognito vtrumque adesse , continuò diem , quo Personius admitteretur , dilato Acosta constituit . Auebat quippe de rebus Anglicanis , in quibus tùm erat totus , aliquid audire . Nec solum peritissimum rerum sciebat esse Personium , sed & viri prudentiam , ac religionem iampridem in Lusitano perspectam , probatamque colloquio diligebat . Hoc itaque studiosiùs in præsens , nec benignitate modo singulari , sed etiam comitate hominem excepit , & audiuit . Quo vsus aditu Pater , postquam de rebus Anglicis disseruerat , restare quædam sibi dixit , quæ communi Societatis nomine , ac priuatim borealium Prouinciarum , inter quas , Angli omnes numerabantur , Regiæ Maiestati proponeret . Id autem potissimum esse , vt vellet interdictum quoddam tolli , quo Quæsitores vetuerant homines Societatis Transyluaniam , & alias hæresi contactas oras , iniussu eorum adire . Nasci enim magni diuini obsequij impedimenta ex interdicto illo . Nam cum boreales nationes spiritualia postularent auxilia ex Hispanis homini-

166 Honores mortuo habiti.

167 Dionysius Vasquius moritur Pœnitens eorũ, quæ contra Societatem attentarat.

168 Acosta, & Personius à Claudio Generali mittũtur ad Regem Philippum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minibus, siue ad conciones, siue ad Theologiam, siue ad confessiones, neque ea celeritate, neque ea libertate, qua opus esset Præpositum Generalem posse occurrere: præsertim cum haudquaquam constaret, vtrum probaturi eosdem, Quæsitores essent, & tamen optimè omnium ipse nosset, quos mitti oporteret. Sanè septemtrionales Prouincias vehementer admiratas, atque adeò non leuiter offensas, quod tale vetitum communi inter se Christianorum charitati, per quam aliæ alijs nationibus mutua præbere auxilia, in religionis præsertim causa, tantaque necessitate deberent, parum consentaneum videatur. Deinde hanc propriè Societatis Vocationem, & gratiam esse, vt diuersa terrarum loca peragret ad Diuinum Verbum serendum, & commoda animarum: quam vocationem, & gratiam, non Apostolica modo Sedes autoritate sua, sed etiam Deus ipse haud obscuris comprobarit argumentis, suum vbique suppeditando auxilium, vt effecta ipsa, & successus rerum docebant: eo igitur potiùs adnitendum, vt conseruaretur, & aleretur, quam vt interciperetur hæc gratia. Atque si res verè æstimetur, videri interdictum eiusmodi haud satis æquum. Quo enim suo merito Religioso Ordini suum ius imminui, & violari existimationem? Nempe hoc edicto id palam significari, ab nulla alia mortalium sorte, tantum impendere Hispaniæ periculum, ne hæresi inficiatur, quantum ab Societate. Ac proinde, quod neque alijs Religiosis, neque mercatoribus, neque militibus, nec demum vlli hominum generi interdictum sit, id visum esse necessariò illi vni interdicendum. Quam rem hæreticos ridere, multos Catholicorum indignari, querique, magnam diuino obsequio moram, nulla apparente causa, opponi ab ijs, à quibus remoueri, si qua esset, deberet. Ad extremum si nobiscum præcipua quadam cautione vtendum existimarent Quæsitores, non exitum ex Hispania suo iniussu, sed reditum interdicerent: ita quod prætendebant, integritati Religionis in Hispania consulturos, nec septentrionis vsque eo laborantis commoda moraturos. Hæc vbi Rex benignè, attentèque audiuit, nunquam sibi eiusmodi rationes expositas dixit. Cognoturum quid causæ haberent Quæsitores, & remedium allaturum. Inde vetitum illud vsu sensim abolitum. At Personius oratione rursus ad septentrionis oras relata, aptè inseruit mentionem sermonum, quos de præsenti Societatis in Hispania exercitatione, varijs modis, varioque cum audientium sensu, fama distulerat. Hoc enim vbique rumoribus vulgatum, id agi, vt multis in rebus instituta Iesuitarum mutarentur: inter cætera, vt haberet Hispania Commissarium, à quo sine respectu Generalis Præpositi regeretur: atque ita hoc membrum ab reliquo abscinderetur corpore. Porrò ex hac fama hæreticis lætitiam, bonis Catholicis dolorem, ipsi Societati imminutionem concordiæ, & multa super hæc mala progigni. Quæ quoniam sciret Regi ab alijs Patribus explicata, duo tantùm se indicaturum, quæ ipsemet obseruarat, & magnopere censebat non Societatis magis, quam Regis ipsius causa, ponderari debere. Etenim dum glisceit sermo ille de rebus, quas pauci in Hispania mouebant, animaduertisse se ingens initium ingentis dissidij cæterarum nationum ab tota natione Hispanica; tanquam indignarentur hi coniuncti cum alijs nationibus, sub capite eodem viuere, & homini subesse, qui è natione sua non esset. Quæ abalienatio animorum si procederet, vt priuatim pestis, atque exitium esset Ordinis nostri, ita etiam manans foras, & ad sæculares Societatis amicos, fundens se se, non leuia olim Hispaniæ regno creare detrimenta posset. Multos esse æmulos, multos, vt optimè norat Rex, qui non lætis omnino oculis tantam Hispanorum fælicitatem viderent. Se non in Lusitania modo, sed in Gallia, in Anglia, in Belgio, in Germania, in Italia fuisse, atque vbique obseruasse multos, parùm æquos Hispanicis rebus, illos Catholicæ fidei odio, alios dominationis cupiditate, alios insita nationibus æmulatio-

169 Personius Regi exponit quas ob causas videatur permitti debere hominibus Societatis translatum ad septentrionales partes.

170 Inde id deretum vsu abolitum.

171 Personij oratio ad Regem de Turbis domesticis Societatis in Hispania.

latione, alios aliâ causâ. At in hominibus Societatis, perspexisse vbique, non tantum in Religionis Catholicæ rem, sed etiam in regiæ illius Maiestatis obsequia insignem consensionem animorum, & propensionem. Atque hanc opinionem vidisse etiam in sæcularibus, qui vbique, simul ac Regi se aduersarios ferrent, Societatem pariter insectarentur, eo maximè nomine, quòd regiarum partium haberetur. Quod satis, in Lusitania, in Belgio, in Gallia, in Anglia, & alibi experimenta demonstrarant. Id autem non indè ortum, quòd non essent Lusitani, Galli, Belgæ, qui in his erant Prouincijs, aut studio illo carerent, quod natura aduersus suam cuique Patriam inseuit: verum ex vno, eodemque spiritu, quo imbuuntur, qui eadem disciplina, sub eodem capite informantur, ex communicatione eiusdem religiosi spiritus, qui per omnia fusus membra, sensum illum, atque impetum carnis & sanguinis, quo ad suos quisque contrahitur, moderatur, & ad iustam euangelicæ charitatis mensuram, ac distributionem perducit. Quæ concordia cum maximè alatur coniunctione in vnum corpus, sub vno capite, si hæc tolleretur, non minus, quàm cæteros mortales diuisum iri nationum in studia Societatis homines: quin eò etiam vehementius, quò acriores sunt experrectorum ingeniorum impetus: atque inde videre Maiestatem Regiam, quantum posset incommodi proficisci. Deindè cum Societas totum per orbem terrarum, sparsa esset, atque per Dei opem multum haberet ferme vbique apud principes quoque viros autoritatis, consideraret Rex quanti sua interesset corpus hoc totum habere, per vnum Præpositum Generalem ad obsequia sua promptum, atque tractabile, potius quam vnicum membrum: quod si semel ab summo auelleretur capite, in alias statim partes abscinderetur. Vi- 172
debatur Rex aliquantùm eâ disputatione commotus. Itaque, primum Rex his ratiogratias egit Personio, de fide, qua rationes eas exposuerat. Deinde nibus mouetur.
nunquam fuisse id propositum dixit, vt Societas scinderetur; tamen illa omnia consideratum iri; & opportuna admouendæ remedia. Hic Personius: non aggrediar, inquit, enarrare, quæ domesticis hisce turbis, nostri Ordo damna susceperit; quanta animi dejectio, & formido in rebus curandis, Præsides incesserit; quanta confidentia, & licentia inferiores inuaserit, quodque hinc necessarium est, quantam disciplina Religiosa stragem acceperit: quæ & Vestra Maiestas ex multis accepit: atque ego ex idoneis comperi autoribus; exiguo hoc tempore plus detrimenti acceptum, quam multis possit annis refarciri. Satis est mihi duo illa capita attigisse præsertim cum hac tempestate ille huic Ordini Præpositus Generalis præsit, qui multis nominibus regijs est addictus rationibus, non modo quòd vestra in ditione natus est, sed multo magis, quòd tanta est religione, ac pietate, quantam omnes habent perspectam, & optimè nouit Vestræ Maiestatis causam, cum diuina causa esse coniunctam. Itaque Maiestatem vestram precor, vt habere mihi dignetur fidem sincerè, ac planè affirmanti, ex omnibus imperij vestri popularibus, non esse fideliorem quemquam, nec vestrorum commodorum cupidiorem. Neque Claudium habuisse tota sua vita quicquam acerbius, quam quod nequiuerit adhuc assequi, quanam in re Maiestati Vestræ non satisfaciat. Hæc cum sincero studio haud modicè commotus Personius latè exequeretur, haud leuiter Regem quoque permouit. Itaque perbenignè respondit, se de recta Generalis mente optimè sentire, idque re ostensurum, & rebus omnibus adhibiturum remedia. Denique peramanter finitum colloquium est, monito Personio, vt cum Ioanne Idiaquezio res eadem tractaret, cui ipsemet Rex paulò post dixit, cognouisse ex Personio se multa, quæ ante cognita oportuisset. Auditus subinde etiam est Iosephus Acosta. Is missum se propriè à Præposito Generali narrauit, vt Regiæ voluntati, quacunque fas esset in re fieret satis. Quod iampridem molie-

173 Detrimenta Societatis ex his turbis exposita.

174 Suspiciones aduersus Generalem è Regis animo tolluntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

175 Oratio Acostæ ad Regem.

batur, & difficultas temporum differre coëgerat, destinasse ipsum de Societate homines, qui Hispanas Prouincias viserent, Regique comperta referrent, & ad eum modum quem Rex maximè ad maiorem Dei gloriam probaret, componerent. Dignaretur hoc obsequium Rex accipere, suamque si quid veller palam faceret voluntatem. Rex ad hæc benigniores præbuit aures, quam responsum optabilius dedit. Nihil enim in præsentia, aliud, quam suo more, consideraturum respondit. Idem tamen post aliquot dies, disertè denuntiauit: placere sibi, vt suo arbitratu Societatem Præpositus Generalis administraret, & Hispanas prouincias, per quos maximè iudicaret idoneos viseret. Quod responsum pro maximo existimatum est beneficio, & propè in miraculis positum. Nam qui eius institutum norant, existimabant, quod cœperat de visitatione per Episcopum, vt benignissimè ageret, passurum mora antiquari, ac demum nullo clarè responso edito, omissurum. Sed tandem in manu Dei cor Regis est, ille quò vult inflectit. Iuuere causam maximè Ioannes Idiaquezius ex externis; è domesticis Robertus Personius, & Sebastianus Hernandius Lusitanus: quibus Rex nationum suarum nomine gratum cupiebat facere. In Societate multæ Numini actæ sunt gratiæ; & Visitatores, quos ante Claudius Generalis designarat, promulgati. Prouinciarum nouæ, veterisque Castellæ Ægidius Consaluius: Bœticæ, & Aragoniæ Iosephus Acosta; Lusitaniæ, Petrus Fonseca. Is in suam Prouinciam redierat: Ægidius, & Acosta habito inter se, cumque grauissimis Patrum, consilio, ad suos primo quoque tempore digressi, suum munus, auspicantur. Acosta ex Bœtica, cuius Prouincialatum Ludouici Gusmani ex morbo inualidi loco, Bartholomæus Perez de Nueros, ex Complutensis rectione Collegij euocatus, recens susceperat. Ægidius à Castella veteri: cuius cum idem esset Prouincialis, vicaria demandata est cura Alfonso Montoyæ, qui Burgense regebat Collegium. Rebus componendis plurimum attulit adiumenti consensio inter se se, & Visitatorum, & Prouincias administrantium. Seriò admonuit Claudius Generalis, vt quando documentis adeo acribus, tantoque impendio Deus somnum, si qui irrepsisset, tendebat excutere, vterentur ipsi occasione ad profectum, restituere lapsa, stabilire labantia, promouere firma connitentes. Ante omnia insisterent formandis Rectoribus, qui scirent, possentque Socios, curæ, fideique suæ commissos, in virtutis perfectæ studio prouehere, obseruarentque, qui indolem præ se huius disciplinæ capacem ferrent. Rei etenim summam in hoc verti cardine. Iussit pariter nominatim videre, ne quid detrimenti paupertatis religiosæ integritas pateretur. Iam enim experimenta edocebant, quanti interesit esse Collegia idoneis vectigalibus constituta. Quippe cum fermè omnia in his prouincijs premerentur inopiâ, quæ cui priuatim secularium donaret benignitas, haud ægrè Præsides accipi permittebant. Inde autem fiebat, vel, vt is cui donata erant, vsurparet prope vt sua; vel vt inuidiosè commodiora quibusdam, seu vestimenta, seu alia id genus essent, & interdum cariora, quam communis ferret consuetudo: vel denique, vt si qui vtiles Collegijs forent, eorum multa dissimularentur præter leges facta, ne tanta in egestate ille fructus excideret. Quod & per se plane erat intolerandum, & ei quoque rei propter quam ferebatur, obstabat. Nihil enim perniciosius est rationibus Collegiorum, quam quod damnosum est disciplinæ. Hæc & alia, quæ correctionc egebant, magno animo, magna bonorum omnium lætitia Visitatores, ac Prouinciales dum corrigunt, identidem significabant Regi, quem inuenirent rerum statum, quid adhiberent remedij, quàm beneque feliciterque Visitationis cura succederet. Nouo quodam ardore Nosocomia, & custodiæ frequentabantur. Nunquam plures è Collegijs omnibus in vicos, & pagos dimissi ad excolendos agrestes. Ibant denique res domi,

176 Rex liberum Gubernationis arbitrium Generali relinquit.

177 Visitatores in Hispanias missi.

178 Monita Generalis ad Visitatores.

179 Paupertatis religiosæ labes.

180 Fructus Visitationum.

mi, forisque admodum è sententia, cum terror accidit nouus. Constans increbuit sermo, tres ad Episcopos postulatu Regis venisse ab Roma literas, nominatis etiam, si qui primorum desiderarentur, qui in eorum loca succederent, vt partiti inter se Regna cuncta, Religiosorum per Hispaniam Familias viserent. Diuersus inde rumor serpere, his nomen cæterarum Religionum obtendi, de vna agi Societate disputantibus, contra alijs contendentibus, vnam illam exceptum iri, vt quæ suam Regi, Pontificique probasset causam, perque Visitatores, è corpore suo faceret satis. Patres in tam vario hoc sermonum tumultu, habito inter se consilio censuerunt nihil cum Rege mouendum. Non enim simile vero videri, post tam benigna responsa, vltra quicquam ab Societate desideraturum, præsertim cum propiores ad se se Regiam mentem retorquerent curæ, Anglis magna classe Antonium, qui se Lusitaniæ Regem ferebat, in eius Regni possessionem mittere tentantibus. Nec videbatur commissurus Philippus, vt tali tempore omnes inquietare videretur Religiosos Ordines, tantusque cieretur motus in cuncta Hispania, quantum illi haud dubiè exciturі erant, vt eam ab se se inspectionem arcerent. Quod si denique appareret pertendi; tum censuere Patres, ad auertendas populi suspiciones ob acta cum Quæsitoribus, adnitendum omni ope, ne aut sola, aut prima Societas spectaretur. Quod per occasionem cum Regi Personius indicasset, agens gratias, quòd adhuc benignitas regia tanta illam solicitudine liberasset: respondit Rex libenter se fecisse, quod gratum Societati esset, & facturum in posterum. Quæ vox penitus omnem nouorum Visitatorum curam exemit. Cum verò idem sub Gregorio XIV. rumor, ac metus redijsset, egit cum Cardinali Sfondrato Claudius, de prouidendo in omnes casus remedio. Ille pro sua benignitate, causæque æquitate, toto rem animo suscepit, & diploma Pontificium, quod Sixtino decreto abrogaret, scribi volebat. Cui Claudius videri sibi subiecit opportunius fore viuæ vocis oraculum, quod exciperet ipsemet, signaretque. Itastrepitum abfuturum. Haud aliter Cardinalis censuit, fecitque. Signatasque eas literas P. Generalis in Hispaniam misit, vetans aperiri, nisi res cogeret. Si visitatio vrgeret, tum resignarent fasciculum: in eo quid ipsis consilij capiendum, ac præsens remedium inuenturos. Nec postea vsus incidit. Iam Ægidius, & Acosta suo strenuè intenti muneri, præter cætera operam dabant, vt si quos perturbatorum possent, bonis artibus demulcerent, dedocerentque, & ad Religiosum officium reuocarent. Quos verò nullo modo reperiebant emendabiles, in eorum vitam, & mores sedulò inquirebant, vt notum fieret Regi, quod genus hominum esset, vnde in hac Sancta Republica pax adeo turbaretur: planeque semel intelligeret, quanta esset malorum causa, seu Regio, seu Quæsitorum nomine & vmbra homines eiusmodi tegi, vt disciplinæ frænos ipsi petulantius remorderent; ac boni, siue peruerterentur, siue exagitarentur, intercluſa Præsidibus omni via medicinæ faciendæ. Omnium post Dionysium perturbatorum acerrimus erat Franciscus Abreus, idemque nec modo opinione, sed & vita adeo communi disciplinæ diuersus, vt cum desperaret Generalis Præpositus corrigi posse, iusserit à Visitatore Ægidio admoneri, licere ei suas agere res, liberoque votis (nam professionem nondum emiserat) vitam extra Societatem suo modo temperare: nihilominus carum Societati, & obseruandum futurum in seculo. Percelluit primò ea vox hominem, nunquam fortasse ratum huc venturos Patres, vt literarum eius decora, & autoritatis præsidia vellent sibi ipsi subducere: dumque ex vna parte, vnde ejiceretur cogitat, & conscientiam fodicat diuinorum munerum contemptio, quæ tam multa hactenus frustra habuisset: ex altera etiam deterret infamia apud mortales, tanquam desertæ per ignauiam, aut ademptæ per malefacta Christi militiæ, adfuit ei Diuinæ lucis admo-

181 Rumores de Visitatione Religiorum per Episcopos à Rege decreta.

182 Vitæ vocis oraculo Societati cautum.

183 In Turbatores inquisitum.

184 Offertur Abreo missio è Societate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum illustris radius. Animum inducit nullo modo à sacris Castris abire: quin potius totam vitæ formam corrigere. Colligit quicquid contra Societatis instituta exararat, eaque & libellos omnes ad eam rem pertinentes tradit Ægidio in manus, ad Præpositum Generalem mittenda: ad quem & ponderosas adijcit literas. Multum se adhuc errasse. Per ciuilium responsorum occupationes omisisse precationis studium, vsumque cum Deo. Inde factum, vt pace animi paulatim amissa, vitam acerbam duceret, & ad noua molienda delaberetur: posthac alterum planè futurum. Cæterum confiteri imbecillitatem suam, ideoque per Christi viscera postulare, vt secum tanquam cum infirmo agatur. Fidenter igitur expositurum, quæ ad animi sui pacem, vt in tam multiplici, & corporis, & animi infirmitate necessaria erant. Primùm petere se, vt liceret sibi ad suas, & Socij impensas, centenùm quinquagenùm nummùm aureorum vectigal annuum possidere; quod ne vlli Collegio graue esset, suis de iure se paraturum responsis. Deinde petere, vt nulli subesset Præsidum, nisi ipsi Generali, & Ægidio Consaluio. Tum vt quacunque in Prouincia videretur, domicilium habere fas esset. Postremo, si maturus professioni non haberetur, at certe literas sibi Præpositus Generalis daret, quæ dicerent esse ei potestatem quandocumque vellet profitendi. Necessarias esse has literas, quanquam iniussu Præpositi non esset ad professionem vsurus, ad conseruandam rectam de se opinionem, ne illo gradu videretur excludi, quòd esset indignus. Has literas vbi Claudius vidit, ex remedijs ipsis, quæ petebantur, intellexit insanabile malum tractari; tamen, vt nihil intentatum relinqueretur: idque ipsum æquis iuxta, atque iniquis manifestum fieret, quantum indulgentiam disciplinæ fas esset extendere, concedendum ratus, in hunc modum rescripsit. Quamquam pergratum mihi fuit, quod adeò mecum apertè agas, vehementer tamen dolui per occupationes, quæ non permisere, vt te totum Deo, orationique, & pijs exercitationibus traderes, factum, vt in eum statum, quem significabas redigerere. Mirum id tamen non est: nam ea cum deessent præsidia, & occupationum plus satis esset, necesse erat, vt animo destituto vi, nutrimentoque spirituali vitæ necessario, onerosa fieret religiosa disciplina; idque eo magis homini dotibus istis ornato. Laudo, quod libellos ad me eos miseris; vtar ad cognoscendas necessitates, & remedium ex ipso instituto afferetur. Nam plane est in ipsis Societatis legibus, vnde quibusuis occurri possit incommodis, vt iam spero, postquam resederit animi perturbatio, qua hactenus te exagitatum dicis, ipsi tibi compertum. Cæterum ea, quæ postulas, quanquam tantam habent difficultatem, ac nouitatem, quantam ipsemet intelligere potes; tamen eadem declarabunt, quantopere cupiamus tibi consultum. Dedimus enim operam, rationem, vt eam iniremus, per quam, & priuatim commodaremus tibi, & publicum damnum, quoad posset inde prohiberemus: vt plenius ex Ægidio Visitatore cognosces. Quod plurimum ego velim id est, vt ad redintegranda, & statuenda, quæ modo concussa sunt, totam applices curam, institutum, genusque viuendi Societatis, qua par est voluntate confirmans, eo magis, quod industria in hac re tua, multum, vt audio, momentum habebit. Porrò ad Ægidium super ijs postulatis scribens. Quanquam ad vnum ipsum Ægidium, ac Præpositum Generalem contracta obedientia, fenestram periculoso exemplo aperiret nonnulli licentiæ, aut offensioni (omnis enim æqualitatis violatio grauis est vitæ communitatis) tamen concedendum dixit, sperans, recto immunitatis eius vsu, ipsummet Abreum pericula auersurum. De Prouincia, aut Collegio pro sua voluntate inhabitando, item concessum est, cum eo solum, vt, quoniam ipsemet in Ægidij potestate volebat esse, ad eum referret; quod etiam pertinebat ad totam rem mollius, ac sine cæterorum querimonijs administran-

185 Eius voluntas perseuerandi, & propositum emendationis.

186 Postulata eius religiosæ disciplinæ parum congrua.

187 Literæ ad eũ Generalis,

188 Quanta indulgentia Generalis egerit cum Abreo.

strandam. Reditum annuum centum, & quidquaginta nummùm, adeo alienum esse ab omni religione, vt neque Societatem, neque ipsum deceret Abreum, præsertim quod mercenariâ operâ interpretandi iuris quærendus esset. Placere Generali non centenos quinquagenos, sed planè ducenos ipsi, & Socio nummos aureos, & quicquid præterea ad libros, vestem, ac cæteros vsus, foret opus à Procuratore Prouinciæ suppeditari: ita luculentius ei prouisum fore, & absque patrociniorum molestijs, quibus omnino abstinere in posterum deberet. Quod pertineret ad Professionem, persuaderi sibi pateretur, nullo modo, quas peteret, fas esse, concedi literas. Nam præter conscientiæ onus, rem omnino fœdam Generali, nihiloque minus Abreo ipsi futuram. Det ipse operam, vt se se, quem debet præstet; nullum ei ab Generali solatium, honorem, præmium defuturum. Hæc omnia vbi cognouit Abreus, non potuit, siue charitatem Generalis, siue sapientiam non probare. Cæterùm vlterius progressus erat, quam vt salutari medicinæ locum sibi ipse reliquisset. Itaque, vt in loco reddetur, post tentata omnia, ad extremum minore etiam, quam multi rebantur, Magnatum strepitu, missus est. Verum ecce tibi, dum vnum sanescebat malum, ex ipsamet curatione sensim sine sensu concipiebatur alterum. Nam quemadmodum in humanis corporibus, longus, ac multiplex languor sæpè in collectionem aliquam coit, vnde ad extremum erumpit; ita varia, & grauis hæc tentatio, in Congregationem Generalem, quæ quarto post anno habita est, caput fecit. Præcipuus autor eius fuit Iosephus Acosta, & iam nunc telam cœpit ordiri. Quid speraret, an Generalem nouum creandum, vbi & sui ratio haberetur, an aliud quid è sua sententia posse decerni, affirmare non ausim. Ad ipsummet Claudium post cœptam Visitationem scripsit, dum præsentibus malis remedia conquirit, opportunam fore Congregationem Generalem sibi in mentem venisse. Id ei qua fidelitate, ac simplicitate par esset, significare voluisse. Excepit consilium Claudius, æquo animo paratus exequi, si ex vsu videretur: & Acostæ in hæc verba respondit. Sæpius egi cum Patribus Assistentibus de Congregatione Generali, quam viam ipse demonstras, videatur ne in emolumentum rerum nostrarum cessura: verum omnes omnino censuere, nullo modo necessariam esse, præsertim cum Prouinciarum sententias cognitas habeamus: quarum pars maior existimarunt, non modo minime necessariam, sed etiam valde incommodam pro ratione temporum fore. Iam verò accessere Gallicani tumultus: inter quos eæ Prouinciæ, nullo modo possent, neque suos habere conuentus, neque Romam Prouinciales, binosque designatos mittere. Atque vt hæc minus difficilia essent, ob infestorum itinerum impedimenta; tamen ad earum Prouinciarum administrationem, summi esset detrimenti, quod nemo dubitet, qui statum earum cognitum habeat. Præterea post paucos menses habendi conuentus sunt ad legendos Procuratores, quo tempore, vti nosti, caput illud tractatur, an sit cogenda Congregatio: tum aderunt vertente anno Procuratores, ex quibus cognoscetur, & necessitas, & sententia Prouinciarum, deque re tota certiùs statuetur. Verum spero si vos adnitamini, vt cœpistis, & remedia, quæ decreuimus adhibeatis, medicamento tanti impendij opus non fore. His receptis literis magis desperauit Acosta, posse quod moliebatur ab Societate impetrare, quam vti obsequij obseruantem decuisset, sententiâ sua communi subiectâ, exinde curam deposuit.

189 Abreus ad extremum dimissus è Societate.

190 Acosta cœpit moliri Congregationem Generalem.

191 Rationes ob quas ea tunc minus opportuna videretur.

Dum hæ intus per Hispaniam turbarum Societatis domesticarum reliquiæ tument: externæ quoque illam agitarunt procellæ, quæ inferius commodiori loco referentur. Cum interim pro benignitatis suæ more non desisteret Diuina prouidentia, solatia molestijs inspergere. Non enim solum prospere confectum est in Regia, quod de pecunia ad Collegium sua

192 Subsidia Collegiorũ Hispalensis, & Madritani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vallisoletanum Anglorum Seminarium conditum.

sua in Vrbe nouum ædificandum Hispalensis Ciuitas agebat: & ipse Rex Madritano Collegio stipem haud modicam dedit, sed etiam in magnum rei Catholicæ subsidium Vallisoleti Anglicanum Seminarium conditum est. Vt in tanta perturbatione temporum, Remense, & Augense Seminaria in Galliæ Regno summis rei familiaris premebantur angustijs. Nec plane Augense inter armorum strepitum, & hostiles irruptiones tenere se poterat: itaque breui penitus dissolutum est. Guilielmus Alanus Catholicorum Anglorum columen, creatus à Pontifice Sixto Cardinalis, tametsi multum autoritatis adeptus erat, tamen per angustias facultatum ampliſſimi eius gradus splendorem sustinere vix poterat. Hæc dum Personius incommoda circumspicit, simulque colluſtrat animo, omnes laxamentorum vias, cogitationem in benignitatem Catholici Regis defixit. Quod cum Romæ Alano, Claudio Generali, & alijs ad quos pertinebat aperuisset, satisque Claudius probaret; non pauci fuere, qui vehementer obsisterent, non esse tempora memorantes, quibus deceret auxilium ab Hispania, vel petere, vel sperare: tamen perstudiosè ductu numinis implorato, ipsemet Personius in eam procurationem destinatus est, iussus (vt supra memoraui) rem quoque Societatis communem tractare apud Regem, si opportunus locus incideret. Qui cum & ante discessum, & in itinere toto, summis, & assiduis precibus precari Diuinam clementiam nunquam destitisset, vt tam graui, iustaque in causa adesse vellet, plane votorum omnium factus est compos. Nam præter ea quæ communiter Societati, vt relatum est, commodauit, primo statim cum Rege congressu Augensi, Remensique Collegijs, mox etiam Cardinali Alano opportuna exorauit subsidia. Tum auræ tam secundæ vtendum afflatu ratus, illuc adijcit curam, si quo certiore, atque vberiore possit genti suæ gratificari beneficio. Quippe Hispania non propter publicam modo tranquillitatem, sed & propter florentia sapientiæ Diuinæ studia, & Catholicæ Religionis sinceritatem; tum ad literarum, tum ad pietatis profectum, exuli Anglicanæ iuuentuti sedes peridonea videbatur, Rege hoc rerum statu, tanto facilius sanctissimam causam suscepturo, quod si procederet bellum, hoc plures habiturus erat operas, ad restituendam Religionem paratas, si non procederet, subsidium hoc restabat vnicum, ad conseruandas in eo Regno sinceri cultus reliquias. Nec sua Personium coniectura, spesque delusit. Vt primum Rex adeo Christiani operis fructus commoditatesque cognouit, domicilium, ac templum, exordiendo Vallisoleti Seminario destinauit in Hospitali domo S. Cosmæ. Addidit Consilium Regium diploma, per quod tota Hispania conquirere in eam rem, stipem liceret. Nec sane creditu facile est, quam & Regij consiliarij prope omnes, & Cardinalis Quiroga, & Magnates plerique, volenti animo, ac liberali accesserint. Quorum ornatus literis, cum Vallisoletum Personius ineunte Augusto venisset, non ita res ibi promptas inuenit. Sodalitas hospitalis domus S. Cosmæ curatrix, statim misso ad Regem Legato, excludere Collegium contendit: quod nec opportunam haberet Xenodochium illud habitationem, & multi amicorum eò propendebant, vt domus conduceretur Societatis Collegio propior, vltro non ad victum solum alumnorum, sed & ad conductionis pensionem, stipe oblata, vt sine cuiusquam offensione quietiùs res transigeretur, ac citius: cum haud dubiè itura in longùm apud Regem, si lite contenderetur, causa esset; omissa hospitali, ad conducendam domum curam adiecit. Sed noua interuenit difficultas. Vigil enim Inquisitor grauiter cœpit obsistere, etiam, atque etiam cauendum clamans, ac prænonens, ne per eius Collegij occasionem, fides inquinaretur Hispaniæ. Vix quemquam esse ex Anglicanis gentibus, non hæreticum. Errare nonnullos, vagarique per aliena Regna, idque, vt impunè liceat, dissimulare, quam foueant animo hæreticam pestem, vbi nanciscantur materiam, omnia infecturos.

193 Regis Philippi liberalitas.

Sed

Sed & eius hominis, & aliorum quorumdam suspiciones huiusmodi non solùm confutauit oratione Personius, verùm ipsa etiam aliquot Anglorum perspecta virtus. Cum enim venissent iam Vallisoletum nonnulli, ijque dati essent in carcerem, tanquam suspectæ fidei, non solum religionis integritatem, verum etiam modestiæ, & cæterarum virtutum egregium specimen præbuere. Breui itaque dilutæ suspiciones sunt, mutatique adeo omnium animi, vt vigesimo post die, quam Vallisoletum Personius Madrito venerat, initium factum sit contubernio, duodecim in eo constitutis alumnis conducta in domo. Multi statim nobilium eam domum inuisere, spectare munditiem, disciplinæ ordinem, modestiam iuuenum commendare. Quæsitores quoque Caietanus, & ipse Vigil summopere cœperunt fauere, nec modo prædicabant opus, sed & Regi, & Cardinali Toletano suis literis commendandum putarunt. Ita demum sanctum illud plantarium creuit, vt extremo hoc anno, prope viginti, proximo ad quadraginta generosæ soboles numerarentur: denis aureorum nummum millibus, ad coëmendam domum corrogatis, bonaque summa in alimentorum impensas, ex voluntaria piorum hominum largitate, antequam Rex quicquam, præter fauorem impenderet. Anno insequenti comparata, & aptata domus, & Rege, & alijs conferentibus certum vectigal conflatum. Administratio Societati permissa est, quo promptius cum Seminarijs cæteris, & Anglia ipsa, ad euocandos, & remittendos alumnos commercium foret.

194 Difficultates obiectæ Seminario superantur.

Bonorum plenus dierum in Methymnensi Collegio venerandus senex Petrus Artiaga in benedictione requieuit: qui cum ætate processisset, & vitæ insueuisset delicatiori, adeo cupidè Societatem expetijt, vt sine fine pulsanti tandem Antonius Araozius, anno seculi huius septuagesimo, propter improbitatem (vt est in Sancto Euangelio) magis quam, quod amicus esset, aperuerit. Et ille, vt ad seruitutem Dei accesserat plane animo seruiendi, quamuis offerretur facultas, literas quæ ad Sacerdotium sufficerent, addiscendi; tamen maluit in Laicorum statu, laboribusque perseuerare, quibus addebat quotidianam sui diuerberationem, & alia carnis tormenta, & multum vigiliarum, postremus domesticorum capessens, primus interrumpens quietem, quo plus contemplando, orandoque Deo vacaret. Nullum prætermittebat diem, quin pro animabus, quæ purgantur, quippiam religiosi operis Deo offerret: euenitque vt ipse aliquot dies, mirantibus valdè Medicis, qui nec venarum iam pulsum, nec quid vitam conseruaret, inueniebant, moribundus perseuerarit, vsque ad eam noctem, quæ anniuersariam defunctorum commemorationem inchoat. Non solum autem Societati se se tradiderat, sed postularat enixè, & impetrarat à Deo, vt vnicus, quem habebat filius còdem accederet. Is fuit Emmanuel de Roias, multos annos Theologiæ professor. Tum Pater, ac Filius, etiam sua omnia Dei obsequio dedicarunt: in quibus fuit mancipium ex Æthiopia innocentiæ singularis, qui Collegio Methymnensi tam fideliter, tantoque exemplo, quoad vixit, seruiuit, vt ægroto quidam nostrorum Patrum, de genu pedes abluerent, cumque veneratione tanquam viro Sancto seruirent. Pridie Kalendas Martias decessit Madriti Franciscus Castrius Sacerdos perspectæ virtutis, qui inde à puero ad pietatem, ac nominatim ad S. Francisci instituta propensus, tandem Religiosi Carthusiani magni nominis consilio, annum agens tertium supra trigesimum, ad Societatem venit anno 1566. Ad ponenda tyrocinij rudimenta Villaregium missus, ita probatus est Villaregiensi Domino Ioanni Pacecchio eius domicilij parenti, vt conscientiæ suæ rectorem, ac iudicem legerit: totosque annos sex, quibus ibidem Castrius mansit, habuerit. Eo tempore præter alia cum oppidanis operosi cultoris munera, exibat frequens in agrum pedes, nec alia terens hospitia, quam publica pauperum, nec aliunde, quam emendicato victitans, Diuini Verbi pabulum, & Diuina Sacramentorum phar-

195 Bona mors Petri Artiagæ.

196 Francisci Castrij felix ex hac vita transitus.

Virtutes eius, & res bene gestæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pharmaca agrestibus diuidebat. Quo genere vitæ dein Caravacæ, Ocaniæque perfunctus, ad vltimum translatus Madritum, præ singularis formæ innocentiæ, verus Israëlita nominari solebat. Ita (quod animi in plenum compositi est documentum) exacti oris, vt nihil vnquam ex eo, nisi serium, & graue audiretur, nihil quod frustra dictum videri posset. Nimirum cum plurimus esset cum Deo, inde trahebat, quemadmodum esse cum hominibus oporteret. Mortuus est Villaregij, quò impetrauerat senex concedere, vt inter Nouitios moreretur. Ioannis à Fonte probata multiplici Marthæ ministerio virtus, eò præsertim memorabilis est, quod ante initam religionem actitabat. Nam cum ex Vallouaro Aragoniæ Oppido, vnde erat, Complutum venisset, vitamque manuum labore toleraret, quotidianam operam locans, tamen non modò diligenter Sacramentis, & precationi operabatur, sed etiam ex eo, quod partim suis detrahebat vsibus, partim laboris contentione conquirebat, adolescentem alebat Scholasticum, qui instructus idoneis literis ad Diuinum obsequium, ad aliquem se Religiosorum cœtum aggregaret. Quam charitatem rependit ei Deus, ardenti vocatione immissa, ipsoque ineunte anno 1556. ad hanc suam Familiam perducto, & in ea post longum multa in æternitatem quærendi spatium, felici ei demum exitu Kalendis Ianuarij attributo.

197 Ioannes à Fonte bonâ vitam bene claudit.

Conimbricensis Collegij causam cum adhuc quidam vrgerent, suadentes Regi Philippo, inspectionem eius, quippe vt partis Academiæ, ad ius Regium spectare: multum consideratis oneris, & exempli talis incommodis, censuit P. Generalis, potius ipsi renunciandum iuri docendi, & Academiæ quicquid ex ea possideretur restituendum. Id cum stetisset, Regi Fonseca ad Escuriale quinto Kalendas Aprilis hunc in modum expoſuit. Cognouisse Præpositum Generalem, Academicorum quosdam Conimbricensium, & Regios Academiæ eius Procuratores cupere, vt inferiorum disciplinarum classes, Humanitas, ac Philosophia, quæ tanquam ab Academiæ auulsa corpore, Collegium Societatis tractabat, in pristinum statum redigerentur, vnde eruditi, peritique formari homines possent, successuri in disciplinas superiores. Hoc vt exprimant non leuiter exercere Collegij Patres, regiosque Procuratores dictitare, suum ipsos nequaquam implere munus. Cæterùm quanquam facilè manifestum extra causam positis sit, nihil ex Patribus iure desiderari; tamen Claudium, quod cognorit gratum fore Maiestati Regiæ, si ea redintegratio fieret, cupientem quacunque re possit, votis eius obsequi; iussisse, Fonsecam, nomine ipsius, cedere iure in Conimbricensi Academia, docendi, omnibusque redditibus, quos Collegium docendi nomine possideret: id verò cùm eo solùm velle Generalem, si Rex in amplius cessurum Academiæ commodum existimarit: sin autem secus censuerit, Societatem, qua alacritate, conatuque quartum, iam ac trigesimum annum in eos labores incubuit, duraturam in posterum. Laudauit vehementer Generalis prudentiam Rex, & consideraturum dixit, quid in rem communem esset. Tantum verò abfuit, vt Doctrinæ cum Societatis pœniteret, vt censum quoque Collegij amplificari iusserit. Vix è Castella Fonseca in Lusitaniam se receperat, cum Claudij literas, quibus Prouinciæ Visitator decernebatur, accepit. Sed distulit rem primùm Regni tumultus, tum quod certis à Rege nominatis, qui Regni statum recognoscerent, in eorum numerum coopratus, & ipse est.

198 Causam Collegij Conimbricensis prudenter Fonseca apud Regem agit.

Et obtinet.

Sub Maium extremum Angli cum Antonio Notho magna classe ad Lusitanam oram appulsa, Olysipponem versus egere militem. In eo tumultu rerum ex Collegio, domoque Professorum, quod vtraque ea sedes extra Vrbis mœnia sita est, multis iuniorum Eboram, & Conimbricam abductis, lecti dumtaxat viri relicti sunt, qui Ciuitati religiosam operam, vbicunque vsus ferret, nauarent. Cæterum cum iam prope mœnia hostis

199 Exercitus Anglorum Vlysiponi admotus,

stis adesset, & domus Sancti Rocchi, quam opplerant milites, primo obiaceret discrimini, P. Hieronymus Diaz, qui Præpositi locum tenebat, vt homo minime militaris, præ timore stationem suam deserere, recipereque se in tutiora, pudori sibi non duxit. Adfuit tamen è Collegio Rector, præsentique animo, & industria, res ita administrauit, vt nihil vltra desiderari posset. Anglus frustra tentata vrbe breui abscessit: Domi tamen nostræ haud modicum damnum acceptum est ab impositis militibus: inter quos fuere, qui sperantes tum se nacturos cuncta pro libidine rapiendi licentiam, si residuis Patribus plane vacuam domum fecissent, non dubitarunt per infamem calumniam criminari fidem eorum. Apertior erat delationis vanitas, quam vt quicquam ipso discriminis tempore mouendum Principi videretur: quia tamen tam suspicioso in genere versabatur, post recessum hostis diligenter inquisitum est Regio iussu; quemadmodum se homines Societatis inter obsidionem gessissent: nec quicquam extra ignauum illum Hieronymi Diazij pauorem repertum. Ineunte Autumno Olysipponem appulerunt ex India Franciscus Monclarus, & Michaël Rogerius. Goâ Monclarus Prouinciæ Procurator discesserat; Malacâ Rogerius propriè missus, vt de Iaponiæ, ac Sinarum statu Generalem Præpositum edoceret. Ad Insulam S. Helenæ, post bonæ spei promontorium Indicæ naues, & Malacenses, magnoque suo gaudio Rogerius, & Monclarus conuenere. Inde cum ad Insulam Tertiam veniissent, Malacensis oneraria iactis iam ancoris, vehementi procella rudentibus fractis, allisa ad terram perijt, vectoribus saluis. Ita in Prætoriam indicam, qua Monclarus vehebatur Rogerius se recepit. Cum his indicis nauibus Kal. Aprilis, anno superiore, aliæ vela fecerant, Brasiliam petituræ, in ijsque quinque de Societate. In Prætoria S. Lucæ eum Francisco Giraldo, qui Brasiliæ ibat præfuturus, duo Sacerdotes nostri Petrus Aluarius, & Antonius Botellus vehebantur. Gubernator Franciscus Giraldus, cum quindecim dies in Insula Materia subtitisset, cætera classe, quæ præcesserat, secundo vsâ cursu, ad oram Guineæ quadraginta errauit dies, Malacia Æquatorem transgredi prohibente. Denique, cum nec progredi, nec ad Brasiliam alicunde posset cursum deflectere, versus nouam Hispaniam velatetendit. Errauerunt per eius Oceani Insulas inter multa pericula, toto eo tempore, quo naues, cum quibus soluerant abiere in Indiam, ac rediere. Eodem die, quo hæ mercibus onustæ redeuntes ex India, & ipsi ab longa defatigatione inanes appulsi ad Tertias, & inde coniuncta nauigatione Olysippone portum intrarunt XVII. Kal. Octobris, post annuum, ac semestrem errorem, Sacerdotibus nostris, eò minùs otiosum, quod multa in adiuuandis animabus vectorum, præclarè gesserunt, & ex obedientia naduersa est singularis quædam indulgentia Sanctorum tutelarium erga Olysipponenses: nam cum ea Ciuitas duos habeat Patronos Antonium Patauinatem, & Vincentium Martyrem, die S. Antonij Anglicana classis legit anchoras, & die translationis Sancti Vincentij Classis Indica iecit: eo mirabilius, quod diei dumtaxat vnius prægressa iter, armatam Anglorum classem ipsa prope inermis euasit.

200 Calumnia in Societatem purgata.

201 Aduentus duorum Patrum ex India.

202 Alij soluunt in Brasiliam

203 Sed post longum errore redeunt.

204 Olysipponenses fauorem Patronorum S. Antonij, & S. Vincentij probant.

Magnum virtute virum Cœlo dedit 6. Idus Aprilis Lusitanica Prouincia Leonem Henricium. Is ortus nobili stirpe in Materia Insula, Lusitetiam fermè duodennis à Parentibus missus, dum in Collegio S Barbaræ sub Adriano Turnebo Latinas literas discit, Ignatium, ac Socios nouit, & à Fabro prima pietatis disciplina eruditus est. Per occasionem dehinc conditæ à Ioanne III. Academiæ Conimbricensis, reuersus in Lusitaniam, eodemque Societate iam introducta, perægrè tulit Ludouicum Consaluium, sibi & sanguine, & disciplinæ contubernio charissimum, posthabitis egregijs, quibus abundabat, in læculo crescendi præsidijs, in eam nomen

205 Ortus, & prima studia Leonis Henricij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dediſſe. Nec in circulis abſiſtebat verborum aculeis, ignarus quod vſque eo reprehendebat in altero, ſe propediem ipſum, præ cæteris mortalium, bonum optaturum ſibi. Vix dum verterat annus, cum inter ſupplicationem celeberrimam, qua Chriſti corpus Conimbricæ honoratur, menti

206 Auerſio eius a Societate. eius immiſſa cogitatio, quod ſolus ipſe in tanto omnium plauſu, cultuque, nihil Deo honoris deferret, ita adhæſit, aſſiduè ſtimulans, vt Sancta anni inſequentis hebdomada, dum ſolus præcipuò ſtudio, ſacras circumit ædes, in quadam flexis genibus, ante Sanctiſſimum Chriſti corpus, haud ſine lacrymis ſe ſe offerre Deo paratum ad omnia cœperit, rogans vt voluntatem ſibi aperiret ſuam, vel Religioſum Ordinem, vnica Societate excepta, quemlibet ingreſſuro. Ita autem precatus, vt primum

207 Et mira in eam vocatio leuare parabat genua, videbatur ſemper Deus obſiſtere, atque ob exceptionem adiectam, totam reſpuere oblationem, donec ad extremum fatigatus, totum ſe Deo permiſit, diuinæ eius curæ liberum omnino delectum diſciplinæ relinquens, in qua gratum ei præſtiturus obſequium eſſet. Nec poſt multo Ludouicus Conſaluius Valentiâ, quò rudimentorum cauſa primorum ſeceſſerat, Conimbricam redijt: quem cum inuiſeret Leo, templum ingreſſus, ita commotus eſt, tanquam clara voce, *Da te Societati*, Deus inclamaret: acerbè conſcientiam torquens, vbi ab ea voce curam ille auertere conabatur. Itaque & eodem loco vouit ſe ingreſſurum, & domum 6. Kal. Maias receptus eſt, ſexto & quadrageſimo eius ſeculi anno; altero, & vigeſimo ætatis ſuæ. Statura erat puſillus, at feruidus,

208 Dotes eius, & virtutes. acer, magni animi: quam vim omnem, cum ad pietatis ſtudia ſeriò contuliſſet; in ſui contemptu, obedientia, ſtudio precationis, cæteraque diſciplina; tantum breui profecit, vt anno euoluto, ſingulari legis beneficio creatus Sacerdos, Nouitijs, Laiciſque inſtituendis Fratribus, & eo-

Doctrina, & varia munera rectè obita. rum confeſſionibus audiendis præfectus ſit; quo tempore ſimul Domeſticis quæſtiones explicabat conſcientiæ (primus enim ille de Societate has in Luſitania explicauit) magnum Doctrinæ nomen adeptus, vt & Martinus Azpilcueta tum Conimbricæ Iuris Canonici profeſſor, de eo in Manuali ſuo veteri mentionem fecerit, tanquam de viro, Doctrinæ, ſanctitatiſque præſtantis. Neque eam quæſtionum conſcientiæ explicationem intermiſit, cum Conimbricenſis, anno 1552. ab Ignatio Collegij Rector creatus eſt. Euocatus inde ad Eborenſe regendum, ſuæ documentis virtutis cum Cardinali Henrico, qui deindè Rex fuit, admodum probaretur, admiranda incidit res, quæ amborum inter ſe animos, mira charitate coniunxit. Anno 1556. Cardinali ex quibuſdam in corde puhctionibus Olyſippone grauiter ægrotanti, per noctis ſilentium Leonem vigili apparuiſſe ferunt, ac bene ſperare, & locum doloris oſtendere iuſſiſſe, demonſtratumque Cruce

209 Cardinalem Henricum abſens ſanat ſignaſſe, continuòque dolorem ſedatum eſſe, & ſuauiſſimum ægro ſoporem irrepſiſſe. Poſt autem orta luce Cardinalem omnino valentem excitatum eſſe, ac de Leone interrogantem, eum quidem, nequaquam Ebora motum, ſed miraculo reſtitutam ſibi valetudinem deprehendiſſe. Ita idem poſtea ſolebat narrare, & Leo ſub vitæ finem iuſſus rem prodere, ita ſanè affirmare ſolitum Principem reſpondit, non tamen illud ſuis euenisſe meritis, verùm ſummo Dei conſilio, vt Cardinalis, ex quo ſtatus Societatis, atque progreſſio tantùm futurum erat, vt penderent, toto in eam animo afficeretur. Protinus enim poſtulauit ab Lainio ſibi Leonem in Confeſſarium, habuitque dum vixit. Cæterùm alia in genere hoc de Leone narrantur miracula. Et Conimbricæ homini nocte intempeſta ad ſuſpendium cum reſte tendenti, viſum cum in Collegio eſſet; & parenti ſuæ Ioannæ

210 Alia de illo mira. de Abreo animam agenti in Oppido Pontis Solis Inſulæ Materiæ, dum ipſe Romæ in tertio Generali conuentu verſabatur. Poſtquam Eboræ complures annos præfuerat, creatus à Borgia Prouincialis, id munus ad ſeptem continuauit annos: quo tempore etiam inter conſiliarios ſacrarum

quæ-

quæſtionum cooptatus eſt. Mortuo Borgia, quid Romæ in generalibus Comitijs mouerit, ſuo loco narrauimus. Reuerſus in Luſitaniam rurſus Eborenſe Collegium rexit: deinde poſt mortem Regis Henrici Bracarenſe. Hinc ad Profeſſorum domum Olyſipponem æuo iam grauior translatus, non

211 Variæ præfecturæ. minus priuati religioſi exactum exemplum præbuit, quam ante boni Præſidis præbuiſſet, ſeuero vbique propior, quam remiſſo. Annis plus viginti Cardinalis dein Regis Henrici Confeſſarius, cum ſimul, è Quæſitorum conſilio, & nunc Rector, nunc Prouincialis eſſet, nec adiutorem vnquam voluit ad cubiculi ſui, ſeu corporis labores, nec veſtes niſi paupertate inſignes: nec licet à Principe acceſſeretur, equos ex aula, clitellario iumento contentus: nec facilè cubiculum domi, cubiculo eius ſpoliarius, ac pauperius cernebatur: nullas denique pati voluit à communi

212 Studium paupertatis. diſciplina exceptiones, quibus tamen frequens, ex calculo dolor, non ſpecioſo ſolùm obtentui, ſed & iuſto patrocinio eſſe poterat. Quin præcipuo quodam pietatis ſenſu, amans, commendanſque communia, cum in iuniorum aliquando conuentu interrogaſſet, quem quiſque Sanctorum maximè coleret, & alij alios nominarent; ego verò, inquit, præter Cœli Sanctos, oſtendam vobis, cuius volo vos perſtudioſos eſſe, nobilem Sanctam in terra, eaque eſt Sancta Communitas. Tantum aberat ab quærendis ſibi, ſuiſue per Principis familiaritatem emolumentis, vt propinqui id modo precarentur, impedimento ne foret. Et ille habebat in ore,

213 Propinquos non promouet dum in aula floret. non ideo ſeculum ab ſe relictum, vt ſecularia ſuis curaret: nempe intelligens nihil eſſe abſurdius, quàm, vt quibus propter arctiorem naturæ nexum, tanto magis eadem quæ nobis velle debemus, omnino contraria, quæque ipſi reijcimus, ac formidamus, ea velimus. At incrementa Societatis, gnarus ad commune Regni ſpectare bonum, prudenter in loco curare non deſtitit. Ne gratiam Principis ad inanem adulationis, & famæ ſuæ amare potius vſum videretur, quam ad materiam ei rectè ac benignè faciendi ſuggerendam. Nec verò facilè dictu eſt, quanto ſtudio conſeruandæ Societatis diſciplinæ, probæque exiſtimationis arderet. Hìc to-

214 Ingens eius amor in Societatem. tus eius feruor effundebatur; hìc flagrans zelo, ſpiranſque ignem, & contabeſcens, ſi quod daretur ſcandalum, nullam capiebat quietem; publicis, priuatiſque tonans ſermonibus, legumque vel minimarum cuſtos perinde, & exactor acerrimus. In Prouinciali conuentu, cui ſupremo interfuit, dum de perfectione obedientiæ ageretur, in mandatis quoque æſtimatione ſeculi minus nobilibus, conſeruanda, progreſſus in medium, à Prouinciali inſtitit clara voce, magnoque conatu flagitare, vt nullo reſpectu multæ ſuæ ætatis, ſed exiguæ virtutis, neque quam multis in Societate vixiſſet annis, ſed quàm paucis obediuiſſet, ex eo die, tanquam vltimum Nouitiorum, vellet ſe ſe tractari, cædique iuberet publicè, ſi quid vſquam tergiuerſaretur. Inſigne narrant vſque ad extremum ſpiritum, precationis ſtudium eius, ac meditationis fuiſſe, vt ſæpè denas in die negotioſo illi otio, genu flexo horas inſiſteret. In Bracarenſi Collegio, poſt Regis Henrici finem, quotidianæ vitæ eius hic tenor erat. Communem horam me-

215 Vita eius poſt exceſſum ex aula. ditationi conſueto tempore impendebat: ab ea faciebat ſacrum domeſticis in priuato ſacello. Secundum ſacrum in ſacello eodem horam alteram genibus nixus orabat: tertiam à meridie orationis horam in ſuo conclaui adijciebat ſcholarum tempore: multum præter hæc ſacrarum lectioni rerum permixta meditatione impendens. Tum ſua excutiendæ conſcientiæ conſueta ſpatia, ſuaque penſo Sacerdotali, quod totum, quamuis ſenecta fractus de genu perſoluebat. Inuentum ſæpius rerum diuinarum contemplatione extra ſenſus raptum, aliquando etiam in aëre pendentem ferunt. In to-

216 Vilibus miniſterijs ſe exercet. to vitæ curſu, quò magis apud Magnates, rerumque Dominos erat in prerio, & maiora in Societate obibat munera, tantò ſe ipſe humilius abijciebat; infima quæque miniſteria, & ſordidiſſimos interdum labores aſſumens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita vt non solum purgare culinæ vasa, quod palam faciebat, sed etiam latrinas euerrere, ac tergere deprehensus interdum sit, quod furtim vitandæ ostentationis causâ faciebat. Quæ tum maxime exercebat, cum in re graui, magnoque aliquo periculo, diuinam opem impensius exoraret. Statim vt Prouincialatu abijt, à successore impetrauit, multos vt dies in ministerio culinæ versaretur, quod fecit assumpta ad id consueta tunica, ac sæpe linteo etiam præcinctus, excipiens, qui ad se adirent nobilium. Nec dedignabatur, vel ligna securi scindere, & imposita in humeros in culinam deferre. Supremis etiam annis in S. Rocchi domo, frequenter petebat, nec rarò impetrabat ianitoris officium. Neque minori voluntate excepit, si quæ vnquam iniungebantur, suas ob culpas pœnæ. Aliquando Conimbricæ cum feruidius nescio quid mandanti Præsidi obstitisset, Euerardus Generalis per literas leniter monuit, eam rem boni exempli non fuisse. Itaque ipse sibi eligeret satisfactionis genus tollendæ offensioni idoneum. Qua Leo conditione liberaliter vtens, delegit aliquot mensium in tunicula ferruginea, culinæ ministeria, atque ita peregit, tanquam nihil præterea curarum haberet; volens à coquo grauissima quæque iniungi sibi, cum diceret iumento veteri, non adeo circumspectandum, quæ sarcina imponeretur, quod in eo parua fiat iactura: at parcendum teneritati, speique pullorum; quo significabat mitiùs tyrones, iunioresque tractandos. Proprie tamen destinatum illi opus erat culinam euerrere, deinde efferebat sordes, tanta ambitione, vt nunquam vellet, eum sibi honorem præreptum. Quæ sancta eius in hoc genere ambitio, coniectari inde potest. Cum animaduertisset contiguam culinæ cortem fimo oppletam, properè coquum adiuit rogans, vt vellet à se se purgari, cumque ille respondisset, serum eum fuisse, opere iam alteri destinato, tamen ipsius fore, si postero die præueniret, bonus senex magno studio accelerauit precationis, sacri, ac psalmodiæ tempora, eam vt benedictionem ad se se transferret: nec ægrius tulit, vbi anteuenisse Nouitiorum vnum reperit, quam si magno præmio excidisset: ipsi tyroni professus, nunquam se cuiquam sic inuidisse. Porrò charitate erga proximos quanta arderet, tametsi ex

217 Caritas eius in proximos

cæterarum perfectione virtutum argumentari fas est, tamen propria quædam documenta tradenda sunt. Cum audisset ad singulare certamen se inuicem duos prouocasse, nec posse ab incœpto auerti, in destinatum certamini locum meditatus, paratusque perrexit: iamque gladij micabant, cum progressus in medium deiecto ex humeris pallio, exeditoque flagello, sæuire acriter in sua terga cœpit. Noua res stuporem induxit digladiantium animis, ferrum excussit è manibus, adeoque fera corda mansuefecit, vt datis dexteris pacati domum reuerterentur. Ebora Olysipponem, propter cæli salubritatem è fratribus vnum cum ægrotum deduceret, sub medium iter, in vilem casam per inopiam melioris hospitij coactus nocte diuertere, vbi nec stratum, nec quicquam habendo ægro idoneum erat, nunquam quieuit, quoad aliquid lecti, vnde vnde concinnauit: & vigil assidens, cum videret somnum capere ægrum non posse ob gelidos pedes, ingenioso pietatis inuento, nudato pectore suo immisit eos, fouereque cordis sui calore non destitit. Et planè spectabilis erat, aduersus omnes ægrotos materna eius pietas, ac sedulitas. Vbi tamen periculum ingrueret, nequaquam dissimulari volebat, indignam, vt est, dicens in cœtibus religiosis eam imbecillitatem, per quam seculares, ne suos perturbent, de mortis periculo cælant, præpostera miseratione, sinentes in salutis mortalis discrimine, pariter de æterna periclitari. Consimilis erga hospites eminebat Leonis charitas, obuiam festinus, quicquid haberet in manibus intermisso, ad ianuam accurrebat, amantissimè complectens, deducens, curans, sæpe ipsemet abluens eis pedes. Si quid deinde in calceatu, vestituque opus haberent, paterna benignitate prospiciens. Quibus ex rebus charitas in

218 Mira ratio conciliandi pugnantes.

adiuuan-

adiuuandis animis æstimetur. Nullos in his labores, nulla fugiebat tædia. Magni semper fecit, sedulòque tractauit audiendarum confessionum ministerium. Verùm quinque annos vitæ supremos, ab omni alia liber, totus in eam curam incubuit. Primus adire confessariam sellam, postremus deserere. Cum primùm aperiretur templum, ordinarijs Sacerdotum muneribus maturè perfunctus, ne quâ causâ opus interrumpere cogeretur; assiduitate materiam augens laboris, cum tanquam ad certum perfugium multi confluerent, præcipuâ autem curâ tenuiores excolens, quod nobilioribus diceret, nunquam deesse cultores. Nihil ferebat acerbius, quam quempiam quantæuis nobilitatis, tempus sibi audiendi confessiones, salutationibus, & colloquijs inutilibus rapere, monito ædituo, vt si quando suppeteret in templo materia laboris, & ipse ad ianuam à quopiam detineretur magnatum, nequaquam parceret, verùm liberè accerseret, nuncians adesse, qui vellent confiteri. Cum singulari studio, vtpote quorum maior calamitas erat, alienigenas, maximeque captiuos adiuuaret. Eam ob rem senex linguæ Gallicæ, quam Lutetiæ puer hauserat, memoriam renouans, ex ea charitate causam mortis inuenit. Admonitus enim gallum hominem in custodia pestifera febri correptum, confestim accurrens, solatus hominem, humanisque, ac diuinis præsidijs communitum relinquens, domum retulit idem ex contactu malum: vnde lætus, egregièque paratus, cum iampridem in sola morte cogitationem fixam haberet, biduo consumptus est. Exequias eius multæ populi, ac fermè tenuioris cohonestauere lachrymæ. Eidem Quæsitores, quod ipsorum è consilio fuerat, splendidè parentarunt. Multa præter narrata de eo mira Lusitana refert Historia. Olysippone Eboram contendens, repentè ad Socium conuersus: iam, inquit, Antonius Correa in Collegio Eborensi expirauit; & planè ita euenisse compertum est. Cuidam Sacerdoti de Societate rarò Sacrificanti, fore tempus prædixit, quo aueret, nec posset: qui tandem dimissus, ad summamque inopiam redactus, vehementer cupiebat Sacrum facere, vt aliquid inde stipis referret, neque per Sacros Canones, ob mutilatum pedem licebat. Anno 1580. per tumultuum Lusitanorum initia, Conimbricæ cum ad propitiandum numen, quadragenarum horarum supplicatio in priuato institueretur sacello, audire sibi visus est claram, ac terribilem vocem, è sacra pyxide prodeuntem, sinite, sinite, certum est, vindicare: quam ad vocem attonitus Leo, qui solus audiebat, summis precibus ab Domino contendere instituit, vt misereri vellet; & nihil audiebat, nisi mitte me, volo punire. Ita mœroris plenus, plerumque noctis in lacrymis, ac gemitu exegit. Diluculo ad diuinam festine, reuertit hostiam, dumque magna humilitate, ac pietate leuamentum aliquod deposcit, cœpit Dominus singillatim in memoriam reuocare supplicia insignia, & diluuij, & vrbium infamium, & Ægyptiorum, & alia id genus, in quibus de improbis vltus, iustos, quamuis pauci numero essent, seruauit. Eodem se in præsens sæuiturum modo denuncians. Hanc rem Ignatius Martinius, cuius virtutem hoc dignam arcano Leo existimarat, eius post obitum enarrauit. Olim ex Oppido Almerini, cum Prouincialis Olysipponem Georgium Serranum, & Emmanuelem Sequeiram, (qui ambo deinde Prouinciales fuere) per Tagum mitteret, quamuis oboriretur tempestas, ire securos iussit, & opportuna præmonitio cecidit. Adeo sæui dirique extitere fluctus, vt ipsorum ante oculos simul euntium nauigium mergeretur. Quo Sequeira territus, Serranum, qui autoritate erat notior, vehementer admonere, vt nauigium ad terram applicari iuberet. At Serranus, nulla (inquit) causa timoris subest: Leo iussit, quo esset maior tempestas, ire securiores: & hæc cum diceret extemplò rudentibus fractis, velum decidit: eoque lapso periculum omne depulsum. Iam moribundus fratri, qui præcipua cura in morbo sibi adfuerat, denunciauit, com-

219 Laboriosa sedulitas eiusdem.

220 Causam mortis ex caritate reperit. Eius exequiæ.

221 Quædam diuinitus cognoscit, & prænunciat.

para-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pararet se se ad magnam, quæ imminebat tentationem, sed cum diuina ope, certus de victoria esset. Neque ita multo post, adeo graviter cœpit exagitari frater, vt hæsitans nutansque, parum ab ruina, ac defectione abesset. Sed mirè iuuit spes à Leone promissa victoriæ, & quod vero simile est auxilium è Cœlo allatum. Dormienti aliquando in sella dum Rector agebat Eboræ, visus est quidam adesse, & prehenso brachio excitare, admonens, vt ad certum, quem nominabat è Collegio pergeret, ex eoque cognosceret de Sacerdote eiusdem Collegij, quem item appellabat. Cumque excitatus pro somnio nihili rem fecisset, rursus obdormiscenti eadem species, cum acriori monitu offertur. Sed cum ne tum quidem habendam somnio fidem existimaret, ecce tertiò redit sopor, & visum, dura cum increpatione, quod non accurreret ad succurrendum ouiculæ, quam tartareus ei lupus rapiebat. Iret, labanti succurreret, puniret qui periculum norat, nec indicabat. Tum demùm intelligens haud esse somni ludibrium, rectà ad demonstratum fratrem pergit, ex eoque cognoscit Sacerdotem illum defectionem à religione moliri, statimque opportunis remedijs firmat labantem, haud impunito illo, qui per falsum amicitiæ nomen morbum occultans, perire amicum sinebat. Eboræ item aliquandò, vbi manè ab oratione surrexit Marcum Georgium admonuit, vt pararet se eo die, si opus foret, ad scholam quæstionum conscientiæ suo loco habendam. Tum reuersus indè, sacrificatum abit. Missa peracta admonet Georgium, vt habeat scholam, egressusque Collegio, certam in domum proficiscitur, vbi inter magnas angustias grauiter ægrotantem hominem reperit. Post longum congressum, secedente Leone, comitem eius æger aduocat, & admirabundus, quis esset Pater ille, quid muneris administraret, interrogat: omnino enim sibi compertum, magnum esse Dei famulum, cui sua peccata fuerint diuinitus reuelata, præ quorum pudore ad pœnitentiam legitimam adduci non posset. Antonius Carmallius Theologiæ professor, narrauit sibi adolescenti, dum Leoni de peccatis confiteretur, subitum cordis dolorem coortum, adeo vt penè exanimaretur, cum autem locum ostendisset Leoni, statim vt illum tetigit, dolorem omnem euanuisse. Alia alij non solùm in corporis, sed etiam in animi morbis, statim vt se illi commendarunt, præsentanea sensere remedia. Valebat & aduersus Dæmones, & è corporibus obsessorum multos expulit: sagaciter quoque multorum fraudes energumenos se simulantium, inedia, & virgis excussit. At belluæ illæ tartareæ suam in ipsum rabiem, tum maximè, cum magnum quid in animarum adiumenta moliebatur, colaphis, & verberibus, & aliter sæuiendo promebant, ineptè scilicet ostendentes, cœpta eò meliora, & vrgenda enixiùs, quò magis bonorum omnium osoribus essent inuisa. Aliàs non permissi sæuire, inanibus terriculis creare molestiam conabantur. Matutinam psalmodiam cum Ludouico Cerqueria (qui dein Iaponiæ Episcopus fuit) aliquando cum recitaret, lucernam statim Diabolus arreptam circumferre per cubiculum cœpit, nulla apparente manu. Attollebat, demittebat, huc illuc raptim agebat, vt solet ex tremula aqua, radijs icta solis volutus resilire fulgor: cum insuetus ad ea Ludouicus se se cubiculo pauefactus eriperet, Leo, cui noua non erant, planè securus hæsit. Dum in Regia Almerini versaretur, quotidie solebat traiecto Tago in Oppidum Santarenum ad Euangelizandum excurrere. Incidit causa cur aliquando præter morem ibidem etiam pernoctaret. Ecce autem cum primum cubitum abijt, sæpe appellare nomen IESV magno studio cœpit, tanquam commotior, vel timeret, vel iam perferret impetum aliquem vehementem hostis inferni. Exilijt è lecto, & per conclaue inambulans, signum Crucis sibi sæpe figurabat. Aderat in eodem cubiculo comes eius Ioannes Aluarius, is qui dein fuit Assistens, qui (nam & lucerna vigil asseruabatur) ea tanquam noua haud sine metu spectabat, exi-

222 Somnium Henricij mirum.

223 Peccata occulta diuinitus agnoscit

224 Odium Diaboli in Henricium.

225 Constans eiusdem fiducia.

exitum rei opperiens; cum repente turbo adeò validus in fenestram incubuit, vt quamuis optimè obseratam, ac vecte munitam, repente terribili fragore patefecerit, vecte in medium conclaue projecto. Immotus adhæc, Leo, Crucis tantùm signo repetito, inuocatoque IESV nomine, pauentem comitem nil formidare iubet, quod nihil esset timendum, obseratasque fenestra cubitum redijt, ac tanta statim securitate somnum admisit, vt admodum sonorè stertere eum comes audiret.

Dudum intermissas Angræ: & Angolæ res, quasi ex itinere relegemus, antequam in Sinas, & Iaponiam transmittimus; nam India, quod nihil ferme non simile nuper inde recitatis in hunc annum suggerit; conticescere tantisper mauult, quam aut paruis dictu, aut facilè intelligendis ex memoriâ proximè relatorum, otiosè detinere lectorem. Angræ anno superiore instituta in Collegio nostro Sodalitas Beatæ Deiparæ, hoc anno perlato Româ diplomate rite confirmata, & Indulgentijs Pontificijs ditata est. Commune id Collegio Angrensi cum multis alijs, immò cum omnibus vbique terrarum nostræ ferè Societatis Domicilijs fuit: nec velut eximium hoc loco commemorandum putarem, nisi, vt semina eadem in diuersis terris magnâ differentiâ fructificant, cum alibi, vt est in Euangelio, trigesimâ, alibi sexagesimâ, denique in felicioribus aruis centesimâ multiplicatione fruges reddant; ita scirem, cum alijs in Vrbibus Sodalitia B. Mariæ ad salutem, & consolationem animarum profecerint plurimum; Angræ successûs incredibiles, & fructus longè supra, quam expectari verisimiliter poterat insignes, atque illustres habuisse. Principio, quod iuuentuti scholas nostras frequentanti subsidium parabatur, id primâ consilij propositione probatum Ciuitas vniuersa commune omnibus ordinibus esse voluit. Quare ante omnes ipse Episcopus cum suo Vicario, compluribusque Canonicis, Ciues item primarij nomen in Sodalitatem dedere. Est præterea præcipuæ in eâ vrbe, & totâ Regione dignitatis Præsidij Præfectus, quasi Proregis in remotis illis Insulis autoritatem obtinens; is non modo se ipsum, sed Tribunos, Centuriones, & lectissimos quosque suorum militum in eandem Societatem admitti postulauit, vtilitate maximâ cohortis vniuersæ, & totius Ciuitatis exemplo salubriori, quam assequi narrando quisquam possit. Siquidem cum humanæ consuetudinis testatissima omnibus locis, & temporibus experientiâ compertum sit, parum benè conuenire Christianæ Disciplinæ, & absolutæ numeris officijsque omnibus Religioni, cum militari licentiâ, præsertim vbi otium, & copia commodorum accesserit, tamen Præsidiariorum huius Insulæ, licet numero permagno in summâ securitate parique abundantiâ viuerent, ex quo piam Dei Matri in eius Sodalitio seruitutem sunt professi, tam mirabilis innocentia, tamque amabilis omnium virtutum cultus emicuit, vt verè dici posset legionarios sub signis, atque in Castris, vix temperantia, castimonia, pietate, caritateque in Deum Cœnobitis Disciplinam claustrorum longo iam vsu tolerantibus concessisse. Purgabant confessione, reficiebantque sacrâ mensâ frequenter animos, & ad hæc sancta mysteria, ieiunijs, cilicijs, verberationibus vltrò susceptis, etiam publicè, se se comparabant. Passim videres in stationibus, pro taxillis, & folijs lusorijs pro se quemque globulos precarios terentes digitis, aut libros pios lectitantes. Sermones non dicam non obscœni, non maledici, sed probi omnes, ac sancti. Si quis, quid deliquisset deferebatur ad Sodalitij moderatores, & eius arbitrio, aut crimen expiabat publicâ pœnâ, aut albo Sodalium expunctus, res suas sibi habere iubebatur; quod instar ingentis infortunij ducebant. Facile arbitratu est haudquaquam ad tantam virtutis absolutionem, milites sine Ducis peculiari curâ, efficacique exemplo expoliri potuisse. Ille autem tantò vulgarem modum, ac captum hominum illius ordinis in Religionis officijs, & Diuinæ legis obseruatione superabat, vt sagatus Sacerdos aut Chlamydatus Monachus videri potuerit. Edixerat propositâ pœnâ carceris,

226 Angræ Sodalitas B. Mariæ maximè salutaris.

227 Omnes Ciuitatis ordines ei adscripti.

228 Militum pietas.

229 Ducis Præsidiariorum Angrensium Religio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, vt turpitudine, contumeliâque verborum sui omnes abstinerent. Præceptum vt supplicio sanciret, quando diurnas stationes, vigiliasue nocturnas obibat explorabundus more Castrensi, aliquot paria ferrearum compedum præ se gestari à famulis curabat, quas repentè indueret in eiusmodi culpâ deprehensis. Multâ conquisitione compererat à quodam milite, non tamen ex ijs qui Sodalitio nomen dederant, clam ali scortum; statim omnia molitus extraxit è latebris meretriculam, exportarique primâ naue soluente in continentem iussit; ac cum illa iter deprecaretur inopiæ obtentu, largum illi viaticum de suo numerauit, quouis pecuniæ damno bene redemptam ratus amolitionem occasionis peccandi, ab ijs qui ipsius essent curæ commendati. Prætereà idem conuocari certâ horâ quotidie rudem, & otiosam è foro plebem in ædes suas iubebat, eique Christianæ Doctrinæ prima elementa inculcabat ipse per se se, additis hortamentis ad honesta omnia sectanda, prauàque fugienda. Cum Sodalitij Angrensis in militibus hi extarent fructus, quiuis prudens per se intelliget, quantum vtilitatis inde elicerent Sacerdotes, instituto, & professione propriâ Religioni dediti, Patres familias, & primarij ciues grauitate morum, & ciuili disciplinâ ad omnem honestatem inclinatiores, denique Adolescentes discendi causa ventitantes ad nos, quos docilitas tenerioris ætatis, & primæua innocentia capaciores Cœlestium sensuum reddebat. Hos enim simul cunctos ordines vnica tum Sodalitas amplectebatur, more nondum inducto, qui deinde salubriter inualuit, discernendi genera, & multiplicandi eodem in loco cœtus istos, pro varietate graduum ætatumue, vt congrua cuique institutio adhibeatur. Hoc loco res erant Sodalitatis Angrensis, quando est, vti dixi, eius Româ confirmatio perlata. Placuit eam excipi publicâ celebritate, nullusque Ordinum, qui Sodalitium conflabant desiderari suum studium in eâ solemnitate sustinuit. Electâ die Clerus Templi maioris cum Episcopo tempestiuè in Sacram ædem Collegij venit, ibique Pontificali ritu celebrauit sacrum. Inde supplicatio processit. Præibant Adolescentes è scholis, sequebantur milites, Ciues, Duces, Magistratus, Clericorum, & Sacerdotum linteata series, Dei Matris laudes sacris omnes canticis modulantes. Caput pompæ Thensa erat auro, serico, vittis, floribus, omnis generis ornamentis speciosissimè decora, in quâ effigies Deiparæ explicatum diploma præferentis manu Sodalium humeris altè sublata portabatur. Humus constrata foliis, vestibula, & fenestræ Domuum velis splendidis aulæisque renidebant. In compitis extructa pegmata Choros Musicorum, & scenas adolescentum, pias è sacris monumentis historias arte Dramaticâ exprimentium habebant. Quid multa? summâ Vrbis gratulatione, ac gaudio gesta res, longam sui memoriam cum grato, pioque erga Deiparam affectu, in Ciuium, & aduenarum, qui viderunt animis reliquit. In Regno Angolæ irritati potius, quam domiti victorijs Lusitanorum Æthiopes Idololatræ, abundante semper ad pacta infringenda perfidiâ, ad reficiendos exercitus multitudine, noua quotidie machinabantur, semper infelici successu, iterùm, & tertiò ab vltimò narrata pugna, qua tot eorum myriades cæsæ sunt, redintegratum bellum, iteratis nec multò minoribus attriti cladibus, necessariò curatâ pace finierant. Hoc denuò anno agitantes consilia rebellandi deprehensi Sobæ aliquot capite periurium luerunt, supplicio duobus ipsorum salutari, qui renati per baptismum in carcere temporariam mortem spe vitæ æternæ, cuius pignus acceperant, consolati sunt. Confirmabat interim opes in dies suas Aluarus nouus Rex Congi Christianus aduersus factionem, quæ admoto ad spem regni Fratre ipsius Ethnico, Patris, item Aluari dicti, & pariter Christiani hæreditatem ab eo interuertere conata erat; frustrà: Deo electi à se Regis innocentiam tuente. Is gratus Diuinis beneficijs, enixè propagationi Euangelij fauebat. est Loanda Insula ditionis eius ad nonum gradum cum

230 Seueritas.

231 Et liberalitas.

232 Confirmatio Sodalitij magno gaudio, & omnium ordinum studio excepta.

233 Angolanorũ perfidia infelix.

234 Aluarus nouus Rex Cõgi propagande Religioni studet.

cum dimidio latitudinis Australis non longè à continenti Regni Congi, obiecta ostijs magnorum amnium duorum Bengi, & Coanzæ, quorum hic Angolæ Regnum à Congo disterminat; non magna illa quidem, sed frugum locuples, & pecoris, Cœlique temperie salubri, ac celebris piscatu Conchyliorum, quibus Congenses vice pecuniæ vtuntur. Septem in ea oppida (Incolæ patriâ voce libatas vocant.) Horum duobus primarijs, alteri à Sancto Spiritu, alteri à Sancto Paulo Lusitani nomina dedere. Prior quasi Metropolis, Congensis Prætoris Sedes, Posterior Vrbs Lusitanorum colonia est, vbi iam ab annis decem statio nostrorum erat. Hi excolendis Lusitanis, Æthiopibus ad Christi iugum attrahendis, strenuam hactenus, & modò successu fortunatam operam dederant. Nam vix vllæ totâ Insulâ reliquiæ Idololatriæ visebantur. Optimoque in cursu cum hîc tum in Continenti vtroque Angolæ, & Congi Christiana res erat.

135 Loanda Insula tota Christo iuncta.

Efferebant se apud Sinas spe, ac specie præclarâ iaci ceptæ à septem retrò annis sementis Euangelicæ pubescentes fruges, ac tantum non maturæ primitiæ; cum eas hoc anno inopinatus ingruens inuidæ malignitatis quasi turbo quidam perculit, extincturus si minus viuacis indolis forent. Matthæus Riccius, & Antonius Almeida, operarij excellentis industriæ, in Statione Sciauquinensi Ecclesiam Sinensem nouam, quasi Christi vineam nouellam totis excolere viribus pergebant. Aptum erant locum nacti. Ædes sacra perelegans, cum adiuncto Domicilio ad amnis nauigabilis crepidinem, sub ipsam frequentissimæ Ciuitatis portam, situ amœnissimo, procul euocabat curiosissimam, & otiosissimam gentem. Nec minus vbi accesserant mundities, & nitor, peregrinæque gratiæ specimina Europeæ artis in descriptionibus Geographicis, in pictis elegantiâ nostratę tabulis, in libris artificio calchographico luculenter exaratis, aureos titulos in mundissimo corio exteriùs monstrantibus; denique in machinis horarijs, alijsque ingeniorum veteris Mundi nouis isthic inuentis mirisque spectaculis detinebant. Prorex, eiusque numerosissimus comitatus, Inferiores Magistratus cum suâ quisque cohorte, Literatorum erudita natio, ciuesque politiores quotidiano concursu, non ædem magis sacram, quam Bibliothecam, quam Mathematicam porticum, quam omnes concinnitate peregrinâ renidentes exhedras obibant admiratione inhianti. Plena semper Platea obiecta ædibus vestibulumque Domus lecticis honestiorum Ciuium, flumen vicinum lembis Magistratuum, aut cimbis aduenarum, qui ex Vrbe amne secundo, visendi res insolitas cupiditate, confluebant. Omnes excipiebat Matthæus Riccius linguæ iam peritus Sinicæ, & auidissimis Mathematicæ scientiæ, de Cœli Conuersionibus, de motibus astrorum, de ratione temporum, de dimensionibus Terrarum, & marium, ea differebat, quæ facilè, vel inuitis assensum extorquerent, & fateri cogerent; inchoatas dumtaxat, & rudes apud ipsos istas esse disciplinas, quarum perfecti iam Magistri primùm audirentur. Hinc existimatio, laudatioque gliscebat Eruditionis Europeæ: Indidem sacris quoque dogmatibus accedebat autoritas: facilè opinantibus, qui nostrorum acumen in rebus acie mentis intelligibilibus probabant, haudquaquam eos in Diuinis aberrare. Adiuuabat editus non ineleganter, vt ante diximus, Sinensibus typis, latèque disseminatus Catechismi liber; quem qui cognouerant Mandarini Magistri Gentis contra disputatum accedebant, committebatur certamen ambitiosè, nec tamen inciuiliter, in splendido consessu, Nostrisque distertè, ac fœliciter, Deo, & causâ iuuante, argumenta obiecta soluentibus, ferè semper à plerisque applaudebatur. Statis horis quotidianæ Catechismi lectiones ad concionem ingentem in templo habebantur. Multi Catechumeni fiebant: ij cum maturum erat solemni ritu sacro fonte tingebantur. Euolabat fama longè vltrà fines Prouinciæ Cantoniæ, multis aliarum qua-

136 Cursus rei Christianæ interpellatus apud Sinas.

137 Domus Societatis Sciauquini posita Sinenses alicit, & conciliat Euangelio.

138 Catechismi lingua Sinica editi fructus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuordecim aduenis, Sciauquinum publicarum, priuatarumque rerum gratia ventitantibus, & quæ viderant, audierantue Sinis insueta, libenter alibi memorantibus. Nostrorum quoque alter subinde commoditate portuosi amnis obuiam suggerentis copiam nauium quocumque opus esset euntium, aut ad Metropolim Cantoniæ Ciuitatem Quamcheù statis nundinis, & plenissimo mercatu celebrem, aut trans amnem in oppida per agrum sparsa Euangelizatum excurrebat. Eâ felicitate res fluebant cum Prorex nostris amicus in suo Sciauquinensi Prætorio diem obijt, nominatusque illi successor à Rege est is, qui tum vicinæ Prouinciæ Quam si vice Regis præerat, Domo Nanquinensis, nomine Leu, homo, vt ipsa eius administrationis initia monstrarunt, non intactus ambitione, & auaritiâ. Is ominosum ducens in ædibus decessoris sui morte funestis habitare, iussit eas funditus destrui, in eaque superficie, nouâ descriptione alias à fundamentis ad fastigium attolli, quod dum impigrè magnis ex ærario publico impensis curatur; ipse in Vrbe Cantoniæ limitibus conterminâ opperiens finem operis excipiebat officia Cantonensium ex cunctis Vrbibus certatim noui, vt fit, Rectoris, gratiam captantium. Inter hos multi erant Sciauquino profecti; quippe Vrbe Magistratibus, Literatis, & Nobilibus plenissimâ, quorum alicuius maleuolis sermonibus incitatum aduersus Sciauquinensem Domum nostram noui Proregis animum posteà patuit. Facilè suspicio cadebat in quemdam Thansiarihiu, Ciuium Præfectum, hominem astutum, quique, vt multa indicia se dabant, magis ad speciem, quam mente sincerâ, cum nostris amicitiam coleret. Hunc ferunt commemorasse nouo Proregi, quasi ad commendationem Sciauquinensis Ciuitatis, esse illam solere suis Rectoribus exquisitè gratam, quippè, quæ præsentibus obsequijs, quæ promptissimè, ac cumulatissimè exhiberet, haud contenta, etiam perennibus excitatis monumentis famam eorum, ac memoriam apud se consecrare immortalitati solita esset. Sub hæc retulit dudum extare molem speciosam publico sumptu affectuque Ciuium olim extructam honori certi, quem nominabat, Proregis: quin etiam nuper inferiori Magistratui, Præfecto Vrbis, turrim magnificentissimam excitatam. Esse his monumentis accommodatissimum locum, campum suburbanum prætentum amne, conspicuum, & concursu celebratum; cuius modo partem optimam peregrini ex Amacao Sacerdotes, ædificio spectabili occupatam tenerent. Hæc cum Thansiarihius maligno artificio diceret, facilè assecutus est, quod optabat; cum enim homini gloriæ auido saliuam mouisset honoris ampli non vni iam à Sciauquinensibus concessi, non ægrè ad eum, & sperandum, & desiderandum perpulit. Multa igitur per celerem mentis agitationem momento percurrens, primùm satis sibi fauit, vt confideret haudquaquam sua merita Sciauquinensibus inferiora visum iri meritis eorum, quibus istos honores decernendos putauissent. Deinde pellendos loco peregrinos Sacerdotes censuit, quò eorum vacuo in solo suum monumentum ritè collocaretur. Postremò excogitandam rationem, quâ hoc, & iure videretur fieri, & quam minimum acerbitatis in isto per se odioso negotio administrando adhiberetur. Ab his ita secum, sine vllâ tunc sui consilij significatione, constitutis, sumpto spatio ad deliberandum de modo conficiendæ rei, paucis post diebus diploma rite conscriptum ad Linsithaum (is est, vt dixi Magistratus Prorege inferior, Sciauquini, & ipse degens) ad Linsithaum, inquam, diploma mittit, quo causatus; comperisse se Sacerdotibus externis, contra leges Regni, sedem stabilem in ipsâ Vrbe Proregiâ concessam; scire etiam istiusmodi Sacrificulos acutos alioqui, & factiosos homines, arcana explorata Sinensium suis Amacaënsibus prodere, non sine periculo quietis publicæ: præterea varijs artibus plebem ad se pellicere, ac coitiones facere, res omnes Reipublicæ suspectas: quin etiam spectacula ostentare peregrinarum machinarum; palamque proponere automata ænea, quæ sponte concaui æris pulsu

239 Mors Cantonensis Proregis.

240 Successor eius aliud Prætorium à fundamentis exstrui iubet.

241 Maleuoli apud eum sermones de Sciauquinensi Domo.

242 Prorex nouus Sciauquino pellere nostros decernit.

243 Diploma Proregis aduersus nostros.

Iu dici, ac noctis horas indicent. Ea sibi, & per se cogitanti, & è prudentium consilio haud tolerabilia videri, quippe antiquis Patriæ moribus dissentanea, noua, tumultum minantia, & Regi vbi cognouerit minimè probanda. Quare se ipsi mandare, vt causâ, quam primùm cognita Europæos facessere Sciauquino iubeat; & aut Amacaum ad suos remittat, aut in Suburbanum Vrbi Xauceanæ Cœnobium, Nanhoam vocatum, edicto transferat. Tali Linsithaus accepto mandato, Vicario Præfecti Vrbis, subiecto sibi magistratui, negotium dat agendi cum hospitibus Amacaensibus, vt sponte Proregi obtemperent, & Nanhoam ad tempus vltrò secedant: sic eos honorificentiùs, & rebus ipsorum vtilius migrare posse, quam si pro Imperio cogantur. Neque enim spem superesse vllam flectendæ Proregis voluntatis. Si autem modo tempori cesserint, facilè post defunctum præfecturâ Proregem iniri rationem posse ipsorum reuocandorum. Ea cum Vicarius apud Matthæum Riccium fusè, ac beneuolè disseruisset, non ægrè persuasit homini iam non imperito Consuetudinum Sinicarum, esse id optimum consilium quod tali tempore capi posset. Nihil tamen ausus in re tantâ decernere sine consensu nostrorum Amacaensium, spatio ad deliberandum impetrato, certum hominem ad eos destinat cum literis, quibus diligenter exposito rerum statu, sententiam suam, & eius rationes proponebat. Inuenit hic Nuncius Alexandrum Valignanum Amacai cum legatis Iaponijs, vt dictum est anno superiori ex Indijs appulsum. Is consilio cum alijs Præpositis habito, respondit; non committendum videri, vt facilè, ac sine certamine sedes tanto sumptu, ac labore Societati quæsita eriperetur. Quare denunciatum iudicium subiret audacter, & ius suum, ac nostrum constanter tueretur. In id incubuit strenuè Riccius Apologijs, & id genus actis conscribendis, testimonijsque, ac suffragationibus corrogandis; in quo magistratuum, & literatorum Sciauquinensium egregium fauorem est expertus: inutilem tamen ob Proregis in proposito perseuerantiam; cuius per idem tempus alia specimina iniquitatis, & auaritiæ extiterunt, in vexandis negotiatoribus ex Vrbe Cantoniæ Metropoli, alijsque è populo, qui modo haberent quod cedere in prædam posset. Tamen Riccius ne nihil intentatum relinqueret, ad Proregem in eâ quam dixi conterminâ Ciuitate adhuc degentem, conferre se se parabat: quando rogatu Linsithai, viri, & potentis, & nostris amici, negare non potuit, quin Amacaum excurreret, certi negotij pertractandi causâ. Eâ occasione distinctiùs edoctus Visitator Valignanus, itemque alij Amacaënses Patres, quam ægrè obtineri statio Sciauquinensis posset inuito, & repugnante Prætore, tandem in antea reiectam Riccij sententiam, & ipsi concesserunt. Permiseruntque, vt si ei videretur, tempori cederet; sed illud commendarunt, vt aliam saltem intra Sinensis Regni fines sedem impetrare conaretur. Inter hæc perducto ad fastigium nouo Palatio Proregis, satisque instructo, atque ornato, is publicè à Sciauquinensibus, vt eò se conferret inuitabatur, qui percontatus de Amacaënsibus Sacerdotibus, cum audiret nondum eos emigrasse, profectionem differebat suam, mandata, quæ de illis dudum dederat subinde iterans; sine vllâ tamen iræ significatione; nimirum, vt autoritatem tueretur perturbationem celans. Amabant, & plurimi faciebant nostros multi ex Sciauquinensibus Magistratibus. Eo fiebat, vt cum ijs, necessitate obsequendi Proregi eius voluntatem declararent, id non solùm sine acerbitate facerent, sed simul beneuolè testarentur, cupere se se, ac quatenus possent, conaturos officijs assequi, vt Prorex de isto proposito dimoueretur. Horum igitur fauore moras trahentes nostri in aliquam melioris euentûs spem, eò vsque perstiterunt, quoad iam inuectus solemni pompâ Sciauquinum Prorex in Prætorijs ædibus consedit. Ibi cum ex Vrbanis magistratibus quæreret, ecquid exteri migrassent, quod toties iussisset: audiuit ab ijs: multa hospites Amacaënses pro se allegare, quæ digna con-

244 Suadetur Patribus, vt cedant tempori.

245 Eo Riccius inclinat.

246 Patres Amacaenses id prohibent.

247 Riccius ijs obtemperat.

248 Proregis iniquitas.

249 Riccius Amacaum profici scitur.

250 Valignanus eo audito cõsentit migrationi è Sciauquino.

251 Instat Prorex nostris, vt exeant.

252 Sciauquinensium beneuolentia in Patres.

253 Proregis aduentus.

254 Rationes pro Patribus allegatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sideratione viderentur. Hoc inter alia: se se permissu Proregis, & autoritate publicâ in solo legitimè quæsito ædificium struxisse, in quod aureos sexcentos expendissent, id quod certis tabulis, & testimonijs constaret. Iniquum videri eos inde pelli non resarcito eo damno, ac pari summâ numeratâ. Percussit ea mentio auarum Proregis animum; hinc quidem non audentem manifestam iniustitiam conscisscere; aliunde vero certum, tantum argenti numerum non profundere. Respondit igitur se repensurum Amacaënsibus Aduenis pecuniam, si non quantam peterent, certè quanta ipsis iure deberetur. Moxque ad Matthæum Riccium misit certum hominem, qui sexaginta ei aureos offerret. Riccius ingrediendi in causam prout initio iussus fuerat, etsi fuerat postea remissum, oblatâ qualicumque spe, hanc occasionem, & initium sumens, dixit, se nullâ pretij magnitudine adduci vnquam posse, ad sacram ædem, in quâ Dei sui Conditoris rerum omnium præsens numen habitaret, cuiquam vendendam; nedum, vt eripi eam sibi volenti pateretur cum pecuniâ permutatam decuplo minori eâ, quam expendisset in illâ construendâ. Renunciaret ergo Proregi melius eum exerciturum iustitiam nullo suo sumptu, finendo Aduenas supplices suos stare in possessione legitimè initâ sine cuiusquam noxa. Addidit hanc petitionem suam libello expositam se ad Tribunal Proregis ipsum delaturum. Nec secus quam dixerat fecit; aut potius facere tentauit. Iterùm enim, & tertiò repulsus à ianuâ est iussu Proregis, incredibiliter offensi, quod pecuniam à se missam recusasset. Itaque Riccio respondebatur, dicere Proregem, indignum esse ipsum suo conspectu, qui sua dona contempsisset. Hæc videns, audiensque Riccius, intellexit, quam vanè speraretur Sciauquinensem conseruari Societati sedem posse, sed & illud vereri præterea cæpit, ne à iam irato Prorege, Sinarum quoque finibus excluderetur. Igitur, quod à Valignano habebat in mandatis, mutatâ ratione, per libellos, & amicorum interpositionem, vehementer institit, ne finibus Imperij Sinici exterminarentur; sed Sciauquino excluſis concederetur ingressus in aliam quampiam Regni eius Vrbem. Istud quidem vltrò Prorex obtulerat initio: Verùm iam irritatus recusatione pecuniæ oblatæ, eò constantiùs negabat, quò magis ex libellis intelligebat, quam id vehementer desiderarent illi, quibus ægrè fieri iratus cupiebat. Dum hæc lenta formularum, vel politicarum, vel forensium Sinis vsitatarum serie in longa tædia seguium tractationum extenduntur; nostris subinde per libellos sæpius oblatos innocentiam contestantibus suam, & de iniuriâ exilij decreti expostulantibus, incidit aliquid vnde Proregi timendi occasio, nostris sperandi, offerretur. Solent Reges Sinarum certos à latere suo in Prouincias homines mittere, Inspectorum, aut vt loqui recentiùs solemus, Visitatorum munere functuros. Horum plena potestas, summaque autoritas inquirendi, & explorandi est latè in omnes quantæuis dignitatis Magistratûs: quâ sint abstinentiâ, quâ fide, quâ iustitiæ curâ, vt se domi gerant, vt in publico: quæ fama de illis, quis in eos affectus populorum. De his illi quæcumque renunciant, creduntur: & aut pro meritis euehuntur, qui laudati sunt; aut deprimuntur, puniunturue, quorum moribus, aut prudentiæ parum honorificum ab istis testimonium redditur. Inspexerat sub hoc forte tempus vnus ex his Prouinciam Cantoniam, & reuersurus ad Regem, quò explorata referret, per Vrbem Sciauquinum necessarium iter habebat. Collegit, hoc comperto, se se Prorex, & quod celebratas multorum sermonibus querelas de sc Sacerdotum Amacaënsium sciebat, haud sine causâ timuit, ne quid eâ de re in Visitatoris commentarios referretur, aut iam relatum esset, quod à Rege illic legi nequaquam sibi expediret: quare constituit dissimulandum in præsens, ac supersedendum in negotio, contraque præ se ferendam coram Visitatore in Amacaënses hospites beneuolentiam, vt si quid ille secus audisset, oculorum testimonio refelleret. Ergo

iam

254 Prorex in compensatio nem aureorum sexcentorum offert sexaginta.

256 Responsum liberum Riccij.

257 Prorex negat, quod initio conceſſerat.

258 Metus oblatus Proregi à Regni Visitatore.

259 Dissimulatio Proregis.

iam aliquot prius diebus, quam aduentaret Sciauquinum Visitator, visus Prorex mitescere, nostris amicis de re nostrâ benigiùs loqui, remittere quod ante ostenderat studium, prorsus sic agere, vt omissurus inceptum, existimari à prudentibus posset. Nec deerant, qui putarent pœnitere hominem suscepti certaminis, ac receptum eruptioni inconsultæ non inhonestum isto silentio, ac nouâ placabilitate captare. Venit inter hæc Sciauquinum Visitator, & à Prorege delinire Censorem, à quo notam metuebat, studente, exquisitis omnis generis honoribus afficitur. Dixerat Visitator discessui diem, Prorex cum vniuersis Magistratibus, Literatis, Primarijsque Ciuibus, necnon cunctis festo ornatu cohortibus Prætorianis processit ad deducendum hospitem. Stabat ingens parata multitudo Myoparonum, Lintrium, Phaselorum egregiè pictorum ad crepidinem amnis. In hanc classem multitudo ea omnis inscendit, simulque varij more gentis Musicorum Chori, partim voce, partim instrumentis canentium. Soluerant omnes, & remis euecti aduerso amne ad multa stadia progressuri dicebantur. Effuderat se studio Ciuitas, & præclara species tenebat oculos, è fenestris imminentium flumini domorum, aut è littore spectantium. Nostram quoque Domum amici eâ causâ compleuerant. Ijdemque mox non sine admiratione notarunt, & animaduertere nostros iusserunt, deflectere naues de cursu, & proras repente ad nos vertisse. Nempè intentus ei, quod retulimus artificio Prorex, quo magis ex animo Visitatoris absterget ret suspicionem omnem illius suæ in hospites Amacaënses iniuriæ, quem deducebat inter officiosissimos sermones, interrogauit: Ecquid de Aduenis audisset miri hominibus ingenij, qui sedem dudum Sciauquini fixissent? En, inquit, vides tectum illud elegantiâ peregrinâ conspicuum, illic degunt. Nec longè, vt vides abest locus. *Equidem censeo, nisi tibi aliud videtur, rectè nos facturos si accesserimus, erit pretium deflexionis modicæ, Europeæ elegantiæ specimina vidisse.* Non abnuente Visitatore, iussi nautæ flexis gubernaculis cursum institutum mutant, & secundo amne velis nihilominus, ac remis fluminis impetum iuuantes, summâ celeritate nostræ ripæ classem admouent. Exscendunt Prorex, Visitator, Proceres Literatorum, Primi Magistratus, & nostræ domus renidentes, ac blandi ostium subeunt. Excipiunt læti inexpectatum officium, Riccius, & Almeida; magnosque hospites, quibus possunt obsequijs honorant. Illi cuncta cupidè visere, prolixè laudare, admirari mappas geographicas, Astrolabia, sphæras, ante omnia horarias machinas, & libros Europæis cusos typis, ornatis inuolucris, & aureis exterius titulis decoros. Inter omnes affectatâ comitate Prorex verbis officiosis, multum familiaritatis, plurimum beneuolentiæ monstrare. In quo egregiè cunctis imposuit. Cum enim non solum, quod cupiebat, Visitator eam inde secum opinionem abstulisset, vt humanissimè affectum erga Europæos aduenas Proregem crederet, sed etiam ex præsentium relatu in omnes Sciauquinenses fama manasset de gratiâ Riccij, & Sociorum apud Proregem nouâ, & Christiani, & cæteri amici omnes certatim accurrerunt gratulatum Patribus, tam felici, vt aiebant, exitu graui periculo defunctis. Verum simul aliquot itinere dierum processisse Visitatorem intellexit Prorex, ratus iam tutò perpetrari destinata posse, sententiam rite perscribit reditum Amacaum indicentem Socijs, eamque ad Vicarium Præfecti Vrbis mittit, cum mandato exequendi. Ille, & nostris amicus, & perculsus inopinato casu, quòd ex eâ, quam præsens viderat comitate Proregis in Patres, reconciliatum eum ipsis, item, vt alij, crediderat; hæsit incertus animi, & mouere quidquam distulit. Sed cum cogeretur ratione sui muneris subinde alloqui Proregem, quando primum post hoc mandatum acceptum eum vidit Prorex, statim ante omnia quæsiuit, num Amacaënses amandasset: atque illo fatente, quod res erat, non mediocriter iratus, cum minis mandatum iteranit. Quare cunctani

iam

260 Et ex ea spes falsa nostrorum.

261 Visitator à Prorege in Domum nostrorum deducitur.

362 Comitas affectata Proregis in nostros.

263 Inde spes fallax, & vanæ gratulationes.

364 Sententia Proregis nostros Amacaum redire iubens.

265 In ea exequenda cunctatio Vicarij à Prorege reprehensa.

266 Sententia Patribus significatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam amplius Vicarius non valens, per duos viatores Patribus abitum indixit, triduum definiens, post quod si Sciauquini conspicerentur, capitale ipsis foret. Atroci, nec opinato nuntio perculsi Patres ad Vicarium accurrunt. Ille mœstus pro amicitiâ, nihil spei, nihil remedij relictum dicere, excusare necessitatem ineluctabilem, suadere promptum obsequium. Denique ostendere tabulam decretoriæ sententiæ irreuocabiliter ab ipso Prorege scriptam. Eius hæc erat summa. Etsi Matthæus Riccius, & eius Socij bono animo Sinarum fines intrauerint, probèque, ac innocenter ibi vixerint: tamen quia nec ipsis expediret tamdiù à Patriâ abesse, & in Vrbe Proregiâ iuxta Sinarum instituta parum conueniret diu exteros morari, velle, ac iubere se illos Amacaum, vnde venissent statim regredi. quod sumptum in ædificio factum causarentur, cum pars eius summæ maxima ex collatitia multorum pecuniâ fuerit, grauari Regis ærarium eâ refundenda æquum non videri; se se tamen ad quadraginta quinque aureos, qui à Magistratibus viatici nomine dabuntur, quindecim de suo addere. Omnium amicorum trepidè in tali casu consultorum consentientibus cum Vicario iudicijs, conuasata supellex, & in nauem à Magistratu paratam imposita per publicos ministros est: quibusdam dumtaxat apud Christianos spe reditus depositis. Paratis ad soluendum omnibus, procinctus ad iter Riccius Vicarium adit: Gratias agit: beneficiorum gratam memoriam spondet; fauorem, si qua se obtulerit occasio, implorat. Claues Templi, & Domûs, cunctarumque singillatim Exhedrarum tradit, enixè rogans ne Templum Deo supremo consecratum, profanis vsibus contaminari patiatur. Instat rursus Vicarius, vt sexaginta aureos, quos ipsis Prorex decreuisset, accipiant. Riccius tamen in sententiâ persistit, multum Vicario mirante, qui, vt Proregi probare posset, quod suarum erat partium fecisse se, Syngraphan à Riccio exegit, quâ is testaretur: oblatos sibi à Vicario sexaginta aureos à se fuisse recusatos. Vicissim à Vicario impetrauit Pater scriptum authenticum, quo fides fieret Patres nullâ ipsorum culpâ Sciauquino expelli, vbi sine cuiusquam iniuriâ laudabiliter, & religiosè vixissent. Ad quod etiam sponte suâ aliud diploma Vicarius adiecit, quo seuerè cauebatur ne quisquam Patribus toto itinere iniuriæ quidpiam, aut incommodi offerret. Proregis quoque mandatum tradidit, Præfecto maris Cantonienſis inscriptum, quo iubebat nauem Patribus assignari validam, & idoneo militum præsidio aduersus Piratarum pericula instructam, quâ tutò Amacaum perducerentur. Sic profecti Sciauquino Patres breui in Vrbem Quamcheu Cantoniæ Prouinciæ Metropolim peruenerunt, vbi cum quæsiuissent Præfectum maris, vt ei Proregis mandatum, cuius modo meminimus, redderent, cognito abesse illum, & biduò venturum, illum opperiri in ipsâ naue, qua Sciauquino venerant, anchoris iactis intra portum fixâ, constituunt. Dum ibi sunt, ecce à tergo celox citatis è Sciauquino remis ad procul cognitam, quæ Patres auexerat, Sciauquinensem nauem aduolat. Riccium requirit: ei nomine Proregis, vt statim rediret imperat. Admirans ille, causam cur reuocaretur rogat. Nuncius negauit se plus scire, quam quod dixerat. Non tamen destiterunt nostri bene augurando, casum in spei melioris auspicium trahere. Sicque læti, quamquam haud sine admixtâ formidine, reuertebantur. Res porrò transacta sic erat. Reddens Vicarius Proregi rationem exhausti mandati, ostendit Riccij Chirographum, quo se nummos sexaginta iussu Proregis oblatos recusasse testabatur. Hoc viso commotus maiorem in modum Prorex, postquam modicum deliberasset, cogitabundo silentio: Fac, inquit, ad Vicarium conuersus, istos homines curriculò reuocatos mihi quamprimum sistas. Id quod simul est factum. Statim Prorex ad Riccium. Tune sexaginta nummos à me datos reiecisti? Equidem, Domine, Riccius inquit, etsi pauper sum, & esse glorier, tamen cum tunc Dei beneficio, isto subsidio non egerem, illud

267 Patres ad discessum se accingunt.

268 Riccius sexaginta aureos oblatos recusat.

269 Et id ipsum scripto testatur.

270 Vicarij honorifica diplomata Patribus data.

271 Patres perueniunt in Vrbem Quâcheu.

272 Inde reuocâtur Sciauquinum à Prorege.

273 Ob sexaginta aureos recusatos commoto.

lud abdicaui. Atqui subiecit Prorex, inofficiosum fuit respuisse munus meum. Ad ea Riccius erectâ fronte, ac voce liberâ. Cum tu nos, homines, vt tu te profiteris, innoxios è sede legitimè partâ, in quâ tot annos sine cuiuspiam iniuriâ de omnibus benemerendo vixeramus, velut maleficos eieceris, nullâ tibi priuatim verecundiâ obstricti sumus, quâ de nostro non admittendorum munerum instituto amicitiæ tuæ respectu decedere nos debere iudicemus. Insuetus verum audiendi ad ea Prorex excanduit, præcipitique exurgens impetu vociferatus minaciter est. Ita ne Proregi iubenti non obtemperatur? Tum ne inurbanè in hospitem sæuiret, respiciens interpretem, qui adstabat, Tua furcifer, inquit, ista culpa est. Tu exterum hunc hominem mihi repugnare docuisti: hinc ad apparitores respiciens: huc ocyus afferte catenam ferream, qua isti scelerato (interpretem monstrabat) collum, vt est meritus ligetur. Interpres consternatus factum negare: cum fide se officio functum dicere: partem suam esse nullam in Riccij consilio, iurare. Tum Riccius, cui satis iam expeditè sinicè loquenti Interpres dicis tantùm, & moris vsurpandi gratia adiungebatur, intento in Proregem vultu, meâ sponte, meoque iudicio, non huius, aut cuiusquam alterius suggestione munus tuum repuli. Sed per eam Te, quæcumque est, quâ mihi gratificari dono isto voluisti virtutem obtestor, cur ius nostrum violas? honorem imminuis? rem iustè possessam extorques? quin saltem nos, si exorari non potes, vt Sciauquini esse patiaris, transferre sedem in aliquam aliam Imperij Sinici Vrbem annuis? Ea Riccij verba, vel non statim intelligens, vel percipere Prorex dissimulans, ad militum Præfectum, qui ad eius Tribunal de more adstabat, conuersus, capis ne inquit, quid hic homo loquitur? Ille statim genu flexo, capere mihi videor Domine (ait) & ni fallor hæc dicti eius sententia est: petit, vt si Sciauquino ejiciatur, domicilium figere ne prohibeatur, in Vrbe quapiam aliâ nostri Imperij. Probare petitionem Prorex, & prece flecti visus, benignis intuens oculis Riccium. En, ait, largior, quod cupis. Edequem in locum transferre domicilium mauis. Respondit Riccius libenter iturum in Vrbem aliquam Prouinciarum Quamsi, vel Quiamsi. Atqui reposuit Prorex, cum istæ Prouinciæ mei iuris non sint, id concedere meum non est. Elige igitur Vrbem quampiam Prouinciæ Cantoniæ, cui præsum, dum tamen excipias Metropolim Quamcheu, & Sedem Proregiam Sciauquinum, quibus in Vrbibus certas ob causas permittere habitationem fixam exteris non possum. Tum Riccius Vrbem Nanhium optauit. Et Prorex: annuo, inquit, peto tamen, vt prius visas Cœnobium Nanhoam, & Vrbem ei finitimam Xauceam: quæ si minus tibi stationes placuerint, quam nominas Ciuitatem adire poteris. Hîc Riccius fronte, Sinico more, ad solum vsque demissâ gratias Proregi egit. Qui, & vultu, & verbis multam ei beneuolentiam ostendit, adeò, vt fasciculum librorum Sinicis typis editorum, quorum erat argumentum bellum ab ipso Prorege, dum aliam Prouinciam regeret, aduersus Piratas, aliosque rebelles feliciter gestum, nostris amoris causa donaret. Quin etiam cum forte præsens adesset quidam Magistratus Xauceanæ Ciuitatis, in quam Patres inuitauerat, ad eum coram illis conuersus Prorex: Hos, ait, exteros viros excellentis meriti in Vrbem vestram mitto. Fac eos meâ causâ, vbi istuc venerint, omni beneuolentiâ prosequaris, & si quidem ibi figere Domicilium velint, auxilio, & fauore quam maximo iuues; quippe homines mihi carissimos. Adornauerunt sub hæc Patres discessum Sciauquino suum, in Vrbem Xauceam; Vicario Præfecti Sciauquinensis naues, & comeatum liberaliter præbente, ac Patres diplomatibus honorificis ornante: quin ante quam discederent sciens idem Vicarius adesse Sciauquini Præfectum Vrbis Xauceanæ nostros ad eum adduxit: maioremque in modum commendauit: quo audito Præfectus: Equidem, inquit, nostros intuens, haud sine Numinis prouidentia, vos

274 Libera vox Riccij ad Proregem.

275 Proregis in Riccium ira

276 Interpres periclitans causa Riccij ab eo defenditur.

277 Officium vtile Præfecti militum in nostros.

278 Annuit Prorex, vt Patres in aliâ Vrbem Sinici Regni migrent.

279 Prorex placatus libros dat Riccio.

280 Et nostros commendat Xauceanis Magistratibus.

181 Præfecti Xauceani beneuolentia in nostros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vos in Vrbem nostram destinatos arbitror. Hac enim ipsâ nocte videre mihi per somnium visus sum Deos quosdam peregrinos Xauceam venisse, facie longè diuersâ ab ijs, quorum imagines aris nostratibus insident: quare cum in crastinum discessum condixerim, inuito vos ad veniendum mecum: quod si quæ res vos moratur, præcurrens hospitium parabo. Gratijs Patres actis excusarunt sibi, quo minus cum eo proficiscerentur, necessariam vrgentium negotiorum expeditionem obstare. cæterùm breui secuturos. Visitarunt inde singillatim omnes Magistratus Sciauquinenses, præcipuosque Literatos. Tum confirmatis denuò Christianis, præscriptoque ipsis ordine viuendi, ac præposito vno cæteris peritiore, qui paruulos baptizaret, cunctos ad preces, ac synaxes congregaret, de dubijs incidentibus ad Patres scriberet: denique orba illa Ecclesia, vt quam minimum Pastorum absentiâ detrimentum caperet, curaret; ad extremum decimo octauo Kalendas Septembris, die ipsâ anniuersariæ memoriæ Assumptæ in Cœlum Dei Matris sacrâ, Sciauquino soluerunt. Non ita multo post admouit se illis ex interuallo modico, & pari per octiduum cursu secuta est nauis egregiè armata, quam Piraticam putabant. Idcirco initio non sine solicitudine fuerunt. Posteà est cognitum, eam à Præfecto maris Cantonienſi, obsequente mandato Proregis, ad eos præsidio tegendos missam. Interim, vt est paulò ante dictum, præcesserat Xauceanus Præfectus, qui priusquam Sciauquino discederet edoctus à Prorege, cupere ipsum, vt Amacaënses Sacerdotes vltrò vellent in Nanhoæ Cœnobio Xauceanæ Ciuitati suburbano, sedem figere, simul Xauceam peruenit mandauit suo Vicario, vt per certum hominem ad fluminis ripam opperiri iussum, deducendos Nanhoam curaret Amacaënses Sacerdotes, prius quam Vrbem Xauceam ingrederentur. Sic enim sperabat fore, vt ij loci eius amœnitate capti, sponte, quod Prorex optabat, in ibi considendi consilium incumberent. Octauo ergo iam die continuæ Septemtrionem versus à Sciauquino nauigationis, cum ad eum locum processissent, vnde est breuissimus Nanhoam transitus, vocante Vicarij ministro, nostri ad litus accedunt, audiuntque quid Vrbis Præfectus mandauerit. Certum erat Patribus in Vrbe potius, quam in locis inde remotis habitare. Memores tamen quantum esset nuper offensus Prorex recusatione oblatæ ab ipso pecuniæ, satius duxerunt hanc inuitationem non aspernari Cœnobij visendi. Instabat Vicarij famulus, vt sarcinas quoque exportari è naui paterentur in Cœnobium, vbi ius ipsis plenum habitandi Prorex concederet, penes quem eius rei summa potestas esset. Negarunt Patres id agendi tempus aduenisse: sibi enim conuento prius opus esse Præfecto Vrbis: sic relicto in naue ad ripam religatâ Sarcinarum custode, ad Cœnobium pergunt. Non longùm processerant, cum superato tumulo obuio in perampiam planitiem despexerunt. Purior hîc aër campis, & pulcherrima species in aprico, irriguoque solo, arborum, graminumque perenne virentium; ne hyeme quidem decus foliorum syluis decutiente. Perpetui Colles, læti pascuis, & syluis pomiferarum arborum vmbrosi, latissimè patens camporum æquor vndique ambiunt, oryzæ, frugumque aliarum prouentu vberrimo beatum. Irrigatur enim ad eas segetes alendas opportunissimè perenni fluuiolo, cuius & alij ad salubritatem, & amœnitatem loci præstantes vsus sunt. Ipsum Cœnobium mille incolarum capax, cum adiuncto fano magnifici operis instar quoddam iusti oppidi præclarâ procul specie ostentat, conspicuo præ cæteris ex colle; quem fons aquæ optimæ ad potum, eximiâ magnitudine copiosissimè innascens rigat. Eò nostris appropinquantibus monitus iam à Vicario Præfectus loci cum præcipuis suorum venerabundus processit obuiam, magistro non spontanei officij timore. Audierant nimirum à Præfecto Vrbi Xauceæ, Sciauquino redeunte, Proregem, cuius est legibus Sinensium in vniuersos suæ Prouinciæ Cœnobitas potestas omnium rerum summa, Matthæum Riccium, de cuius Doctrinâ, ac virtutibus

282 Patres Sciauquino discedunt.

283 Præsidiaria nauis eos prosequitur.

284 Nanhoam, iussu Præfecti Vrbis deducuntur.

285 Amœnitas Cœnobij Nanhoæ.

286 Cœnobiarcha cũ Sodalibus Patres venerantur.

bus eò quoque dudum fama peruaserat, Cœnobio Nanhoæ nouum Præfectum designasse, cum mandato, & plenâ autoritate emendandi cœnobitarum mores; qui sanè haud iam tolerabiliter ab antiquis institutis deflexerant. Nam præterquamquod cum vitam cœlibem profiterentur passim scortis impliciti, spuriæ sobolis greges alebant; etiam pro mansuetudine, quam à curatoribus sacrorum iure suo populus expectaret, satis constabat quosdam ex ipsis ferro armatos obsidere vias publicas, & in prætereuntes rapinis, ac cædibus grassari. hac illi conscientiâ malè sibi metuentes, futuris, vt timebant, Dominis adulabantur, ignari, quam essent à præfectura tali vota eorum, & cogitationes abhorrentes. Monstranti deinde Præfecto partem ædium ornatam ad commorationem, Patres responderunt: se nunc quidem inspiciendi causa, non sedes figendi venisse: nec credere postea venturos: læti hoc audiuere Cœnobitæ, quamquam dissimularunt; eòque iam fauentiores, & solutiori animo introductis Patribus in Triclinium, quo excipi, cum eò veniunt, summi quique Magistratus solent, epulas imprimis apparatas præbuerunt. Refectos inuitabant ad visendum fanum, è Regni totius religiosissimis habitum. Vmbo quidam in æde mediâ surgebat, multis circum gradibus. Ara in summo, quinquaginta lampadibus appensis, cadauer exhibet cuiusdam Lusù dicti bitumine quodam pellucido illitum, ante annos, vt ferebant, octingentos ibidem mortui magnâ in opinione Sanctitatis. Vasta capacitas cæteri delubri multis circum sacellis oppletur, in quibus humana statura maiores extabant formæ, partim ex ære, aut simili metallo, partim è ligno deaurato. Eæ plures quingentis numerabantur. Has, & præ omnibus Lusù Cœnobij Conditoris corpus, cum omnes ingredientes fanum solerent diuinis afficere honoribus, nostri ne ciuili quidem obseruantia dignantes aspernabundi præteribant, Cœnobitis multùm mirantibus; nec tamen in hominibus, quos eximiè sapientes putarent, reprehendere palàm ausis. Itum, & per Cœnobium, duodecim in ordines ac quasi contubernia descriptum. Cunctis satis visis Patres vale dicto Cœnobitis, & gratijs actis, diuersi discesserunt. Riccius cum Ministro Vicarij Vrbis, itinere terrestri multò breuiori Vrbem Xauceam ingreditur. Almeida regressus ad Nauem eò posteriùs cum supellectili appulit. vbi simul fuerunt, ambo statim vrbis Vicario se sistunt. Narrant Cœnobium Nanohoam postquam satis spectassent ineptum ipsorum habitationi visum, tribus præsertim de causis. Primùm, quod ab vrbe nimium distaret. Nostrum autem institutum poscceret, versari nos cum populo, & præsertim cum Literatis quotidie congredi, tùm ad audienda quæ ipsi docent patrijs percepta disciplinis, tum ad nostra vicissim comunicanda. deindè quòd vulgò ferretur, facinorosos quosdam, & quibus non bene vita credi posset, istos esse cœnobitas. Postremò immenso quodam interuallo dogmata nostra, & ritus à Cœnobitarum istorum religionibus cæremonijsque distare. neque enim nos idola, vt illi, aut mortuorum corpora pro dijs colere, sed vnum Deum Cæli, ac Terræ Conditorem ab ipso institutis, & antiquitùs præscriptis sacris honoribus castè prosequi. Hæc Vicarius beneuole audiens, priores quidem rationes duas facilè percepit, & probauit, circa tertiam, in quo cunctaretur expositi his verbis: quæ dogmata, quosve ritus, aut quibus præscriptos libris memoretis non intelligo, quippe qui existimem nullam aliam vspiam sub Cælo Religionem esse, quam quæ nostris moribus recepta est, & tradita literis, apud hanc nostram dumtaxat gentem vt olim inuentis, ita nunc vsitatis. Hunc homini minimè malo ridiculum errorem, vt demerent non parum laborandum nostris fuit. Cessit tamen ad extremum; maximè quando Riccius librum Ecclesiasticarum precum, quem ad omnium horarum vsum secum ferebat, è perâ expromptum illi exhibuit; alia vtique forma characterum exaratum, quam quæ sinicis literis, proinde non iam in mundo vnicis, contineretur. Ac delapsus in humanissimos sermones: quando

287 Error eorum existimantium P. Riccium adipsos regẽdos mitti.

288 Delubrum Nanhoense Idolis plenum.

289 Mille Sodales in duodecim contubernia disuncti.

290 Rationes cur Patres recusarint Cœnobium Nanhoam.

291 Vicario probatæ.

292 Et eidem, error exemptus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

293 Humanitas eius in Nostros.

do ipsis non arrideret Nanhoensis commoratio, quæsiturum sese ipsis aliam dixit; sicque dimisit Patres priùs benignè admonitos, vt si eis videretur, alios quoque Vrbis Magistratus officij gratia adirent. Humanissimè illos excepit Præfectus Vrbis Xauceanæ, quem Sciauquini viderant, adeò, vt etiam (quod illic exquisiti honoris genus est) reuertentibus Domum, cibos in speciosis ferculis longo ministrorum ordine portari iusserit. Idque deinceps toties faciebat, quoties ad eum Patres adissent. Eiusdem commendationi imputabatur, quod à reliquis Magistratibus admissi sunt omnibus, cum mirificâ demonstratione beneuolentiæ, multum excedentis Magistratuum Sciauquinensium comitatem, quantumuis & ipsam non vulgarem. His fauoris indicijs inuitatus Riccius ad sperandum Xauceæ Ministerijs nostris successum etiam maiorem quam Sciauquini, non putauit vtendum facultate sibi à Prorege factâ transmigrandi si vellet in Vrbem Nanhium, in qua similes opportunitates rei benè gerendæ, haud facilè forte reperiret. Versis ergo cogitationibus, ac curis ad inquirendum extruendo Templo, & adiunctæ habitationi locum aptum, ex hospitio sibi à Vicario assignato extra portam Vrbis ad occasum, notarunt Patres Campum magnum ædificijs planè vacuum, propinquitate Vrbis, viciniâ fluminis, cæteraque commoditate nostris vsibus peraccomodatum. De eo cum interrogassent Ministros Vicarij, qui ipsis eius iussu inseruiebant, cognouerunt iuris esse fani cuiusdam Quamhiao dicti, prope quod diuersabantur. Porrò per leges Sinarum in plena regiorum Magistratuum esse potestate res, & agros Fanorum, vt eos possint, quibus volunt sine iusta cuiusquam querelâ donare.

294 Eligitur habitatio Xauceæ.

295 Quæritur solum ædibus ponendis.

Venit ad nostros postridie Vicarius visurus ecquid hospitibus deesset, & de loco vbi mallent sedem figere eorum sententiam exploraturus. Huic demonstrauit Riccius subiectum oculis campum, in quo libenter, si per eum liceret, considerent. Rem, inquit Vicarius, ni fallor impetrabilem optatis. Meæ partes erunt desiderium hoc vestrum Præfecto Vrbis exponere. Cæterùm, vt tota res suauiter, & sine cuiusquam offensione transigatur, offeratis censeo sacrificulis Fani pretium pro agro, quantum prudentes arbitrabuntur. Id nostri cum mox fecissent, sacrificuli qui tales vicinos nollent, arbitris corruptis immane, ac decuplò maius æquo, pretium dixerunt. quod in ipsorum caput vertit. Nam postmodum Præfectus Vrbis in pœnam iniquæ æstimationis, agrum gratis pro suo summo iure nostris in perpetuum attribuit. Labebatur inter hæc autumnus, in Xauceano Cælo haud minus quam alibi vspiam grauis. Ibi enim quotannis ab Octobri mense tertiam ferè partem Incolarum ferunt tertianis tentari febribus, quibus non pauci consumuntur; alij longo tempore pallentes, debilesque ægrè vitam trahunt. Nostri Patres duo in ipso procinctu noui ædificij, aëris inclementiam incommodè senserunt, graui ambo simul morbo prostrati, ex quo cum Diuina benignitate emersissent, Templum Sciauquinensi amplius moliti sunt: sed ædes ei adiunctas in alteram, vt Sciauquini fecerant, attollere contignationem omiserunt, quod id apud Sinenses insolitum admirationi sit; occasionemque aliquoties Magistratibus Sciauquinensibus dedisset, in nostris ædibus, tamquam præ cæteris magnificis, conuiuia tempestiua celebrandi.

296 Et aptum gratis impetratur.

297 Ædes cur humiliores factæ.

Est Ciuitas Xaucea (Sinæ Xaocheu pronunciant) dignitate secunda post Metroplim Cantoniæ, sita inter duos amnes piscosos, patientes nauium, & commercio celebres, in solo feraci oryzæ, ac pomorum, pascuisque lætissimo. numerus hominum propter insalubritatem minor, vix quinque familiarum millia excedit. Secunda ibi fixa inter Sinas Societati Statio, quos fructus Ecclesiæ dederit suis deinceps exponetur locis. sufficiat, quod ad huius anni extrema pertinet, adijcere: Visitatorem Valignanum Amacai, vt dictum est, morantem, cum cætero fauore, tum liberali collatione subsidiorum nouum ædificium iuuisse, ac eo ipsius ope ad fastigium perducto, duos egregiæ indolis adolescentes, Sebastianum Fernandum, & Franciscum Martinez, Societatis Candidatos illuc mississe, vt tyrocinium

298 Secunda in Sinis, Societati statio Xauceæ.

299 Duo adolescentes tyrocinij Societatis Xauceæ ponunt.

isthic

isthic ponerent, & interim linguæ, ac consuetudinum Sinicarum aliquo vsu imbuerentur.

In Iaponiâ primum incruentæ adhuc persecutionis sanguinem hausit hoc anno, non, quod pronum erat creditu, præceps furor Tyranni Cambacundoni; sed degeneris Apostatæ vilis timor Gioscimonis Regis Bungi; neque enim Constantini nomine, quod in baptismo acceperat, appellari modo dignus est. Is, & propriâ pusillanimitate, & minis, ac monitis Cicacatæ Auunculi obstinatissimi Idololatræ in vehementem adductus metum amittendi Regni, si forte resciscceret Cambacundonus, & ipsum fuisse Christianum, & multos in familia, & ditione suâ tales adhuc habere, decreuit multis palàm susceptis sacrilegijs, ac sceleribus ab istâ suspicione se purgare. Accersitus à Cambacundono Meacum sigillum idoli de collo suspendit; sicque coram tyranno comparuit. Idem eodem tempore Cicacatâ, & Ministri Regis, Bungensibus Christianis, vt facerent edixerunt. paruêre debiles è plebe pauci: cæteris signum ad bene audendum sustulere Iulia Regis Francisci secunda coniux, & huius priuigna Virgo Regis impij soror dissimillima, cui Reginæ nomen baptismus dederat. Paulus præterea Scingandonus Regis cognatus, Princeps nobilissimus, alijque multi, quorum exemplo confirmati plerique, fortiter steterunt in professione Religionis. Ea res Cicacatam, & cæteros Regis Ministros deterruit, ne quid eo absente tentare vlterius auderent. Sed cum idem mox Bungum, incolumis, vt ipsi videbatur Apostasiæ suæ beneficio, reuertisset, ita se gessit, quasi, cui tam auidè incubabat Regnum, tum sibi proprium, & æternum crederet futurum, si ad summum apicem phanaticæ impietatis nihil omninò sibi faceret reliqui. Ante omnia nihil iam amplius dissimulans omni se palam superstitionis genere polluit, non vsitatæ solum, ac vulgaris, sacrificando quotidie idolis, largiendo Bonzijs; sed extraordinariæ fundando noua templa cœnobiaque sacrificulorum, & festos dies, ac celebritates exquisitis cæremonijs insignes, magno sumptu, parique splendore instituendo in honorem falsorum numinum. quin etiam totum se ariolis, & coniectoribus addixit, quorum greges circa se habebat, ex ijs continuò exquirens, quid futurum esset; cum ei conscientia scelerum, quibus se contaminabat, verissimum, si attendere vellet, augurium ederet impendentis exitij. Tamen ipse haud solus perire contentus, Viduam Patris sui Iuliam, duasque sorores Reginam, & Hieronymam exilij comminatione ad eiurandam religionem per certos homines ad id missos impellere conatus est; sed frustra fuit, illis non minus forti animo, quam Paulus, & Leo viri fortes, & Dynastæ magni nominis, quos pariter tentauit, impium mandatum reijcientibus: moxque ob id illatam iacturam bonorum non constanti solum, sed læto etiam animo tolerantibus. Non defuit Apostatæ voluntas eos occidendi; sed Pauli potissimùm famâ celebris, & bellis perspecta fortitudo ignauam bestiam deterruit, ne aggredi auderet, quod non facilè perficeret. quia tamen desperabat sine sanguine eluere se posse Christianismi characterem, quem publicâ quondam professione impressisset fronti, duorum hominum inter Christianos eminentium imperandâ nece sese iactare Cambacundono decreuit. Erant illi humiles natalibus, opibus tenues, ideòque tales, in quibus experiri vim suam homo ignauissimus tutò se crederet. Ioachimum ergo quemdam Namuram patrio nomine, custodem sacræ supellectilis, & Patrum exulantium vices, vt poterat, supplentem in viduâ Ecclesiâ Vrbis Notzù Euocatum iussu Regis, ac in syluam deductum, missi ad hoc satellites trucidarunt. Erat Funai Ioramus Nacama, ortu Tacatensis, olim Francisci Regis operâ, è forti, & iracundo milite, pius mitisque Christianus factus. Huic ætate iam maturo, compositissimis moribus familiam, quam Christo vniuersam adiunxerat, piè ac religiosè gubernanti, curam discedentes Pa-

300 Regis Bungi Apostasia

301 Paucorum è Bungensibus lapsus.

302 Aliorú constans perseuerantia.

303 Ingētia scelera Apostatæ Bungensis.

304 Frustrà tentat nouercá & sorores.

305 Pauli fortitudinem formidat.

306 Ioachimus iussu Regis Burgensis occisus ob Christi fidē.

307 Ioramus Funaiensi Ecclesiæ Præfectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres dederant baptizandorum infantium, & quibus alijs homini laico fas esset officijs religionis procurandæ. Attentissimum ijs sedulò agendis nefarius Apostata tribus sicarijs negotium dat, vt de medio quamprimum tollant. Proficiscuntur eo consilio Funaium, & quia celebratam olim Nacamæ fortitudinem timebant, centum sibi bene armatos satellites adiungunt. His Ioram fido amicorum indicio compertis, vxorem cum filijs repente quæsito prætextu aliò amandat: Ensem veteris professionis insigne, ne armatus excepisse persecutores videretur, domo eijcit: Ipse quâ nocte se moriturum norat, in Sacello domestico coram Christi Cruci affixi imagine prostratus, carnifices opperiebatur intrepidus. Adsunt illi circa noctem mediam, & primum sensim adrepunt, explorabundi ecquid intus, vt moris est in Iaponiâ viris fortibus neci addictis, Ioramus cognatos suos omnes, amicosque congregasset, cum ijs dimicare fortissimè paratis, carò vitam, caputque venditurus suum: Mirum erat in ædibus silentium, quo illi audaciores facti fores effringere aggrediuntur, eòque facilè perfecto cum nemo irrumpentibus obstaret, exclamarunt, qui primi subibant: Ioramus aufugit. Ad hæc ille surgens è suis latebris, minimè verò, inquit, & procurrit illis obuiam vultu renidenti, vestitus lineâ Epomide, quâ in sepulturis mortuorum vti consueuerat. Reliquiariam thecam, coronam è globulis precatorijs, & Christi Crucifixi sigillum de collo suspensa gerens, manibus autem præferens eam ipsam Crucem, quam funera deducens ante omnes altè sublatam Christiano ritu portare solitus erat. Ori, vt posteà compertum est, indiderat globulum piacularem, qualium vsus erat illis temporibus quàm hodie frequentior ad indulgentias lucrandas. Sic inopinatissimè apparens sicarios admiratione subitâ confudit: multò magis, cum mox in genua coram ipsis procidens, suauissimè, ac mansuetissimè dixit: gratias se habere ingentes bonorum largitori omnium Deo, quod antiqui voti sui, vitam pro Christo profundendi, sese aliquando compotem faceret. Vos verò (satellites intuens) tanti mihi boni administros, vt ego lætus, & gratus accipio! Hîc formulam confessionis recitauit, terque pectus percussit manu, ac mox oculis sursum sublatis ceruicem percussoribus præbuit, à quibus est ictu demum tertio capite truncatus. Statim certior factus impius Rex de Iorami morte, quo plus ex eâ gloriæ caperet apud eos, à quibus inire gratiam optabat, Cambacundonum & Bonzios, diluculo præcepit occisi corpus in crucem tolli. Sed caput reperiri non potuit, iam à Christiano aliquo surreptum, quo indignatus væcors Apostata, sigillum Crucifixi, quod de collo suspensum gestasse Ioramum diximus, & prætereà Crucem, quam manu prætulerat, suspendi cum corpore mandauit. quam sacrorum signorum ignominiam non ferens Andreas Ongasauara Christianus feruentissimus, statim subtraxit vtramque crucem spectaculo, & ludibrijs impiorum; idque ita dextrè fecit, vt Persecutor Barbarus, quem Iulianum Apostatam potius, quam Constantinum appellari liceat, cum diligentissimè quæsisset autorem pij furti, numquam valuerit deprehendere. Vnde furore amens vxorem Iorami cum filijs duobus, & famulo domestico, Christianos omnes, iussit occidi. At Andreas ipsum quoque Iorami corpus paulò post subduxit, & Visitatori Valignano dono dedit, à quo secreto, tutoque in loco tunc depositum, inde quarto post anno cum pompâ, & Ecclesiastico cantu translatum est Arimam idibus Septembris, inclusum pretioso feretro, & in Seminarij Sacello collocatum. Cur id sacrum pignus ita solemni translatione honoraretur, causam dedit fama celebris per Bungi Regnum sparsa, & oculatis multorum partim Idololatrarum, partim Christianorum testimonijs nixa, quâ constabat sextis quibusque ferijs supra locum, vbi caput Iorami seruabatur, quasi faculas, aut lampades viuo ardore fulgentes, luculenter in aëre pendere. Domus Iorami post eius, & filiorum mortem in

308 Ad mortem se cõparat.

309 Interfectoribus occurrit

310 Et fortiter subit illatâ necem.

311 Iorami corpus in Crucem tollitur

312 Andreas Crucifixum ignominiæ subtrahit.

313 Iorami corporis translatio Arimam.

in cuiusdam obstinatissimi Idololatræ ius, ac potestatem transierat. Vt in eâ cepit habitare, agi sibi ferrique animum sensit vehementibus desiderijs legis Christianæ cognoscendæ. Audiuit, credidit, baptizatus est, & indignum se inde reputans, qui ædes tanti herois consecratas sanguine incoleret, illas in Sacellum vertit, ipse aliò migrauit. longè alia sors fuit maleuoli delatoris, qui Tyrannum Apostatam in Ioramum concitauerat. huic enim fœdo vlcere innato maligna lingua computruit, calumniatore inter acerrimos dolores, & fœtorem intolerandum post aliquot in diris tormentis exactos dies, impœnitentem animam simul cum vltimo linguæ radicitùs excisæ frusto ad extremum expuere coacto. Incidit felix obitus Iorami in diem vi. Kal. Aug. Alij per Iaponiam Christiani Principes longè dissimiles Bungensi, adeò nihil de proposito Religionis colendæ, tuendæque remittebant, minis aut metu Cambacundoni, vt magis quotidie, magisque in zelo, ac caritate proficerent. Commemorandi præcipuè inter hos veniunt, Ioannes Princeps Amacusæ, & Protasius Rex Arimæ, Ioannes sine vlla, vt diximus, dissimulatione Diuinæ legis Ministros consueto vestitu apud se habebat, nihil Imperatoris iram metuens, qui ab inuidis delatoribus de illa re admonitus, sicarios clanculum submisit ad Amacusanum trucidandum, quorum ægrè ille insidias vitauit. Nec tamen de constantiâ remisit, vel tantulum. Imò cum ad eum falsus esset perlatus nuncius, Sancium Dynastam Omuræ, & Protasium Arimæ Regem victos minis Cambacundoni, Patres, qui in terras ipsorum multi confugerant, inde pepulisse, statim misso è suis vno, Viceprouincialem Coëllium rogauit, vt Patres, vel quotquot essent in Iaponiâ vniuersa, suam in Insulam transferret; suo se illos sumptu, suo hospitio, spreto quantouis periculo, libentissimè, ac lætissimè tuiturum. Ac si eos illò quoque persequeretur Imperatoris furor, restituturum illi, quoad posset; Ad extremum cum Patribus quocumque potius iturum, quam in Patriâ Christi Sacerdotibus, & legis Sanctæ Magistris orbatâ persisteret. De Rege Arimæ illud memoratù non indignum est, accersitum eum à Cambacundono, item vt Bungensem, cum facilè videret, quid timere à tam truculento tyranno posset, qui contra eius edicta septuaginta Patres in suo Regno non solum morari pateretur; sed ipse aleret, atque omni præsidio foueret; adeò tamen nihil simile passus est Apostatæ Bungensi, aut ad vllam humilitatem abiecti metus demittere animum sustinuit, vt contra purgata confessione conscientiâ, refectus sacro Epulo, velut moriturus accesserit, fidenti vultu, & fronte, in omnem euentum paratus: & successus fuit, qualem merebatur innocentia. Flexus Ecclesiarum precibus Deus, in cuius manu corda Regum sunt, sic affecit Cambacundonum, vt Protasium exciperet amicissimè, inuitaret secum ad epulas, donis auctum, titulis honorificis ornatum, domum remitteret. cum è contrario Bungensem frigidissimè exceperit, ac mox accusationem quandam exorsum in Paulum Dynastam Christianum cognatum suum, silere iusserit; mente captum increpans, qui tam fortis, & strenui viri merita non nosset, nec vti sciret amicitiâ. His admonebatur lenibus flagellis impius Rex, quibus cum non emendaretur, ad extremùm meruit, paucis post annis Regno eijci, illo ipso anniuersario die, quo Iorami corpus cum Cruce, ac Christi effigie suspendi è patibulo sceleratissimè iusserat, vt suo loco memorabitur. Sed quando Protasij Regis Arimæ incidit mentio, non omittam hîc referre pignus ingens ei oblatum Diuinæ beneuolentiæ; simul dum id memoro loco suo redditurus, extremo videlicet huic anno vndenonagesimo supra quingentesimum, atque millesimum, memorabile in paucis prodigium quo Deus admonere Iaponicam Ecclesiam, instantis atrocioris longè quam hactenùs persecutionis, consueto Prouidentiæ suæ more dignatus est. Circa Iunium mensem huius anni, oblatum est nocte quadam dormienti Regi Protasio somnium longè à cæteris diuersum, & cui

314 Mira cõuersio hominis Idololatræ.

315 Pœna delatoris qui ne eis causa Ioramo fuerat

316 Ioannis Amacusæ Principis intrepidus animus.

317 Rex Arimæ vocatus à Cambacundono.

318 Comparat se ad mortẽ.

319 Excipitur amicissimè.

320 Bungensis Apostata spretus.

321 Præsagium augendæ persecutionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

322 Somnio Regi Protasio oblatum.

323 Reprehēsio lenium errorum.

cui Diuinum ineſſe quippiam illud memoriâ retractans, dubitare, vt maximè anniteretur, minimè poterat. Viſus erat ſibi videre adſtantes duos auguſtiores humanâ ſpecie Principes, è Cœlo, vt apparebat, delapſos. Hi Protaſium intuentes, aſpectu blandâ quadam ſeueritate, mixtis terrore, fauorèque, temperato, eundem verbis, amorem quidem teſtantibus, adiuncto tamen lenis iræ quodam aculeo pungentibus, obiurgarunt, quòd caritatem ſuam primam reliquiſſet, quod leuibus de cauſis ſacro miſſæ ſacrificio adeſſe omitteret, quod parùm accuratè meditatus ad confeſſionem peccatorum accederet. Similia quædam enumerarunt. Poſt quod hortati ſunt, vt priſtino feruori ſe redderet, ac Patrum ductum in vitæ Chriſtianæ exercitatione ſequeretur: Abeuntes adiunxerunt: Scito eſſe in tuis terris IESV ſignum. Fac carum, & pretioſum id tibi ſit, non enim opus eſt manus humanæ. Vt euigilauit Rex altius animo impreſſum id viſum ſenſit, quàm cætera experiri ſoleret ludibria ſopitæ mentis. Itaque tenere ſe non potuit quin P. Gomezio, vt eum primùm habuit obuium, & alijs deinceps multis, cum eximio ſemper arcanæ teneritudinis, ac deuotionis ſenſu, narraret. Et errata quidem, de quibus erat reprehenſus, multis ſupplicijs vltrò ſuſceptis, & vberibus eluere contendit lacrymis: quod eſſet autem illud in digreſſu à Cælicolis ſibi viſis commendatum IESV ſignum, neque ipſe cogitans expedire per ſe, neque conſulens, elicere ex alijs poterat. Sextus à ſomnio fluxerat menſis: iamque res tota pene in obliuionem abierat: quando viceſimo tertio Decembris die, Obamæ, qui viculus eſt ſex, ſeptemve millibus paſſuum Arima diſtans, feruens quidam Chriſtianus, Leo in baptiſmo vocatus, ibi domicilium habens, Michaëlem filium adultum lignatum miſit, vt materiam domi haberent quanta ſufficeret igni alendo per inſtantes Dominici Natalis ferias. Egreſſus cum ſecuri Michaël, vt Patris mandatum exhauriret, cum alios toto die ramos arborum diſiecit, tum ſub veſperam conſpicatus in tumulo quodam ſaxeo viæ publicæ imminente, loco paternæ domui vicino, truncum aridum, & vt indicia ſe dabant mortuum, altitudinis pedum ferme duodecim, craſſitiei, quæ ſpithamas, aut palmos, ferè ſeptem in ambitu colligeret, eum bipenni aggreſſus, non leui nec facili labore ingeminatis ictibus deiecit, ac humi ſtratum linquens, quia nox iam ingruerat, domum repetijt. Erat hæc arbor ex eâ ſpecie, quam in Iaponiâ Taram vocant; infructifera illa quidem, & cortice nodis aſpero, ac per totum fruticante; cæterùm antiquâ opinione Iaponum venerabilis, quòd ei vim ineſſe malorum Dæmonum expultricem autumant. quem in vſum ſurculos ex eâ decerptos auſpicijs noui anni in Domos vbi habitant, & cubicula in quibus dormiunt, inferre conſueuerunt. Poſtridiè Michaël, ipsâ vigiliâ Natalis Domini, ſummo mane, vt opus ceptum abſolueret, in tumulum redit. Frangere ſtipitem aggreditur; & altero, tertioue ictu, facilius quam putarat, à ſummo ad imum findit in æquas fere partes. Hic mirum apparuit: vtrique parti penitus inſerta, & iunctura excludente vnguem arctiſſimè, atque aptiſſimè commiſſa Crux, alta dodrantem palmi, è ligno planè diuerſo, quod, & textus varius, & color diſſimilis monſtrabant. Nam cum, vt eſt natura Taræ arboris, tota interior fiſſi trunci ſuperficies purè vtrimque canderet: Crucis vtrobique rauus eminebat in fuſco nitor, planè concolor particulis, quæ multis in locis aſſeruantur veræ crucis, in quâ Chriſtus eſt mortuus. Erat porrò Crux affabrè formata, & quaſi manu dolata peritiſſimi artificis. Et apparebat vnicam fuiſſe, cuius craſſities ſciſſo ſtipite cui erat inſerta, in duo ſegmenta diſſilierit. quod probabat non recto filo ducta, aut exactè læuis, Crucis haſta, ſed ſpiris inæqualis vndantibus, prout vena ducebat fiſſilis ligni; ad hæc ex vnâ ſciſſi trunci facie aliquantulùm eminens, oppoſitâ viciſsim depreſsiori loculum accommodatiſſimè aptatum præbente aduerſæ partis extantijs, & ſinubus. Admiratus maiorem in modum Iuuenis, protinus ambas ſtipitis partes inter ſe commiſſas arctè complexus, ad Patrem Leonem in vicinam Domum detulit, eidem inclamans quam longè potuit, miraculum ſe afferre. Nec ſecus Leoni viſum, qui ſacro quodam ad eam ſpeciem horrore confuſus, & ipſe procidit in genua ante venerabile Chriſti ſignum, & duobus, qui ad ſe viſendum ſuperuenerant è viciniâ Chriſtianis, idem vt facerent præiuit. Poſtridie adueniens Arimâ, vt ſolebat, ſacri feſto die Obamæ faciendi cauſa Sacerdos è Societate, rem etiam, atque etiam exploratam rediens ad V. Prouincialem Goëllium detulit; qui legitimè inquiri de re totâ, & quidquid compertum foret in acta iuſſit authentica referri. Ea dum lento iuris ordine adminiſtrantur, interim impatiens curioſitas ad primum famæ indicium multos vndique Obamam accibat. Accurrit inter primos Protaſius Rex, & miram crucem intuitus, ad noſtros, qui plures adſtabant. En, inquit, liberatam oraculi per ſomnium auditi fidem. Hoc ſine dubio illud eſt IESV ſignum in meis terris antea deliteſcens, non humanâ factum manu, quod venerari me ſuperi iuſſere. moxque, & ipſe proſtratus humi cum lacrymis: vt Te libens, inquit, & gratus accipio Cælo miſſum pignus! Ede quid his ſignis imperes Chriſte: parati ad Crucem, & ferendam, & ſubeundam ſumus. hos tu animos dediſti. ſed quod inchoaſti perfice. auge vires, & quantum hoſtibus libuerit labores creſcant. Sub hæc Crucem argenteâ incluſam theca, in qua videri trans pellucidam cryſtallum poterat, Arimam ipſe portauit: vbi longè celebrior eſt facta, ſecutis ad eam curationum ingentibus miraculis: ad quorum manifeſtiſſimam euidentiam etiam Ethnici commouebantur. ita vt ex ijs hoc maximè perſuaſi argumento ante finem conſequentis anni 1590. vndecim millia quingenti Arimæ baptizarentur: in varijs verò Ximi locis, vſque ad nouem millia.

324 Anxietas Regis quærentis de ſigno Ieſu.

325 Obamę Michaël Chriſtianus lignatum profectus truncū cui crux inerat deiecit.

326 Tara nomē arboris in Iaponia diabolo, vt creduntur, inſeitæ

327 Vigilia Natalis Crux reperitur in trunco Taræ.

328 Forma eius, & color.

Hoc maximè anno, nam ſuperiori ceperat, deſæuijt in Peruuiâ, atque adeò per Americæ partem maximam, morbus peſtilens inuſitatiſſimi generis, cui anteambulo, & quaſi metator, terræ motus præceſſerat is cuius tertio retro anno meminimus. Multa in hac lue noua, & popularium, de quibus fando vmquam auditum latè diſſimilia morborum. Fœdiſſima contactorum eâ corporum ſpecies, vel papulis, puſtuliſque turgentium, vel ijs mox ruptis obducentium fœtidiſſimis vlceribus immundiſſimas cruſtas: à quibus prurigine rodente ſcabendis cum temperare miſeri non poſſent, faciem, & membra cute nudata, horribili viſu, & olfactu, grauiſſimâ ſanie cooperta monſtrabant, exeſis ſæpè vi luis malignâ luminibus oculorum, & locis eorum vngue cruentatis. Vix voces exiles ſuſpirijs enixi languentes edebant; labris vno vlcere commiſſis; ac vitæ meatus intimo angore ſtrangulante. ita paſſim ſpiritu intercluſo præfocabantur, niſi quos intentior cura miniſtrantium per vim, ac machinas intruſo penitus in ima faucium liquore recrearet. Nec corporum tenus ſæuiebat malum. Omnes ad primum eius appulſum deſpondebant animos deſperatione triſtiſſimâ, quam nulla curantium ſedulitas conſolaretur. Propagari contagione diceres hunc morbum. Nam totæ illo familiæ, totæ Ciuitates continenter abſumebantur. rurſus id ipſum negares, cum animaduerteres, in locis octingentarum, aut mille leucarum ſpatio diſſitis ſimul apparuiſſe: ac multò magis cum videres eum maximè obuijs, & ægra corpora miniſterio tractantibus Europæis parcere, Americanos, quamvis ſibi cauentes, corripere, & vſque in ſeductiſſimas latebras perſequi. Quæ qualitatum primarum quatuor prædominaretur in iſto languore, incertum iudicium experientia ferebat, indicijs omnibus fallentibus: nam ſi ariditate laborabant ægri; cur liquorem reſpuebant? ſi abundantia humoris; vnde igitur ſicci anhelitus: & ſuffocatrices anguſtiæ? Ardori, rigoriue ſi quis cauſam tribueret, æquè refelleretur ex eo, quod non minus excoctiſſimâ æſtate, quam

329 Crux cum trunco domū portata.

330 Agnoſcitur à Rege Protaſio ſignū Ieſu non manufactū.

331 Crux reperta Theca argentea incluſa defertur Arimā.

332 Et miraculis claret.

333 Cauſa conuerſionis viginti millibus Ethnicorum.

334 Horrendæ luis inopinatæ qualitates.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam hieme rigidissima; non remissius in torridis, & sterilibus arenis, quam in irriguis, & syluâ protectis vallium amœnarum diuersorijs lues ista desæuiret. Sed quam latentes cladis causæ, tam manifesti ijdemque luctuosissimi effectus patuere, totâ ferè, quam longè porrigitur, America à Septentrionali parte, & Vrbe Carthagine, Austrum versus vsque ad Chilense Regnum freto Magellanico conterminum, stragem funestissimam vno tractu continuatam gemente, quouis mense multorum millium, præsertim è tenerâ ætate. Puerorum quippe, ac puellarum infantium, vix centesimum quodque seruabatur caput: Limæ, Chuschi, Potosij, Chiti, Arequipæ, alijsque in Vrbibus vbi Societatis Domicilium fuit, omni contentione laboratum à nostris in ministerio ægrorum, atque in curatione non animorum solum, sed vbi licuit etiam corporum. Neque, vt fit alias, ad propriam pestè contactorum curam sepositi pauci. omnes passim Sacerdotes, qui Limæ, qui Chiti, qui alijs in Collegijs, aut domibus, vel frequentissimis erant, totos dies per domos languentium cursabant, Sacramentis pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis ministrandis, quod dum sedulò agunt, quicumque ex ijs in Americâ nati erant eo malo contacti sunt præter vnum, vel maximè in ægris diù noctùque curandis assiduum, quem ad vniuersorum solatium Diuina videtur cura seruasse. Ex ijs, quos lues corripuit cæteris Dei beneficio reualescentibus, vnus Sacerdos è nostris cum duobus fratribus animam pro amicis in caritatis exercitio dedere, quorum nomina deperditis longo itinere literis reddere non possum, quæ scripta, vt credo, sunt in libro vitæ. Ex Europæis quoque, in quos alij per id tempus morbi grassabantur, tres alios, in quibus duo Sacerdotes Collegium Limense luxit extinctos; in primis Hieronymum Portillum, qui primus Societatis nomen ante hos annos duos, & viginti in eas terras inuexerat, & Domuum, ac Collegiorum pleraque fundauerat. Felicissimæ vir industriæ in hominibus Deo conciliandis, ac planè ingentibus meritis rarisque virtutibus memorabilis, quibus rebus quantum sui reliquerit desiderium, argumento fuit irruens in templum nostrum, dum ei exequiæ celebrabantur, Indorum innumerabilis multitudo miserè complorantium, plangentium, ciulantium, sic tamquam amisso Patre indulgentissimo pij filij solent. Harum stragium fama Potozium perlata, nostris ibi Collegium habentibus occasionem obtulit admonendæ publicis concionibus, priuatisque sermonibus Ciuitatis, vt & Deum pœnitentiâ placare conaretur; & in omnem euentum (quoniam humanitus ineuitabilis videbatur pestilentiæ omnia circumamplexæ ingressus in Vrbem) curandis infirmis necessaria pararet. Assensi sunt Ciues, & ipsis boni Consilij autoribus stipe collatâ tradiderunt vnde bene designata perficerent. Duo, & viginti aureorum millia in eam rem corrogata: ex quibus nostri nouem diuersis locis Nosocomia excitarunt, & opportunis rebus cunctis, idoneorumque ministrorum copiâ instruxerunt. Lege sancitâ, ne in quoduis eorum adolescens vllus ingredi, curandi, ministrandiue causâ sineretur; quoniam isti ætati potissimùm infensam constabat hanc luem. Breui apparuit haud vanos apparatus supervacaneamque prouidentiam fuisse, penetrante in Vrbis viscera ferali morbo, moxque funestâ libitinâ exhauriente domos Ciuium. Hic nostri non minus se strenuos in propulsando, subleuandoue præsenti malo, quam prouidos in denunciando imminenti præbuerunt. Omnes domo effusi diu, noctuque toti erant in ægris exportandis è priuatis ædibus in valetudinaria publica, in ijsdem ibi omni operâ iuuandis. Ingens, & grauis labor in multitudine innumerabili languentum, in tabe horribili, & intolerabili fœtore, vno perpetuo deformatorum vlcere corporum. Tamen Dei beneficio non alacriter solùm, & constanter, sed etiam innoxiè, difficilem prouinciam gesserunt nostri omnes, vno excepto Bartholomæo Iacobo Sacerdote, operario laudatissimo. qui cum ante menses dumtaxat quatuor in Po-

335 Pestis latissimè grassatæ strages in gentes.

336 Patres vbique pestè laborâtibus ministrant.

337 Tres moriũtur.

338 Obitus felix Hieronymi Portilli.

339 Potozij apparatus ad excipiendã pestem.

340 Haud vanus.

341 Ea grassante caritas nostrorum.

Potosinum Collegium venisset ea ibi perfecit in quibus plures annos non malè impensos æquus æstimator diceret. Duas ex illis barbaris Indorum linguis ita perdidicerat, vt in vtraque eloquentissimus haberetur. Argumento erat dulcedo, quâ ex eius ore pendebant in ijs nati linguis. qui etiam vulgatum, & celebre totâ Regione ei cognomen indiderunt, Miz qui Simi, quod indo illarum partium idiomate sonat, melleam linguam. Primo Potozium ingressu curam susceperat Sodalitij in nostro Collegio instituti, in quo cum octoginta dumtaxat sodales reperisset, trimestri post moriens reliquit supra mille quingentos. Is appulso post morbo, & stragem edente, omnibus locis occurrens, nullo sui periculi respectu, qui natum indidem, ac propterea huius contagioni morbi obnoxium se sciret, ex eo cito contracto religiosissimè decessit. celeberrimo elatus est funere, concurrente, ac veris dolorem lacrymis testante vniuersâ Ciuitate. In Vrbe Chuscho Ministerio infirmorum (nam ibi quoque sæuè grassata pestilentia est) alijsque nostræ consuetudinis vulgò gratis muneribus Patres eius Collegij ingentem, & illustribus indicijs testatam apud omnes ordines adepti gratiam, inde, vt fit, inuidorum in se odia verterunt. Libellus in nos famosus clam ferri per manus cepit: versusque maledici cantari à fæce plebis: audaciâ, vt apparebat, ex impunitate ortâ. Etenim cum anno superiori Satyricum octastichon sordidi dentis mordacitate rabiosum, clàm affixum Collegij nostri Potosini foribus repertum esset, scelus id nocturnum, etsi ei vniuersæ in nos benevolæ Ciuitati improbatum, & ingratum, nullâ tamen inquisitione vestigatum, nullâ vindicatum animaduersione fuerat. Quare rati Chuschenses Patres nullum finem, aut modum pernicioso licentiæ fore, priusquam in aliquo istius criminis ritè conuicto exemplum publicæ seueritatis constitutum esset, querelâ ad legitimum Iudicem delatâ, de clanculario autore infamis scripti iuridicè inquiri petierunt. Iudex quæstione habitâ citò compertis idoneis testimonijs cum multorum aliorum, tum Religiosorum quatuor Sancti cuiusdam, & in Ecclesiâ percelebris ordinis, Scriptorem libelli esse quendam eiusdem ordinis Professorem Sacerdotem, eundemque Concionatorem Chuschi notissimum. Re statim compertâ nostri trepidè ad Iudicem accurrentes, etiam, atque etiam rogarunt, ne vulgari ad publicam notitiam viri talis infamiam pateretur. acturos sese cum eius Prouinciali, & vt clam, ac sine stigmate publicæ ignominiæ, quantum satis esset castigaretur effecturos. Acquieuerat Iudex: & Prouincialis gratijs habitis ob occultatum sui ordinis dedecus, abundè, quod petebatur se facturum receperat. Cæterum Reus non aduersum suos obseruantior, quam in alios æquus, Prouincialis autoritati subijcere se renuit; & quâ vecordiâ prolabi ceperat, eâdem ruere in præceps pergens, autorem se libri famosi ferre palam ausus est, & iure se illum scripsisse, ac vulgasse defendere. Nitebatur videlicet factione sibi similium paucorum, cuius opes aduersus conspirationem bonorum imbecillæ fuerunt. Capessiuit enim Iustitiæ, ac bonæ famæ Societatis legitimam defensionem primùm Capitulum sede tunc vacante, Deinde Consilium publicum, ac Magistratus Ciuitatis: moxque horum literis conuenti, tractique in causam Episcopus iam electus, sed nondum confirmatus, Sacer Senatus quæsitorum, denique ipse Prætor Prouinciæ, quorum auxilio confirmatus Prouincialis maledicum contumacem merito affecit supplicio, & Chuscho expulit. Huius causæ se implicuerant parùm benè inos affecti sacræ alterius familiæ Cœnobitæ duo, & concionibus publicis in nostros eruperant, vnus quidem atrociter, alter moderatius; vtrique agente apud eorum superiores ipso Prorege, congruum culpæ supplicium inflictum. Fuit cum Deus ipse per sese defensionem innocentiæ susciperet supplicio de nostris obtrectatoribus palàm sumendo, sicque ipsis ad vltrò reuo-

342 Bartholomæi Iacobi virtutes.

343 Vtiles labores.

344 Et mors pia

345 Chuschi per libellum clã sparsim infamata Societas.

346 Iudicis opẽ implorare cogitur.

347 Libelli autor Sacerdos Religiosus deprehenditur.

348 Cuius nomẽ occultare Patres studeut.

349 Sed ipse se prodit factione fretus.

350 Contra quã Ecclesiasticus, & secularis Magistratus conspirat.

351 Libelli autor, & alij duo puniti.

352 Sacerdos Sæcularis infamat Societatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

renocandam, & quoad possent resarciendam iniuriam cogendis. Cum enim Sacerdos quidam sæcularis vitæ perditæ, grauissima flagitia, quæ ipse videlicet in suâ ipsius conscientiâ haberet, nostris per summam impudentiam non dubitasset imponere, tam ipse, quam quidam Cœnobita, eius in hoc scelere fautor, & particeps, repentinâ vi morbi correpti, agnouerunt vlciscentis Dei manum. Et sacerdos quidem magistratu aduocato excipienti regio Tabellioni publicum scriptum dictauit, quo profitebatur: sese malo animo improbè, ac scelerate mentitum, dum in Patres falsa quædam, quæ distinctè percensebat, testimonia protulerat, eàque nunc in lethalis morbi periculo pro suæ animæ mox forte Diuino iudicio sistendæ necessario remedio reuocare, inania, vana, iniquè conficta declarare. Huius instrumenti Romam deinde missi authenticum exemplum coram oculis habebamus hæc scribentes. Cœnobita verò quamquam esset natus in Hispaniâ, qualibus, vt dixi popularis pustularum morbus vbique parcebat, & longè ab adolescentiâ remotus, cui ætati præsertim infesta erat hæc lues, videlicet annum agens quartum supra quadragesimum, tamen eo correptus est cum esset in recenti conscientiâ calumniæ nobis conflatæ; arcanis simul animum pulsantibus admonitionibus, quæ docerent, cuius delicti pœnam is languor exigeret. Ergo is quoque à P. Rectore Collegij Chuschensis, ad eum, vt cæteros eâ lue contactos iuuandum accedente, veniam petijt. & cum non solum ministerio nostrorum, sed etiam medicinis gratis suppeditatis è penu nostro, & sedulâ curâ in tempore oblatis, deinde conualuisset, solebat prædicare vitam se debere nostris: & voluisse Deum, vt ijs, quos iniquissimè læserat, summo esset beneficio deuinctus, cuius professionem cum gratâ laudum Societatis prædicatione iungebat. Porrò, quod in hunc actum à nostris retuli, idem in omnes passim pustulis periclitantes toto trimestri spatio, quo est per Ciuitatem Chuschum pestis ista grassata, effectum quoque intelligatur. Cuncti enim Sacerdotes eius Collegij totos dies insumebant vrbe concursanda, obeundisque domibus, ac lectulis ægrotantium, quibus etiam gargarismos, syrupos cæteràque id genus medicamina Officinâ Domesticâ parata gratis afferebant. Earundemque rerum vim quotidie magnam Ianitor ad Collegij fores cuiuis petenti donabat. Chiti etiam grassante pestilentiâ, strenuè à nostris, fortiterque actum: Hi Kal. ipsis Ianuarijs huius Anni in ædes laxiores migrauerant, & ad cæteras Scholas Philosophiam addiderant, cuius auditores etiam è diuersis Religiosorum ordinum familijs multi confluxerunt. Missiones vbique impigrè curatæ, plurimus è nostris in varias vrbes, pagosque, quà Infidelium, quà Christianorum nomine tenus, vtilissimè profectis. Tucumanorum Regio est latissima, perpetuâ planitie patens ad leucas supra nongentas. ab Oriente Paraguaas respicit, Populos Brasilis finitimos, à Septentrione Peruuiam. Occiduus limes Chilense Regnum tangit. Ad meridiem camporum spatijs plerumque incultis, ac vastis in immensum tractum freto Magellanico terminatum protenditur. Cæli temperies, & soli vbertas ea est, qualis maximæ hominum multitudini, & gignendæ, & alendæ aptissima optari potest. Incolæ passim, præsertim ad ripas aminium frequentissimi, sed mirâ varietate linguarum diuersitatem originum testante: ipsosque inter se parum sociabiles, & inde inuicem infestos reddente. Diabolum colunt metu damnorum, quæ ab illo posse inferri plerumque experti credunt. His populis ad Christi Religionem vocandis vno tempore duo Prouinciales Societatis, non communicatis consiliis adiecerunt animum, miseruntque Euangelij Præcones. Peruuianus quidem tres è nostris, in quibus Sacerdotes duo. Brasilensis verò quinque. qui & inuicem iuncti sunt, casu cuius superius meminimus, & concordi mente communiter rem gesserunt insigni profectu. eius

353 Participe Cœnobita.

354 Vterq; morbo afflictus peccatum agnoscit, & pro iniuria Iesu satisfacit.

355 Nostri non ministerio solum, sed etiam medicamentis gratuitò suppeditatis ægrotos iuuant.

356 Chiti Philosophiæ studium institutum.

357 De Tucumana Regione.

358 In eam è duabus partibus societas immissa.

ius specimen ex vnius messoris Apostolici manipulis capi poterit. Alfonsus Barzana (id erat nomen Patrum vnius) seorsum excurrens cum socio, quod & reliqui faciebant, breui tempore sexies mille sexcentos baptizauit. Et quia sunt etiam inter Tucumanos permulti Christiani, sed inculti ssimi, & funditùs omnium scitu necessariorum rudes, eorum labore magno institutorum confessiones innumerabilium audiuit. Matrimonij verò sacri vinculo, cuius nulla ibi ante religio, ac ne notitia quidem, ducentos supra quinquies mille rite coniunxit. In Calsaquensium quoque gente barbarâ, quam tunc recens Hispani subegerant, ingens Euangelio ostium apertum, eodem Barzanâ propter peritiam sex linguarum, & zelum apostolicum, talibus maximè expeditionibus idoneo, ad eos missо, & breui tempore operam nauante; ijs ferè vniuersis Christum amplexis. hinc reuersus mira gessit in Vrbe S. Iacobi, & in Metropoli Gentis totius Tucumanâ Ciuitate multis vtrobique millibus hominum ad Christi religionem, & vitam honestam traducendis. Erant Sulenses Indi earum finitimi regionum, Gens nullius fidei, & feritatis immanis, cui propterea nemo se committit. ausus ad eas est accedere Barzana cum Socio è nostris, inermes ambo. mirari Hispani omnes, & nunquam inde redituros dicere. tamen Deo mitigante fera corda admissi benuole, auditi patienter, breui tempore duo millia septemdecim rite institutos baptizarunt: ex ijs mille quingentos sexaginta duos Christiano iam matrimonio deuinxit. Hæc non sine immensis peracta laboribus. Multa quotidie passuum millia seni per asperitates magnas locorum, & temporum pedibus emetienda. obuij amnes maximi tranandi. victu interim non alio, quam quem radices herbarum obiter vnguibus effossæ, ac terrâ euulsæ sufficerent. His malis fatiscente corpore languens, tumefactis, ac scissis in vlcera pedibus, sese recipere coactus, nono mense quam ex ex Vrbe S. Iacobi discesserat, eò redijt, fractus ille quidem corpore, sed integris animi viribus. Itaque cum eum ægrè semimortuum corpus Domum reportantem Diaguitæ Indi, ex ijs, quæ apud Sulenses ab eo acta cognouerant, cupiditate conceptâ eius audiendi, ad se inuitassent, promisit vbi se necessaria paucorum dierum quiete refecisset, ad ipsos accessurum: & promissis stetit, magno illorum bono, qui eius operâ Christum agnouere. Varai Populus inter Peruanos excelsioris animi, ac propter superbiam à Christi iugo subeundo initio alieniores, sensim industria Sacerdotum nostrorum ad eos missorum mitigati, Dociles se præbere magisterijs Diuinis, & Christi religionem seriò amplecti ceperunt. Ducenti horum supra mille baptismo abluti, lætæ primitiæ agri hactenus sterilis oblatæ Deo sunt. De vno ex ijs non prætermiserim, quod certò compertum nostri Patres scribunt. Cum vsitata sit eâ in gente multitudo vxorum, & magna passim libidinis licentia, repertum vnum è Catechumenis quinquagenarium, quem, & aliorum, rem vt miram notantium prædicatione, & propriâ eius confessione constabat, cœlibem & castum à pueritiâ vixisse. Interrogatus ecquid vmquam concupiscentiæ stimulos sensisset: se verò etiam vehementissimos expertum respondit, cæterùm eos compressisse vi, ac censurâ mentis, eâ penitus persuasione imbutæ: Deo autori, ac Domino rerum omnium placere pudicitiam. eumque multò dignissimum esse cui abstinentiâ rei sibi suauis, ipsi exosæ gratificari homo debeat. Hæc ille de se referebat, quæ facilè demonstrant, non vsquequaque à Deo desertos, vel illos ipsos esse, qui in mediâ barbarie procul ab omni commercio cultarum gentium, in summâ rerum Diuinarum ignoratione degunt. Cirigaoni præterea, Gorgotoquenses, & Chanenses, Populi omnes illorum tractuum, cum hoc tandem anno Euangelici nostræ Societatis operarij linguas eorum, quibus parandis longo labore insudauerant,

359 Alfonsi Barzanæ Apostolici labores.

360 Callet sex linguas.

361 Calsaquenses Christo adiungit.

362 Sulenses ferocissimos mitigat, & ex ijs duo millia baptizat.

363 Temperantia eius, & laborum ingentium tolerantia.

364 E Varais mille ducenti conuersi.

365 Mira gentilis hominis continentia

366 Tres alij Populi Euangelio imbuti

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis edidicissent, Christi prædicationem libenter auditam, etiam assensu, & Christianitmi professione suscepere. De multis alijs circumquaque ad messem maturis regionibus nunciabatur. Euangelij præconibus in omnes occasiones regni Dei propagandi attentissimè imminentibus, & semper ad sacras expeditiones procinctis.

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARTIS QVINTAE

TOMVS PRIOR

Liber Decimus.

A.C.1590. Soc. 51.

RARO fuit vnquam minacius toto christiano orbe tempus, ac fœdior quasi nubes, supra omnium ceruices obtenta, immane quiddam parturiens, quàm anno, quem exordimur, voluentis seculi nonagesimo. Ardebat bellis Gallia. Rex Nauarræ successionem in id regnum suam multis successibus firmabat: deque Sixti Pontificis aduersus eum, atque Catholicum Regem, animo, varius glisscebat rumor: vnde metus erat, ne qua ingens Italiam quoque, & alias christianas terras bellorum flamma corriperet. Societas IESV communes super calamitates, suas habebat proprias, quæ ad summum periculorum euaserant: & Claudium Generalem Præpositum vehementer solicitum, & in omnes habebant partes intentum. Initio anni cum instarent Prouinciales conuentus, ad Procuratores de more tertio quoque anno legendos, memor nihil tam incitasse, sparsisseque, & corroborasse tumultus hispanicos, quam vsurpatam in proxima Castellæ Congregatione dicendi, agendique licentiam; maturè Prouinciales admonuit, vt religiosam in ijs concordiam, & aduersus Instituta verecundiam conseruare studerent, certorum misso capitum indice, quorum si quis quod conuellere, aut vocare in controuersiam auderet, sacrosancto obedientiæ præcepto interposito, prohiberetur. Ad tollenda enim incommoda disciplinæ, non ad ipsam euertendam, commutandamque disciplinam, cogi conuentus: nec tam ad eos pertinere, quid assumendum remedij sit, statuere, quàm iudicare, ecqua in re sit opus remedio, vt cætera deinde Romæ prouideantur. Ceterum solicitudinum caput ipsa erat in Vrbe, Sixto deliberatum habente, aliquid Institutorum mutare, cum Satan ad irritandum eius animum nihil non mouens, ex fœda Philippi Iustiniani simulatione, nouam occasionem arripuit. Is nouem fermè ante annis ad tyrocinium Societatis receptus, longa impeditus imbecillitate valetudinis, ante concepta vota domum suam remissus est, si posset cura domestica, & liberiore vsu morbum expellere. Contra tamen euenit. Atrociter aggrauatum, miriisque modis multiplicatum est malum. Singulis noctibus acerrima febri conflictabatur ferme per horas octo: febrim excipiebat omnium neruorum contractio, per quam ita sæpè conglobabatur in peruersum, vt calcanei tergo adhærescerent: ita manuum digiti arctè constringebantur, vt palmam vngues exulcerarent: eaque pœna senas quotidiè tenebat horas: binas præterea stupens iacebat, ac semianimis, modico solum cordis palpitatu vitam prodente. Perpetua super hæc laborabat insomniâ, perpetuâque inediâ.

1 Perturbatio Christiani Orbis.

2 Monita Generalis ad Prouinciales circa Prouinciales conuentus.

3 Sixti Pontificis animus in Soc. exacerbatus.

4 Philippus Iustinianus è Societatis tyrocinio dimissus morbi causa.

Nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihil demittebat in stomachum, quin continuò euomeret: eoque iampridem alui prorsus carebat vsu. Vnde exaruisse eius intestina Medici coniectabant, & tamen interdum magnam vim sanguinis euomebat. Denique his, alijsque morbis accedebat elephantiasis, quæ, extra os, ac manus, totum corpus fœdissima crusta, tanquam Lorica obduxerat. Quæ inter mala, multa notabantur admirabilia, sed admirabilis in primis erat vita ipsa, sine vllo vitæ alimento, & munere perseuerans. Multis in hunc modum exactis annis, prænunciare fidissimis cœpit, se Pontificis Sixti benedictione, valetudinem recuperaturum. Ita sibi Deum significasse. Ac die sacro Circumcisionis, anni superioris exordio, in Vaticanum ob eam rem deduci se iussit. Sixtus re audita, subridens & se haudquaquam Pontificem esse dicens, qui miracula ederet; tamen cum rogaretur, edito manu signo crucis, de more benedixit: protinusque se liberatum omni malo, ille prædicauit: ac domum inter gratulantes amicos reuersus, vestes mutauit; quod priores Lepra discussa, plenæ erant squamis, quæ toto ex corpore decciderant. Res tum pro insigni miraculo longè, latèque celebrata est, opinione sanctitatis Philippi, & veneratione vehementer aucta. Ille, quod semper dixerat suorum esse votorum finem, tum demum postulat, vt quando Deus valetudinem sibi reddiderat, Pater Generalis item Societatem redderet. Idipsum amici eius quam maximè contendebant. Sed Claudius cunctandum existimans, quoad tempus ostenderet, quid sentiendum de miraculo sanitatis esset, ipsumque miraculum medici, alijque idonei testes, quod iam agebatur, confirmarent, omnium flagitationem constantissimè repulit. Annus iam vertebatur cum Philippus incipit rursus prænunciare, insigne aliud diuinæ erga se voluntatis, breui cognitum iri documentum. Moliri enim sibi Diabolum, & eius quosdam satellites necem: at facturum Deum, vt innoxius exciperet ictum. Hæc vbi clanculum apud multos mussitauit, initio Martij primis tenebris, dum ab domo professorum in suam se recipit, sclopeti fragor repentè auditur, & Philippus percussum se inclamat; dumque comes, quem Patres de industria, quasi custodem addiderant, locum inspicit, reperit vestimenta ad cutem vsque pectoris perforata, ibidemque plumbeam glandem, tanquam inuenta mora, ex impetu ingenti compressam, ac complanatam. Miraculum exclamatur. Verùm (vt Deus Ecclesiæ suæ imponi non finit, & fraudulentos in astutia sua comprehendit) euenit, vt prætereuntes momento eodem fortè vrbani lictores, ad sclopeti sonitum conuersi, raptim quid rei esset, exploraturi, eo vnde acciderat fragor accurrerent, & hominem, qui sclopetum explosserat, in custodiam ducerent: is sine quæstionibus multis, conficta omnia indicat à Philippo, sibi ab eo iniunctum referens vt sclopetum, sine plumbo exoneraret, iam enim ante suas illum vestes vero perforasse ictu, vt fidem faceret diuino miraculo, ita in hac simulatâ explosione sine noxa glandem ad corpus hæsisse. Hæc ille cum prodidisset, ipse quoque Philippus ducitur, & ante admota supplicia, fraudis totam seriem prodit. Indignè rem tulit Sixtus, ac summo volebat impostorem plecti supplicio. Precibus tamen ad extremum magnarum personarum dedit, vt in Melitam insulam relegaretur, vbi breui est mortuus. Serpere inde fama per vulgus, & manare latissimè, Iesuitarum vnum, simulata per miracula Sanctitatis famam affectantem deprehensum, captum, atque adeò post fractas ceruices, exustum. Et, vt norant ei Ordini Sixtum nequaquam optimè volentem, aiebant nunc demùm funditùs eum sublaturum. Attamen Sixtus siue quod dissimularet dolorem, siue quod comperisset hominem de Societate non esse, sed annum plus sextum domi suæ liberum agitare, non magnam hinc aduersus nos iræ accessionem præ se tulit: quin potius querebatur quod sibi, & Patribus nequam ille voluisset imponere: eo clariore iam Dei tutela, Claudijque Generalis prudentia, quod hominis cooptationem

5 Miræ ipsius infirmitates.

6 Prædicit se valetudinẽ recuperaturum benedictione Sixti Pontificis.

Et reipsa recuperat.

7 Tamen eum Generalis in Societatem admittere differt.

8 Alia Philippi prædictio de insidijs sibi struendis.

9 Plumbea glande se percussum, quæ innoxiè in cute resederit, simulat.

10 Simulatio deprehenditur.

11 Philippus exilio mulctatur.

12 Rumor hinc contra Societatem fœdus sparsus.

tionem contra multorum preces, atque sententiam tamdiù protulisset. Porrò de morbis illis, & curatione per Pontificium Crucis signum num interrogatus in iudicio sit, quidue indicarit compertum non est; nec quemquam prudentium inuenio, qui quid sentiendum sit, affirmatè pronunciet. Dura sanè patientia, & calliditas peracris necessaria fuit, ad sæuam adeo, diuturnamque simulationem: nisi si tota res Satanæ artibus tribuatur. Illud quidem certe multi in eo homine, tum ipsum, cum Sanctus habebatur, admirabantur; quod cum fermè soleat ex veris Dei famulis, quidam quasi odor virtutis affluari, nihil tale in eo sentiretur, nullum nec vultus, nec sermo, nec consuetudo sanctitatis gustum, nisi paucis præberet. Alij tamen existimant veros fuisse morbos, neque eos, neque valetudinis recuperatæ rationem, vero caruisse miraculo: sed iuuenem nesciuisse postea se in fida humilitatis custodia conseruare: verùm plausibus, blanditijsque elatum in superbiam, euanuisse in cogitationibus suis, quoad occæcatus ambitione, falsa etiam attentare prodigia, ad amplificandam vsque sanctitatis famam ausus sit, vt nactus apud Pontificem gratiam, opimum aliquod ex eo Sacerdotium, aut simile quid expiscaretur, vnde vitam commodè posset in seculo ducere. Quamquam enim voluntatem simulabat religiosæ vitæ, tamen multò in dies apparebat frigidior. Notabile quidem exemplum est, tum ad cautionem Magistris conscientiarum ne sibi illudi sinant, tum alijs vt tutam humilitatis viam, nunquam obliuiscantur. Nam quàm facilè per has artes illudere Ecclesiæ Dei, verosque sanctos in contemptum adducere, meridiana conentur Dæmonia, vt alia taceam, deprehensa per hosce proximos annos Goæ in India, Olyssippone in Lusitania, ac demum hoc Romæ, in luce terrarum, ludibria plus satis docent.

13 Varia iudicia de curatione prioris morbi.

Erat eodem hoc tempore Romæ Alfonsus Sancius ex Insulis Philippinis, vti supra narratum est, profectus, qui, vti seueram quamdam vitæ sectam indixerat sibi, & prælongis meditationibus immorabatur, ita totam in familiam, maiorem, quam lege præfixa est, austeritatem, & prolixiora meditandi, contemplandique diuinas res inducere spatia putabatur velle. Rari quidem sunt, qui asperioribus delectati, fieri duces non cupiant, siue nominis, & asseclarum cupidine, siue diuersæ vitæ contemptu. Sed ego Alfonsum comperio spiritu recto ductum, neque id ei fuisse propositum, vt certis, fixisque legibus arctior disciplina præscriberetur, sed id modo egisse, vt multa, quæ existimabat vsu, & consuetudine paulatim laxiora facta, ad seueritatem pristinam, item vsu, non lege reuocarentur. Erat præterea inter Assistentes sententiarum haud modica dissensio, in meditandi, contemplandique, & corporis afflictandi modo. Laurentius Magius, & Garzias Alarconius multùm precationes etiam diutinas, multùm asperitates corporum prædicabant: & hunc B. Ignatij, & primorum Patrum fuisse sensum, ac spiritum, ex ipsorummet Vitis apparere dicebant. Contra ea Paulus Hoffeus, & Emmanuel Rodericius ex eiusdem Ignatij sensu, totaque Societatis fabrica argumentabantur, nec multum insumendum ocij in contemplatione nostris hominibus, nec multum voluntarijs pœnis macerandum corpus, quippe Ordini ad salutem publicam nato, meditationem dumtaxat vsurpandam eam, quæ actioni seruiat: alienam esse, quæ in sola contemplatione consistat. Neque vires corporis, verbere, aut ieiuniorum afflictatione, sed studio, labore, operæ impensa Reipublicæ atterendas. Optimum orationis, optimum in Societate carnis torquendæ genus, nequaquam latere in vmbra domicilij, vt pro sua vocatione monachi sanctè faciunt, sed prodire in lucem, & quamplurimas pereuntium mortalium animas, cura, & labore Deo lucrari, & vindicare ab interitu sempiterno. Disceptationes huiusmodi, vt Præpositus Generalis intercideret, doceretque, quid secundum leges Societatis

14 Alfonsi Sancij austera viuendi ratio.

15 Dissensio inter Assistentes de vsu orationis, & afflictationis corporis.

tenen-

Universidad de Deusto. Biblioteca

16 Generalis Dissẽsiones componit.

tenendum esset, connocatis Assistentibus, docet dissidia inter eos, non modò voluntatum, quæ Dei gratia nulla erant, sed etiam sententiarum, & ad exemplum, ac famam, & ad res gerendas posse incommodare quamplurimum. Controuersiam esse, quæ pertineret ad Societatis caput: ac proinde quoniam illo loco, quamuis indignum Deus se collocarat, esse sibi in animo, adiuuante eodem, declarare, quid secundùm leges, moresque Societatis tenendum esset. Itaque exuerent suas vtrique sententias, & ad id, quod statueretur excipiendum, tuendumque, vt æquum erat tales viros, animum præpararent. Hæc præfatus, sapientem, quæ extat scripsit epistolam; in cuius priore parte, quàm conueniens Societati, non meditatio modò, sed etiam contemplatio sit, eaque quatenus assumenda, quemadmodum à Monastica distinguenda, & ad actionem referenda sit docet. in altera verò errorem confutat eorum, qui censeant ex eo, quòd nullas certas B. Ignatius præscripserit pœnas, fuisse eum solà animi mortificatione contentum. Admirabili enim ille quidem, & in longum prospiciente sapientia, videns arduum esse, modum certum statuere, qui tantà in diuersitate studiorum, nationum, valetudinis, virimque; tamque multiplici proximos iuuandi conatu, & labore, ex æquo omnibus conueniret, maluit totam rem, cuiusque iudicio, cum spiritualis Magistri consilio, & præsidum curæ relinquere, quam fixis legum decretis iubere, vnde nunc ob veras, nunc ob simulatas causas, aliæ, atque aliæ exceptiones, atque immunitates quærerentur, quæ magna solent esse in conuictu multorum, offensionibus, dissidijs, querelis, ac licentiæ, porta. Cæterùm vigere sine dubio voluit, non solùm interioris, verùm etiam exterioris mortificationis studium. eoque vehementer erraret, qui quòd nullæ certæ præscriptæ sunt, nullas omninò præscriptas concluderet. Has literas cum Assistentibus ostendisset, & ineunte Maio, ad omnes dedisset prouincias, ea controuersia in omne tempus sublata est: quia tamen maximè, & publicæ totius Ecclesiæ, & priuatæ Societatis difficultates vrgebant, alteras paucis post diebus adiecit, in quibus misso pariter Iobelæo, quod dudum à Sixto Pontifice impetrarat, vehementer adhortabatur ad succurrendum communibus malis. Ea tempora esse, quibus iam non consueto gradu incedendum esset, sed feruentius, impensiùsque orando Deo, afflictando corpori, perfectioni quærendæ omni ope insudandum: ne, si Religiosi, quos Ecclesia sancta, tanquam præcipuam, ac nobilissimam sui partem, quemadmodum Nazianzenus vocat, offerre Deo ad placamentum debet, tali cessent tempore, nulla ipsi venia sit, nullum difficultatibus publicis leuamentum. Eam ob rem mitti Iobelæum, & exercitia spiritualia repeti oportere, vt perpurgata conscientia, confirmatisque, & roboratis animi viribus, propitiando Deo, conciliandisque ei proximis efficaciùs insistatur. idque quò impensiùs fiat, in singulis prouincijs institui debere missiones, vt Sacerdotes fermè duodeni in qualibet mittantur, qui ad apostolicum exemplum bini, peditesque, & pauperum more, nec libris, nec alia re suffarcinati, sed pleni charitate, ac zelo, Episcopi ante omnia, vel Vicarij eius impetrato consensu, vicos, & castella minus celebria, magisque spiritualis opis indiga obeant, prædicantes pœnitentiam, & odium peccati, instar Sancti Vincentij, cuius præcipuè & exemplum ante oculos habeant, & post sacras scripturas sermonibus vtantur: vbique curantes, vt Parochorum, & Religiosorum sibi gratiam, & opem adiungant. Susciperent magno animo apostolicum opus, considerarentque, quàm seuera esset ratio Deo reddenda, si post studia, curas, labores, & impensas in formandis operarijs absumptas, ardentem mundum expectato fraudarent auxilio, domique desidentes, paucarum deuotularum curanda reduuiâ occuparentur, dum populi innumerabiles plagis cooperti mortiferis, deserti iacent.

17 Epistola Claudij de Oratione & Pœnitentijs

18 Alia eius Epistola ad Iobelæo miss a de Deo in communib? periculis propitiãdo.

Pro-

Prouinciales sub hoc tempus noui præfecti; Romanæ prouinciæ Ioannes Baptista Carminata, postquam Venetam recognouerat. Venetæ Hippolytus Volia. Siculæ Bartolomæus Riccius è tyronum Magisterio illuc ab Vrbe missus. Mediolanensem Ioannes Paulus Oliua iam anno superiore, eiusdemque exitu Neapolitanam Antonius Lisius susceperat. Ex Romano prouincialatu Fabius de Fabijs iterum in Sardiniam: Ludouicus Massellius è Siculo in Poloniam, missi Visitatores. Instabat interim Sixtus, vt quæ ipsemet inter legendum Societatis Constitutiones minus probarat, immutarentur. Ea quemadmodum annali superiore narrauimus, Cardinali Caraffæ cognoscenda cum tradidisset; isque, morâ, quam fieri posset, longissima vtendum censuisset, dum Pontificis per sese incœptum elangueseceret, vel aliquid opis dies afferret, non fefellit ea cunctatio Sixti sagaciratem. Cum igitur semel atque iterum percunctatus de negotij gradu, nihil promotum audiuit, intelligens ab eo trahi moras consultò, & causam agi nostram, reddi sibi iubet libellum suæ censuræ; & ad Cardinales sacris præfectos quæstionibus mittit, iubens designari quatuor theologos qui singula diligenter expendant, ac iudicent. Hi, siue vt obsecundarent Pontifici, siue nudis alicubi verbis inducti, interpretationemque sequuti duriorem (quam multa enim sunt, vel in ipsis sacris literis, quæ si per sese capiantur, nec benigna adsit interpretatio, in absurdos sensus pronum est trahere?) siue, quod est propius vero, quod & disciplinam Societatis, quæ multa habet ab alijs ordinibus diuersa, & euangelicæ perfectionis præstantiam, quæ nisi multo vsu cognosci, ponderarique suis momentis nequit, ignorarent, censuram oppidò acrem edidere. Cuius exemplum dedit operam Claudius, vt videret, & Cardinales in tempore præpararet. In his erat Constantius Sarnanus, qui vt candidi erat ingenij, ac vitæ religiosæ non parum intelligens, mirabatur talia notari, quæ laudem potiùs mererentur. Ac sua quidem sententia ideo notari dicebat, quod censores, nequaquam spiritualis vitæ œconomiæque periti essent. Ceterorum quoque Cardinalium iudicium eiusmodi fuit, vt nulla damnata re, quibusdam (forte vt aliquid & ipsi Pontifici darent) hoc solùm addito: declarari debere: in reliquis adscriberent, nescire se quid Sanctissimo displiceret. Hanc Cardinalium sententiam, vbi Claudius accepit, summo studio, ac celeritate responsa perscribit, causasque, & rationes exponit eorum, quæ illi clariùs interpretanda censuerant. Quæ cum Cardinales accepta diligenter expendissent, valdeque probarent, nihil iam restabat aliud, nisi vt ad Pontificem referrent. Verùm illi quoque tum beneuolentia erga Societatem, tum causæ æquitate ducti, de industria rem extrahere instituunt, quoad Pontificis animus mitigaretur, & vehementiores illi, quos norant, impetus, temporis lapsu considerent. Ne id quidem Sixtum fefellit. quinimò, maiore ob hoc incitatum ira, duo dixisse ferunt digna memoratu. Sic enim Cardinales dicitur alloquutus. Vos, vt video, de industria tempus ducitis, quoad moriar: sed erratis. Deliberatum enim habemus totam rem, & breui, & sententia nostra decidere. Ad amicos verò de Cardinalibus ipsis. Hi omnes, inquit, etiam quos nos Cardinales fecimus, nobis imponunt, Patribusque istis fauent, & in sententiam eorum abducti sunt. Ex quibus verbis facilè apparuit, quantum Societas diuinæ prouidentiæ debeat, eiusque Institutum quàm curæ Deo sit, ac proinde, quàm nobis commendatum, ac venerandum esse debeat, cum assequi nunquam potuerit Pontifex, vt alieno suffragio, quod maximè cupiebat, vllam eius partem, ac denique ne sua quidem potestate labefactaret. Dum autem hæc maximè agitantur, nuntius affertur ex Hispania, qui auxit grauissimè tempestatem. Ioannes Hieronymus melior, quam felicior præco Verbi diuini, dum pro concione, temporum calamitates exaggerat, vt ad opem exposcendam ab Deo, mutandos-

19 Noui Prouinciales per Italiam.

Visitatores in Sardiniã & Poloniã missi.

20 Card. Caraffæ cũctatio Sixto Pont. suspecta.

21 Theologi delecti censuram acrẽ in Constitutiones Soc. ferunt.

22 Card. Constantij Sarnani censura censuræ.

Alijs quoq; Cardd. satis factum.

23 Dicta Pontificis in Soc. seuera.

24 Ioannis Hieronymi dictum in concione publica imprudens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que mores auditores inflammat, in ea erupit verba. Tempora ea esse, quæ & Imperatorem Theodosij, & Pontificem Gregorij similem postularent; verùmenimverò, contraria cerni omnia: longèque ijs dissimiles esse, qui præessent. Hæc Ioannes Hieronymus cum haud dubiè inconsideratè effudisset in æstu concionis, sparsa continuò est fama, multo, vt fit, acerbior, dixisse eum, Sixtum fauere Hæreticis, & Rempublicam etiam Venetam perstrinxisse. Quod cum ad Thomam Contarenum Oratorem Venetum à maleuolis esset delatum, isque ad Pontificium Nuncium detulisset Annibalem de Grassis, qui non multo post Madriti obijt; Nuncius decreta statim libera custodia Ioanni Hieronymo, intra Collegij parietes, & interdicta concione, rem nihil vltra exploratam, pro certa ad Pontificem scripsit. Eodem tempore Collegij Madritani Rector Franciscus Porrius, & satisfaciendum Veneto Orarori, Nuncioque Pontificio curauit, & Romanis occursurus incommodis, totam rem fideliter ad Generalem Præpositum, cum exemplo habitæ concionis ritè consignato, nobiliumque personarum testimonijs confirmato, misit. Acerbiùs, quàm dici possit, pupugere Sixti animum Nuncij literæ. Claudius quoque commotus grauissimè est, cùm rei grauitate, tùm incommoditate temporis. Graues itaque literas in Hispaniam scribit, vehementer Ioannis Hieronymi temeritatem incusans, quod nec modestiæ memor, nec venerationis, quam debent omnes apostolicæ sedi, & præcipuè ab hominibus Societatis haberi B. Ignatius voluit: immemor quoque præceptorum eiusdem Sancti Patris, quibus vetat Præsules, & alios Magistratus, ac Principes in concione verbo perstringi, peruerso zelo abripi se adeo permisisset. Hæc, & alia scribens, insuper & certam ei pœnam decernens, iubet primo quoque tempore idoneum testimonium acceptarum harum literarum, & iniunctæ pœnæ in vrbem mitti. Interim veram, sinceramque causæ narrationem, vt ex Hispania acceperat, ad Marianum Perbendictum Cardinalem è Camerino, detulit, rogans vt Pontifici rem sicut erat, vellet exponere. Qui cum Sixti, implacabiliter, vt videbatur, succensentis iram metuens, id officij detrectaret, ad Euangelistam Pallottam venitur. atque is quidem nec grauate, nec languidè suscepit causam, egitque. Cetertùm (vt prona est in deterius fides, & animos prima quæque imbuunt) ita Nuncij literæ Sixti occuparant animum, vt responderit, aut falli, aut velle fallere Generalem. Fideliter se edoctum à suis. Neque hoc responso contentus, Cardinali Sanctæ Seuerinæ negotium dat, vt conueniat Patrem Generalem, eique denuntiet, vt Prædicatorem illum protinus Romam sistat, nullam autem, dum eum accersit, mentionem Pontificij iussi faciat, sed nomine suo aduocet. Præterea in quadam consultatione super hac re, vi doloris subinde recrudescente, exclamasse ferunt, etiam Iesuitas Euangelio aduersari, erroremque Christi Vicario affingere, cui in Petri persona dictum sit: Non deficiet fides tua. Nullam interposuit moram Claudius, quin grauibus literis ad se Romam, Ioannem Hieronymum acciret, iussum primo quoque tempore, impedimentis, si quæ obiectarentur, perruptis, in viam sese committere. Hoc rerum in turbine, noua repente turba coortur, Romæ, nulla alia causa, nisi quod motus semel suspicione animus, leui momento impellitur: & qui grauiter ex vlcere quopiam dolent, non solùm si id vnguis attingat, sed ad omnem circa attactum, atque adeò vmbram, clamores edunt. Perlato Romam ex Gallia nuntio, Parisios grauissimè premi, in ijsque Cardinalem Caietanum, à Pontifice, eorum motuum causa, superiore anno legatum; institere Cardinalis propinqui, vt populi precibus ille, & quæ tractabat negotia, pro concione commendarentur. quod cum Bartolomæus Blondus, non sine honorifica Cardinalis commemoratione fecisset, Pontifex cui videbatur Caietanus, plus nimio fauere Hispanis; simplex officium secus interpretatus est, & duci in carcerem

25 Defertur ad Pont. à Nuncio Apostolico.

26 Grauissimè inde Sixtus offenditur,

27 Generalis graues contra concionatorem imprudentem literæ.

28 Card. Pallotta alijs detrectantibus curam placandi Pont. suscipit. Sed frustra.

29 Grauia Pontificis verba in generalé, & in Societatem.

30 Ioannes Hieronymus euocatur Romam.

31 P. Bartholo. Blondus iussu Pont. ducitur palam in carcerem

cerem Blondum iussit in Noniam turrim: & Laurentium Magium, cuius ille iussu, per Generalis Claudij fortè tum domo absentiam, id negotij commendarat, sacro faciendo interdixit, nullo præscripto termino. Blondus breui carcere liberatus est, at Magio sacrificandi potestas, quoad Sixtus vixit, nunquam reddita. Hæc alijs temporibus vix notabilia immensos hoc tempore excitarunt sermones, ita aucta in prouincias permanante fama, vt sex exustos Iesuitas, ingentem verò numerum teneri passim affirmaretur. Addebatur & de Roberti Bellarmini Operibus condemnatis, quod non prorsus temerè dicebatur. Nam Sixtus cum magni ante faceret Bellarminum, valdeque diligeret, & dedicata sibi ab eo controuersiarum duo volumina pergrata habuisset; visus est primo haud satis beneuolè accepisse operam, quam Pater in obedientiæ cæcæ defensionem contulit: deinde & ipsum fortasse, vti Cardinalem Caietanum, apud quem erat in Gallia, habere suspectum cœpit. Ceterùm offensus est grauissimè lectis ijs quæ idem Bellarminus scripsit lib. v. de Romano Pontifice, circa Dominium eius in Res Temporales, ob quam Doctrinam ne statim in librorum prohibitorum Indicem istum librum referri iuberet, nullæ Doctorum, nullæ Cardinalium defensiones, aut deprecationes exorare valuerunt. quin etiam eundem indicem addito Bellarmini nomine excudi curauit nouis typis. Sed cum editio nondum prodijsset quando est Sixtus Pontifex mortuus, successor eius Vrbanus VII. supprimendam abolendamque decreuit. Liberque Bellarmini perhonorifico iudicio Cardinalium Sacræ Congregationis cui cura censendi de libris suspectæ doctrinæ propriè demandata est, omni est nota liberatus. Feruebant interim sermones. Et Sixtus tanto acrius cœpta aduersus instituta Societatis persequens, quanto peius casibus hisce recentibus exacerbatus erat, quod per Cardinalium suffragia non impetrarat, per se ipse summa autoritate effectum dare constituit, Cardinalique Sanctæ Seuerinæ transigendæ rei curam imponit. Is accersitum ad se Claudium, vt primum conspexit, Ahiæ Prophetæ verbis, *missus sum*, inquit, *ad te durus nuntius*. Qua terribili præfatione in expectationem magnæ calamitatis erectus Claudius; quid ergo? respondet, an delere Societatem Pontifex cogitat? Minimè id quidem, inquit; quædam tamen, quæ ab eo animaduersa nosti, omninò fixum habet mutare. itaque videndum est, vt id quam commodissimè fiat. Inter cetera ipsum Societatis Iesu nomen, vt mutaret Sixtus vel maximè contendebat, siue quod id facillimum impetratu duceret, cum morum ac disciplinæ nihil videretur attingere; siue quod vbi hoc euicisset, expeditiorem inde gradum speraret ad reliqua. Superbum hoc aiebat esse vocabulum, & iniuriosum cæteris Religiosorum Ordinibus, ac fidelibus vniuersis. Ad iniuriam quoque ipsius Christi redire, cum Sanctissimum eius nomen, non vulgi modo passim, sed etiam in iudicijs, ac foris scribarum, ac tabellionum ore profanum fieret. Onerosum denique esse pijs, quos vbi Societas ista nominaretur; interrumpere curas graues, & signa edere venerationis, caputque aperire oporteret. Quod enim id hominum genus esse, quos appellare nisi detecto capite nefas esset? Hæc ferme permouebant Pontificem, cur nouum vellet nomen assumi. At Patres non tanquam res, quemadmodum prima specie videbatur, parui momenti, sed tanquam grauissima, vt erat, ageretur, obnitendum sibi existimabant. Meminerant enim quanta pietate, atque constantia in sacro illo imponendo, retinendoque nomine laborasset, atque certasset B. Ignatius. quod & à nobis res postulat hoc loco paucis retractari. Inde vsque ab melioris mentis initio hæsit viro Sanctissimo voluntas, totum se Christi Domini obsequio mancipandi; & quia militiæ insueuerat, mutare, quàm deserere militiam maluit. Vt igitur ex similitudine bellicorum laborum, & vniuersæ militaris disciplinæ admoneretur, quid sibi gerendum esset, in eo vitæ genere, quod medi-

32 Rumores in de per orbē falsi.

33 Bellarmini liber notatus.

Sed citò in integrum restitutus.

34 Sixtus Pontifex Iesu nomen Societati ereptū omnino vult

Quibus de causis.

35 Quam rectè ac sapienter id nomen Societati datum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

meditabatur, toto impetu, & ardore ad famulatum Christi, sub bellica imagine conuerso, Ducem sibi illum proposuit, quem cum videret ad liberandum genus humanum, & ad expugnanda vitia, ad æterni Patris gloriam bellum gerere, obseruato eius vitæ genere, ac tota bellandi ratione, idem sibi institutum delegit, & vitam, quoad posset, persimilem tum in propria sanctitate, tum in animis omni ope subleuandis iniuit: nihil expetens, & nihil petens ardentius, quam vt studium suum cœlesti Imperatori gratum acciderat, inque suum militem sese dignaretur accipere. Quo verò impensius ei inseruiret, consilij eiusdem socios adlegere decreuit, & cohortem conflare, quæ totam Iesu se militiæ deuoueret: eoduce, eique Duci, cultu, armatuque ei persimili militaret: propterea que cohortem Iesu Societatem vocauit, vt simul nomen admoneret, vires sibi hauriendas ab Iesu, totam in eo collocandam fiduciam suam: cunctam ei vitam, & sua omnia dedicanda: illum denique principium, & finem esse laborum debere. Hoc consilium pro ardentissimo amore, quo Iesum colebat, ac modestia summa, qua fileri de se volebat, multisque, ac magnis commoditatibus, quas ex eo sanctissimo nomine videbat in omnes Ordinis sui assecias profecturas, semper animo gessit: vbi verò confirmatus est, oblata illa diuinitùs specie, qua Patrem æternum vidit se, ac socios commendantem, tradentemque Filio crucem gestanti; & Filium, tanquam deuotos sibi milites accipientem ipsos, ac præcipuè patrocinium Romæ pollicentem, vsque eo adamauit, vt cum de condenda familia deliberans, cætera communi sociorum tractaret sententia, hanc vnam eius nuncupandæ prærogatiuam depoposcerit sibi. Nec defuere iam tum externorum quidam, atque adeo domesticorum, qui obiectarent videri nomen inuidiosum: at ille voces omnium fiducia tanta præterijt, vt profiteretur interdum, nisi imperaret legitima potestas, quæ piaculo obligaret, etiam si mortales vniuersi aliter sentirent, nunquam se de sententia sua decessurum. Quin etiam confidere se, nunquam Societati adimendum, sed potius fore tempus, cum & à Pontificibus, & ab Concilio Oecumenico probaretur. Quæ affirmatio pro nota viri submissione, ceteraque facilitate, apertè demonstrabat, vbi nullius hominis moueretur sententiâ, præstantiore aliqua eum, ac certiore, quàm humana duci notitia. Et planè ita euenit, vt cum ille eam appellationem, de qua non minus, quàm de ceteris institutis, autoritate apostolica probandis laborabat, disertè initio formulæ Paulo III. Iulioque item tertio propositæ, confirmandam peteret, liberaliter impetraret. Quæ cum ita essent, existimabant Patres pro nobili hoc titulo ita sibi depugnandum, tanquam pro singulari quodam retinendo diuini patrocinij pignore, tanquam pro dono sacro, ac monumento, quod non ab hominibus, sed ab ipso Deo accepissent. Deus enim vt existimare par est, qui sanctorum Patrum plerisque nomina diuinitus imposuit, quæ & ipsis, & ceteris propria quædam officia, dona, aut mysteria in mentem assiduè reuocarent, Autori huius cohortis Ignatio indicauit, qua tessera vellet eam distingui, vt intelligerent, qui in eam conscriberentur, se non ad quamlibet disciplinam virtutis, sed ad cœlestem quamdam militiam, ad labores, ad ærumnas, ad crucem, ad res tanquam in acie gerendas accedere: vt meminissent Iesu se esse milites, ab eo conditam Societatem, eidem traditam, & commendatam à Patre, eiusdem nomini per terrarum omnem orbem ferendo, illustrandoque deuotam: ab eodem, & vires, & stipendia, & tutelam, & ductum, ac præmia, & omnia expectanda. Vt denique vnusquisque monitorem haberet, qui aures apostolica voce assidue personaret, labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nam profectò quis mundi delicias patiatur, militem se Iesu cogitans aduersus delicias centuriatum? Quis refutet ærumnas, præeuntem cum Cruce Iesum videns? Quis non magna animo meditetur, & ca-

36 Quam fixus in sententia talis nominis adsciscendi S. Ignatius fuerit.

Prophetia eius de perseueratura possessione eius sacri nominis.

37 Vtilitas ei⁹ sacræ appellationis ad socios excitandos.

capessat fortia Duce Iesu? & irrumpat in ardua, & duret in asperis, eodem animos, ac vires addente? Quem vel aduersa debilitent, vel secunda dissoluant, vel confundant dubia sub hoc Duce, huic Duci militantem? Incredibile dictu est, quantum animi, quantum roboris, & ardoris accedat sacris hisce bellatoribus hæc secum sæpe voluentibus. Ego ne vt de Societate Iesu me feram, & sicut ille ambulauit, non ambulem? Sed deformem titulum meum, dehonestem Imperatorem meum? Ego ne dixerim sanctæ huic Militiæ Sacramentum, nec strenuè militem? aut signa infamis, & sacrilegus deseram? Pro Cæsare quopiam, pro Alexandro, pro homine conscelerato, ac misero ruant in ferrum, ac faces, signa eorum sequuti, gaudeant sub oculis eorum excipere corporibus tela, & fluentem ostentare sanguinem, & ipsam, dum fortiter faciant, vitam effundere: ego in oculis Imperatoris mei optimi, & immortalis, me spectantis, in me dimicantis, & mihi; operam non animosè nauem, pro Cœlo, pro æternitate, pro illo pugnans? Hasce cogitationes excitat, hos admouet stimulos sanctum hoc nomen, huius cohortis hominibus, & has ob causas impositum est, non ad arrogantiam, non ad ceterorum contemptum. Non enim ita fecimus nostrum nomen commune Christianorum, vt quia nos de Societate Iesu vocamur, alios negemus de ea esse. Non magis quàm S. Paulus, cum Iesu Christi Apostolum se, vel cum Deum suum nominat, alijs iniuriam facit Apostolis, vel aliorum esse Deum negat. Quinimmò ipsum quo gloriamur, nomen Iesu, modestiæ nos admonet, quia repræsentat nobis hominem illum Deum mitissimum, suauissimum, humillimum, qui clamat, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Memores igitur huius nostri Ducis, exemplorumque eius, ac præceptorum, alios omnes Christianorum, quoscumque bonos cœtus, non modò profitemur Christi Societates esse, sed etiam præcipuas Societates, quem sensum vt explicaret, nobisque ingeneraret B. Ignatius, hanc suam familiam, non simpliciter Iesu, sed minimam Iesu Societatem appellat. Posset igitur superbiæ fortasse verti, si commune nomen ita vendicaremus nobis, vt ereptum vellemus ceteris; sed non ita est, imo alijs ordinibus primatum cedentes, nos minimæ Societatis Iesu appellatione contenti sumus. Neque præstantiam virtutis vllam, tanquam adepti iam simus, hoc nomine supra ceteros profitemur sed necessitatem nobis imponimus id quod profitemur præstandi, quod nemini graue, nobis, imò & ceteris percommodum est. Cur enim quispiam indignetur, si eam nobis notam imprimimus, per quam non liceat impunè mediocris esse sanctitatis? Si volumus in ipso nomine habere non solatium modò, sed & incitamentum, & calcar? & publicum in segnitie accusatorem? Inuitamusque omnes homines, vt exprobrent nobis, & aduersus nos vltro iudices constituimus, si id quod profitemur non facimus? Igitur excogitare nos vias, & adiumenta conquirere, per quæ meliores efficiamur, nemini debet molestum accidere, cum præsertim omnium interfit esse quamplurimos viros bonos in terris, multoque magis, quod sui muneris est, præstare hanc Societatem, quæ quicquid vnquam erit, sibi soli non erit. Cur autem censeatur iniuriosum Christo Domino, id quod per se quidem ad venerationem eius, & gloriam spectat? Multæ sunt sodalitates, & nonullæ Equestres, quæ nomen vel à Christo, vel à S. Spiritu, vel à Sanctissima Trinitate acceperunt: sunt passim Ecclesiæ, quæ Sanctissimos habent titulos, multasque habent in foris lites, totumque diem in ore vulgi versantur; cur igitur diuinorum Sanctitatem nominum nostra potissimum nomenclatura profanet? cum præsertim qui per contemptum nos appellant, alijque permulti, alio quopiam cognomento afficiant? Illud certe prorsus mirum est, oneroſum posse videri cuipiam piorum, nomen illud, quod in se omnes continet suauitates. Viri quidem Sanctissimi nihil in corde, & ore frequentiùs habent, vti habebat Paulus Apostolus, & auribus suis cu-

38 Dum id nomen Societas adsciscit non eripit alijs.

39 Nec id superbiæ adscribi debet.

40 Nec est iniuriosum Christo nominari eum; cum serui eius nominantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cupiunt momentis omnibus acroama hoc dulcissimum insonare. Quod si alias interrumpi curas non expedit (quamquam non interpellatio hæc, sed condimentum censeri deberet, vti Beatus Augustinus sentiebat, cui magnorum scripta philosophorum, idcirco minus sapiebant, quod Iesum in ijs non inueniret) quid negotij est, postquam semel totum expressum vocabulum fuerit, deinceps Societatem, tacito Iesu, dicere, quod vbique vsus obtinuit? Talia cum Patres animo reputarent, nihil prætermittendum sedulitatis, & operæ existimabant, per quam nominis eius dulcissimi ac saluberrimi possessionem veterem obtinerent. Itaque Claudius, in quem, vt caput, & dolor, & curæ potissimùm ingruebant, Cardinalis Sanctæ Seuerinæ denunciatione audita, quanquam prope actum de re videbat, nec spes restabat profici apud Sixtum posse; tamen ad Cardinalium intercessiones sese conuertit. Singulos adit seorsum, qui sacrarum Quæstionum præfecti consilio, negotium hoc tractarant, orat, ac obtestatur, Societatis, hoc difficili eius tempore tutelam, ac patrocinium suscipiant, Pontificemque edoceant, quanta ex hoc eius cœpto sequutura incommoda sint, emolumento, ac fructu nullo. Nam quod, inquit, mutari nomen iubet, quas inde voces, vbique gentium, quos strepitus excitari necesse est? Non enim de nomine agitur hominis cuiuspiam aut obscuri, aut in vna quapiam solùm prouincia noti, sed Ordinis, qui toto orbe diffusus est: & ipsum nomen, quo augustius, ac sanctius est, eo plures suscitabit sermones ereptum. Quid igitur opinentur populi, quid sermonum, ac fabularum serant, vbi videant autoritate Summi Pontificis hoc nomen tanquam indignis eripi, quod non solùm in ore est omnium, sed etiam in publicis vbique tabulis, ac monumentis, passimque in hominum nostrorum, & aliorum voluminibus inditum, exculptum, excusum est? Neque hæc ad breue tempus tenebit homines admiratio, & garriendi, obtrectandique licentia, sed ad omnem permanabit posteritatem. Neque enim, quamuis velimus, aboleri memoria poterit, nisi permiscere omnia, & diplomata Pontificum, & ipsum inducere Tridentinum Concilium tanti æstimetur. Manebit igitur in omne tempus irrogata hæc nobis siue infamia, siue iniuria publicis contestata, & librorum, & tabularum, & sacrarum ædium monumentis. requiretur semper quid rei fuerit Societas Iesu, quid causæ eius mutandi nominis fuerit? Vbi quid respondendum sit, non magis est nobis, quam Pontifici prouidendum. Quid quod mutato nomine, totus apud multitudinem, maximèque apud Hæreticos mutatus ordo videbitur. Iamque non Societas Iesu, sed noua quædam Religio existimabitur: gaudebuntque, & insultabunt Hærerici, quod Pontifex Romanus, id quod ipsi vehementer optabant, effecerit. Toti autem Societati sine dubio acerbissima plaga erit diuino hoc insigni spoliari, & quidem summi iussu Antistitis, tanquam sacrilega sit, & ab suo Duce Iesu reiecta, ac proinde ductu eius, & patrocinio vna cum insignibus iam prorsus destituta. Denique (PP. Amplissimi) considerandum est, quemadmodum accepturi sint homines, cum id quod à multis adhuc Pontificibus receptum, approbatumque est, ab hoc nulla noua causa respui, damnarique viderint. Non enim maiestati Pontificiæ decorum est, leuiter immutari eius decreta. Atque rem verè æstimantibus aliter videri non potest, quam approbatum à Pontificibus id nomen fuisse, quod in tot eorum diplomatis, apostolicisque literis, non modo insertum, sed ita vt aliud nunquam nomen, neque ipsi, neque sacra Tridentina synodus vsurpent. Nec verò aliud videtur requiri, vt nomen, aut titulum censeatur approbasse Pontifex, quam vt illud recipiat, eo constanter vtatur. Vt aliquid exempli gratia dixerim, Venerandi ordinis Prædicatorum nomen, si quis impugnaret, summo iure, etiam si firmamenta deessent alia, defenderetur vbi planum fieret, sic à Pontificibus summis nominari.

41 Generalis Cardinaliũ intercessiones implorat.

42 Rationes Pontifici allegandæ pro retinendo Societatis Iesu nomine.

Quis

Quis enim iure negaret, quod Pontifices darent? & ex posterioribus Pontificibus cur quisquam adimeret, quod superiores dedissent? Atque est aliquid nobis præterea fortius, vnde liquidò apparet, non modo vsurpatione communi, sed proprio decreto nomen Societatis probatum esse. Nam primi nostri Patres, cum primam Instituti formulam confirmandam Pontifici Paulo III. tradidere, disertè ipso initio postularunt, vt hoc ipsum nomen comprobare vellet, formulam Instituti his verbis exorsi. Quicumque in Societate nostrâ (quam Iesu nomine insigniri cupimus) vult sub crucis vexillo Deo militare. Paulus autem post expositam totam formulam, subiunxit: cum autem nil in præmissis reperiatur quod pium non sit, aut Sanctum, Nos &c. præmissa omnia, & singula tanquam ad spiritualem profectum eorumdem Sociorum, & reliqui Christiani gregis opportuna, apostolica autoritate, tenore præsentium, ex certa scientia approbamus, confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus. Quibus verbis quis credat probari cetera, quæ Patres, vt probarentur petebant, & nomen excludi, cum adeo disertè eius comprobatio petatur, & singula ex postulatis, & omnia comprobentur? Si formulam ita Patres concepissent, vt propriè nihil significarent de nomine, tamen id haberet nomen hic ordo, quod Christi Vicarius addidisset; iam cum singillatim suum Pontifici desiderium de ea re exposuerint, & is omnia singulaque, quæ in eorum formulâ sunt, perpetuæ firmitatis munimine roboret, nonne & nomen firmitate gaudere eadem debet? Vnde enim excidit, vnde exceptum est, quo minus, vel inter omnia comprehendatur, vel inter singula? vel de eo si dubitatur, quid obstat, quin cetera postulata reuocentur in dubium? Quid autem certi erit in rebus humanis, si hæc ita manifesta incerta reddantur? Quod si hanc inducere confusionem, & cauillationibus hanc aperire fenestram non expedit, quid mutatur à Pontifice, quod duo Pontifices Paulus Tertius, deinde Iulius Tertius, qui in suum diploma eadem verba formulæ inclusit, & deinceps alij comprobarunt? Nam deprehensum postea nomen hoc, minus pium, aut sanctum, aut minus ad spiritualem profectum nostrum, aut ceterorum fidelium opportunum, nemo verè demonstrare poterit, cum potiùs incredibiles vtilitates, & grauissima ad omnem virtutem incitamenta nostri homines inde accipiant, & per eam occasionem multis modis, etiam pictis, aut sculptis imaginibus, & conditis sodalitatibus, Sanctissimi Iesu nominis veneratio aucta, & propagata per populos sit. Non igitur eripiatur huic Ordini tale pignus (PP. Amplissimi) & tantus sine causa dolor tot famulis Dei, inter hæreticos, vel inter Ethnicos in continuo vitæ discrimine apud vltimos terrarum fines, pro Sanctissimi huius nominis gloria dimicantibus, inuratur. His, alijsque argumentis facilè obtinuit Claudius, vt Cardinales per se se minimè alieni ad agendam Societatis causam vehementius inflammarentur. Sed non æquè expeditum illis fuit cum Sixto certamen, qui nullo nec precibus, nec argumentis loco relicto, vbi superiorum Pontificum vrgeretur exemplis, parum ijs mouebatur. Denique perstante illo in sententia delegantur è sacrorum Quæsitorum Consilio Cardinales duo, Sanctæ Seuerinæ, & Sancti Marcelli (is qui Pontifex renunciatus paulò post Vrbani septimi nomen assumpsit) qui certam Sixti voluntatem Claudio denuntiarent. Conueniunt illum in schola theologica Romani Collegij; narrant deliberatum, ac certum esse Pontifici, ex ijs quæ animo præceperat, aliquid tandem extorquere. Leuem nominis causam videri. Iam passim inrebuisse vt Iesuitæ vocitentur, hanc assumere nomenclationem posse nullo strepitu: quæ tandem quantum distat à Societate Iesu? Si hoc Sixto concedatur, sperare ipsos futurum, vt in ceteris ab incœpto desistat. Tum Claudius satis fidelitati, quam Societati debebat, satis hominibus, Deoque factum intelligens, nullam superesse vltra tergiuersan-

43 Sixtus nec alijs rationibus nec Superiorũ Pontificum autoritate mouetur.

44 Denũciatur Generali Pontificis vltima volũtas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eique ille acquiescit.

uersandi viam videns, & maiora damna si diutiùs obluctaretur, formidans; cura omni in Deum reiecta; Quandoquidem (inquit) ita fixum est Sanctissimo, in eius manu sumus, faciat, vt lubet. Feremus animo, quo religiosos præcipuè Sanctæ Apostolicæ Sedi obnoxios decet. At illi: atqui Pontificis mens est, inquiunt, vt vosmet ipsi id decernatis, non ipse. Nolebat enim Sixtus huius sui facti autor videri, fortè quo minus subiret

45 Decretum de antiquando nomine Sixtus Pont. à Gener. Soc. edi vult non à se.

inuidiæ Boreales apud Principes, qui tantopere pro Societate contenderant: & quibus prolixè affirmarat, nihil de institutis eius immutaturum. Non tamen eam rem ægrè Claudius tulit, quod tanto apertior restaret aditus, ad decretum in tempore antiquandum. Professus itaque, nunquam se, nisi Pontificis imperio cogeretur, adducendum fuisse, vt quod ab Ordinis sui Parente Ignatio institutum, adeoque firmiter sancitum fuerat, ipse mutaret; quando imperabat Pontifex, obsequuturum sese respondit: domumque reuersus, re cum Assistentibus pertractatâ, formulam decreti, quod in vniuersam Societatem mitteretur, conscribi iussit. Mandando vt à nomine Societatis IESV Nostri in posterum abstinerent.

46 Decretum à Generali scriptum.

Hoc decretum cum ad Cardinalem Sanctæ Seuerinæ Claudius detulisset, rogaretque vt Pontifici ostenderet, an satis è sententia eius conceptum esset, Cardinalis vbi perlegit, multum commendans, negat opus esse ostendi, composita sapienter omnia, satisque è Sixti sententia. Promulgaret securus, recipere se Sanctissimum Dominum, non ratum modò habiturum, sed & gratum. Claudius, cui mora quæuis optatissima erat, Deo nimirum impellente, instituit orare, & obsecrare, vt antequam promulgaretur, ad Pontificem Cardinalis ne grauaretur perferre, cum vt certius, an satis ei factum esset constaret, tum vt id obsequij, & obedientiæ pignus, ac documentum haberet. Cessit denique Sanctorius. Accepit, detulitque decretum. Perlibenter Sixtus aspexit, vultuque serenato placere sibi dixit, quod P. Generalis mandata obedienter fecisset,

Ad Pontificem mittitur

tum reponit in scrinio: & quia grauiores vrgebant causæ totius Ecclesiæ, grauiusque in dies premebatur, & ante omnia, quia tum maximè tota Societate precibus insistebatur, ac Deus, quod famulo suo Ignatio præmonstrarat, spoponderatque Sanctum illud nomen perpetuum fore, idem tuebatur, ac defendebat. Habuit decretum illud Sixtus in scrinio quoad vixit, vel oblitus quicquam facere, vel vi maiore prohibitus: quamquam haud multos ex eo dies superfuit, sexto Kalendas Septembris extinctus. Ita nomen integrum in præsentia mansit, & post paulo, vt sequenti dicetur libro, Gregorius XIV. propriè, ac nominatim apostolico diplomate comprobauit. Omnibus qui causam prænorant, visus est hic euentus planè mirabilis, maxime Cardinali SS. Quatuor Icanni Antonio Facchinetto, qui deinde Pontifex Innocentius IX. fuit. Nuper ei, dum causa deplorata iam haberetur, Iacobus Ximenius Societatis secretarius confirmarat, quicquid fieret, nunquam tamen fore, nomen illud vt mutaretur: quod tanta asseueratione, & prope obstinatione modestissimus alioqui Sacerdos dixit, vt commoueret ea constantia haud mediocriter Cardinalem & altè in eius mentem descenderet. Itaque vbi tandem adeo præter opinionem cunctam illam vim, & contentionem in irritum cessisse vidit: Age, inquit, Ximeni, vnde ea tibi fiducia, vt cum Pontifex Sixtus V. contra decresset, tamen vsqueeo asseueranter exitum rem habituram negares. Cui Ximenius. Ego, Pater Amplissime, optimum Dei seruum, virumque prudentissimum audiui de nostra familia Hieronymum Natalem, cum de ipsomet Parente nostro Ignatio se audisse commemoraret, Societatis nomen, nunquam mutatum iri. Et quoniam sciebam Ignatium in affirmando modestiæ singularis, nihil dubitabam, quin, quod tam affirmatè pronuntiabat, diuinitus accepisset: simulque gnarus fidelia esse Dei promissa, nihil dubitabam, quin, quod summa illa bonitas famulo suo Ignatio

47 Qui illud in editum apud se retinet vsque ad mortē quæ paucis post diebus cōtigit.

48 Greg. XIV. sacrum dem de Iesu nomen denuò Societati asseruit.

49 Iacobi Ximenij affirmatio ex fiducia Prophetiæ S. Ignatij.

tio benignè promisisset, etiam cum fide præstaret. Delectauit Cardinalem tota narratio, & bonitas Patris. Nos verò decet anniti, ne tam beato, inclytoque titulo, tot diuinæ clementiæ pignoribus tradito nobis, conseruatoque, vllo vnquam tempore videamur indigni. Finis Sixti vt laxauit in Vrbe curas, ita in Hispania tempestiuè Madritum nuntiatus est, postridie eius diei, quo literas à Claudio Ioannes Hieronymus acceperat, per quas Romam accersebatur. Et Io: quidem Hieronymus quamquam valetudinarius ad iter se accingebat. Ceterum subinde cognitum est, nisi Deus aliter prouidisset, telam planè detextu difficilem inchoatam. Confirmauerat Sixtus Suessano Duci, qui recens in Vrbem aduenerat à Rege Catholico missus, & per sanctam sedem deieraſſe dicebatur, se hominem, vbi aduenisset, capitali ad pontem Adrianæ molis pœna sublaturum, ac ni veniret Religionem ipsam funditùs euersurum. Atque Cardinalis Mendoza etiam postea indicauit, se clam ad amicos in Hispaniam scripsisse, vt omni ope ac studio impedire, ac prohibere aduentum Ioannis Hieronymi in Vrbem conarentur: itaque vtrinque premebant angustiæ, de quibus liberauit nos Dominus adiutor in tempore opportuno. Neque opus fuit, vt se Ioannes Hieronynus loco moueret. Nam Cardinales Sanctæ Inquisitioni præfecti protinus post Sixti obitum respondere, non esse cur Romam veniret. Eidem mox Gregorius XIV. iusso per suum Nuncium grauiter admoneri, vt cautiùs posthac loqueretur, potestatem concionandi restituit. Medio Septembri suffectus est Pontifex, Ioannes Baptista Castanea, qui Vrbanum Septimum sese nominauit. Vir habebatur Pontificiæ molis capax, itaque eius Pontificatus mirum in modum, & Vrbem, & prouincias ad spem bonam erexit. Verùm in ipso flore spes, & gratulatio omnis in solicitudinem primo; tum in mœrorem incredibilem vertit, ægro, & mox duodecimo Pontificatus die Vrbano terris erepto. Norat vir integerrimus, cum vnus è Præfectis sancti officij fuisset, Santanderi, de quo supra narratum est, innocentiam. Itaque simul creatus est Pontifex nihil habuit prius, quam vt finiret causam, & quem dudum custodiâ liberandum curarat, honorificè, omni etiam suspicione criminis absolutum, nullo iure, nullaque dignitate ob eam delationem imminutum declararet. Idque primum fere, ac supremum Vrbani decretorum fuisse memoratur: ac bonus Santaderus in Hispaniam statim remissus est, Rector Segouiensi Collegio præfuturus.

50 Sixti Pont. ira in Ioannem Hieronymum.

Cui ius concionandi est redditum.

51 Nouus Pontifex Vrbanus VII. Santanderum omni nota liberat.

Octauo Kalendas Septembris in Romana Professorum domo Iacobus Miro decessit, annorum plenus bonorum, Hispanus natione, patriâ Valentinus, Societati inde vsque à primo eius ortu adiunctus. Conimbricense Collegium rexit primus, & Lusitanam itemi Prouinciam primus ab Simone Rodericio. Multa de eo in primis harum Historiarum narrantur Partibus. Posteriora tempora Romæ modò Assistens, modo domui Professorum præfectus exegit, magnoque vsu fuit pro notitia primorum temporum, moribus Societatis in certas leges redigendis, & antiquitate memoriæ conseruanda, quam vnam æuo vltimo frugiferam ætatis emeritæ occupationem habuit. Mira erat seueritate erga se: præ assiduitate verberum, quas maximè cædebat partes, altum callum obduxerant. Totus quoque erat cum Deo, totus in rerum contemplatione cœlestium. Magna ob hæc viuo adhæsit, mortuum sequuta est opinio, veneratioque excellentis virtutis. Insequenti mense nono Kalendas Octobris vitæ finem imposuit in Lauretano Collegio Nicolaus Bobadilla, qui reliquus vnus erat, è primis decem Patribus. Magnam habuit causam cum lætitia abeundi, qui adeo propagatam, roboratamque Soccietatem vidisset. Sed ille potiùs inde gauisus est, quod prope sanctissimam cellam Deiparæ, nempe quo loco vitam ipsemet inchoauerat Deus in terris, terminare sibi dedisset: eo magis notabili beneficio, quod cum iam pridem, se ad mortem

52 Iacobi Mironis mors, & vitæ summa.

53 Nicolai Bobadillæ felix obitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem comparans obiret pro voluntate Collegia, vix dum è Neapolitana prouincia Lauretum aduectus, tanquam ad id veniſſet, morbo ſupremo decubuit. Corpus, poſt Iuſta à Canonicis, & Epiſcopo Laureti honorificè, pièque peracta, Recinetum vbi templum ſuum Societatis Collegium habet, delatum eſt. Animæ tota Societate Sacerdotes ternis Sacris, totidem laici roſarijs parentare iuſſi. Fuit ſane vir laborioſus, & publicæ vtilitatis animarum inter primos cupiens. Peregrinationes peregit quamplurimas, defendens inter Hæreticos Fidem catholicam, mores inter Catholicos emendans, & excolens; quamquam initio liberior vltra modum ſimplicitas, non ita eum ſinebat ædificare, quin & ſubinde deſtrueret. At ſupremis temporibus, poſtquam longa viro ætas, & rectè factorum exuperantia, & primorum decem reſiduum ſpecimen, longè, latèque notitiam ac veneratione pepererant; ſimplicitas, & libertas illa in paternam autoritatem verterat, & vt index boni animi nullo venerationis damno caritatem augebat. Inter eius virtutes eminebat euangelicæ ſtudium paupertatis. veſtes præſertim interiores (nam foris accommodabat ſe conuerſantium vſui) geſtabat viliſſimas, plurimiſque locis interpolatas ipſiusmet manu, quas cum indueret, exueretque ſæpius cum quadam ſuauitate oſculabatur. Prædixit ſæpe vltimum ſe è decem primis exiturum é vita: ac ioco interrogantibus, quid ita ſemper in Pontificijs diplomatis poſtremus ipſe inter decem nominaretur, id ipſum cauſæ dabat, quod poſtremus eſſet moriturus.

54 Labores ei⁹ magni.

55 Amor paupertatis.

Habiti inter hæc prouinciales Conuentus, & Claudij vigilantia, & Præpoſitorum prouincialium ſtudio vbique, ac præcipuè, vt erat in votis, in Hiſpania, cum pace, atque caritate. In omnibus Prouincijs nulla planè excepta, decretum: nullam videri cauſam generalis conuocandi conuentus: quod quidem in Borealibus partibus ita decretum, vt nullam planè, quæ contrariam partem ſuadere videretur, apud ſe extare cauſam dicerent. Omnia enim rectè ire, ſuumque tenere curſum, vigente diſciplina, ac ſtudio pietatis. In Italia, Hiſpaniaque nonnihil diſceptationis fuit. Erant enim qui cenſerent, cum liceat Societati conuentus generales habere, id aliquando ius vſurpandum, præſertim cum decimus iam ageretur Generalatus Claudij annus, & ipſe quoque B. P. Ignatius decimo anno ſui Magiſtratus Societatem coëgerit. Multos etenim ſupereſſe è primitiua Societate, quorum oporteret ſententias audiri, & ſpiritum illum primæuum in commune conferri, antequam mors tantum ſubſidium, & ſolamen eriperet. Mutuo conſpectu, vſuque inter ſe Patrum caritatem incendendam. Denique cum tanta ſit Patri Generali prudentia, & probitas, & annorum decem experientia, Societatem ab eo coram vnum in locum collectam, multo plura edoceri poſſe, multoque acriùs incitari, quàm Præpoſitus quiuis, cum recens creatus eſt, poſſet. Hæc dicta à paucis: contra plerique diſſeruere: Iuris vſurpandi cauſa, nequaquam cogi debere generalem Congregationem, cum diſertè Conſtitutiones vetent, cauſa niſi grauiſſima cogi. Patres antiquiores fortaſſe non lectum iri, etiam ſi haberetur congregatio, cum aliæ præter antiquitatem requirantur dotes, cur quiſpiam præferatur. Nonnullos per ætatem, & infirmitatem excuſaturos iuſtè Romanum iter. quod ſi quid haberent, quod communicandum cenſerent, poſſe coram cum Procuratore, qui Romam mitteretur, poſſe cum Præpoſito ipſo Generali communicare per literas. B. Ignatium habuiſſe grauiſſimam cauſam conuocandi antiquiſſimos Patres, vt conditas ab ſe recens Conſtitutiones illis oſtenderet. nec tamen veriùs eum poſſe conuentum generalem nominari, quàm collationem familiarem, cum perpauci conuenerint, nec quicquam ex certo iure ſit actum. Patres inſtitui ſatis poſſe Conſtitutionibus, decretiſque, & monitis, vt neceſſaria præſentia Generalis non ſit. Totum verti in vſu decretorum, ac legum, qui-

56 In Congregationibus Prouincialibus actum de Generali cogenda.

57 Rationes in partem affirmatiuam.

58 Contrarijs oppoſitæ refunctæ.

quibus Societas affatim inſtructa eſt. Hæc vt concordibus animis vrgeantur, cur non in vnaquaque prouincia congregati conſentimus? Si ſingulæ rectè habeant prouinciæ, toti erit Societati ſalus, & incolumitas. en omnes in Domino conuenimus, plerique noſtrum præſunt domicilijs, alij ſunt è vetuſtiſſimis, omnes nos conſenſu, Deo bene iuuante, capeſſamus rem, exemploque, precibus, ac vigilantia vrgeamus: iam omnia emendata erunt. Quod tres dumtaxat è noſtro numero, ſi Congregatio fieret, audirent, id ſingulis dictum putemus, vt hoc loco re ipſa dicimus. In nobis eſt, quicquid ex alio quocumque optamus cœtu. Quod ſi quod tempus eſt abſtinendi à generali conuentu, id maximè eſt: tum ne prouinciæ potiſſimùm Gallicanæ, & Belgicæ in tanta armorum licentia periculis exponant ſua columina; atque his temporibus, cum ſunt maximè neceſſaria, ijs priuent domeſticas, & publicas res: tum etiam ne ſuſpicandi anſa detur populis ſubeſſe cauſam, quæ hoc extremum remediorum poſtulet, & aliquo modo notetur Præpoſitus Generalis, cui tantum tota Societas debet, tanquam per ſeſe clauum tenere nequiuerit. Talia fermè ceteris in prouincijs, nec omnia vbique, ſed alia alibi diſputata. Sed in Romano conuentu pleniùs in partem vtramque collatæ rationes. Nam quanquam vnus modo omnium fuit, cui non ſane neceſſaria, ſed vtilis fore Congregatio totius Ordinis videretur, tamen & ille ſententiam ſuam accuratè probauit, & ceteri nihilo ſegnius refutarunt. Summa hæc eius orationis erat. quibuſdam incommodis emendandis non ſufficere ſummam licet Generalis diligentiam. Probandum igitur ecquid plus poſſit congregata Societas. Ad hæc ſiniſtras quorumdam de Generali ſuſpiciones perſpecta coram à Patribus Prouinciarum eius præſentis ſapientia & præſtans virtus facile purgaret. Deinde querelas ferri de Præpoſitis locorum; de quibus in cœtu cognoſcetur commodius, ſtatuetur efficacius. Præterea videri res, Prouinciarum præſertim remotiorum, non ſatis ſemper Generali perſpectas. cui quæ deeſt in eo genere notitia ad uentu Patrum ex illis locis abunde accederet. Quinto circa ſtudia literarum vtiliter quædam Decreturos in conuentu Patres. Denique annis iam decem Congregationem non fuiſſe, quam repræſentari ante mortem Generalis expediret, vel eo nomine quod quæ multorum ſuffragijs decernuntur plus autoritatis obtineant. Ita ille fere. In contrariam partem à grauiſſimis viris illa ſunt dicta. Primum omnium B. Patris conſtare ſententiam, quæ vtique regula nobis conſiliorum eſſe debeat: conuocare Societatem nonniſi raro, cauſiſque vehementiſſimis oportere. Deinde multos antiquorum Patrum, qui poſt Ignatium vixere, curſumque Societatis in longa poſt tempora viderunt Lainium, Polancum, & Hieronymum Natalem, qui vtique non niſi decimo ante anno vita perfunctus erat, conſueuiſſe dicere, opportunum ac neceſſarium fuiſſe, vt hæc Societati pateret ianua, cogendi conuentus generales propter multos caſus, qui poſſunt contingere, viuo tamen Generali, quam minime frequentes, quamque maximè neceſſarias ob cauſas habendos: eaſque afferebant ſapientiſſimi viri ſententiæ ſuæ rationes: quia & ſi omnes idem velint, non idem ſentiunt omnes: atque ita exiſtunt altercationes, contentiones, ac diſſenſiones ſaltem ſententiarum, vnde haud dubiè caritas, & voluntatum coniunctio nonnihil labefactatur. Deinde quia vis bonæ adminiſtrationis maximè pendet ex obſeruantia, ac reuerentia aduerſus Præpoſitum Generalem: at in Congregatione omnes volunt eſſe liberi, agereque vehementer, ac forriter: vnde Libertatem quamdam aſſumunt, reportantque eamdem in prouincias. quod quidem experiri ſe Natalis dicebat, cum prouincias viſens multo tractabiliores inueniret, qui generali conuentui nunquam adfuiſſent. Ad hæc cum interdum Præpoſitus generalis decernat, ac mandet, quæ minus cuipiam placeant, periculum eſt ne Congregationis

59 Vnus in Romano conuentu cogêdam Generalê Congr. cenſuit his de cauſis.

60 Aliorum contra ſentientium prævalentes rationes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore par referre, ac dolorem conetur reponere. Quæ res si timenda Præpositio esset, fractior, ac remissior fieret in coërcendis, quos oportet. Cum igitur grauissimæ illæ causæ, de quibus hi Patres loquuntur, nullæ sint hoc tempore, ex eorum sententia sine dubio abstinendum est generali conuentu. Deinde prudentes viros decet consilia ponderare, non ex forma, quam mente fingere pulcherrimam, cuique promptum est, sed ex vsu, moribusque humanis: ex eo denique, quod euenire humanitùs solet. Cogitamus florem Societatis conuenturum si edicatur conuentus, ita sanè oporteret; sed quis præstabit ita fore? Videmus enim non semper eos ad id in prouincijs designari, qui maximè periti sunt institutorum Societatis, vsumque, ac peritiam habent disciplinæ, & administrationis eius: sed interdum, ex doctrina, aut facultate concionandi, aut alijs huiusmodi ornamentis præferri: vnde fieri potest, vt aliquando non meliorum, sed plurium vincant sententiæ, maximo cum detrimento summæ rei. Prudentia autem docet tuta sequenda, nec commodi exigui spe, magnum periculum subeundum. Quid autem hinc veræ, solidæque commoditatis apparet? Etenim Congregatio generalis, nequaquam potest singularibus obuiam ire loci hominisue difficultatibus, sed tantum vniuersalibus rebus, idque decretis vniuersalibus. Quæ decreta, vel erunt præter Constitutiones, quas habet Societas, & frustra erunt; cum appareat nihil præterea posse desiderari: vel erunt ex ipsis petita Constitutionibus, atque id per seſe Præpositus generalis abundè præstabit. Porrò inter incommoditates generalis conuentus, illa est nec parua, nec inexperta nobis, quod contentiones, & offensiones creantur. Itaque videtur genus hoc remedij medicamento potenti simile, quod quidem affert nonnullam vtilitatem corpori, sed simul vehementer commouet, ac perturbat humores, vt extra necessitatem planè sit abstinendum. Nisi igitur causæ eiusmodi premant, quibus per seſe Præpositus non possit occurrere, vt in Constitutionibus significatur, attentandum non est. Atqui hac tempestate Duce fruimur tanta virtute, exemplo, prudentia, peritiaque, ac notitia, decem annorum vsu quæsita, vt nihil sit, quod ex illo sperare non liceat: vtique cum multa iam effecerit, multisque in locis sua vigilantia, prudentia, animique excelsitate perturbationes, & incommoda, vel omnino, vel magna ex parte sustulerit. Quid quod in generali conuentu, arma interdum, quibus minimè expedit, dantur? quod Lainius, & Patres supradicti metuebant. Qui enim non satis benè se gesserunt, qui dolent, quos disciplina corripuit, iudices statuuntur ipsiusmet Generalis. Quid igitur ex his recti, bonique, perturbatione commotis, doloriſque sensu corruptis sperare ius erit? Præterea in omni malo dum remedium quæritur videndum est, quæ sit mali origo, vt apposita medicina quæratur. Si mala, si quæ in Societate sunt, inde existerent, quod deessent salutaria decreta, cogi posset congregatio ad ea sancienda: sed cum abundemus decretis, vitiumque, si quod est, in eo sit, quòd ad vsum minime reuocantur, cùm id non ad Congregationem sed ad Præpositum pertineat, nullius erit vtilitatis Congregatio: perindeque erit, ac si manuum ægro, collyrio oculos inungas. Quid si vero præterea periculosa sit & noxia? non obscuris quippe indicijs intelligitur, moliri iam nunc quosdam eius occasione per artes ac potentiam innouationem in Instituto quandam. Quare cum instet graue malum, si Congregatio iudicatur; si autem non indicatur nihil tale formidetur, quid est quamobrem gratuita nobis accersamus pericula? Quid verò veniæ mereamur, si irritemus Deum, perque planum patente via, in abrupta diregrediamur? Quæ cum de tota Societate valeant, non desunt, quæ propriè ad Hispaniam pertinent. Nam illi tumultus, tum institutis visitationibus, tum alijs præsidijs diuino beneficio satis videntur compositi: principesque,

P.8.c.4 §5. c.2.§.1.

cipesque, qui negotium facessebant male edocti, iam dedocti rectè sentiunt, seque beneuolos præbent. Itaque nulla est eorum respectu tumultuum Congregationis necessitas. Quin potius morbi reliquiæ ex occasione repullulascerent, externique in eam intruderentur Magistratus, ac Principes. Neque solum externi possent Societati negotium facere, sed illi etiam, qui noua moliuntur nostrorum è numero, per alienum patrocinium in Congregationem irrumperent, & sua cogitata conarentur efficere. Quod verò dicebatur esse aliquas in Societate ægras partes, & quærenda potentiora remedia, plausibilius est dictu, quàm ad rem conueniens. Quæ enim adhibere Congregatio potest remedia, vt dictum est, ea sita sunt in decretis, quæ noua condat: at hisce nec onerandus est Ordo, minimèque egemus, quin abundamus potiùs. Vis igitur remedij non in coaceruandis est legibus nouis, sed in veteribus obseruandis: quod vt fiat non ex consilio Societatis, sed è studio generalis Præpositi pendet. Quin igitur, inquies, ille medetur, si eius in manu est? Ille quidem totus in hoc est, vires, curasque contendit: multa effecit, multa molitur, ac sine dubio plura effecisset, nisi difficultates temporum obstitissent: quæ cum iam incipiant fieri mitiora, nihil præterea requirendum erit. At eius conspectu, vsuque reconciliabuntur, qui alieniores sunt: id verò longè abest à prudentia sperare. Nam primùm verosimile non est hos potissimùm lectum iri in Prouincijs, vt veniant Romam: deinde si legantur, incidimus in periculum illud, ne arma demus inimicis, iusque peragendi, nouandique perturbatoribus, quæ cupiunt. Ad hæc si vlla possent mitigari benignitate, iam prorsus amarorem omnem deposuissent. Nihil enim Præpositus Generalis clementiæ, indulgentiæque prætermisit. At illi non clementiam, sed licentiam volunt: *non tam Præposito generali, quàm religiosæ disciplinæ infensi, infestique sunt: neque nos censuras, & tribunalia tentauimus, sed ipsi se induerunt in censuras facinoribus suis: ipsi res nostras ad tribunalia, ac fora externa detulerunt.* Nec sane, siue ad constituendos moderatores, siue ad alia decernenda, maiorem notitiam Generalis ex conuocatione Societatis accipiet. Nam octo fermè sunt anni, cum formulam misit in omnes prouincias; vnde satis, quantum patitur imbecillitas humana, de idoneis ad gubernandum edoceretur. Deinde Prouinciales, qui coram docerent, ijdem essent, quorum absentium literis, nimiùm tribui multi queruntur. Duo qui præterea cum eo accedunt Patres, quantum tandem possunt ampliùs docere, quàm qui tertio quoque anno mittitur Procurator? Quanquam re vera si consiliarij suo fungantur scribendi munere, vt funguntur, cumque tanta sit alijs quibusque scribendi libertas, & sane fidenter scribant, nihil est vltra, quod ad notitiam Præpositi iure cuiquam desiderandum superſit. Nec verum est studia literarum iacere, neque ad opinionum delectum opportuna generalis Congregatio, ad quam doctissimi quidem viri conueniunt, sed tamen fieri potest, vt aptissimi eius rei iudices absint, qui sunt fermè, qui in gymnasijs, ac tractatione disciplinarum consenuere. Potiùs igitur ex vsu videretur, si in tota Societate, & Doctissimorum sententijs, & experimento ipso res penderetur, quam deinde generalis conuentus, qui alias ab causas fieret, ad perpetuitatem firmaret. Quod si annis iam decem nunquam conuenimus, gratulandum Deo est, quod causa non inciderit: ac supplicandum, vt in tempus quamlongissimum differat. Nam in corporibus quidem humanis, beneficio est longo tempore medicamentis non eguisse. Illud quoque non nisi inanem habet speciem, fore, vt perturbatores, quique eis patrocinantur externi, conuentus generalis iudicio acquiescerent. Nam si non modò Præpositi generalis nunc autoritatem ita vilem habent, sed etiam aliarum generalium Congregationum, quid speremus de hac? At illi non modò Congregationes generales, sed

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius B. Ignatij sapientiam, & autoritatem proculcant, præque sua damnant: & commutare instituta volunt, & nouam de suo ingenio Religionem fingere: ac denique ipsorum Romanorum Pontificum audent diplomata, & Constitutiones inuadere, & criminari. Quid igitur spei est nouo conuentui cessuros, qui ita cum hominibus, ita cum Deo pugnant? Hæ causæ tantum valuere, vt omnes præter vnum, vt dixi, in eam sententiam studio summo concesserint, nullo modo conuentum generalem tentandum. Hæc paulò fusius hoc dumtaxat loco, præter morem, & citra periculum exempli, in omnium huius generis deliberationum specimen, semel relata sunto; vt in antecessum intelligatur; quam & à sensu Prouinciarum & à rationibus Societatis vniuersæ aliena fuerint quæ altero ab hinc anno, vt ibi dicemus, tanto quorumdam priuatorum ambitu agitata sunt, ad Congregationem Generalem hoc tempore cogendam. Sed iam quæ in conuentu Procuratorum sunt acta reddamus. Iam Romam Procuratores plerique ad diem venerant. Verum cum Hispani desiderarentur, nauigatione tardiore vsi, opperiri eorum aduentum placuit. Qui cum subinde adfuissent, octauo post solennem die, Congregatio cœpta. Erant in Assistentibus, vt supra dixi, Emmanuel Rodericius, & Paulus Hoffæus, qui Congregationem generalem auebant, eo maxime, quod Claudium SS. Basilij, Bernardique libenter libros terentem, alienum ab Societate spiritum sequi putabant. Hi Procuratorum animos hac opinione implere conati, perpulere non paucos, vt censerent: Congregationem cogi debere: vnde factum est, vt suffragia prope æquarentur. Fortè autem euenit, vt Patrum quidam suum, & Claudius duo, quæ ipse fert suffragia, ita concipierent: non videri sibi Congregationem cogendam hoc tempore: quod fecere bona fide, & illud significare habentes in animo, haud se abhorrere à conuentu generali, sed alienum præsenti censere tempore. At Rodericius, & Hoffæus, dubitare cœperunt, an legitima essent ea suffragia, & absolutam negandi vim obtinerent. Videri enim affirmare, cogi Congregationem debere, sed tempus dumtaxat præsens excludere: & quanquam vt controuersiam dirimeret, ipsemet Claudius explicasset, à se lata illa suffragia, & quare ita concepta essent: tamen vt nihil dubitationis resideret, causa cognoscenda egregijs tribus iure consultis est tradita, qui omnes consensu responderunt, quoniam nunc quæreretur de instante solum triennio, cùm in triennium sequens, noui deligerentur Procuratores: qui censeant non cogendam Congregationem hoc tempore, absolutè negare cogendam, quantum pertinet ad autoritatem præsentis conuentus, in quo potestas Procuratorum statim expirat: de alio enim tempore aliorum est cernere. Hoc responso planè controuersia sublata est. Sed Claudius ne Procuratorum quispiam de supremo Societatis capite in Prouinciam suam parum vtilem autoritati, bonoque publico opinionem referret, cunctis seorsum, sine Assistentibus, conuocatis, purgandum sese putauit: quod facillimum factu fuit, cum res adeo futili suspicione niteretur. Nam qua decebat Religiosorum Præpositum, nisi sacrarum scripturarum, & Patrum sanctorum lectione pasci, ac doctrina imbui? Instituta enim Societatis inde perita, inde confirmanda. Addidit de dissensione inter se Assistentium, iubens lætos, securosque discedere, nam se remedium efficax admoturum. His verbis, & congressibus priuatis cognita magis, magisque, & probata singulari virtute Claudij, atque prudentia, exhilarati Procuratores, hoc etiam lætiores in suas quisque digressi Prouincias, quod paulò ante digressum post longa Cardinalium comitia, nonis Decembris nouus creatus est Pontifex Nicolaus Sfondratus, qui vti Gregorij Decimiquarti nomen assumpserat, ita pro sua virtute excellentique pietate in totam Ecclesiam, ac proprio quodam erga Societatem studio, repræsentaturus animum, & tempora Gregorii De-

61 Concluditur in conuentu Pr. Rom. Generalem Cõgregationẽ non cogendam.

62 Duo Assistẽtes à Generali discordes.

63 Dubitatio de validitate suffragiorum arbitrio trium Iuris consultorũ soluta.

64 Generalis Procuratoribus se purgat.

65 Creatio Greg. XIV.

Decimitertij sperabatur. Magni idem faciebat, & familiariter diligebat Claudium generalem, quem postridiè, quam creatus est ad se adeuntem vt vidit, vltro humanissimè compellauit. Cumque ille humiliter veneratus esset, ac Societatem de more obtulisset: non poterat, inquit, cadere in quemquam hoc munus, qui magis esset affectus in hunc vestrum Ordinem, quem nos amamus, & magni æstimamus. Ora Dominum, cum tuis Patribus, vt vires nobis, ad ferendum onus, quod imposuit largiatur. Sub hæc inter alia paternæ benignitatis indicia mille nummum aureorum Pontificatus initio, Domui Professorum ad æs alienum dissoluendum dedit, & quinquagenos deinceps in mensem assignauit. Idem post paulo ingenti cum bonorum gaudio, & Sanctæ Ecclesiæ bono, Cardinali Comense tum sua sponte, tum Claudij Generalis hortatu, instante, Seminaria omnia, quæ Gregorius XIII. inchoarat, non solùm confirmauit, sed etiam, quæ iam à Sixto sub vltima tempora derelicta, vel vehementer lababant, assignatis ex ærario Pontificio pensionibus in integrum restituit.

66 Eius amor in Societatem.

67 Seminaria confirmat & restituit.

In Prouincia Neapolitana Salernum, Consentiamque iusta deducta Collegia. Illic Ioanne Nicolao Petrella, hic Fuluio Butrio Rectoribus primis: vtrobique bina latinitatis instituta classis, sed Consentiæ ante annum extremum addita tertia: vbi cum sodalitates tres superiore iam anno institutæ florerent, Salerni anno sequenti excitatæ quatuor: vna ex Nobilitate, quam ipse Archiepiscopus sua cohonestauit præsentia; altera è Iuuenibus publicum vrbis gymnasium grauiorum disciplinarum causa terentibus. tertia adolescentes Collegij auditores, postrema Vrbanos complexa opifices. quæ singulæ optabiles progressus, & fructus habuere. Par virorum virtute insignium ad recuperandam valetudinem Roma missum, decessit Neapoli, Hieronymus Vbaldinus; humilitate præsertim, quam vel adeunda Societate relictis ecclesiasticis honoribus palam fecit, memorandus; & Augustinus Iustinianus nobilis Theologiæ Doctor, nec minus in Religione cultuque diuinarum rerum, quam in explicatione præstans. Hic postridie Kal. Martij lætissimus, ille Quarto idus Ianuarij compage corporis exsoluti. Ceterum insignem famam Sanctitatis reliquit Syracusis in Prouincia sicula Michaël à Lætaualle, homo haud multa fortitus talenta, sed dignus omnino, qui ob eximiam fidelitatem in paucis super multa constitueretur. Patriam habuit pagum modicum Moriaccium nomine, prope Augustam Prætoriam in Insubribus, anno 1550. Quarto Idus Maij tricenario maior in Societatem Romæ à B. Ignatio admissus, ætate ibi in humilibus, instructoris mensæ, coqui, promique ministerijs exacta, autumno ineunte in Siciliam missus, Panormum ipso S. Michaëlis Archangelorum Principis die appulit, quo die ipse quoque Iacobus Lainius rediens ex Africa, post Aphrodisium à Prorege Ioanne Vega captum, adfuit. Messanam inde Michaël translatus, factusque Sacerdos infimam puerorum classem docere cœpit. Si quid residuum erat otij, munia Sacerdotis magna omnium approbatione obiens. Itaque Annibal Codrettus 1554. de eo ad B. Ignatium scripsit his verbis. Michaël à Lætaualle humili sua obedientia, charitate, simplicitate, pietate prælucens omnibus, multum affert huic Collegio adiumenti. Ac profectò res digna est Dei laude, quanta voluntate, lætitiaque infimam classem instituit, semper valens, ac lætus in laboribus suis. Occupatur quoque, sacris præsertim diebus, confessionibus audiendis, & singulis Dominicis concionatum abit ad Ioannis Oforij Abbatiam, non magna facultate, sed quæ ei loco sit satis. Anno proximo missus ad recens Collegium Syracusanum, in eo ad supremum vsque diem, primò in docendis pueris, deinde in curandis animis, omni conatu, adiuuante Deo, perseuerauit. Totus erat in macerando corpore; totus ardebat zelo animarum; totus Deo, ac diuinis in-

68 Ortus Collegiorum Salernitani & Cosentini.

69 Sodalitates vtrobiq; institutę plures.

70 Hieronymi Vbaldini & Augustini Iustiniani felices obitus.

71 Summa vitæ Michaëlis à Lætaualle.

72 Literæ Annibalis Codreti ad S. Ignatium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

73 Michaelis virtutes.

inhærens. Suam in proximis charitatem sub annum 1576. cum pestilentia Syracusas, & magnam Siciliæ partem oppressit, longè, lateque exercuit, nulla sui cura, & corporibus, & animis pestilentium succurrens. Iam prope septuagenarius institit à P. Generali, vt ad Sinas mitteret sese. Crescit enim famulis Dei laborum cupiditas, quo se vident propiores quieti. Cum prope abesset à morte, sacro viatico nequaquam se dignum existimauit, antequam de suo perpetuo ante sacram Synaxim more, flagellis se cecidisset. Ingens in tota Vrbe consecutus est dolor ex eius occasu; ingens conuenit ad funus frequentia, ingens in rapiendis, discerpendisque vestimentis, quæ pro reliquijs asseruarent, inter omnes certamen exarsit. Multa etiam ex his reliquijs, consequuta deinde miracula: quæ propter, ita Syracusanorum in eum aucta est obseruantia, vt anno 1606.

74 Eiusdem mors sancta

75 Miracula post mortē.

Ioseph Saladinus Antistes ritè cognosci de ijs miraculis, & Patris virtutibus adhibita iuratorum testium fide iusserit, totamque causam in Vrbem miserit, additis literis, & suis, & Ciuitatis, quibus à Paulo V. Pontifice postulabant, vt eum in Beatorum numerum cooptaret: quanquam eas literas reddendi, cum multæ eiusmodi Beatorum causæ per id tempus feruerent, opportunitas in præsens visa non est.

In Prouincia Veneta inter susceptos peregrè labores, apprime fructuosus Iustinopoli fuit. Vrbs ea Istriæ maritima est, cuius & caput vulgò dicitur. Magno Antistitis precatu ad quadragenarias conciones cum Socio missus Bernardinus Merenda, qui, vt erat laboriosus, acerque operarius, nec malus diuini verbi minister, nequaquam quotidiana dictione contentus fuit; verùm diebus festis sub vespertinam psalmodiam de Sacramento pœnitentiæ disseruit: singulis autem diebus salubrem exercitationem induxit, recolendæ Christi passionis. Sub noctem dabatur campanâ signum: protinusque & magistratus omnes, & cuncta ferme nobilitas, & è populo frequentissimi accurrebant, sic, vt cum primùm ad aures status sonus accideret, negotia cuncta desererentur. Tum capita Pater meditationis proponebat, & vna meditabatur, adeoque exardescebat in promiscua multitudine diuinus ignis, vt nec gemitu, nec lacrymis abstinerent. Valde per hæc studia mores correcti: peccatorum excitatus dolor, & odium: ac frequens Sacramentorum vsurpatio introducta. Nec tamen quicquam erat, quod Dei famuli aut charitatem expleret, aut vires delassaret. Idem Cœnobijs Virginum exhortandis, excolendisque operam dabat. idem instituendis christianæ doctrinæ scholis occupabatur, quas numero quatuor satis fundatas præfectis viris, fœminisque honestis reliquit. Idem aures præbebat confitentibus tanta assiduitate, vt, præter ceteros, de tota vita confitentes plus ducentos audierit. Itaque tanta laborum perpessio, & assiduitas, non solùm re vtilis erat: sed & exemplo mirabilis: apparuitque pridie eius diei, quo discessurus erat, quàm populum sua virtute, industriaque deuinctum haberet. Cum enim tanquam ad supremum conuiuium inuitasset in eum diem ad cœleste epulum, tanta fuit hominum frequentia, vt concioni tempus, locusque relictus non sit.

76 Iustinopoli in Istria res bene gesta à Bern. Merēda.

Similia his alibi gesta, & in Prouincia Mediolanensi præsertim, missu Cæsaris Speciani Nouariensis Episcopi per liguslicam oram, vbi oppida viginti lustrata, & in ipsa Vrbe Nouaria, & in finitimis Germaniæ vallibus, opima fructuum, non minore laborum messe. Ex Aronensi Domo, Genuensique Collegio Sacerdotes ad hasce profecti culturas. Taurinenses, vallem, cui à præcipuo pago Lanzum est nomen, excoluere. Ad fontes Sturæ fluuij iacens ad oræ subalpinæ extremos fines, longitudine millium quatuordecim, latitudine varia, & quæ alicubi longitudinem æquet, porrigitur, in octo diuisa partes, quibus singulis obeundis profectum est: instituto etiam monte pietatis ad succurrendum egenis, & detrahendum

77 Missiones fructuosæ per Italiam.

auaris fœnerandi materiam. Sed ad perpetuitatem fructus curatum, vt bis in hebdomada Curiones vnum in locum conuenirent, deque officiorum quæstionibus, & adiuuandi populos sibi commissos vijs agerent inter se; mutuisque concertationibus, & colloquijs, cum prudentiam explicarent, tum incitarent industriam. Duo erant Montes, quorum in altero pastores narrabant, monstrum apparere in varias se formas subinde commutans. Neronem vocitabant, haud dubij Dæmonem esse: in altero singulis annis, lactis, casei, butyrique primitias certo loco ponebant, opinione imbuti, si id omitterent, aut pestem pecori, aut sterilitatem superuenturam. Vtraque superstitio in laudabilem conuersa morem, inductis hisce pastoribus, vt Immortali Deo primitias suas offerrent, nec aliunde opem, salutemque sibi, suisque rebus sperarent: item, vt renouato, quod ob hanc rem conceptum olim erat, voto, certæ quotannis eleemosynæ erogandæ, nunquam montem nisi expiati, cælestique mensa præmuniti subirent. Lacum præterea inter abrupta montium ferebant esse, in quem si lapidem, quamuis minutum conijceres, tempestates maximæ cierentur, haud obscuro Dæmonum ibi stabulantium argumento. Ad eum Sacerdos noster precibus, & sacrificio præparatus, cum Parocho, & altero viæ comite iter intendit. Cumque iam prope accederent, præter locorum vastam deformitatem, auxit horrorem, è sereno nubilum repentè coortum, quod paulatim latius fundens se, & inhorrescens fœdam minabatur procellam: tamen constanter processum, quoad inter desertas cautes, & pendentes vndique rupes lacum circi figura vident: tota facie loci adeo informi ac tristi, vt haud temerè cubile Dæmonum crederes. Ab salutari signo crucis exorsus, inchoat Pater Litanias, respondentibus Socijs; deinde in Sacerdotali amiculo stolatus, consuetas Dæmonibus effugandis adiurationes aggreditur. Quas vbi peregit, lapides ternos, cerei agni adalligata particula, Sanctissimam inuocans Trinitatem, iaculatur in lacum; nec quicquam tumultus, aut tempestatis existit. Vnde assumpta socij quoque fiducia, alia atque alia, vt temerè iacebant, saxa deijciunt, nec quicquam præter solitum infremit, aut mouet lacus. Ita vel Dæmonum compressa vis est, vel superstitionis, pauorisque accolarum vanitas patefacta. Porrò Genuæ vehementer aucta Christianæ doctrinæ exercitatio. Nam quamquam plures ad hanc diem erant scholæ eius institutæ, tamen à vulgari plerumque populo frequentabantur. Hoc autem anno maiore cum dignitate, ac pompa tradi cœpta, tanto studio nobilium fœminarum, vt ipsæ filias ad templa deducerent, numerarentque in summi beneficij loco, si quid illæ iuberentur publicè respondere. Haud minus profectum in turba remigum ad triremes erudienda, principio ducto à Genuensi Prætoria, moxque in alias traducto exemplo. Tanta cum voluptate, ac mutatione vitæ homines fermè desperati susceperе culturam, vt iam pro pagellis lusorijs, libellos precationum, rosaria pro taxillis, manu versarent, pro spurcis, & sacrilegis vocibus christiana præcepta, haud sine cantico vsurparent. Mane, dato signo campanulâ, dabant precationi operam, lustrali aqua aspersi; tum intentis manibus, oculisque, orationem Dominicam, angelicam, salutationem, apostolicum symbolum, aliasque id genus preces, pro sacro celeumate decantabant. Vesperi erant edocti conscientiam explorare; factaque, ac dicta diei totius recognoscere. Interdiu certi erant constituti anagnostæ, qui ad proram, atque ad puppim, è pio libro accommodatum vsui, temporique quidpiam lectitarent. Rosarij inducta sodalitate, ter in hebdomada mysteria eius communiter percurrebant. Itaque videbatur vnaquæque triremium in orationis domum conuersa. Et sanè Cardinalis Saulius, cum post Sixti mortem, impetrata à Senatu Prætoriâ, Romam nauigaret, narrabat deinde: mirificè se aliquando delectatum cum primo noctis silentio repente insonuisset mare, & cœlum, vno è

79 Superstitiones abolitæ.

80 Lacus superstitione purgatus.

81 Celebritas Catechismi Genuæ.

82 Ibidem turbanaualis in triremibus exculta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nautis præeunte ; reliquâ subsequente turbâ , carminibus pijs , sic vt alternis incipientes , & desinentes altetnis , musicorum imitari concentum tanto suauiùs , quanto religiosiùs viderentur . Adeo quod in portu didicerant , etiam conseruabant in cursu . Templum Genuensis Collegij Kal. Augusti sacra cæremonia ædificari cœptum , per absentiam Archiepiscopi , Vicario eius cum maximi templi Canonicis solennes obeunte ritus . Prompta fuit ad impensas Ciuium liberalitas , sed præcipuus autor operis , ac perfector ipsa de Societate Marcellus Pallauicinus fuit . In templo Collegij Comensis magno apparatu S. Amantij corpus collocatum est , sub altari maximo in area marmorea . Donarat sacrum hoc pignus quarto ante anno Ptolomæus Gallius Cardinalis indidem ciuis . Concurrit frequens multitudo ex adiacentibus quoque oppidis ad spectaculi celebritatem , quam Ciuitas arcubus , aulæis , ceteroque ornatu viarum , quà pompa ducta est , magnificè illustrauit . Collegæ autem totum apparatum exhilararunt , area templi , temploque , ingenij maximè operibus conuestito .

83 Templum Genuensis Collegij ædificatur.

84 Corpus S. Amantij in templo Comensi conditum.

In Polonia , vt semper parata est obtrectatio virtuti , & pro religione pugnantibus dimicatio impiorum , exijt anni huius initio incerti autoris famosus libellus ; cui , Actio equitis Poloni aduersus Iesuitas , titulus erat. Quâ de Actione nihil præterea dicendum est , cum satis ipsa se apertis mendacijs iugularit . Nam , vt ait S. Chrysostomus huiusmodi res falsitas est , vt his rationibus dissoluatur , quibus tetendit insidias . Abunde etiam statim , cum ab alijs , tum robusta confutatione , quam spongiam nominauit , ab Stanislao Rescio , viro docto , pioque deleta est . Portentosæ id genus calumniæ testimonia sunt rectè factorum . Quò nobis (inquit admirabilis vir S. Paulinus Nolæ Antistes) gratiam mundi , quæ est odium Christi ? Rectè item S. Ambrosius . Quod vitiosi oderunt , hoc apud bonos sincerum , ac pium est . Ceterum quia Dei sapientia ex malis originibus educere salutares exitus nouit , non pauci nobilium , quanto grauiùs , ante præoccupati calumnijs , exosam Societatem habebant , tanto deinde , cognita æquitate , beneuolentius amplexati sunt . In his fuit Dominus Secignycinski Sydlouiensis Præfectus , qui insigne in hunc Ordinem odium , in tantam commutauit charitatem , & obseruantiam , vt cum grauissimè læsus ab suo genero , nulla procerum autoritate , nullis precibus ad condonandam flecti potuisset iniuriam ; ad extremum vnius Io: Pauli Campani Prouincialis pacificatione , contentus esse voluerit . Redierat Campanus ex Lithuania primo vere Cracouiam , inde in villam Cracouiensis Tyrocinij ad eam conciliandam pacem excurrit . Spectaculum planè dignum christiana nobilitate editum est . Circum stabat corona ingens nobilium Polonorum . Constitit in medio læsus socer Iacobus Secignycinski ; mox ad eum productus Gener Abraham Prouana nudo vertice , flexo genu , veniam precari , multa cum summissione exorsus , nec sine lacrymis , post pauca verba inter eius pedes os adprimit solo . Cumque in in eo habitu perseueraret , grauem orationem socer ingressus , nunc reum , nunc adstantes compellans , indignum in sese facinus admissum exaggerabat , tanto cum motu , vt omnes ad fletum compulerit . Sed nullus ipso grauius reo commotus , qui (eques erat ex ordine S. Lazari) caput attollens , gladium , quo erat accinctus distrinxit , ac porrigens Socero , accipe , inquit , feri , cæde noxium caput . Dele quo exemplo libet iniuriam . At ille sensim ex feroci , atque exprobrante mansuescens. Viue , inquit , quod nullæ mortalium extorsere preces , immortalis Dei nutui , Sacerdotumque eius (Campanum intuens) quod detrectare nefas est , imperio do , atque condono . Viue , assurge , habeto sanè telum istud , sed posthac benè , christianèque vti memento . Sub hæc cum hominem alleuasset arcte complexus , recepit in gratiam , cunctis valde mirantibus , ingenium præferox , & implacabile , grauiter læsum sic delinitum

85 In Polonia liber famosus in Societate editur.

Epist. 4.

86 Detectis calumnijs multi Societati conciliantur.

87 Insignis reconciliatio, opera Campani facta.

nitum fuisse . Sed gratiæ Christi nihil est durum . Lætus hoc successu Campanus , lætum quoque ab Vrbe accepit nuncium . Polonicæ Visitatorem Prouinciæ Ludouicum Massellum mitti . Lætissimus deinde vidit , complexusque Massellum est , gaudens adesse , quem audire , venerarique posset ; non in prouincia modò componenda , sed in omni vita sua regenda , magistrum ac ducem . Simul primùm conuenere , Varsauiam abierunt ad Regem . A quo pro cetera Sigismundi erga totum Ordinem pietate accepti , perrexere Niesuisium , quem in locum Congregatio Prouincialis edicta erat . Impetrauerat id , tanquam oppidi sui , & Collegij ornamentum Nicolaus Christophorus Radiuillus , qui hac ipsa tempestate cum Palatinatum ante Vilnensem , Lituanorum primum , repudiasset , primum ab eo Trocensem præ verecundia vltro deferentis Regis accepit. Porrò coactos ad conuentum Patres , non pristina modò benignitate sua tractauit , cuncta ad impensas , quoad Niesuisij egere suppeditans , sed & Rectoribus viatica ad sua repetenda Collegia , & Stanislao Grodicio , qui lectus est Procurator , ad iter Romam vsque suppeditauit . Iampridem ambigebatur , quòd satis opera vnius Prouincialis , vt inter adeo dissita domicilia , esse non videbatur , vtrum Prouinciam in duas diuidi oporteret . Deinde , quia fessus labore , ac morbis bonam iustamque missionem Campanus post nouem annorum Prouincialatum petebat , vnde successor ei sufficiendus esset , cum si fieri posset Claudius Generalis vellet ex ipsamet legi prouincia . Vtrumque hoc caput Præpositi Generalis iussu in conuentu tractatum est ; ac nemine prope discrepante visum , nullo modo Prouinciam ad eam venisse maturitatem , vt posset si diuideretur , altera sine altera stare . Prouincialem verò curandum omnino , vt ex Italia à Præposito Generali , ac fermè Italus mitteretur . De quibus capitibus cum Cardinalis inaudisset Radiuillus , pro eo quantum & Societatem amabat tanquam vnus ex ea , & vtilem patriæ suæ cupiebat , ad Generalem Præpositum accuratè perscripsit , id quod in conuentu decretum erat , vtile multas ob causas , prorsusque necessarium confirmans . Ita vtraque in præsens omissa cura . Progressus deinde cum Prouinciali Visitator in Liuoniam ab remotissimis partibus inspectionem inchoaturus , Polociæ , Derpatique rebus compositis , Rigæ perplexum negotium reperit. Nam cum post anni superioris certamina Rex causam fecisset suam , nihil dum exprimi vltra potuerat , quam vt templa non Societati , sed Regi restituerentur , transactione causæ totius in proxima reseruata comitia . Collocauit tamen Prouincialis in S. Iacobi æde , tanquam patronus catholicum Sacerdotem , Societatis petitorem , & ipsemet catholico ritu publicè ibi sacrificauit . Inter hæc cum , & regionum vastitas albarum ad messem , multas postularet operas , & Præpositi generalis incitaret hortatus , in sexdecim diuersa loca , duæ , & triginta dimissæ euangelicæ operæ , euellendis superstitionibus , moribus repurgandis , restituendæ catholicæ fidei enixè insistebant . In Podoliam , Camenecum , & plagas circumiectas missus Gaspar Nahaius , latissimum habebat apostolicæ expromendæ campum industriæ : qui vti non patiebatur materiæ deesse conatum , ita faciebat Deus , vt conatum sequeretur successus . Itaque cœptum magnopere agi de Collegio , tanquam de præsidio quodam Cameneci ponendo . Camenecensis Episcopus Stanislaus Gomolinius , frater Andreæ Gomolinij (de quo memoratum est alio loco) & eius oræ Præfectus Nicolaus Iasloueccius coniunctis studijs contendebant . Aptissima sedes iudicabatur , cum esset in finibus regni , Turcæ , ac Tartarorum ditioni affinis , vnde præstaret educi operas ad ipsiusmet culturam Moldauiæ , paucis milliaribus dissitæ , quam intra Prouinciæ eius fines , in qua vt Turcæ subiecta , nihil stabile , ac fidum esset , sedem locari . Contendebat sanè Bartholomæus Brutus , vt in Moldauia Collegium fieret : ceterùm inopia operarum

88 Visitator cũ Prouinciali a Rege benè uole accepti

89 Congregatio Prouincialis Niesuisij.

90 Liberalitas Christophori Radiuilli in Patres.

91 Prouinciæ diuisio reijcitur. Et Prouincialis ex Italia optatur.

92 Rigenses tẽpla restituũt Regi non Societati.

93 Sedecim paria nostrorũ Euangelizatum per pagos missa.

94 Agitur de Collegio Cameneci ponendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

95 Liberatio Energumeni Catholicam fidem Schismaticis commendat.

rum multoque magis turbulentus regionum status, nec dum maturam docebant rem esse. Erant tamen in pretio Patres vel apud Schismaticos; & auxerat venerationem liberatus à Ioanne Schonouiano Energumenus, nulla vnquam memoria populis affirmantibus Popum, Vladicam, aut Metropolitam inuentum, à quo eiectos Dæmones ab obsesso vllo corpore constaret. In Transyluaniam reditus in dies patescebat magis. Conseruabat quæcunque Collegiorum fuerant prorsus illibata Sigismundus, nec inuadi possessiones, nec redigi in Fiscum sinebat fructus; verùm in vsum seponebat eius temporis, quo Societas remigraret. Acciuit quin etiam è Moldauia Valentinum Ladum, qui in arce Fogaraso palam cum Societatis vsitato cultu, nec admodum, vt quidam præferebant, inuitis hæreticis, Sacerdotis Catholici munia, sedulitate sua, & bonitate, plerumque huius anni tractauit.

96 In Transyluania res & bona Societatis expulsæ conseruantur. Valentinus Ladus eodē reuocatus.

97 Ædificatio Collegij Comotouiensis.

In Prouincia Austriæ Georgius Popelius in Commotouiensis Collegij fundamenta, pridie assumptæ in Cœlum Deiparæ, primum lapidem cum titulo posuit: oppidi mœnia orsus amplificare, quo situ illud opportuniore includeret. Idem Collegio Græcensi apud Cæsarem singulari studio adfuit. Mortuo enim Archiduce Carolo, qui non eius modo Collegij, sed & Religionis Catholicæ columen erat in Stiria, tempus rati Prouinciales hæretici, quasi impositum impietati iugum excutiendi, ex collecto dudum odio, acre scriptum Rodulpho Cæsari porrexere. Extremum illud erat, vt vel Iesuitæ Græcio pellerentur, vel certè potestas rerum, & administratio penès Mariam Viduam Caroli non esset. Quippe intelligebant nec fidos optimæ Principi administros in Religione tuenda defuturos, si Collegium, neque multum in Caroli excessu lucri ab ipsis factum, si vxor tanta eius pars, tamque similis, cum imperio permaneret. Cum toto impetu Stiri in hæc magnates conniterentur, nonnihil principio motum est; sed cum ex altera parte, quem dixi, Popelius hac tempestate Aulicorum facilè potentissimus, & Rosensis, & Consiliarius Runphius, & Cancellarius Curtius; & Secretarius Estembergius, alijque pro Dei causa se murum opponerent, demum Stirorum impetus in irritum cessit: & quanquam administratio Maximiliano Cæsaris fratri permissa est, nihil tamen in suarum Sectarum rem consecuti sunt. Res fuit notabilis Archiducis Caroli, & duarum eius sororum excessus. Nam cum ille Augusto decessisset, sequuta est eum Quarto idus Septembris Soror Magdalena, vltima Reginarum Virginum, quæ in Cœnobio Halæ sub disciplina Societatis vixerant. Mense dein Octobri, altera vtriusque Soror occubuit Anna, nupta olim Alberto Duci Bauariæ, mater Guilielmi rerum hoc tempore potientis. Ita tribus deinceps mensibus tres Ferdinandi Imperatoris liberi, alius super alium vita perfuncti. Per Reginæ Magdalenæ excessum non modicum emersit cum Archiduce Ferdinando certamen, dum Societas, quòd præter ordinem in Cœnobio Halensi curando Reginis tribuerat, disertè testata, ipsis dumtaxat quamdiu viuerent Reginis dari, ad suas reuocare leges contendit. Medium quoddam initum deinde temperamentum est. Huius anni autumno in diœcesi Basileensi inchoata Bruntruti sedes. Octauius Paruicinus Apostolicus ad Heluetios nuncius, & Ioannes Christophorus Basileensis Antistes, memores quantum tertio ante anno apud Lauffenses, & in Præfectura Zuingensi missi Patres cum diuina gratia profecissent, institere ab Prouinciali Ferdinando Albero, vt aliquam rursus eodem operam destinaret, tum confirmandis qui conuersi iam erant, tum qui supererant conuertendis. Alberus initio magni ieiunij par Sacerdotum egregium misit, Gregorium Vittureilerium, cum socio, qui inter cetera duos pagos de nouo Ecclesiæ reddiderunt. Lætus eo euentu, cupidusque cœpta vrgendi bonus Antistes, illuc adiecit animum, vt stabilem in sua diœcesi sedem Societati locaret; idque

98 Græcense Collegium ab Hæreticis oppugnatum apud Cæsarem.

99 Procerum Catholicorū fauore defenditur.

100 Tres Ferdinandi Imperatoris liberi trimestri mortui.

101 Sedes Societati Bruntruti data.

à Pro-

à Prouinciali petiturus, primam Epistolæ partem his verbis contexit. Quos nuper Patres R. T. ad hæreses ex aliquot meæ iurisdictionis adhuc locis profligandas miserat, hactenus ita suo sunt functi officio, vt sacris illis concionibus, quas ad populum diuersis in locis habent, & priuato catecheseos exercitio haud pœnitendos fructus fecerint; plures à pestiferis illis opinionibus ad saniorem mentem, & religionem reuocarint: reliquos autem non ita pridem Ecclesiæ restitutos mirabiliter confirmarint, vt quasi iam non res tantummodo, sed & nomen lutheranismi explosum omnino videatur. Cum autem vterque pari vitæ integritate, ac pietate præstet, excellit tamen nescio qua naturæ bonitate P. Georgius Vvittueiler in concionando. Nam singulari orationis suauitate in obstinatos illos animos ita influit, vt prorsus nunquam istic quisquam maiore hominum vel frequentia, vel admiratione eius generis conciones habuerit: ita præterea singulari quadam dexteritate, & summa, quod huiusmodi in locis præcipuum est, discretione cum duræ ceruicis hominibus illis agere quoque nouit, vt non casu sed Deo sic disponente hùc missus videatur. Quo tibi nomine tantùm debere me intelligo, quantum equidem vix posse videor persoluere. Sed tamen & is primum, qui pias hominum actiones diuinis remuneratur donis Deus, cui tu in primis deseruis, tam oportuni, ac necessarij officij tui, ampliſſimam tibi mercedem aliquando reddet: Et id ipse ego omni fauore, & solita beneuolentia erga Societatem vestram, quibuscumque modis possum, promereri non desistam. Addit deinde modestissimas preces, quibus rogat concedi sibi stationem, in qua Sacerdotes minimùm quatuor, germanicè, gallicèque periti versentur; hoc enim postulabat gens, vt in confinio ex Gallis, Germanisque permixta. Idem eodem tempore, epistolâ, quæ, & erga nos, & erga suum gregem studium Præsulis optimi præfert, à P. Generali contendit. Itaque cum tales preces non audire, vel ipse vetaret pudor, sub Autumnum ipse Bruntrutum, qui locus aptissimus visus est, Georgius Vvittueilerius sedi inchoandæ concessit. Olomucij vbi prouincialis Austriæ conuentus, & Augustæ vbi Germaniæ superioris est habitus, vt sæpè alias celebrata illic Antistitis, hic Fuggerorum spectata benignitas, non in alendis modo Patribus, sed in Collegijs quoque ornandis. Austriæ Procurator lectus est Georgius Schererus Collegij Rector Viennensis, qui paulò ante in multorum corona nobilium, cum Paulo Floreno congressus, ita apostatæ, & hæretici superbam impietatem infregerat, vt vnus Procerum spectatorum ad Catholicos remigrarit. Celebrius fuit certamen, quod tandem sub finem autumni inter Ioannem Pistorium, & Iacobum Andreæ Smigdelinum commissum est, præsente etiam Theodoro Busæo Moldshemiensis Collegij Rectore, cuius occasio hoc modo nata est. Conuerso ad Religionem catholicam Ioanne Pistorio medicinæ professore, cui bona mens affulserat ex lectione libri à S. Augustino scripti de vnitate Ecclesiæ, & familiari communicatione cum Patribus Spirensis Collegij, cum præcipuus is esset in comitatu Illustrissimi Marchionis Badensis Iacobi, paulatim quotidianis colloquijs cœpit dubium reddere animum Marchionis in causa Religionis, & eum inclinare ab hæresi, quam Marchio profitebatur, lutherana, ad catholicam Religionem. Qui vt Princeps erat alioqui prudens, cum intelligeret agi rem æternæ salutis, vt veritatem certò cognosceret, colloquium aliquod inter catholicum iam Pistorium, & insignem aliquem lutheranæ sectæ doctorem instituendum decreuit: scripsitque in eam sententiam ad Ludouicum Ducem Vvirtembergensem, vt eo tempore celebrem inter magistros Lutheranos Iacobum Andreæ Smigdelinum ad tale colloquium induceret. Voluisset quidem, quantum deinde apparuit, vitare aleam eius congressus, si salua id existimatione potuisset Smigdelinus. cum tamen id citra notam non posset, admittere, sanè se

respon-

102 Epistola Episcopi ad Prouincialem.

103 Georgius Schererus Apostatā Hæreticū disputando vincit

104 Certamen Pistorij Catholici cum Smigdelino Hæretico.

Universidad de Deusto
Biblioteca

105 Theodorus Bufæus è Societate Pistorio auxiliator adiungitur.

respondit, quod offerebatur: quia tamen Pistorius medicinam, non theologiam, profiteretur, indecorum sibi videri excepit, se Theologum cum longè inferioris professionis Doctore componi. Quare ita demum se assensurum, si Pistorio theologus aliquis adiungeretur. Accepit libens conditionem Pistorius, impetrauitque facilè, vt Pater Theodorus Bufæus nostræ Societatis Molshemiensis in Alsatia Collegij tunc Rector, sibi adesset. Apparuit in Smigdelino (vt ferè fit in hæreticis) pugnare cum pauore superbiam. cum enim auditus esset antea, diffundente se fama conuersionis Pistorij, magnificè iactare inter suos, nunquam ausurum apparere coram se Pistorium, nisi fortè saecenturiatum haberet aliquem Iesuitarum: & Pistorius ea re cognita, clarè coram multis professus esset, sese solum cum solo congressurum: repentè conuersa ratione ad istam Smigdelinus, quam retuli, dignitatis suæ theologicæ allegationem confugit, quam vbi refutatam vidit, adiunctione Theodori nostri, per Pistorium, vti dictum est, impetrata; ministellus nihil in speciem de confidentia remittens, re vera plurimum sibi metuens, varijs quoad licuit prætextibus colloquium distulit; inter alia morosum exhibens sese in conditionibus disputationis præstituendis, abstinendum videlicet philosophia iactabat, quam inanem vt aiebat, vocabat Apostolus: remouendam artem omnem Dialecticorum syllogismorum, agendumque ex puro puto verbo Dei. Sed nota iam satis, & putida ista est Hæreticorum astutia, vbi se iustæ argumentationis vndique inclusos vident angustijs, vociferantium, per sophismata vim inferri veritati. Nempe vt id quod docent confusum, & inconstans est, ita volunt in dissertationibus Andabatarum more decerni; satis gnari, quò pinguius exploretur, hoc minus apparituram dogmatis prauitatem, & vbi valeat impudentia, ibi se fore inuictos. Ceterum vbi vidit Alsatiam Hæreticorum occupatam copijs, inde sperans, nequaquam eo rerum articulo commissuros se discrimini Catholicos Doctores, gloriosè ostentauit se ad quamuis iniquitatem descensurum, & vel ista, quam expeterent dialectica methodo paratum congredi. Fefellit eum multùm fiducia sua. Pistorius enim, & Theodorus intrepidè se ad certamen obtulerunt. Age sanè condicitur in certum diem in Vrbe Bada concertatio. eo se Minister magna stipatus symmystarum manu contendit, sub Nouembris finem, sed cum primo statim experimento stringi se videret, argutis, & succinctis argumentationibus Pistorij, referebat sese idemtidem, immemor acceptæ conditionis, ad querelas, de sophisticis, vt aiebat dialecticæ præstigijs, negauitque tandem præcisè, se ampliùs isto more disputare velle. Senserunt statim qui aderant, quæ vera esset recusationis causa, vnusque inter ipsos existimationis præcipuæ Concionator aulicus palam ad partes catholicas, disputatione conuictus accessit. Cum verò Marchio ipse quoque haud dubiè ad conuersionem inclinaret, ne rem tantam leuiter suscepisse videretur, & Lutheranis Ministris collegæ sui transitum ad Catholicos ægerrimè ferentibus, delimentum aliquod afferret, aliud colloquium indicendum putauit, ad quod cum inuitaret Ægidium Hunnium Doctorem alium è nominatissimis Lutheranorum, omnino is venire recusauit. Suscepit id tamen Ioannes Pappus Argentinensis Doctor, adiunctis sibi octodecim alijs Badensis Prouinciæ Ministris, professus ante omnia se nec cum Pistorio, nec cum Iesuita verbum velle facere: cum aulico Concionatore, nuper, vt loquebatur, seducto, congressum non recusare, qui tamen adeo illi præter spem succesit, vt Iacobus Marchio præcipuam, ex huius ministri clarâ conuictione, conuersionis suæ causam traxerit: dicere deinde plerumque solitus Pappum sui ad Catholicas partes accessus, causam vel maximam fuisse: alias tamen, multas, grauesque istius suæ mutationis rationes, idem Marchio scripto publico vulgauit, & accito P. Theodoro rite coram eo lutheranos errores execratus est. Primus hic fuisse dicitur, qui ex

106 Pimigdelinus certamen subterfugit metu ignominiæ. Et formam Syllogisticâ remoueri à disputatione vult.

107 Eam tamen deinde admittit fiducia exercitus Hæretici vicini.

108 Smigdelinus illaqueari cœptus tergiuer satur.

109 Concionator aulicus ab Hæresi conuersus.

110 Marchio Badensis conuertitur ad fidem Catholicã.

ex Imperij Principibus hæresi lutherana deprauatis resipuerit, atque eo quidem feruore, vt cum minarentur bella, exilia, electionem è Principatu, nulla planè re moueretur, sed gratum sibi futurum diceret, si pro Religione etiam ostiatim cum coniuge, ac liberis mendicare cogeretur, eoque se perfundi gaudio profiteretur, quale nunquam in vita sensisset. Nec est prætereundus susceptorum ab eo primùm catholicorum sacrorum religiosissimus modus. Cum elegisset catholicæ professioni Dominicum diem, qui eo anno in idus Iulij incidit, ad eam ceremoniam bidui ieiunio, multa prece, totiusque vltimæ noctis peruigilio se comparauit, sicque post confessionem ab Hæresi absolutus, & recitata quam Concilium Tridentinum tradidit, catholicæ fidei formula, sacrosanctam Eucharistiam, incredibili significatione pietatis, & cælestis copia dulcedinis percepit. Frustra interim, & cum risu omnium, libello etiam edito glorianre Smigdelino, sese ex colloquio victorem discessisse, nullo alio vanissimæ iactationis fructu, quam vt qui multum de doctrinæ celebritate perdiderat, plurimum iam ad stultitiæ famam adijceret, cuius miser impatiens, breui post in magno vitæ tædio infelicem animam exhalauit. At Marchio postridie literas in vniuersam dimisit ditionem suam, quibus mandabat locorum Præfectis, vt hæreticos Prædicantes concione interdicerent, templi claues ipsi seruarent, ne cuiquam pateret aditus: Prædicantes intra tres hebdomadas cederent possessione ædium parochialium, & intra menses tres, nisi redire ad legitima vellent sacra, Marchionatu exirent. Sub hæc Gregorianum promulgatum Kalendarium, sacræ ædes ad formam, & cultum auitum cœptæ restitui. Nec populi grauatè reuertebantur ad pristinos cultus, quod & vicini semper Catholicis agitarant, nec nisi triginta ante annis ad Lutherum defecerant. Sed magna rerum exordia, spemque, expectationemque bonorum, impia Hæreticorum fraus, porrectis Marchioni venenatis cerasis interrupit. Obijt ille sanctissimè, & Vxor, quæ abduci ab errore viuente ipso nequiuerat, paulò post eius decessum, siue execrata impiorum venenatas fallacias, siue bono coniuge è Cœlo veniam impetrante, ad catholicam pietatem emersit.

Halberstadij quoque (Saxoniæ Vrbs est vetus, ac nobilis) benè rei gerendæ oblata spes, breui intercidit. Hìc superstitem sinceri cultus scintillam, bonus è Franciscano Ordine primarij Templi Concionator, idemque suorum Prouincialis minister in Saxonia, magno studio conseruabat Petrus Trajectinus, qui senio, & laboribus fractus, successorem sancto operi quærens, cum aliunde non inueniret, iamdudum è Societate flagitabat, & anno 1587. Ioannem Goslariensem in aliquod impetrarat tempus. Nunc verò quò tranquillius tota res, firmiùsque transigeretur, ad idem postulandum Collegii quoque Canonicorum inflexerat voluntates. Itaque Ernefelderus Rhenanus Prouincialis Melchiorem Toxitam, & Renuerum Egnoicum primo quoque tempore mittendos censuit; iussos Collegij Heilingestadiani, quod minime omnium distabat, Rectori subesse. Illi profecti, prosperoque vsi itinere, quinto idus Februarij Halberstadium tenuere. Quos vt bonus ille Senex Franciscanus, ad quem diuertêre, conspexit, irruens in amplexus, multum lachrymarum præ gaudio fudit. Nequaquam pares in plerisque Canonicis perspecti vultus: alij palam negare suo scitu aduocatos, alij contendere, veteri quodam Collegij sui decreto Iesuitas Halberstadiano suggesto arceri: nec ante finitum certamen, quàm ipse Visitator, vt vocant, Prædicantium, professus vltro est, Iesuitarum conciones, iustè reprehendi non posse. Igitur tota ijs catholicæ doctrinæ permissa prouinciâ, quotidie per magni ieiunij dies ad Ecclesiasticos latinè; ter in hebdomada germanicè dixerunt ad populum. Temperabant vires, ne inuidiam profectu celeriore accenderent, satis prodentibus indicijs in ciuitate vsque eo corrupta grauem esse eorum commoratio-

111 Constantia eius in susceptа fide.

112 Quanta deuotione Catholica sacra susceperit.

113 Smigdelini ridicula gloriatio, & misera mors.

114 Marchio Prædicantes Hæreticos è suis terris expellit.

115 Idem ab Hæreticis venefico necatur.

116 Eius vxor post viri mortem fit Catholica.

117 Halberstadij Cõcionator è Societate collocatur.

118 Quidam Canonici obstant initio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

119 Post aliquas inducias recrudescit ad uersantium rabies.

rationem, tamen postridie idus Aprilis responsum dedere Canonici, suggestum eis in annum prorogari. Hoc interuallo sperabant inclinationem aliquam rerum futuram, & adlectum iri Canonicos è Catholicis: sed tam longa Satanæ patientia non fuit. Vbi Eustachius Boitel Canonicus, itemque Cellarius summæ ædis, qui vnus aduersarijs obsistebat acerrimè, postridie Kal. Decembrium decessit, continuò malignantium consilia erupere. Petitur à Decano Gaspare à Canneberg, vt Martinus Mirus (rabula erat Lutheranus) concionem in summa æde habeat singulis hebdomadis, & literæ ab Henrico Iulio Brunsuicensi perferuntur, quibus denunciat, Iesuitas dimittant, quod fœderis, pacisque conditionibus non comprehendantur. Is puer cum designatus esset Halbestadiensis Episcopus, iam vir erat secundarum nuptiarum, & propalam Lutheranus, totiusque commissæ sibi Ecclesiæ exitium egregius Pastor moliens, ante omnia Iesuitas amoliendos intelligebat. Nihil tamen in præsens ad exitum perductum: at anni insequentis exordio per speciem leuandi laboris, concio Melchiori, & Socio interdicta. Paulo post ipsemet Henricus accurrit, sacrificium, Eucharistiæ asseruationem, & ceteros Catholicos ritus, & scilicet Iesuitas in primis exturbaturus. Quos cum adesse iussisset, & vnus Melchior, quod Renuerus ad circumiectas Catholicorum reliquias excurrerat: adfuisset, Cancellarius in conspectu multorum, acerbam orationem instituit. Maturè consulendum publicæ quieti. Haberi eos vulgò perturbatores, sectarios esse, & spargere in vulgus errores: clanculum etiam cœtum discipulorum colligere: denique Nobilitatem petijsse à Principe, vt eos eijceret: Principem iubere vt ante proximum Dominicum diem facesserent. Ad ea Melchior, cum demonstrasset se neque Sectarios, neque perturbatores esse, neque discipulos clam vllos colligere, sed tantùm adolescentes duos, qui eodem secum vterentur hospitio, ludum publicum frequentantes, interdum subdocere: quod nec inuidiæ esse deberet, & facilè emendari posset: ad vltimum petijt: vt operiri sibi reditum socij liceret. Facta potestate in illud tempus manendi, vbi primò Renuerus adfuit, ambo communi studio supplices ad Principem Henricum literas mittunt, & ad eum protinus accersuntur. Nequaquam is ambagibus vtitur, in magno Nobilitatis consessu, Martino Miro ad læuam sedente, palam præfatur: se lutheranum esse, illos autem Catholicos. Ceterùm quod intoleranda sibi suis in terris dogmata Catholicorum videantur, idcirco nuper potestatem illis ademptam concionis, & iam omninò esse Halberstadio excedendum. Patres hìc grauiter, ac modestè: accitu se Canonicorum venisse, dictionem accommodasse ad publicas commoditates, atque concordiam: nihil commisisse, quod reprehendere quisquam iure possit; ne vellet nocentium pœnas in insontes decernere. Talia memorantibus Henricus quæstionem de Sacrosancta Eucharistia iniecit; in qua multum, diuque, ex scripto rancida quædam, suffulciente subinde Martino Miro, vociferatus, tandem pronunciat non satisfactum sibi ex Verbo Dei: proinde dicta die facessant. Quinque dierum impetrata mora; & hoc tempore curatum ab Canonicis testimonium, quo fidem faciebant: Melchiorem, & Renuerum, Franciscanorum, ac dein etiam Canonicorum rogatu Halberstadium missos, vt Franciscano Cœnobiarchæ Concionatori subsidio essent. Id munus cum diligenter, fideliterque obirent, suaque virtute, probati Canonicis, & alijs multis essent, commutatam esse rationem temporum, quæ cum id postularet, eos post annuum laborem ad suos remitti. Antequam illi Vrbe egrederentnr, vnus intimorum Principis, qui credulas eius aures sermonibus, aduersum Patres implebat, exijt è vita. Sub hæc & vnus è Senioribus Canonicis, qui vxorem se ducturum fidem Principi obligarat, vitam finiuit: qui cum ad sepulturam efferretur, tanta repente procella coorta est, vt funibus alligandum fuerit

120 Henricus Episcopus Lutheranus Patres Societatis, & Catholicam religionẽ Halberstadio expellit.

rit cadauer ad feretrum, ne turbine abriperetur. Nec tamen hæc valuere, quo minus pergerent impij omnia pessumdare. Itaque ab summa æde, & deinceps ab alijs septingentesimo postquam cœperat anno, catholicus ritus eiectus est.

Hildesij, Erfordiæque maiore futuri spe, quàm fructu præsenti perseuerarunt stationes. Monasterij nouum ædificari cœptum Collegium, ac templum ad sextum nonas quintiles, & quanquam dura admodum irent tempora, non desiderata est Ciuium liberalitas in opere promouendo.

121 Monasterij Collegium, & Templũ ædificantur.

In Belgio spectata Dei tutela, dum ad prouincialem conuentum per infesta itinera Rectores abeunt, redeuntque ad vnum incolumes. Et opera præcipuo fructu locata in Castris. Tredecim fermè ea sub Præfectura Thomæ Saillij in Galliam vsque sequuti, cum miles ad Parisios obsidione liberandos est ductus. Namque Henricus antea Rex Nauarræ post mortem Regis Henrici Tertij, Regni Galliæ possessione aditâ, & summam rei in Parisiorum occupatione verti intelligens, totam eò vim belli contulit. Itaque peracris fuit obsidio, & diuturna, quæque mortales fame ad inusitata quoque alimentorum compulit: adeo vt Philippi Regis Legatus, cum aliquot è suo præsepi cecidisset equos, vnius partem pro insigni dono ad Collegium miserit. Vtque nihil extremarum miseriarum abesset, ex fame, ceterisque obsidionis ærumnis, vis quoque vulgata morborum est, magna cum strage hominum cuiuslibet sortis. Quæ inter mala quanquam vt in tanta multitudine, non deerant qui seditiosè inclinarent ad deditionem, tamen incredibilis, & insuperabilis patientia erat populi, quæ nec inedia, nec morbis, nec arte vlla, aut pretio potuit vnquam infringi. Magno fuit subsidio Pontificius legatus Henricus Cardinalis Caietanus. Is anno superiore Roma, ineunte Octobri profectus, quantumuis properaret, nonnisi Ianuario huius anni senescente peruènit, per ingentia elapsus pericula. Nam Diuionem vbi venisset, quo die discessurus erat, monetur, duo equitum esse millia sub Duce Tauanâ, qui eius iter obsideant. Re consultatâ, cum alij Comitum aliter sentirent, ac plerique fidem eleuarent indicij, Cardinalis in incerto hærens ad faciendum sacrum accedit: postque veneranda sumpta mysteria, in sacrum calicem duas schedulas mittit, in quarum altera, Eundum; in altera, Non eundum, notarat: Deum precans, vt quando cæca planè deliberatio illa erat mortalibus, ipse dignaretur significare, quid facto opus foret. Sub hanc precationem alteram pagellarum educit, legitque non eundum, & mansit dum præsidia à Lotharingo Duce, per quæ tutò deduceretur, accederent. Nec dubium fuit, quin sortes Numen rexissent. Pro certo enim cognitum est, si eo die abijsset, fuisse cum omnibus suis in hostium potestatem venturum. Hæc ex Cardinalis Bellarmini excepta ore, quanquam ad meam historiam, non nisi eo pertinent, quod ipsum Bellarminum à Pontifice missum, & Felicem Vicæum è nostris secum Cardinalis ducebat; tamen ne singularis aduersus eam legationem diuinæ custodiæ periret memoria, commemorare hoc loco iuuit. Magnum igitur solatium obsessis, & leuamentum Cardinalis Legati pietas, & prudentia attulit. Laudem quoque insignem sibi peperit Dux Nemurtius, & Ciues permulti, qui sese terra victituros deuouerant potius, quam vt agi de deditione paterentur. In tam lato, atque multiplici, seu charitatis, seu patientiæ campo, nequaquam occasioni defuit nostra cohors. Adiuuabant omni ope ægrotos conquisitos per Vrbem, cùm milites, tùm alios ciues, eò gratiore in vulgus officio, quò minus in calamitate adeo communi, atque multiplici expectatum erat. Quo in genere pietatis anni sub initium, Martinus Ballesius operæ domesticæ adiutor, benè, ac feliciter desudauit, qui dum in suburbijs relictos Heluetios milites visit, fouetque, morbum inde, & præclaram mortem collegit. Ad leuandam quoque

122 Obsidio Parisiensis. vnde fames & lues in ciuitatem fauit.

123 Cardinalis Caietani periculum felici sorte vitatum.

124 Bellarminus & Felix Vicæus Card. Comites.

125 Nostrorum Parisiensium caritas in subleuandis miserijs ciuium. Mors vnius ex ijs inde contracta. Eorumdem eleemosynæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inopiam publicam, quicquid potuit collatum est. Trecenis quotidie impertiebant è domestica tenuitate stipem, cum simul ingens Conuictorum numerus alcretur, quos in patrias dimittere Vrbes per hostes armatos nefas visum est. Cui necessitati opportunum attulit leuamentum missa à Claudio Generali pecuniæ summa, quam christiana locupletum benignitas Mediolani, Genuæque in eam rem contulerat. Aderant, præter hæc, vbique consilio, concionibus, opera: supplicationes instituebant: præparabant ad pœnitentiam Ciuitatem: ne bellicas quidem æruumnas, & militares casus adeo arctis in rebus, cum diuina agi omnes certum haberent, refugiebant. Neque enim credidimus (inquit Prouincialis ad Claudium Generalem scribens) nos dignos nomine, quo illustramur, si omnibus etiam religiosissimis pro aris, & focis arma sumentibus, nullumque lapidem non mouentibus, nos soli cessaremus. Itaque quamuis à decoro, modestiaque religiosa, quamminimum recederent, nec armati vnquam per Vrbem procederent, tamen laborum in custodiendis muris, obeundisque vigiliis, nequaquam expertes esse sustinuerunt. Fuitque cum seruatæ vrbis decus ad Collegium Claramontanum communi prædicatione delatum est. Ad quartum idus Septembris, cum dicto rumore ea nocte hostem irruptionem tentaturum, ad mœnia, consueto tinnitu ciente, magna vis propugnatorum concurrisset, & inter eos è Collegio manipulus Iuniorum, insidiatores sua cœpta vbi viderunt prægnita, nihil mouerunt. Iamque tantum noctis abierat, vt Lutetiani nihil restare discriminis rati, somno atque solicitudine prægrauati, vel in suas quisque domos dilaberentur, vel excubias, & arma remitterent. Perstat tamen Collegij manipulus, cum pauculis aliorum. Interim animaduersa solitudine, hostes, ac tum maximè vrgendam occasionem arbitrati, quosdam cum scalis, quàm minimo cum strepitu præmittunt. Nec tamen fefellere vigiles nostros. Continuò inclamant ad arma: dant signum Ciuibus, expediunt se ad vim, & primos impetus sustinendos. Iamque vnus hostium inter duos eorum in murum euaserat, scalasque demittebat descensurus in Vrbem; cum illi magno animo accurrunt, scalasque deuoluunt ita fauente Numine, vt cum sclopum ille disploderet, frustaretur ictu, nonnisi fumo sequuto. Interim accurrere proximi quique propugnatorum, & discrimen omne propulsatum est. & scalæ illæ, quæ demissæ in Vrbem iam erant, in monumentum collati in publicum beneficij, delatæ in Collegium. Non multis post diebus adfuit è Belgio Dux Parmensis Alexander Farnesius, & obsidione Parisios liberauit. Quia tamen adhuc impendebant noui terrores, præsertim quòd mature repetendum Parmensi Belgium fuit, existimauit Odo Prouincialis, per modicum illud laxamentum viarum, & conuictores remittendos ad suos, & sociorum quamplurimos emittendos. Itaque & tyrones remisit Virodunum, & Socios ceteros ita per Prouinciam distribuit, nonnullis etiam in Belgium, & in Italiam missis, vt è centum, qui Parisijs partim apud Professos, partim in Collegio, partim in Conuictorum contubernio versabantur paulo plus quadraginta manserint. Inter has externas procellas, aderat domi è Cœlo pax, & iucunditas tanta, vt appareret facere Deum famulis suis cum tentatione prouentum. Congregatio Prouincialis habita Parisijs Iulio ineunte; sed quoniam obsidio impediebat accessum, ex nullis Prouinciæ Collegijs adfuere Patres. In Aquitanica & Lugdunensi prouincia, quanquam non sine periculis conuentum est. Ac Franciscus Bonaldus Billomensis Rector, dum ad suum Lugduno Collegium redit, delapsus in grassatores, sine noxa, imo non sine laude Societatis est missus. Iam verò necesse non est ire per Collegia singula, & enarrare quanto studio in subleuandis communibus malis, dies, & noctes insudatum sit, & precationibus priuatis, & publicis, & pœnis vltro susceptis, & incitandis ad pœnitentiam,

126 Claudij Generalis opportuna subsidia.

127 Laborum partem in custodia mœnium exemplis muntantibus necessitate cogente subeunt nostri.

Et hostem Scalis muectum repellunt.

128 Liberatur obsidione Ciuitas.

129 Nostrorum pars maior alio mittitur.

130 Domestica disciplina & ministeria in salute proximorum in communibus incommodis eursum felicem tenent.

Dei-

Deique implorandam opem populis: quanta in scholastica iuuentute, maximèque in Reginæ Cœli sodalibus, studia animorum exarserint in obeundis diuinis mysterijs, in supplicationibus, in affligendis corpusculis suis. quantus denique in matronis, teneriscque virginibus ardor religionis defendendæ, implorandæque à Deo pacis extiterit. Hæc & alia intelligi potiùs, quia consueta, & æstimari cùm ex grauitate calamitatis, tum pietate gallicanæ gentis æquum est, quàm fusiùs historico labore perscribi.

Inchoatum est Dolæ templum Beati Dionysij, sacro lapide, magno ciuium accursu, ab Antistite in fundamenta iacto. Contulere ad impensam priuati ciues alacritate mira, & aureos mille ducentos Senatus de publico dedit. Sociorum quidam hoc etiam anno in Hispaniam missi, ipsorum accitu Patrum hispanorum: nam qui superiore anno missi fuerant, non communis modò charitatis nomine amabantur; sed ea ipsi se commendabant modestia, ea dabant obedientiæ, cæterarumque virtutum, cunctis in rebus documenta, vt merito quoque suo chari haberentur, & cupiditatem sibi similes alios quoque habendi excitarent. In Gallijs, & alijs Borealibus Prouincijs, vbi vel armati, vel hæretici loca habebant infesta, excursiones apostolico ritu, per vicos, & pagos haud satis è sententia potuere decerni. At in Hispania, locisque pacatis, magna alacritate susceptæ, parique constantia obitæ, exuperante fructu laborem. Vbi ad Petrum Villalbam Aragoniæ Prouincialem Claudij peruenere literæ, hortantes ad animi vires instaurandas in Exercitationum spiritualium otio, tum missiones instituendas, is Cæsaraugustæ cum versaretur, ita rem ordinauit. Primus ipse vna cum quindecim domesticorum, quibus & sanctas illas Exercitationes & ipse proponebat, secessit. distribuit diei spatia in actiones certas, quæ non minus religiosè custodiebantur, quàm in tyronum disciplina fit. Præter conscientiæ matutinum, ac vespertinum examen, & pensa sacerdotalia, binas ante, totidem post meridiem meditationi tribuebant horas; singulas item collationi spirituali; in qua de natura, vsuque virtutum, easque parandi ratione, & vitiorum remedijs inquirebant. Conueniebant etiam interdum à mensa, mutuoque se conspectu, & sanctis colloquijs iucundissimè solabantur, & ad omnem incitabant virtutem. Multas interim quisque arcanas, consentiente Magistro, suscipiebant pœnas, multas publicè: cum fermè diebus singulis in triclinio se quaterni, aut quini diuerberarent, & alia alij seueritatis, & humilitatis exempla præberent. Ita præparati Iobelæo potiebantur, & vota instaurabant: inde ad opera robusti, vegeti, expediti redibant, alijs, atque alijs eodem modo secedentibus, quoad sine vllo publicæ curæ detrimento totum renouatum est Collegium. Ad hunc modum res in reliqua Aragonia, nec dissimili in alijs prouincijs gesta, cum vberrimo vbique profectu. Tantus autem extitit ardor prodeundi apostolico ritu ad iuuandos agrestes, vt certatim duram illam prouinciam sibi quisque deposceret. Itaque & alij in alias oras ex alijs profecti Collegijs: & ex vno Cæsaraugustano Sacerdotes decem in Pyreneos montes digressi, inter ardua rupium, & horrida vallium, & infelicia aspretorum, opem aberrantibus, malèque custoditis Christi ouiculis allaturi.

131 Dolæ Templū inchoatum.

132 Quidam è Gallia in Hispaniam missi.

In Boetica item cum loca delegisset maximè opis egena Bartolomæus Perez Prouincialis, præter communem adhortationem, ijs quos misit Sacerdotibus, nota virtute lectis, monita hæc simul adiecit. Videtis (inquit) quanto studio noster Præpositus Generalis in hasce missiones insistat, & quanta eorum necessitas sit: ideo vos ego delegi, & regiones destinaui, quæ maximè postularent auxilium nostrum. Per suam quique discurrent hoc trimestri spatio Septembris, Octobris, Nouembris, Deus, vt sperare datur, laboribus vestris bonus, ac propitius aderit. Iam pri-

133 Exercitia spiritualia magno feruore obita in Hispania.

134 Missiones in PireneisPP. Aragonensium.

Et aliorum alibi per Hispaniam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

135 Monita P. Perez Prouincialis ad eos quos Euangelizatum mittebat.

mùm ego hoc vos monitos volo, vobiscum vt epistolam ipsam P. Generalis feratis, identidemque legatis, & inter vos tractetis, quam perfectè exequamini. qua ratione possitis absolutius exequi, præsertim in eo, quod ad demerendas, conciliandasque vobis Curionum, ac Religiosorum voluntates pertinet, & ad simplicitatem, feruoremque prædicationis vt sacrorum Bibliorum dumtaxat, & S. Vincentij Ferrerij librorum vsu contenti sitis. Deinde singulis hebdomadis legite missionum regulas, superque ijs inter vos conferte. Etenim quo vos conata vestra diligentiùs ad nostras exigetis leges, hoc benigniùs ad exitum Deus ea perducet, qui Ordinis tam solers est autor, adeoque amator, ac fautor obsequij. In Sacerdotum ac Parochorum institutione vestra potissimùm cura versetur. Inducite ad spirituales experiendas Exercitationes; vtque ob eam rem in Collegium se quod propius, aut opportunius ipsis erit, recipiant. Efficite, vt quæ vos inchoatis, illi prosequenda suscipiant. Inter cetera, vt sint, qui tradendi rudioribus catechismi laborem perpetuent. Cuius doctrinæ formam vos edocebitis. Denique sodalitatem Sanctissimi IESV nominis, contra inanem iurandi consuetudinem, vbi locus permittet sedulò excitate, & figite; cum tam sit vbique vsu comperta eius vtilitas. His & consimilibus alijs præparati documentis, magno etiam numero munusculorum piorum, & catechismorum instructi, egregiè omnes prouinciæ suæ culturam exordiuntur. Sed cum alios morbi, qui longè, latèque per Autumnum grassati sunt, intercepissent, qui Alpuxarras, flumen Almansoris, & Vallem Granatensem adiere, constantiore vsi valetudine, blandiente successu, ærumnas tam auidè deuorarunt, vt prorogationem quoque trimestris spatij postularint. Quos dixi grassantes morbi præbuerunt materiam exercendæ charitatis, cum vbique in ægros è populo, tum Montillæ in Sancti Francisci Religiosos Excalceatos. Vbi fando audiuit Alfonsus Rodericius Collegij Rector, ac Tyronum magister, totum Cœnobium morbis oppressum, statim coniectans, quam multa eos Dei famulos in tali casu pati necesse esset, ac simul reputans, quantum deceret mutua sibi ope sacros viros occurrere, eorum anteueniens modestiam, vltrò ad pietatis opus quatuor sociorum, postque aliquot dies, totidem qui succederent fessis, mittit, grato oppidanis exemplo, ægris ministerio. Nec suum defuit pretium ministris, quorum quidam cum morbos è sancto labore retulissent, Petrus super ea Consaluius laicus coadiutor, qui tyrocinio haud multo antè perfunctus erat, iuuenis bonus, & impiger, optabilem inde mortem inuenit. Scholæ tres hoc primum autumno Astigi patefactæ magna cum ciuium gratulatione, ac spe, neque illa fallaci.

136 Cœnobium Franciscanorum morbis oppressium octo è nostris vltro ad id missi recreant.

Vnus ex ijs hinc mortis causam habuit.

137 Oropesanũ Collegium restituitur.

In Toletana Prouincia restitutum Oropesanum Collegium, octauo ante anno sublatum. Ioannes enim Aluarius à Toleto Comes Oropesanus, quem operibus à se institutis patronum Franciscus à Toleto patruus reliquerat, intelligens Collegium eo potissimùm dissolutum, quòd idem Franciscus Fundator, conditiones cum Instituto pugnantes addiderat, considerans que ingenti bono totam illam regionem carere, quo posset ex Collegio, si tollerentur eiusmodi conditiones, nihilominus certo, aliquanto etiam vberius frui, quam per illas Franciscus sperarat, curauit apud Pontificem, vt tota res ad communem modum redigeretur. Auxit etiam de suo vectigal, vnde factum est, vt non restitueretur modo Collegium, sed absolutius quoque fieret ac plenius operarijs, & disciplinis. Ad septimum decimum Kalendas Maias, præludente in scena dramate, repetiti scholarum labores. Multæ & in hac Prouincia susceptæ per pagos, & oppida excursiones, de quibus Consaluus Auila Prouincialis ita breuiter nunciat Generali Præposito: omnibus dedit Deus admirabiles effectus, & quibusdam plane miraculo similes. Ex Castellana plus quatuor, & viginti Sacer-

138 Excursiones per pagos, & oppida.

Sacerdotes ad sanctas hasce venationes egressi. Et Ægidius Consaluius Visitator ipsas P. Generalis literas ostendebat Episcopis, quò libentius suas adiri sinerent diœceses. Inter hæc neque externæ, neque domesticæ vexationes abfuere. Initio enim anni tetenderunt Cruciatæ præfecti, cum in omnibus religiosorum templis statuere vellent capsulas, in quas pecunia pro commutatione votorum demitteretur, vt in templis pariter Societatis ponerent. Explicatum est ijs, Societati per Constitutiones suas, quas Pontifices comprobarint, non licere id genus gazophylacia habere suis in templis, proprium quin etiam secundi generalis conuentus extare decretum, quod ne ad alienos quidem vsus permitti vellet. Et verò consentaneum videri, vt qui ad vsus ea non habent suos, ne ad alienos quidem patiantur. Nam cum vetitum nobis sit pro sacrificijs, ac ministerijs eleemosynæ, aut stipendij quicquam accipi, haud dubiè multi, qui eas arcas in templis nostris viderent, conijcerent in eas, quæ lex vetat accipere, quo vel ea lex paulatim laxaretur, vel certè falsa crearetur opinio; multique censerent id licere nobis, quod proprijs legibus interdictum est. Quamuis enim præfigerentur tituli qui declararent, non Societatis, sed Cruciatæ arcas eas esse, multi vel per incuriam, vel ignari legendi, eos minus animaduerterent. Nec verò Cruciatam quicquam hinc detrimenti capturam, cum fermè Societas locis degat valdè celebribus, vbi defutura nunquam templa sint, in quibus capsulæ collocentur, ad quas possent mitti pœnitentes, qui stipem pro commutatione votorum præbituri sint. Denique cum Romæ quidam, alibique alij tentassent, vt eius generis repositoria ad pauperum seruandam stipem, & alias externorum vtilitates in templis Societatis collocarent, nunquam permisisse Romanos Pontifices, vt immunitas eius, & instituta læderentur. Hæc Franciscus Porrius Madriti cum Præfectis Cruciatæ libello exposuisset, ijque cunctarentur responsum edere, alterum eodem exemplo Regi proposuit, qui pro sua prudentia, ac pietate rem ad Franciscum Auilam recit generalem Cruciatæ Præfectum, cum eo, vt nihil Societati, contra eius leges pateretur iniungi. Ita demum res tota discussa est, multum adiuuante, vt opinio fuit, Franciscanorum quoque constantia, qui existimantes paupertatis suæ puritatem agi, acerrimè obstiterunt. A domesticis perturbatoribus quies propemodum fuit. Ægidius Consaluius post Castellanam inspectam Prouinciam, & Iosephus Acosta post inspectam Boeticam conuenere Nauarcarnerum, deque communibus rebus ad aliquot dies inter se contulerunt. Ambo deprehenderant noua molientium studia ex perturbato animo nasci, ex ambitione, disciplinæ impatientia, licentiæ, commodorumque cupidine, cum tales ipsi homines essent, vt vel sola vitæ perspecta ratio fidem faceret, nequaquam germanam disciplinæ huius sobolem esse. Porrò maximum remedio impedimentum, nutrimentumque turbarum reperiebant, adeo patentem aditum ad Regem, & Quæsitores, & sub eorum vmbra speratam cuique impunitatem: inde enim fiebat, vt intolerantissimus quisque disciplinæ, formidini esset bonis, & (vt est licentiæ mater impunitas) malum ad plures quotidie velut contagio permanaret. Hoc itaque præcipuè declarandum Regi constituerunt, moxque cum ad eum statum omnem rerum referrent, diligenter exposuerunt; etiam, atque etiam rogantes, vt considerare, ac prohibere vellet. Audiuit vtrumque Rex separatim satis benignè, sed responsi nihil est reportatum, præter solemne, visurum, ac prouisurum. Ceterùm ea ipsa tempestate cum maximè apparebat, quàm necesse esset fonti illi malorum remedium admouere: nam in Boetica Consaluus à Montemaiore delato ad Quæsitores Ludouico Barba Gaditani olim Collegij Rectore, acceptoque à Quæsitoribus Hispalensibus secretario, cum Gades adijsset, totam non domum modò, sed etiam Ciuitatem commouit, adeò multi

139 Capsulæ excipiendis pecuniis pro Bulla Cruciatæ in templa nostra non admissæ

140 Rationes id recusandi.

141 Idem recusatum à Franciscanis.

142 Causæ præteritarum turbarum, deprehensæ.

143 De remedio relatum ad Regem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

multi ad quæstiones vocabantur. Et homo erat delator, indignus planè famulorum Dei commercio, procax, turbulentus, indoctus, in quo denum vix vestitum religiosum agnosceres. Tum autem, vbi quos volebat, vexabantur, iactare se palam, triumphare, insultare. Gemina mox impudentia in Baptista Carillo erupit, qui cum esset nullius penè doctrinæ homo, aliquid existimans autoritatis concionando Salmanticæ in foro collegisse, ausus est & ipse nouarum autor fieri turbarum, præter alia ab alijs exagitata, iam prope obsoleta, contra reseruatos maximè casus coortus. Quod tàm multi essent, neminem ijs teneri, quin & beneficijs vti Cruciatæ fas esse. Denique ingredientibus primùm in Societatem talia ignorata, alioqui non fuisse id oneris subituros: propterea nec votis quidem teneri. In hæc cum Dominici Bannij, Iacobi Orellanæ, Francisci Zumelis, & aliorum, falsa scilicet narratione vsus, subscriptionem facilè collegisset, libellum Quæsitoribus dedit. Perque Orellanam, & Regium Confessarium admissus ad Regem, eo ipso tempore, quo Naualcarneri Visitatores inter se Acosta, & Ægidius agebant, eadem criminans, conatus insuper est sinceram Principis mentem occupare calumnijs, ne mox Visitatorum relatio fidem inueniret. Reuersus inde Salmanticam cœpit venenum per Collegium spargere, & ad seditionem quoscunque posset clanculum incitare. Quod cum Alfonsus Montoia Proprouincialis, qui fortè tum Salmanticæ erat cognouisset, maturè admonendum hominem duxit, & opprimendum incendium. Sed Carillus, statim vt paternam admonitionem Pater exorsus est, ferreo ore, & corde: Quicquid dicturus es, inquit, necesse est coram Quæsitorum Commissario dicas, aliter verbum non audio. Accito Commissario tanto liberius, duriùsque Proprouincialis hominem contumacem, vt merebatur, accepit; persuasum habens vel bonitati causæ fauturum Commissarium, vel certè eo iam ventum, vt nullo respectu periculi, parcendum vocis libertati esset. Excepit omnia Commissarius, & sub ea Carillus tanquam in Bœticam, quò ex obedientia dudum abire licebat, perrecturus, domo egressus mutato vestitu, Madritum querimoniam defert, exagitari se atque vexari, quòd ad sanctum Quæsitorum tribunal perfugisset. Tum pro arbitratu suo Madriti, apud suas deuotulas moratus, & quò libuit euagatus, in Collegio Salmaticensi, cum Commissario Quæsitorum, prima sacri Aduentus Dominica apparet. Iubet confestim Commissarius domesticos cogi omnes, cumque conuenissent, nomine Cardinalis generalis Præfecti, & Consilij totius Quæsitorum, denunciat huius formæ decretum: Mando tibi Francisce Labata Salmanticensis Collegij Rector, Patribusque vniuersis, & Fratribus, vt domum accipiatis Baptistam Carillum, & charitate, qua priùs tractetis, perinde ac si ad Regem, & Sanctum officium non adijsset, eique demandetis conciones, cohortationes, confessiones, & alia, vti antea demandabantur. Cognitionem si quam de rebus eius instituistis, omnem mittite ad sanctum officium. illi enim Domini pro merito vel punient, vel si videbitur ad Superiores eius reijcient. Si cognitio incœpta, nec dum absoluta est, ne vltra progredimini, sed nulla re de nouo inquisita, ita vt nunc est, mittite. Hæc Secretarius cum recitasset, adiecit verbo Commissarius, nomine sacrorum Quæsitorum: notum omnibus facio, edicoque, posse quemlibet nihil metuentem, ne vel pilus ei tunicæ attingatur, ad sanctum Officium habere perfugium in omnibus rebus quæ pertineant ad scrupulum fidei, & ad indicandas molestias, ac miserias suas. His dictis abscessit. Alfonsum Montoiam non impunè laturum opinio erat, quod Carillum acerbius increpasset: sed bonum famulum ei molestiæ, cunctisque vitæ mortalis ærumnis maturè bonus Dominus tertio ante die subduxerat. Iampridem imbecilla cùm vteretur valetudine, auctо & insalubritate anni, & zelo domus Dei languore, piè vt vixerat, pro-

144 Quidam impatientes disciplinæ bonos per delationes calumnioſas vexant.

145 Baptistæ Carilli molitiones contra Societatem.

146 Contumacia eius aduersus V. Prouincialem.

147 Idem domo egressus mutato vestitu vagatur.

148 Edictum Sacrorum Quæsitorum in gratiam Carilli.

149 Mors Alfonsi Montoyæ.

procuratusque ritè diuinis tertio Kalendas Decembris supremum spiritum exhalauit. Amantissimus erat, & intelligentissimus institutorum Societatis, vitæ inculpatæ, excellentis doctrinæ, atque prudentiæ, ab anno 1556. in Societate, magnam partem in regendis Collegijs, præclarè versatus, quo maius hoc tempore desiderium sui reliquit, cum talium columinum, nec magna copia, & vsus maximus erat. Eius in locum communi Societatis iure Franciscus Galarza Præpositus Vallisoletanæ domus successit, dum successorem ordinarium Generalis Præpositus nominaret. Ceterùm Labata Rector Salmanticensis supremis Commissarij verbis haud parùm commotus, scisscitandum putauit, vt clariùs explicaret, Quas cuique liceret molestias, & miserias suas ad tribunal Quæsitorum deferre. Si enim nec ad fidem illæ, nec ad causam sancti eius Officij propriam pertinerent, an vellent obedientiam in Societate funditus perdi, dum quilibet quæcunque res displiceat, sanctum Officium appellat, ne cogatur vel migrare quò nolit, vel suscipere laboriosum munus, vel pœnas meritas dare, contemptam ob disciplinam. Non enim verosimile videri, tantum sibi Dominos Quæsitores assumere iuris, aut negotij velle. Huic interrogationi responsum quid sit, non comperi: sed anno insequenti ita est cognita Carilli importunitas, & mala fides, vt de Societate, etiam Quæsitorum consensu, tanquam indignus, ac perfidus filius amandatus sit.

150 Labatæ interrogatio circa edictũ quæsitorum.

151 Carillus è Societate pulsus.

Multos amisit Lusitania, & antiquitate religionis, & rebus gestis, & virtute memorabiles viros: quorum Franciscus Henricius, Georgius Serranus, & Vascus Perez inter professos piè defuncti. Henricio vltimus dies illixit postridie idus Martij; ab Februarij anno 1546. in Societate nauiter, ac religiosè exercito, in magnis negotijs, maximèque in Collegiorum facultatibus procurandis. à puero deditam Religioni indolem natus, ad Christi migrauit obsequia. Georgius Serranus Patria Olysipponensis, anno Domini 1544., sextodecimo suo, cooptatus in Societatem, inque ea disciplinis omnibus magno profectu, vt ingenio pollebat, excultus, theologiam multos annos docuit: inde ad Præfecturas admotus, etiam prouinciam bene administrauit. Hoc tempore Vicarius pro Fonseca S. Rocchi domum regebat, iamque diù è Consilio sacrorum Quæsitorum erat, magnæ apud populum, atque optimates autoritatis. Septimum idus Augusti diem vitæ supremum habuit. Vasco patria fuit Elua, ætas, cum ad Societatem anno 1560. accessit, annorum non plus quindecim: quantoque puriorem, ac molliorem attulit ad scholam virtutis animum, hoc altius, omne honesti genus hausit. In literis item progressus insignes habuit; præter alia linguas hebræam, & græcam egregiè adeptus, quas & complures annos interpretatus est. Decessit die S. Matthæi, cum præfectum rerum spiritualium ad Sancti Rocchi ageret: iamque duodecimum annum tyrones, non verbo magis, quàm vitæ suæ forma erudisset. Nobilem fortitus est finem Ludouicus Aluarius Auisij, quod Eborensis diœcesis est oppidum. is ex oppido agri Olysipponensis honestè genitus, ingrauibus disciplinis adolescentiam, theologicus auditor, agens, ex patris morte primos habuit ad religiosam vitam impulsus. Vbi enim ille, quem suauissimè diligebat, ereptus est, in fastidium mortalia cuncta venerunt. In cœlestis igitur, immortalisque Patris lectus sortem anno sæculi huius sexagesimo, vitæ suæ altero, & vigesimo, magno magna tolerandi ardore transgressus, consentaneum initijs totum habuit vitæ cursum, & finem. Præstantem sortitus verbi diuini prædicandi facultatem, & aliter hominum animas excolendi, non facile dictu est, quantas Lusitanis vtilitates attulerit. Ad extremum cum præscriptæ ab Generali Præposito diuersas in oras excursiones decernerentur, ipse à Ioanne Correa Prouinciali institit, vt se quoque apostolici laboris, atque benedictionis facere participem vellet; simul-

152 Francisci Henrici pia mors.

153 Itè Georgij Serrani.

Et Vasci Perez.

154 Ludouici Aluarij vitæ summa & obitus felix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simulque impetrauit, illam dicens suam esse desiderio desideratam missionem, cum Raphaele Carnero in plagam transtaganam destinatus, dum baculo innixus, suam sibi humeris sarcinulam portans, castella, & pagos perlustrat, prædicans regnum Dei, inuitans ad pœnitentiam; aures confitentibus continenti labore præbens, antè omnia exemplo vitæ mirus, ac salutaris, febri in publica hospitali domo decubuit: nec inde quanquam multi adniterentur amoueri sese permisit. Verùm lætus, quòd sibi pauperi, ei Domino, qui paupertatem ortu, vitaque sua, & occasu maximè consecrauit, liceret animam in contubernio pauperum reddere, Septimo Kal. Decembris, eodem loco curriculum laboriosæ ætatis expleuit. Corpus Eboram (non enim plus diei iter distabat) honestissimo populi religiosorum, & Clericorum comitatu perlatum: atque ægrè cohibita multitudo, ne demortui vestimenta certatim ad conseruandas reliquias laceraret.

155 Ludouicus Vasconcell' Angræ piè moritur.

Haud absimilem Ludouicus Vasconcellus Angræ venerationem sui reliquit, vbi quintum iam annum regebat Collegium, cum alterum quinquennium multo ante rexisset, externis, atque domesticis laudatus. anno 1554. mense Aprili, vndeuigesimum annum ætatis suæ decurrens, adscriptus in Societatem est, eò præcipuè adamatam, quod ad martyrium (cuius flagrabat cupidine) consequendum aptissimam iudicabat. Nunc Eboræ, aut Conimbricæ, aut Olyssippone tyronum institutor, nunc Prouincialium Comes; nunc Rector; ætatem omnium ornatu virtutum spectandam exegit.

Angolæ in Regno, quam vtiliter hoc quoque anno Patres nostri contenderent in omni Ecclesiastici ministerij parte duobus in præsentia demonstratur indicijs, primum conuersione quingentorum supra mille, è patrijs superstitionibus ad Christi Ecclesiam baptismo aggregatorum, præter plures alios, qui iustis de causis in catechumenorum adhuc ordine sunt relicti: deinde iudicio Pauli Diazij Lusitani nobilissimi, eius nepotis, qui Promontorium Bonæ spei primus superauit, hominis ijs in partibus præpotentis, qui ibidem hoc anno moriens ijsdem supremis Tabulis, quibus agros amplissimos, & vberrimos Societati legauit, Philippum Regem admonuit, vt si saluum, ac florens in terris illis Barbaris & suum, & Dei regnum vellet, daret operam, vt quamplurimi semper ibi degerent Patres Societatis. Hoc anno duo è nostris missi ex India in Æthiopiam intercluso varijs casibus eius regni aditu, in lucro posuere, quod reuerti vnde discesserant, liceret. Causa mittendi fuit, quod duos tantum è magni Patriarchæ Ouiedi comitibus illic superstites esse constaret, quos subsidio egere non dubium erat. Sed Deo aliter tunc quidem visum. Sæuissima enim pertinacissimè vexati tempestate, ter malo nauigij confracto proximè naufragium adducti, eiecti tandem in littus Arabiæ, ibique capti ab Æthiopibus, & cuidam Turco mancipati, post multas de pretio redemptionis licitationes, & aliquando auarorum dominorum perfidia rescissam certi lytri pactionem, tandem numerata piorum subsidijs, quanta exigebatur, pecuniâ, bona fide liberati, ac suo iuri redditi, versus Indiam iter intenderunt. Admonet me opportunitas illatæ fortè mentionis Æthiopicarum rerum, vt ex plenissimis commentarijs serius ad nos appulsis, hic qualicunque loco suppleam non amplius tolerabilem Annalium nostrorum præcedentium defectum. Si quidem interuersis casu quodam actis illius temporis in quod viri Venerabilis Andreæ Ouiedi Patriarchæ Æthiopiæ pretiosa mors incidit, adhuc in nostra Historia, Annus, mensis, & dies ignoratur, quibus virum tantum ex hac vita euocare Deo visum est. Obseruare lector potuisti superius parte quarta huius operis [a] tradi mortuum Ouiedum Patriarcham anno Christi 1577. Paulo post [b] eumdem obijsse dici Septembri mense, die propter literarum iacturam incerto: quem tamen Antonius de Arana [c] quartumdecimum fuisse mensis Septembris ait:

156 Mille quingenti conuersi.

157 Testamentū Pauli Diazij

158 Infelix iter duorum in Æthiopiam missorum.

159 Verus ann°, & dies mortis Andreæ Ouiedi

a lib. 5 n. 265
b n. 292.
c lib 2. de vita Ouiedi c. 3.

sed

sed id illum ex parum certis hausisse monumentis certum est; cum in contrarium consentiant duo in primis idonei Autores, qui Æthiopicam istorum temporum ex professo Historiam tractarunt, Emmanuel Almeida, & Petrus Paëz è nostra vterque Societate. qui quoniam de anno dissident; tradente Almeidâ obijsse Patriarcham Ouiedum anno 1577. Petro autem Paëz affirmante superfuisse illum vsque ad annum 1580. Petro equidem hâc in parte plus fidei tribuerim, quem ex ipso Almeida constat diutissime in Æthiopia versatum, res & nostræ illic Societatis, & illius Ecclesiæ, plene perspectas habuisse. Huius habemus volumen spissum libris quatuor prælongis vniuersam rerum in Æthiopia per Societatem gestarum memoriam exequens diligenter ac disertè. Nuncupat id opus autor ipse Mutio Vitelleschо Generali Præposito Societatis Epistolâ scriptâ in Vrbe Danca, vbi tunc degebat Imperator Æthiopiæ, die 20. Maij Anno Christi 1622. Peruenit porro feliciter huc Romam ipsum eius libri archetypum vt videtur vnicum, atque autographum, autoris exaratum ipsius manu, quod ne in plura exemplaria vulgaretur, cum cætera penuria & difficultates istorum locorum, tum libri moles & longitudo prohibuerit. In eo sic ad fidem omnia apposite narrantur, vt non dubitem quin si hoc scriptum Almeidæ, aut diserto eius Breuiatori videre contigisset, narrationes vterque suas ad eius autoritatem accomodaturi fuerint. Adeoque illud inter alia comprobaturi quod disertè tradit: videlicet annum Æræ Christianæ millesimum quingentesimum octogesimum Andreæ Ouiedo Æthiopum Patriarchæ sedis & vitæ fuisse supremum. Præterea eundem Virum incomparabilem, die, quem tota vitâ præ cæteris coluerat, Tertio Kal. Iulias, annuæ memoriæ Martyrij Apostolorum Petri & Pauli sacro, decessisse. Addit Petrus Paëz quod longo vsu obseruauerat, coli quantum fas est priuata pietate, ab Æthiopibus Catholicis anniuersariam Boni Patriarchæ Andreæ transitûs diem; sed qui correcto ex eo tempore apud nos, non item apud ipsos, decem dierum exemptione Kalendario, nunc respondeat ei diei quem septimum Idus iulias nos more Romano numeramus. Præiuerat Annalium Auctori in assignando decessui Andreæ Patriarchæ Anno 1577. & mense Septembri, Nicolaus Godignus noster libro Tertio de Rebus Abassinorum cap. 15. Ac mox capite sequenti adiunxerat, quinque illi socios superstites in Æthiopiâ fuisse; ex ijs à moriente Patriarcha cæteris Præfectum Antonium Fernandium primum omnium obijsse; nec dicit quando. Post hunc obijsse Gonzalum Cardosum, qui à latronibus in sylua obtruncatus interijt; quo anno, tacet. Tertium ex hac vita migrasse Andream Gualdarum, qui dum Præfecti sui iussu Mazuam petit, interceptus à Turcis, & pro Sacerdote Catholico agnitus, interfectus est. ne huius quidem mortis annum exprimit. Quarto loco ait abijsse ad superos Emmanuëlem Fernandum; nec anno, nec die notatis: Incredibiliter deprauata omnia. Et ex ijs corrigenda quæ partim in supplemento libri 1. Partis huius V. partim sub finem libri quinti [b] superius scripsimus, postquam iam meliorum eramus notitia monumentorum eruditi.

160 Errata in libro Godigni.

b num. 160.

Goæ Indiarum Prætor Emanuel Sosa Cothinus cum classem armatam ad Mangaloris arcem mitteret, eò instititit efficaciùs, vt duo è nostris Sacerdotes profecturis in eam expeditionem militibus adiungerentur, quò recentior memoria extabat operæ à duobus alijs egregiè nauatæ in expeditione Melindensi anni superioris, quam ducens Thomas Sosa Prætoris Frater, Alebechium Turcicæ classis Præfectum infestantem Africæ littora memorabili ad Mombazam insulam, Vrbe capta, & incensa, prælio victum, etiam captiuum duxerat cum ingenti præda. Mox de Rege Lami fœdifrago, & Proditore intra suam ipsam Lamensem ciuitatem capto supplicium palam sumpserat: & tot, ac tantis rebus gestis tertio quam soluerat mense incolumen exercitum reportarat Goam. Prædicabant gra-

161 Expeditio Melindensis felix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

162 In ea vtilis opera nostrorum.

tis animis Duces, & milites quantum Patribus deberent. Eos in extremo periculo sæuissimæ tempestatis, quæ vsque ad iacturam imperandam pretiosissimarum etiam sarcinarum terruerat, consternatam in nauibus, & desperabundam multitudinem, supplicationibus, precationibus, ostensione sacrarum imaginum, & reliquiarum, denique incensis zelo adhortationibus recreasse. Eosdem in procinctu difficillimi prælij aduersus hostes, & numero plures, & victorijs feroces, & munitione in speciem impenetrabili septos, purgandis pœnitentia militibus, moxque ijsdem prælata Beatissimæ Dei Matris effigie ad rem arduam heroico ausu aggrediendam animandis, inspirasse Christianis eos impetus; quibus nulla multitudo, nulla vis Turcorum, nulla iniquitas locorum, aut prærupta minacitas insuperabilium vallorum potuerit obsistere. Postremo cum inter Sosam classis Præfectum, & Mendem vnum ex primarijs Tribunis, aliosque minores, grauis esset, & periculosa de prædæ diuisione orta dissensio, ex qua internecinum certamen timebatur, Patrum interuentu composita rixa est, & feliciter restituta concordia. Goæ duobus baptismis solemnibus catechumeni mille quatuordecim Christo renati sunt. Ibidem Ludouicus Pinerus Moralis Theologiæ Magister, in meliorem, vt speratur, vitam pia morte transiuit, diligentissimus obseruator Religiosæ disciplinæ, & Deo in omni rerum, ac vitæ varietate intimè coniunctus. In Salsettis vberrimi fructus extabant stationum sex in quas Collegium Raciolanum per pagos eius regionis aptè ad Euangelij prædicationem est diuisum. Ter mille octingenti sexaginta quinque à nostris hoc anno baptizati. Cincinus pagus consensu communi, & decreto publico suscepit Christianam legem, exilio recusantibus indicto. Quingenti vno die sacris aquis tincti. Id alij quidam pagi imitati. Iamque in vniuersa regione Christianorum numerus ad viginti tria millia creuerat. Prætereo similia in alijs sedibus Prouinciæ; vt Iaponios Legatos aliquando in patriam reducam. Prius tamen, quæ hoc anno antequam Amacaensis nauis Valignanum, & Legatos ferens Nangazachium appelleret, per Iaponiam his Annalibus digna gesta sint, breuiter hic reddam. Duo seminaria, Fratrum nostrorum alterum operam literis dantium, alterum Adolescentum externorum nostræ curæ commissorum, proprijs sedibus tempestate persecutionis excussa, in ditione Regis Protasij diuersis Vrbibus consederant, illud Ariæ, hoc Canzuzæ. Ex ea separatione duarum eius generis, & instituti domuum, cum alia non parua incommoda sequebantur, tum illud Euangelij propagationi valde noxium: quod sic duplicato, aut etiam multiplicato numero Magistrorum, ac moderatorum vtriusque iuuentutis, minus multi supererant è Patribus, qui Apostolicis excursionibus per Pagos, & regiones Idololatrarum darent operam regno Christi propagando. Collatis igitur Patres inter se consilijs, Protasio Rege maxime probante, omnemque sumptum, atque operam prolixè offerente, Collegium ex Aria Canzuzam translatum, iam tum sub finem anni superioris, seminario illic prius posito admouent. Vnde factum, vt scholis ijsdem religiosam, & secularem iuuentutem capientibus; vnoque vtrisque Magistro sufficiente, ac ex ipso Religiosorum studentium, nec adhuc sacris initiatorum numero, contuberniorum moderatoribus, regendo puerorum sodalitio idoneis suppetentibus, Operarij Sacerdotes ad triginta quinque expediti ad missiones Apostolicas reperirentur. Ii continuo varie dimissi fructus eos tulere, quorum indicationem breuem hic debere Lectori me sentio. Primùm, referebant deinde gratulantes omnes, sese dum pagos obirent Infidelium, & obuijs quibusque Christum annunciarent, miram admittendis, quæ tradebant docilitatem reperisse in multis vtriusque sexus senibus decrepitis, qui fere breui tempore postquam erant baptizati moriebantur, vt in idipsum dilati beneuola numinis prouidentia viderentur. Post hoc omnibus commune, quædam refe-

163 Mille baptizati Goæ.

164 Mors Ludouici Pineri.

165 Multi conuersi in Salsettis.

166 Collegium cum Seminario vtiliter coniunctum.

167 Mira docilitas in Ethnicis ad fidem.

rentur singulorum propria. Duo elaborabant in oppido cui nomen Migra, nec multum proficiebant, quod locus tenebatur velut præsidio diaboli, Cœnobio locupletum Bonziorum, qui loci incolas sibi obnoxios grauibus minis deterrebant à Christi religione suscipienda; parum in eo verentes Protasium Regem, quod eum metu Cambacundoni non ausurum in ipsos sæuire confidebant. Ac iam successu quodam auctis animis, non contenti obstare conuersioni gentilium, paucos etiam, qui ibi viuebant Christianos calumniabantur, quæsitis cauillandi prætextibus. Sepelierant ij quemdam è suis mortuum certo loco. Eum locum Bonzij, iuris ipsorum esse causati, minaciter edixerunt, nisi mortuus inde maturè tolleretur, sese curaturos in sterquilinium feris, auibusque comedendum eijci: quo terrore Christiani refossum cadauer alibi condiderunt. His Rex Protasius auditis, enimuero non amplius dissimulandum ratus, Bonziorum Præfectum ad se citat, quærit, ecquid scierint sese esse Christianum? Vnde ergo tantum licere sibi voluissent in Professores Religionis Regis sui? Deprehensus Bonzius cum nec inficiari factum impium, nec excusatione idonea posset defendere, bonis mulctatus redire in Cœnobium iussus est, ac suis nunciare: deliberaturum Regem quid de capite rebellium sibi subditorum constituere conueniat. Et re vera Rex, quod legibus Iaponiæ ipsi licebat, de ijs necandis cogitabat. Sed Patres nostri palam deprecati sunt. At Bonzij iactura bonorum & mortis metu consternati, vbi cognouerunt deprecantibus Patribus gratiam ipsis vitæ impetratam ab irato Principe, adeo emolliti sunt quadam teneritudine grati animi, vt vltro benefactores, prius exosissimos, adirent, gratias agerent, venerarentur; audirent ad extremum legem Euangelicam edisserentes, eamque facile probatam amplecterentur omnes palam baptismo suscepto. Mille cum ipsis Indigenarum credidere, tinctique sacris aquis sunt; in alio vero oppido Monama dicto, ad nongentos baptizati. Confugerat sub ditionem Protasij Regis Isafayus, eius sorore Primogenita non Christiana natus, Ethnicus adhuc ipse, quem Auunculus miseratus à Cambacundono spoliatum principatu patrio, in arce munita sui regni, commodis ædibus, & annuis attributis censibus honorificè habebat. Ad huius castrum delati duo ex Apostolicis operarijs facile iuuenem bonæ indolis ad baptismi desiderium perpulerunt, sed pertinaciter affixa patrijs superstitionibus obstabat mater; cuius, vtpote Regis sororis, auctoritatem veriti, non solum Isafayi familiares, sed & loci incolæ, à veritate Christiana, quantumuis perspecta, amplectenda retardabantur. Non diu latuit ea res Protasium, qui confestim denunciari sorori iussit: Christi cultum, atque amorem sibi cunctis longè necessitudinibus, atque affectibus antiquiorem esse, ni eum ipsa calumniari, insectarique desisteret, haud pro sorore agnituram. His minis territæ mulieri, cum insuper filius, & familiarium prudentissimi quique certatim admonerent, quantum deberet Regi, quantumque eo articulo rerum suarum eius gratiâ egeret, facile persuasum, vt saltem conniueret cum ministris Euangelicis, nec eorum prædicationem palam oppugnaret. Sic non solum Isafayius, sed & vniuersa eius familia per otium imbuti Christiana doctrina, Christum per baptismum induerunt, imitantibus eos incolis eius loci numero quinquaginta supra vndecies centenos. Ipsa quoque ad extremum accedente Matre Principis, & domus totius lætitiam cumulante: cui vltimum, & efficacissimum ad deponendam pertinaciam impulsum opportunè impressit Gasparis Coëllij adhortatio, licet languentis eo iam tum morbo, quo breui est mortuus, vt postea dicemus. Ximabaræ similibus excursionibus acquisiti Christo mille sexcenti, totidem Tauræ. Denique in vniuerso regno Arimæ, inuitante præsertim miraculo crucis inuentæ, & signis, ac curationibus per eam in dies succedentibus, vndecim millia quingenti hoc

168 Bonzij Christianis iniqui.

169 Cohibentur à Rege.

170 Quem ab ipsorum cæde nostri reuocant.

171 Bonzij cum bis mille alijs baptizantur.

172 Isafayi conuersio.

173 Frustrà impedita ab eius matre.

174 Quæ tandem & ipsa credit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

175 Vndecim millia quingenti baptizati.

anno baptizati, & nouem Ecclesiæ constructæ; sed locis aujis, & parum celebribus; sacraque Officia, & conuentus in ijs cum aliqua latendi cura celebrabantur, ne Cambacundonus irritaretur. Tumente inter hæc belli apparatibus Amacuza insula, Nouicij Societatis, quos eò missos persecutionis initio, dictum est, prudenter à Viceprouinciali translati sunt Omuram; id vltro deposcente Principe Omuræ Sancio, qui cura deinde paterna illos amplexus & ædes illis commodas, & victum attribuit benignissimè. Turbæ inde Amacuzanæ in apertum incendium eruperunt, quo cum videretur humanitùs Ecclesia illorum tractuum, hactenus non parum & numero, & merito Christianorum florens, misere conflagratura, tamen Deo moderante adeo in contrarium sors vertit, vt ex istis ipsis denique tumultibus non parum religio proficeret. Amacusam Insulam inter se partiebantur Dynastæ quinque. Potior pars Ioanni sæpius à nobis memorato parebat, Amacuzadono inde nominato, Christiano feruentissimo, eidemque viro fortissimo. Duo alij Christiani item erant, sed recentiores: nimirum ex quo persecutio ceperat Ecclesiæ adiuncti; Oiendonus, sic dictus à dominio insulæ Oienis, & Sumotodonus, præter locum vnde id nomen more iaponico trahebat, multarum quoque aliarum terrarum dominus. duo postremi ante hoc bellum adhuc Ethnici, eius occasione Christum agnouerunt, Cojuradonus, & Gicondonus, ille puer decennis sub tutela matris superstitionibus Iaponicis addictæ; hic grandis natu, Patruus Protasij Regis; vir bellicosus; & dudum impatienter ferens inuidiosam potentiam Cambacundoni: in quem cum liberrimè obloqui solitum audiret Amacuzadonum Ioannem, Virum & opibus, & animo peraccommodatum factioni firmandæ, facile, vt fit, ex consensu studiorum in Societatem cum eo consiliorum venit. Ambo haud dubie rebellionem spectabant, nec ea res diu latere Cambacundonum potuit, in omnes partes acri vigilia intentum. Mittit quemdam Asonodarium nomine, hominem sibi fidum, qui res eorum, ac sensus exploret. Is cum ipsis denunciasset: habere se, quæ ipsis diceret nomine Cambacundoni, ad se venire ne grauarentur: ambo ferociter adesse recusarunt. Quo nunciato Cambacundonus exercitum Amacusam mittit, ducibus Augustino & Toronozuquio. Augustinus Ioannem miserans, cui vt Christiano spatium consulendi rebus suis dare cupiebat, belli primos impetus in Gicondonum effudit, ducto secum in eius terras Toronozuquio. Nemo in campo occurrit: Arx in qua erat ipse Gicondonus post acrem aliquot dierum oppugnationem vi capta est, saluo tamen Gicondono, qui ad Protasium confugiens, in eius aula Christianis referta audito Catechismo libens, gaudensque baptizatus est. Interim Amacuzadonum Augustinus exitio subtrahere pacem suadendo conabatur. At ille ne Gicondoni quidem casu fractus, experiri vltima decreuerat. Obsidetur regijs copijs in vrbe sua Funda, nec vllam tamen compositionis mentionem sustinet. Dux Andreas Patruus Amacuzadoni Præfidij Præfectus, cum fere mille trecentis Christianis militibus fortissimis, ea oppugnatione cadit. Euersis iam muris militi Cambacundoni per ruinas in vrbem irrumpenti fortissimè restitit cohors mulierum trecentarum, victoriamque in incerto diu tenuit, donec ijs cunctis, præter duas, interfectis, tandem expugnata ciuitas est. Et Toronozuquius vt copias reficeret eruptionibus obsessorum multum imminutas, in regnum Fingense recedere coactus, belli reliquias Augustino persequendas reliquit. Eò ille liberius, remoto arbitro, indulsit suo in Amacuzadonum fauori. Nec destitit vrgere, vt se ipsi consulere sineret, quoad missis hominibus amicissimis fugienti persuasit, vt fidem suam experiretur, pollicitus se ipsi veniam, & pacem impetraturum à Cambacundono. Hic finis huius belli fuit, cuius occasione non solum Gicondonus vti retulimus;

176 Nouitij Amacusa Omuram trãslati.

177 Bellum Amacusanum.

178 Ad extremum Ecclesiæ felix.

179 Gicondonus cum Amacuzadono cõiurat.

180 Ambo in Cambacundonum rebellant.

181 Augustinus contra illos missus.

182 Amacuzadono consulere tentat. Fruſtra.

183 Expugnatio Vrbis Fundæ.

184 Amacuzadonus reconciliatus Cãbacundono.

mus; sed & qui vltimus supererat Amacuzæ Principum Coiurandonus Ecclesiæ per Baptismum adiunctus, nullam partem istius insulæ reliquit dominio Gentilium obnoxiam. Res in hunc modum est transacta. Arx quædam Pueri Coiurandoni, quæ propter eius quædam cum Gicondono conuenta, præsidio Gicondoni huius initio belli occupata fuerat, Augustino Victori cesserat. Is compositis rebus Amacuza digrediens, Christianum equitem, Virum optimum, & sibi fidissimum, isti præfecit arci, etiam atque etiam commendans, vt adolescentulum Coiurandonum christianæ legis rudimentis imbui curaret. Resistebat initio Pueri mater, tamen ad extremum annitente ipsius Coiurandoni sorore maiore, quæ paulo ante renata per baptismum, Sumotodoni Christiani filio primogenito, & ipsi Christiano nupserat, cuncta sunt obstacula perrupta. Itaque Dominica Septuagesimæ huius anni in arce Coiurandoni solemnis baptismus magna cæremoniâ celebratus est. Eo Coiurandonus cum Matre cognatis, & familiaribus cunctis, aliquot item Bonzij, & multi ex eorum subditis, omnes numero mille quingenti, sacris aquis eluti sunt. Iucundum fuit videre quosdam ex ipsis post mysticum lauacrum exeuntes templo, in delubra profanorum numinum infestos currere, deiecta ex aris idola, vel è penetralibus extracta confringere, ac pedibus calcare. Nec perseuerantia recte ceptis defuit, Religione, in hac deinceps insula concordi fauore dynastarum omnium, felici cursu progrediente, valuitque ad leues homines ab inconstantia deterrendos supplicium opportunè à Sumotodono captum de Apostata Bonzio, qui haud contentus, quam vltro petito baptismo susceperat, eiuranda religione, Christianis sacris illusisse, etiam per pagos cursans simplicioribus rusticis suadere reditum ad antiquas superstitiones conabatur. Huius caput præcisum in loco eminenti spectaculum vulgo præbuit; corpore seductoris, vna cum libris præstigiarum instrumentis, combusto. Nonis Maij huius anni finem viuendi fecit Canzuzæ P. Gaspar Coëllius Vice-prouincialis, nono anno Præfecturæ suæ. Excoluerat Iaponicam vineam annis vndeuiginti, non diligentia solum, & contentione sed etiam successibus maximis; vitæ vir inculpatæ, rectissimæque mentis; sed probatior industriâ priuata, quam Prouinciæ regendæ prudentiâ. Translato Arimam magnificis exequijs Protasius Rex, & concurrentes illorum tractuum Ecclesiæ parentarunt. Sumpsit habenas rerum in mortui vicem Petrus Gomezius, cui ad clauum Ecclesiæ Iaponicæ tempestate tam difficili rectè moderandum, cum sua virtus, & sapientia satis facultatis dabant, tum vt idipsum securiùs ageret, opportunum breui subsidium adfuit, reditu in Iaponiam visitatoris Valignani, qui 12. Kal. Sextiles huius ipsius anni, cum quatuor Iaponijs Roma reducibus Legatis, Nangazachium feliciter appulit. Exscendens, Viceprouincialis Coëllij mortem audiuit: & quia multas hisce annis, quibus abfuerat à Iaponia, Præcipuorum Prouinciæ Patrum literas acceperat conquerentium de Coëllio, quod plusquam par esset iudicio suo fideret, sententiam de rebus maximis, nullius nec quæsito, nec audito consilio præcipitans, & male decreto rum noxiè pertinax; vnde grauia rei communis detrimenta nata viderentur, quo quam posset citissimè offensiones leniret animorum, & damnis quoad fas esset impendentibus iret obuiam, statim extraordinarium conuentum omnium, qui erant in Iaponia Professorum Societatis, & Superiorum, Canzuzam indixit idus Augusti, vbi & præterita retractauit quoad fuit integrum, & de præsentibus, futurisque, sententia cuiusque Patrum patientissimè audita, concordi cunctorum suffragio statuit. Hæc maxime agentem Valignanum interpellarunt à Simone Condera, & Augustino gratiosissimis aulicis literæ, quibus admonebatur: venturam quamprimum Nangazachium iussu Imperatoris regiam nauem, quæ ipsum vti Prætoris Indiæ legatum, & quatuor Iuuenes Iaponios ex Europa reduces, velut

185 Coiurandoni cõuersio.

186 Et baptism⁹ item Matris eius cognatorũ, & subditorum. Ad mille quingentos.

187 Supplicium Apostatæ.

188 Mors Patris Gasparis Coellij.

189 Ei succedit Petrus Gomez.

190 Reditus Valignani cum legatis.

191 Querelæ de regimine Coellij.

192 Conuentus Patrum Cãzuzæ celebratus.

193 Circa legationem Valignani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

velut eiusdem in ista legatione Comites, ac Collegas ad Imperatoris audientiam duceret. Expediuit se quamprimum, his acceptis, Visitator omni alia cura, vt negotio tam necessario vacaret, redijtque maturè Arimam, vbi quatuor Iaponios Legatos reliquerat, Canzuzam proficiscens, ac cum ijs Nangazachium se contulit, ibi expectaturus dum euocaretur. Expectauit autem plus longe quam putarat. Nam Cambacundonus, qui magnam antea voluntatem ostenderat eius legationis quam honorificentissimè excipiendæ, maleuolorum, vti est creditum, sermonibus ab eo consilio auersus, postquam est reuersus Meacum mentionem eius rei nullam admittebat: Adeo vt Simonem Conderam sermonem ea de re ausum ingredi, minaciter repulerit. Hæc noua Imperatoris mutatio Nangazachij ignorabatur, & moræ nauigij regij aliæ, atque aliæ ex verisimili assignabantur causæ. Itaque Rex Arimæ Protasius, & Princeps Omuræ Sancius, Auctores erant Valignano, vt cùm ipsis gratulatum Imperatori nouas victorias ituris, vna cum Iuuenibus Roma reuersis proficisci ne dubitaret, sperarentque boni consulturum id Cambacundonum. In quo cunctantem pro sua prudentia Valignanum, & forte propter auctoritatem suadentium in partem audendi proniorem, opportunè, vt est postea cognitum, morbus citra vitæ periculum inuasit, quo id salubriter disturbatum est, sine dubio pernicioſum, ad suspicioſissimum tyrannum iniussu accedendi, consilium. Per hunc modum vltimi menses huius anni Nangazachij transacti: quo circiter tempore ibi mutatio contigit, & in præsens molesta, & multo damnosior in posterum. Cambacundonus formandæ suæ potentiæ intentus, Nangazachium Principi Omuræ ereptum sibi vsurpauit. Causa concupiscendi fuit, Emporij claritas, & frequentia, nec prætextus inuadendi anxiè quæsitus à tyranno, dudum hunc quæstum exercente diteſcendi rapto. Vbi Nangazachiana tunc Ciuitas erat, paucis ante annis nuda fuerat superficies sterilis agri, excurrente in altum tractu portuosi littoris, & primis exscensionibus appellentium ex Amacao Lusitanarum nauium opportuni. Nostri Patres ea obseruata commoditate, desertum solum in Asylum inopum Christianorum, dynastarum Ethnicorum iniurijs, aut domo pulsorum, aut vltrò, ne fidei periculo in patria viuerent, exilium optantium, verterant; prolixè annuente Bartholomæo Principe Omuræ, huius qui modo dominabatur Sancij parente, cuius ad ditionem ea tum siluestribus arbustis horrida, & cultus expers ora pertinebat. Mapalia ibi primum structa in vicum creuere: mox è pago iustum oppidum extitit; nec diu post confluentibus ad Lusitana commercia vndecunque plurimis, vrbs triginta millibus ciuium frequens. Talis ferme nunc erat; aucta deinde, fermè in duplum, sed tota Christiana. Non enim Omuræ Principes domicilium in suis terris figere Ethnicos sinebant. Neque nunc Canganocamus, & Icanocamus à Cambacundono Præfecti missi, quidquam in Religione mutauerunt: vel quod ipse Imperator politica ratione id tum rebus suis vtilius duceret: vel quod ipsi, licet Idololatræ, Augustino apud Cambacundonum adhuc gratioso addicti, Amico in hoc gratificandum putarent. Vigebat illic igitur nunc cum maximè Christianæ doctrinæ professio, Templis palam extructis, & miro concursu frequentatis. nec minus admirationi gentilibus erat sodalitas, quam vocabant Misericordiæ, quæ collatis & eleemosynis, & officijs præcipuorum eam constantium ciuium, tria publica hospitia inopibus excipiendis, curandisque magnificè structa, liberaliterque instructa habebat. Horum duo gerocomia erant, vbi senum in vno pauperum, in alio decrepitarum anuum magnus numerus, à sui quique sexus Ministris curabatur. Tertium omnis ætatis Nosocomium languentes excipiebat, quibus vnde sibi domi consulerent fortuna denegasset. Institutor horum operum primarius Iustinus quidam Christianus laudabatur, diues, & carens liberis; qui

194 Varius animus Cambacundoni.

195 Valignani morbus.

196 Origines Nangazachij.

197 Ea Ciuitas Cambacundoni dominio addita.

198 Christiana Religio ibi florens.

199 Iustini, & eius Vxoris pietas.

qui præterquam rem familiarem vniuersam in id expendit; etiam opera, obsequioque pauperes iuuabat; ipse in virorum diuersorio ministrans; vti & pari consensu eius vxor mulieribus in proprio ipsarum seruiebat diuersorio. Quibus etiam ministerijs in omnem se vitam deuouerant, comapalam vterque more Iaponico, detonsa. Hæc per se probabilia, & ipsa humanitate hominibus quibusuis commendata, mira reddebat raritas, & nouitas: cum neque memoria maiorum, neque vsus præsentium, vlla in Iaponia proponeret exempla subleuadæ gratuitis officijs, & beneficijs infirmitatis, & egestatis alienæ. Itaque multos gentiles ea specie conciliatos Christianæ religioni scimus; vt non fere momenti plus haberet ad Christi doctrinam suadendam Prædicatio Patrum, quam ista vulgo edita specimina Christianæ charitatis. Cum igitur & ex vniuersa Iaponia, & è finitimis Nangazachio vrbibus, ac Pagis, puta Tacata, Inda, Vocaio, Cuza, Tzucumo, Chichinzuo, Tacasco, Chiota, multisque alijs, plurimi per occasionem commercij mortales Nangazachij nundinarentur, fiebat vt multos caperet species illa Sanctitatis è misericordiæ operibus eminens; indeque accedente opportuna copia Magistrorum euangelij, non pauciores millenis quouis ibi anno Ecclesiæ aggregarentur. Iuuit in id ipsum hoc tempore conspectus inopinatus recens eò appulsorum è Romana legatione Iaponiorum Iuuenum; è quorum ore res à se visas referentium, densis quotidie circulis Auditorum omnis generis multitudo pendebat. Maximè ipsos mirabantur antiqui familiares, & proprij cuiusque cognati, ac consanguinei, vtique postquam illos certo agnouerunt, in quo ipsos cogebat initio cunctari mutatio quam octo anni absentiæ in Adolescentibus effecerat. Nempe illi ferme pueri discesserant, iam autem alio statu, alio vultu, alijs moribus viri reuertebantur. Repererunt Matres superstites Michael, Martinus, Mancius: nulla non earum in proprio partu recognoscendo laborauit. Sed facta demum fide, eò dulcius vtrimque in affectus erumpebat mutua caritas. Idem in Patruis, Auunculis, Germanis, Patruelibus, cunctorum æque quatuor euenit, ignoratos illos primo aspectu vultus, posito mox errore amantissimè dissuauiantibus, non sine lacrymis inter blandissimos amplexus vi gaudij expressis. Hæc dum conualescit Valignanus, dum expectatur à Cambacundono responsum, aliquot mensibus huius anni postremis, per Arimam, Omuram, Bungum, quo partim excurrerunt interim Legati, partim inde ad ipsos visendos excursum est, lætitia, & gratulatio celebrata est, plausu Christianorum, sermonibus, & admiratione passim omnium. Nec minus interea, vt est credula felicitas, & quod cuique ex voto contigit, pro pignore est desiderata consequendi, blandiebantur sibi tam indigenæ, quam aduenæ Christi cultores de fine persecutionis, & pœnitentia Cambacundoni, quem in proposito ostenso Christianismi destruendi non persistere, multa narrabantur, quæ suaderent. Constabat auditum ex illo, cum vxori fateretur; se nimium præcipitem in decernendo Patribus exilio fuisse. Item aliquando percontatum è Ruyzio, Sacai Præfecto, Patre Augustini, ecquid putaret Laurentium quoque, vnum è nostris sibi notum, cum exulare iussis cæteris Patribus è Iaponia discessurum? respondente Ruyzio, se non existimare hominem tanto natu, ad incommoda ingraueſcentis ætatis peregrini Cœli nouitatem additurum, quod sine manifesto vitæ periculo facere nequiret: placidè reposuisse Cambacundonum: nec ego id eum facturum credo. Quod in eam significationem Ruyzius traxit; vt facilè pati Imperatorem existimaret, suo isti decreto non obtemperari. Sane illud palam erat: quanquam haud esset Cambacundono ignotum remansisse clanculum in Iaponia electos ab ipso Patres; tamen id dissimulare, ac satis habere, quod non appareret publice eadem qua prius libertate. Referebat præterea Benedictus Augustini maior frater, cum Ruyzij Patris sui mortem

200 Exempla misericordiæ Gentiles mouent.

201 Multorum hinc conuersiones.

202 Legati ex Europa reduces vix à suis agniti.

203 Motus animorum è legatorum cõspectu.

204 Auguria cessaturæ persecutionis.

Impe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatori nunciasset, statim se ab eo donatum Præfecturâ Sacai, quam eius Pater, dum viueret, gesserat: dimissumque his ab illo verbis: fac eam fidem, iustitiamque in isto tibi commisso magistratu exhibeas, quas Christiana vestra lex præcipit. Denique memorabatur obseruatum esse, ex quo Iustus Vcondonus exciderat gratia, cæteros christianos duces, Augustinum, Simonem Conderam, aliosque multos à Rege plura etiam quam ante præcipui fauoris, amorisque accepisse pignora. Augustino quippe triplò plus, quam antea haberet, censuum, & diuitiarum datum, additamque Præfecturam nouem Regnorum Ximi; Simonem Regem factum Buygensis Regni: Arimæ Reges, & Omuræ, Paulumque Principem Bungensem, palam Christianos, apud quos non nesciret delitescere Patres à se Iaponia exire iussos; tamen ab ipso perhonorificè exceptos. Huius generis sermonibus, & quas inde nasci pronum erat, spebus, augurationibusque meliorum, Nangazachienses consolabantnr nouum terrorem impositæ ceruicibus ipsorum dominationis Cambacundoni: dum in hac vice rerum euolueretur annus fluentis sæculi nonagesimus, vltra cuius fines narrationibus huius Annalis excurrere non licet.

205 Cambacundoni fauor in Christianos.

Res Brasilicæ consuetum cursum contentionis, atque industriæ nostrorum, fructu benignè respondente; hoc anno tenebant. Baiacense præsertim Collegium florebat beneuolo, & benefico Episcopi fauore, Viri supremam illam dignitatem excellentibus omnis generis virtutibus æquantis. Is delectatus munditia sacri apparatus in nostro templo, & sacrarum maximè reliquiarum è loculis ornatis in ara principe venerabiliter extansua se pecunia curaturum. Nec mortuorum honori consuluisse contentus, excitandis ad laudem viuis non minus religiosè liberalitatem impendit. Quanti enim momenti esset excitari præmijs alacritatem iuuentutis, laborioso studio in scholis nostris virtutis, atque ingenij tyrocinium ponentis intelligens, sumptum de suo annuum addixit, Libris, Sacris iconibus, Thecis Reliquiarijs, atque id genus speciosis munusculis idonea copia parandis, vnde industria diligentiorum publica commendatione autoraretur. Acuit eximiè Iuuenum conatus ad profectum insignem quod idem sapientissimus Antistes hoc tempore instituit, & constanter deinde tenuit; prout erat palam professus se ita facturum. Nimirum in distributione Sacerdotiorum vacantium præcipuam habebat rationem eorum, qui nostris Magistris longam, assiduam, & successu profectuum probatam operam dedissent. Nec segnis ad hos stimulos langüebat Adolescentum indoles. Feruebant passim studia, & specimina palam edita progressuum magnorum, plausu, & gratulatione lectissimorum cœtuum celebrabantur. Declamatum eleganter in Humanitatis, & Rhetoricæ scholis: Expositaque literarijs pompis lucubrationum varij generis, & ingeniosorum carminum erudita spectacula. Die vero Conceptæ Immaculatæ Dei Matri sacro duodecim ex Auditoribus Philosophiæ, solemni concertatione probatis, academicæ laureæ honores magna cæremonia collati sunt. Cumulabat parentum, & Ciuium gaudia, conatibus ætatis teneræ naturali caritate fauentium, non minor adolescentulorum ad virtutum decora, quam ad doctrinæ laudem, præstantibus exemplis demonstrata contentio, in cunctis æque Brasilicæ Prouinciæ Collegijs, vbi Sodalitates Beatæ Virginis, consuetos alibi quoque, nec minore quam vsquam copia fructus edebant. Illud haud scio an non eximium in his locis visum sit, quod è parthenijs eiusmodi cœtibus pueruli solebant, vbi forte per plateas, rixantes quospiam, aut vel obscœna, vel blasphema effutientes reperissent, accidere ad genua peccantibus, & Dei nomine rogare, vt factis iniustis, dictis inhonestis absisterent. Exarmabat plerunque iras, furoresque debacchantium respectus innocentiæ supplicis, & si quis flagrante perturbatione primam speciem pue-

206 Episcopi Baiacensis beneficia in Soc.

207 Excitat præmijs studia Iuuenum.

208 Profectus discipulorũ in literis.

209 Puerorum industria in corrigendis peccantibus

rilis admonitionis repelleret durius; ferè tamen vel adstantium conuitio, vel morsu conscientiæ paulo post confundebantur. Accurrit ad nostros Paraibæ versantes, alieno tempore confessionis copiam exposcens quidam; offerentique se Sacerdoti dixit: sese cum comederet carnes, quo die id Ecclesia vetabat, oratum à puero in genua prostrato, ne id faceret, monitorem stomachosè reiecisse. Sed cum is nihil repulsa motus intentius exorare perrexisset, additis etiam ad preces lacrymis, suam se contumaciam damnasse, ac eam maturè expiatum accurrere. De fructu è concionibus Catechismis, concursationibus per pagos vberrimè collecto, ne similia tædiosè sæpius iterentur, anno sequenti distinctius dicetur. E medijs huius amplæ messis laboribus, duo manipulis onusti præstantes operarij, ad meritam quietem euocati memorandi sunt breuiter. In Collegio Fluminis Ianuarij Ioannes Baptista, ortu Italus, excellentis industriæ Sacerdos, finem viuendi fecit. Ante annos octodecim huc appulerat, & lingua Brasilica magno labore ita parata, vt ea etiam eloquenter vteretur; Barbaris ad Dei notitiam vocandis, Neophytis erudiendis, cæterisque id genus apostolicis functionibus operam impigrè nauauerat. Hunc Piratininga secutus est P. Emanuel de Chaues, in ætate octogenaria adhuc indefessæ caritatis. spectaculum erat amabile videre decrepitum senem, animi ardore frigus senectutis eluctante, cursare per pagos, solicitè quærentem animas, quas errorum tenebris, vitiorum corruptelis eximeret; ac magnum earum quotidie numerum à præcipiti perditionis via ad iter salutis reuocantem. Qui deinde ibi, magnis suis periculis, & ærumnis, passi sunt irruptionem Barbarorum, quam annali mox sequente referemus, merito existimarunt repræsentatam, diuino beneficio, Bono Patri Emmanuëli tranquillam mortem, qua malis ingentibus feliciter exemptus est.

210 Mors & laus P. Ioan. Baptistæ.

211 P. Emanuelis de Chaues decrepiti zelus.

Mexicanam hoc anno Prouinciam centum nonaginta quinque nostri homines nihil operæ parcentes excoluerunt. Referre quid profecerint parantì, sylua ingens occurrit confusarum inuicem rerum; quibus affulgere poterit quædam lux ordinis; si labores hic exantlatos ad salutem animarum in duas quasi classes partiamur. Prout enim duplex ibi reperitur mortalium genus, alterum illuc profectorum è mundo vetere; ad quod referuntur, qui ex Europeis illic parentibus nati sunt, alterum Indigenarum; vtrisque iuuandis industria nostrorum proprias exquirit, adhibetque rationes. Prius caput, quod attinet, culturæ videlicet Hispanorum Mexicanos hosce Tractus incolentium, ne vulgaria memorem concionum, Administrationis Sacramentorum, Conciliationum pacis inter dissidentes, & quæ sunt eius generis, quorum nihil à Nostris non impigrè curatum, nihil fere sine successu tentatum est: quædam potius exequar singularia, quæ hoc anno his in locis institui, aut geri contigit. In Vrbe Mexico aperta primum hoc anno Professorum Domus à Patribus non pluribus septem, maius quam pro isto numero specimen caritatis industriæque Societatis continuò cepit edere. Tristis statim oblata materia officijs est, morbo pestilenti per plebem vulgato, & funeribus domos exhauriente, magno luctu Ciuitatis; per quam Patres, sine periculi proprij respectu, aut contagionis metu, diu noctuque vagantes, ægros in suis ipsorum domibus, aut in publico Nosocomio benignissimis obsequijs recreabant. Auctores ijdem publicè fuerunt, vt ad Dei opem extraordinarijs religionibus ciues recurrerent. Itaque supplicatione frequenti circumlata per plateas ciuitatis perantiqua summæque venerationis effigies Christi Crucifixi, prosequente omni clero illata in Templum nostrorum, ibique per nouem dies ad assiduas pro communi valetudine preces exposita. Nec votis, quæ Dei est misericordia, successus defuit. Consenescere iam inde vis morbi cepit; paulatimque salubritas Cœlo, & corporibus consueta redijt. Perstitit tamen in cursu iam prospero valetudinis publicæ impetus ad pieta-

212 Duplex hominũ genus in Mexico.

213 Initium domus professæ Mexicanæ.

214 Patrum caritas in pestilentia.

215 Supplicatione fugata pestis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem metu morbi captus ; neque ad solita dumtaxat officia religionis , sed ad extraordinarias quoque deuotiones docilem se , ac monstrantibus sequacem bonus populus ostendit . Habemus in templo illic nostro benignam copiam sacrarum Reliquarum , Sanctorum varij status , ac generis sane multorum , quæ speciosis conditæ loculis super aras expositæ magna confluentium consolatione colebantur . Id obseruantibus quibusdam Patribus , opportunum visum est , suadere consulentibus ipsos de salute animæ , vt patronum sibi quempiam ex ipsis suo ipsorum statui accomodatum in tempus aliquod adsciscerent , quo tempore durante certum sibi in imitationem , aut cultum eorum præscriberent numerum , ac modum religiosarum exercitationum , videlicet orationum , eleemosynarum , ieiuniorum , frequentationis Sacramentorum , aliorumque id genus operum . Placuit mentione ipsâ primâ propositio : factitatumque id cum fructu à multis religione priuata , denique in publicam obseruantiam profecit . Egerunt è primarijs quoque ciuibus , ac Magistratibus cum Ecclesiaste nostri templi , vt instante solemnitate omnium Sanctorum , assignaret in publica concione cunctis ordinibus ciuitatis Sanctum aliquem peculiarem Patronum vsque ad vertentem annum . Puta Ecclesiasticis quemdam ex antiquis Cœlo vindicatis Præsulibus , aut Presbyteris : Laicis aliquem in eo vitæ gradu Cœlum lucratum : Matronis , ac Puellis Beatam aliquam Viduam , aut Virginem . Ita factum , consolatione Ciuitatis summa , nec sine vberi in annum prouentu meritorum , & operum bonorum . In diem quoque mox sequentem commemorationis defunctorum collatione piorum hominum coacta iam ante pecunia liberaliter impensa est in procurationem quam maximi numeri sacrificiorum , quæ animabus vitæ maculas igne purgantibus solatium afferrent . Vtramque rem fauor publicus in sequentium quoque annorum imitationem commendauit : decreto publici consilij , in istius instituti confirmationem rite perlato . Harum Religionum fructus , cum in cætera emendatione vitæ , tum in facili , ac larga eleemosynarum collatione perspectus est . Animaduerterant nostri multos in magna ciuite algere pauperes inopia vestitûs , aut parum honestè seminuda corpora obtutibus offerre . Admonuit , nec multis verbis semel iterumque ea de re Populum Ecclesiastes de sacro pulpito . Mox toties tantum factæ infectæque vestis collatum in Domum nostram vndique est , vt deinceps non defuerit vnde maiori ex parte isti necessitati consuleretur . Similium largitionum ope , multarum innocentia seruata , quædam è flagitijs ad pœnitentiam vocatæ . Omitto remissiones iniuriarum , & inter palam acerbèque dissidentes conciliatam beneuolentiam , similiaque aliqua vt de Institutione Iuuentutis dicam . Ad eam institutum ante hos annos quatuor in Vrbe Mexico Seminarium à S. Ildefonso nominatum , hoc anno alumnos ad centum quinquaginta numerabat . Aliquanto pauciores aliud in Vrbe Angelopoli ante quinquennium ceptum nomine , S. Hieronymi . Sed vtrobique par ferè pretium extabat operæ , sequaci ad præscripta formantium bonæ pubis indole . In eos conuictus è remotis etiam vrbibus , ac Prouincijs nobilissimi quique pueri mittebantur . Ipse Illustrissimus Prorex tres suos filios S. Ildefonsi collegio dederat . Omnes profectum in literis egregium experimentis publicè laudatissimis probarunt . Nec fere studio minori ad virtutum laudem enitebantur . Argumento sit , quod hoc anno ex vna illa S. Ildefonsi Domo quatuordecim Adolescentes optimæ spei spretis sæculi pompis in varios Religiosorum ordines nomina dedere . Ad omnes vniuersim scholarum nostrarum Auditores emendatione morum , & Christiana disciplina formandos mirificè profuerunt Beatæ Deiparæ vbique institutæ sodalitates . Ex ijs , quæ dudum in Mexicano Collegio ceperat , perlato hoc anno aggregationis ad Romanam diplomate , Encænia velut sua pompa ingenti celebrauit , ipso Cœlorum Reginæ in cœlos Assumptæ anni-

216 Veneratio Sanctorum.

217 Priuatim, ac publicè vtiliter susceptæ.

218 Suffragia defunctis procurata.

219 Nuditati corporum.

220 Et periculis animarum eleemosynis consultum.

221 Seminariorum vtilitas

222 Sodalitatũ B.V. fructus

anniuersario die . Tantusque numerus admitti postulantium fuit , vt colonia ducenda fuerit , nulla vna exhedra satis ad multitudinem capaci . Ergo Theologiæ , ac Philosophiæ studiosis in priori sede relictis , nouus cœtus formatus est , ex Humanitatis , atque Grammaticæ studia sequentibus. Nec tamen sine delectu admittebantur . Exemplo erit quod vni è candidatis accidit . Adolescens cætera bonus sodalitij parthenij aditum ambiens , à Patre , cuius ea erat cura , longo iam tempore differebatur ; celante consulto cunctandi causam , vt puer ipse diuinaret ; erat enim munditiarum , ac vani cultus studiosior , quam decere videretur . Ergo aliquando coram pluribus instanti : quid tibi vis , inquit , Fili cum ista leuitatem spirante coma ? Ephebos forsitan in aulis Principum istæ deliciæ deceant ; Dei Mater cincinnatos in obsequio suo non cupit . Ad ea stimulis intus haud mollibus incitatus iuuenis , repente procidit in genua , & forficibus promptis comæ luxuriem castigans : per cincinnos , ait , deinceps non stabit , quominus in sacram Cœli Reginæ familiam scribar . En si hæc erat mora , ne vltra cuncteris Pater . Hæc de multis electa similibus satis sint . Addo , vt de cura Christianis antiquis impensa quod dicendum est absoluam , per vicos , & plateas ad otiantem feriatis diebus plebem , item profestis ad officinas Lanariorum , aut aliorum magno simul numero opificijs non streperis attendentium , catecheses , & conciones habitæ perutiles . Sodalitia quoque Parthenia diuersa in vsus maturæ iam ætatis , & Patrum familias propria dicata . Qualium in id quod in Vaxacensi Collegio excitatum est ipse loci Episcopus adscribi voluit . Nec vero in ijs solum locis , vbi Societatis domicilia sunt , his laboribus excultæ Europeorum Coloniæ ; in oppida quoque plurima , Pagos , & Villas excursum , quo illæ sparsæ sunt ; & ne barbariæ contagione degenerarent strenuè vbique curatum est .

223 Egregium pueri factũ.

224 Excursiones in Pagos.

Superest vt iam alterum exequar caput de ratione inita Indigenarum adiuuandorum . Duplex est eorum genus . Nam multi primo iam tum Hispanorum huc appulsu cum Dominis religionem mutarunt ; seque , & suos paruulos baptizari passi sunt . Alij plures , in locis præsertim à mari , atque à commercio remotioribus , auitas adhuc superstitiones tenent . Sed inter ambos quando in eas terras Societas venit haud magnum in moribus , & sensibus discrimen erat . Impositi quidem Parochi erant Ciuitatibus , ac pagis ipsorum ; at linguarum illic vigentium ignari ; & est earum numerus magnus , ingensque diuersitas , vt aliquando confines vici idiomate discrepent , nec nusquam vrbis eiusdem ciues alij alios non intelligant ; cum hi Othomitanæ , illi Mexicanæ , quidam linguis alijs insueuerint . Baptizati ergo dumtaxat in infantia , de cætero Christi doctrinam funditus ignorabant : quippe qui nunquam docerentur . Morum autem fœda colluuies , cum nulla esset notitia mandatorum Dei : nullus confessionis vsus . Naturæ vero lumen patrijs ipsorum superstitionibus , ac vitijs , grauiorique quam vspiam diaboli tyrannide hebetatum , ac tantum non extinctum , discrimen honesti , & turpis ægre deprauatissimis ostenderet .

225 Linguæ popularis ignorantia in curatoribus animarum damnosa.

His nostri animaduersis , iam tum ex quo primum istas in regiones Societas venit , diligentem , vt alibi notatum est , posuerunt operam in comparanda notitia , & vsu linguarum ibi vtilium , qua iam satis instructi , docendis accuratè Neophytis , eorumque confessionibus audiendis haud perfunctoriè vacabant . Patribus quibusdam ad eam propriè curam applicitis ; locis quoque , ac templis vbi separatim à Veteribus Christianis excolerentur , quoad fieri posset , assignatis . Sic enim in Vrbe Mexico , exempli causa , Templum S. Gregorij , Collegio vicinum , Indorum vsibus propriè attributum est : & in ædibus huic adiunctis duo Sacerdotes cum totidem Laicis vnum negotium habent , mores ipsorum , atque animos formandi , administratione Sacramentorum , & verbi Dei : in quo non tan-

226 Statio S. Gregorij Mexicana in vsum Indorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

227 Et alia alibi.

tum eatenus proficiunt, vt bonos eos Christianos & diuinæ legis obseruantes reddant, sed Deo copiosè miseras quoque has gentes Gratiæ vberioris donis cumulante, ad perfectionis etiam studium non paucos excitent. Similiter elaboratur Angelopoli, Vallisoleti noui regni, Tepotzotlæ, Vaxacæ, Vadalaiaræ, Pascuari, in oppido veræ crucis, vbi stata domicilia Societas habet. Et ex his locis omnibus, præsertim ex Tepotzotlana sede, & veræ Crucis, Operarij in adiacentes pagos, & remotiores interdum tractus, ac Prouincias mittuntur; ijdemque in locis vbi fructus operæ respondet, quoad messem exhauserint, morantur. Facile triginta Barbari populi per has hoc anno excursiones aditi. Quorum in singulis quidquid præclarè, ac feliciter est gestum ad propagationem regni Dei, exactè ac singillatim propter rerum multitudinem, & similitudinem referre cum nequeam, fastigia decerpam summa rerum, vt saltem generalem notitiam informem. Primum omnium, quæ necessario prius erat concilianda, vt institutioni locus esset, beneuolentia, & fiducia Barbarorum in Catechistas suos, abundè vbique adfuit, postquam abstinentia, & mansuetudine nostrorum vmbræ suspicionum aduersarum sunt discussæ. Initio ferè, in Pagis præsertim remotioribus, ac interioris Barbariei tractibus, Indi dum aduenientes ad se nostros videbant, consternabantur; bonorum aut libertatis detrimenta metuentes. Sed vbi mox videbant eos suum sibi victum deferre, recusare quin etiam vltro oblata; & tamen ipsis, liberisque ipsorum munuscula diuidere, ægrotos visere, solari, ministerijs donisque recreare: ita capiebantur, vt certatim ad audiendum concurrerent, inexplebiliter ex ore docentium penderent, peccata, qui baptizati iam erant, apud ipsos synceriſſimè deponerent; omnes eruidendos se præberent: monstrata quæuis, etiam laboriosa, factitarent. Quin etiam gustata obiter institutione transeuntium allecti, in statas Magistrorum Sedes, ad eam iterandam, & peccata purganda, è longis interuallis, magno incommodo concurrerent. Adeo vt satis constet quosdam ne minis quidem vinculorum, aut terroribus verberum per homines sceleratos intentatis, à petenda statis diebus vrbe sacrorum causa reuocari potuisse. Fuit quem diabolus ipse, palam apparens (quod in ijs gentibus non adeo rarum est) dissuadere à persequendo itinere ad Patres cepto conaretur. Referebatque, titubasse se metu obiecto tanto; nisi statim Iuuenis Illustris opportunè se in conspectum dantis; ac mox euanescentis, boni videlicet Angeli, sermone, & autoritate confirmatus in proposito foret. Nec defuerunt qui narrarent visam sibi Cœli Reginam, stipatam comitibus, eodem vestitu, quo Patres vtuntur indutis, quæ adire, audireque, aut venientes vltro admittere sic vestitos Sacerdotes blandè imperaret. Ex quibus, & ex longa experientia suauitatis, benignitatisque Catechistarum, & Confessariorum, sic aduersus eos tenerè afficiebantur, vt ab ijs non sine lacrymis diuellerentur; ægrotantibus cum ieiunio, & verberatione vltro susceptа, valetudinem exorarent. Denique digredientes ad longa spatia prosequerentur. Iam erat amabiliſſimum audire, vt secum à nostris percepta retractarent, vt Dei mandata, & elemenra Christianæ doctrinæ inter se recitarent, interdumque cantarent, pueri, adulti, senes, sexus vtriusque; peccantesque libere monerent: ne id illudue facerent, quoniam ea Patres esse illicita dixissent. Ad hæc, quæ videbant ab Hispanis celebrari religionis, aut misericordiæ officia, etiam ipsi vltro deposcebant. Sodalitia B. Virginis ipsis quoque flagitantibus instituta, & nihilo segnius frequentata sunt. Conferebant ipsi quoque ad largitiones in pauperes. Itaque die natalis Domini, itemque die sancto Paschæ huius anni, conuocatos magno numero mendicos in domum nostram contexerunt vestitu nouo, tum positis, instructisque mensis epulo lauto exceperunt, præcipuis ipsorum vna cum Patribus ministrantibus. Ebrietati per-

228 Beneuolentia Indorũ quibus artibus parta.

229 Terrores ab hominibus, & dæmonibus frustra oblati Neophytis.

230 Amor eorũ in Catechistas.

231 Ardor eorumdem ad religionem.

perditè dedita gens; & antea nescisse se narrabant eam esse vitiosam. Itaque cum in pueritiâ baptizati, nec propter ignorantiam linguæ ipsorum in Sacerdotibus, qui eos curabant, edocti; exteriores solum religionis ritus veterum Christianorum exemplo frequentantes, cum se diebus Sanctioris hebdomadæ in templo palam verberaturi essent, quo id facerent animosius, ac citra doloris sensum, vino sese prius ingurgitabant. quo abusu primis confessionibus à Patribus reprehenso, vbi redeuntes ad sacrum Tribunal, interrogabantur; ecquid in eo genere peccassent? minime, inquiebant. Quod enim semel cognouimus nefas esse, non amplius facimus. Alia splendidior de naturæ corruptelis diuinæ gratiæ victoria hic paulo diligentius enarranda est. Americanarum huius fere tractus gentium præter naturalem humano vbique generi procliuitatem in venerem; etiam ob belluinam educationis corruptelam, & diaboli hic ex longo dominantis vehementiores quam vspiam impulsus, inquinatissima omni flagitiorum fœditate tota vita est. Nulla sanguinis verecundia, nullo cognationis germanitatisve respectu, in promiscuis omnis ætas stupris, pudoris amisso sensu, volutatur. Adeo vt alicubi (quod non nisi rogata prius pace aurium dici fas est) paruorum liberorum pudicitia, ne à parentum quidem propriorum libidine tuta sit: & vicissim vix dum puberum filiorum in matres, filiarum in patres petulantia erumpat, nec reijciatur. Cui enormitati furoris infandi facile omnes intelligunt, ad profligatissimam immanitatem prodigiosæ, ac stygiæ nequitiæ superaddi nihil posse. Hoc ipsum indicandum fuit, vt diuinæ gratiæ vis intelligatur; quæ lilia colligere ex istis spinis, & tam obscœnâ licentia infra bestiarum impudentiam depraуatos homines, ad Angelicæ puritatis specimina edenda excitare, ac perducere potuerit. Pleræque mulieres aduersus tentamenta pudicitiæ, seiunijs tumque inde roboris hauriunt, quantum in permultis ibi celebribus exemplis inuictæ in castimonia constantiæ cernitur. Multæ corruptorum blanditias, quæstuosas præmijs, armatas minis, longi temporis assidua pertinacia instantes, eodem semper integræ laudis tenore repulerunt. Fuerunt quibus abundaret animus ad importunitates impurorum manu, & fustibus abigendas. Virgines denique infirmas extremis conatibus illæsum pudorem obtinentes, accurrens ad eiulatum Vicinia ferrum strictum intentantibus honoris prædonibus eripuit, sanguine iam proprio perfusas ex plagis acceptis. Et fauebat miraculis interdum Deus: sic enim in gente præsertim recens conuersa solet. Vti cum in vrbe Pascuari viduæ pauperi, cui vir ante hos tres annos moriens vix tantum annonæ reliquerat, quantum ad parcum sexdecim dierum victum sufficere potuisset; illum ipsum tenuem frugis aceruum ita multiplicauit, vt hoc ipso anno à viri funere iam tertio inde vesci pergeret: Cauente videlicet defensore viduarum, ne ista professione inopiæ, & conquisitione subsidij in insidias inhiantium egenæ castitati delaberetur. Hæ tamen quas dixi omnes ad illicita vocatæ, horrore turpitudinis, & supplicij metu sustineri à lapsu potuere. Fuit quæ solo amore Virginei decoris, honestas & à parentibus iussas nuptias, vel morte fugiendas duxerit. Virgo erat æquè commendata ætatis, ac formæ flore, ac animi virtutibus, quam quia nostræ literæ non nominant, Petronillam Mexicanam licebit appellare. Hanc honestus deperibat Adolescens; & Parentes vtrimque consenserant, reluctante insuperabiliter puella; conscia scilicet voti arcani, quo se Christo sacrauerat. Cum finis nullus vrgendi fieret, ad extremum defessa, inducijs impetratis in quatriduum, vehementissime instituit à Cœlesti sponso, vt terrenum Riualem præuerteret, suamque ad se raperet. Adiungit orationi ieiunium, ieiunio cilicium, & verbera vltro suscepta. Die quarto, qua iam procus se beandum assensu optato sperabat, Virgo ad templum accurrit, confessione purgat animum, sacram Eucharistiam sumit;

232 Ebrietas correcta.

233 Incontinentia Indorũ.

234 In Angelicã puritatem mutata.

235 Annona viduæ multiplicata diuinitus.

263 Virgo in Mexico S. Petronillam imitata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumit: & sub eam in dulcibus cum Christo colloquijs repente sine circumstantium sensu expirat. Felices animæ, ac quibusuis indicis pretiosiores gazis; multoque digniſſimæ, quas Euangelicæ Institores Margaritæ, serui fideles, talentis à Domino creditis instructi trans quæcunque fluctuum, & naufragiorum discrimina quærentes, non caro emere videantur, licet eas impenso vitæ, ac sanguinis pretio comparent. Sed ne quis totam verecundiæ victricis laudem infirmiori sexui tributam existimet; addam heroicum exemplum pudicitiæ virilis, etiam casu inopinato nobilitatum: quod etsi nostræ literæ ad annum mox sequentem referre videantur; tamen quia etiam ista ipsa castitatis inuictæ honestissima memoratu decora, sine adiuncta molesta mentione turpitudinis eam oppugnantium, explicari nequeunt, insuauis argumenti tractatione semel hic defungi iuuat. Indus erat Angelopoli Adolescens florentis formæ, quam suus pudor, modestiaque amabiliorem fecerant. In hunc procax mulier adiectis cupiditatis oculis, dedit operam quæsitis prætextibus, vt nihil mali suspicatum in ædes acciret: Hic dum eum, occluso prius diligenter ostio flagrans amentia meretrix ad suæ libidinis assensum trahit; ille datæ Christo fidei memor, magnopere renuere. Contra Lupa illecebras intendere, prensareque reluctantem. Denique conatu summo manibus impuris castus se iuuenis auellit, & in conclaue proximum fugit, vesana femina, quod elabi non posse prædam sciret, modicum excurrere sinente. Tentatis puer eo interuallo foribus, eas diligentissimè obseratas sentiens, eò desperatione subita raptus est, vt laqueo ex obuio fune collo inserto sese de tigillo suspenderit. Fauit ignoscens Deus castæ mentis proposito, inconcessam per opinionis errorem, declinandi flagitij viam ineunti. Ruptus breui laqueus pendentis corpus cum sonitu in subiectum effudit solum. Accurrit excita strepitu nequam mulier, & ad spectaculum inopinatissimum tota cohorrescens, dilectum ex stupore casus mortuo similem vere obijsse rata, nexo & ipsa raptim nodo, ex eodem tigno constrictis faucibus sese deijcit. Non multo post reuersus è deliquio Iuuenis oculos aperit, & pendentem videns feminam, admonente humanitatis officio, vtcunque de se meritæ succurrere conatur. Funem frangit, excitare sopitos, si forte, sensus succussione tentat, aquam inspergit. Fruſtra omnia. Infelix anima euolauerat, nulla iam arte reuocabilis. Ita mors à duobus aduocata, sapienti discrimine, innocenti pepercit, fontem extinxit. Verum nihil magis, quam quod subijciam exemplum monstrauerit, inesse corporibus etiam sub americano sole natis capacia vel exquisitæ sapientiæ pectora; vtique cum diuinæ per Christum gratiæ radijs afflantur. Diem obijt hoc anno Patri potestate, longo tempore habenas rexerat. Is toto licet hausto à pueritia veneno immanis educationis illarum gentium, ad omnem prætera licentiam iniuriarum, ac libidinum, Principatus apice, ac copijs auctoratus; tamen vbi Christianam institutionem admisit auribus, sic eam penitus illabentem animo concepit, vt eius ad amussim vitam inde, ac mores, pulchro, & constanti ductæ per omnia officia virtutis tenore formaret. Redactus in ordinem opes retinuerat priuata fortuna maiores, & sua illum grauitas, ac splendor non fere minus quam si adhuc imperaret, venerabilem populo reddebat. Ea ille autoritate vtebatur ad emendanda publica vitia; in quo erat tam efficax; adiunctis ad præcepta exemplis, vt eius admonitio ciuilis plus vbique polleret ad licentiam peccandi refrænandam, quam aliorum armata terrore censura. Res eius familiaris, ampla, vt dixi, publicum erat egentium Patrimonium. Nihil cuiquam inopi negabat. Tantamque facilitas eius in largiendo fiduciam quibusuis angustia rerum pressis ad vulgò notum præsidium accurrendi fecerat; vt passim etiam ij, qui eum grauiter læserant, opem eius implorarent; quos velut

237 Iuuenis casti constantia.

238 Casu memorabili probata.

239 Viri Principis virtus excellens.

velut beneficijs vleiſci vellet largius, promptiusque munerabatur. Aliquando procul à domo, consumpta quam extulerat in obuios pecuniâ, seminudum hominem habuit obuium, qui pretium vesti emendæ rogaret. Huic ille quod forte gestabat pallium, donauit; ac mox ne laudibus occurrentium pateret, infrequentioribus diuerticulis domum repetijt. Quotidie sacro Missæ sacrificio, summa reuerentia intererat. Multas item horas in sacello Beatæ Dei Matris flexis genibus perstans orabat. Sermones eius, præsertim vltimo vitæ anno, de rebus diuinis omnes erant, deque præparatione animi ad subeundam mortem; quæ dudum expectata cum adesset, interrogatus à Patre adstante, quo animi sensu auelleretur à blandissimis affectibus carissimæ coniugis, dulcissimorumque liberorum? Ego vero, respondit, perlibenter ad meliorum necessitudinum amplexus transeo. Neque his parum bene consulo, quos in Magni Protectoris viduarum, Pupillorumque Curatoris Dei nostri prouidentia depono. Hæc erat Philosophia hominis in barbarie nati; satis demonstrans, nullam non feracem magnarum virtutum terram esse, cui Cœlestis Agricola culturam beneficam impendere dignatus fuerit.

240 Et mors pia.

Hic demum Annus Manilani Societatis domicilij amplam, & solidam è lapide constructionem absoluit, quinquennio ante inchoatam. Degebant ibi decem è nostris occupatissimi excolendis animis, cum nouæ nostratium Coloniæ, tum aduenarum Orientalium in istud ex longo celebre Emporium è Sinis, & Iaponia concurrentium. Fuit pars operæ non exigua ponenda in consolandis iacturis mercatorum per crebra hoc anno naufragia factis. Res ipsa publica periclitata est coniuratione Indigenarum cum Iaponijs, Burneisque per eos portus nundinantibus aduersus Hispanos clam initâ; cui tamen Dei ope in tempore detectæ feliciter occursum.

241 Manilæ res bene gesta.

Limæ, quam habent Hispani Peruuiæ metropolim, non minus fere quam in antiquis vrbibus Europæ, cum literarum omnium, tum Philosophiæ, ac Theologiæ præsertim studia florebant; quorum publicas exercitationes Chuschensis forte ibi præsens Antistes non præsentia dumtaxat, sed etiam disputatione honorauit; quod ad commendandam earum facultatum dignitatem momentum habuit. Idem vero Præsul optimus amorem in Societatem suum alijs quoque beneficijs prolixè declarauit, tenuitatem rei nostræ domesticæ tum Limæ, tum Chuschi Liberalitate sustentare suæ solitus. Plausum à Limensi Populo tulit vnius è nostris eius Collegij Magistris industria, qui feriatis per hebdomadam diebus lectos è discipulis secum ducere instituit ad publicas custodias; vbi dum ipse vinctos solabatur, & verbi Dei, Sacramentorumque ministerio iuuabat ad excutiendas animo culparum, & vitiorum grauiores quàm corporum catenas, eos boni Iuuenes allatis domo subsidijs ciborum, vestiumque recreabant; Parentes Adolescentum re comperta vltro adhortabantur, vt pergerent, eleemosynasque largè suppeditabant in pium opus. Ciues quin etiam duo professi sunt, per annum se integrum quot hebdomadis epulum vinctis omnibus Piorum Iuuenum ministerio præbendum suo sumptu daturos. Exemplum omni tempore probabile laudabilius hoc anno grauis caritas annonæ faciebat. Cui alijs etiam modis à reliquis Patribus consultum, procurando aliunde, aut ex se suggerendo plebi inopi, fœdam maciem per plateas ostentanti, necessaria vitæ miseræ præsidia. Ad quam vtcunque pastam sermones in foro maximo sextis quibusque ferijs sub vesperum sunt habiti perutiles. Pueris quoque, & Æthiopici generis mancipijs, quorum magnus hic numerus, sua institutio sedulò adhibita. Diebus festis ad Portum sex fere ab vrbe milliaribus dissitum aliquot è nostris itabant. Vbi præter matutinas in templo conciones ad naualem turbam; post meridiem in foro Æthiopes, Remiges in Triremium transtris edocebantur.

242 Limæ studia literarum florent.

243 Adolescentum officia in vinctos.

244 Conciones in foro vtiles.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Pagos quoque salubriter excursum. Sodalitas B. Virginis perlato diplomate aggregationis eius ad Romanam, Encænia sua solemni ritu, & magno concursu celebrauit. Perlatum item sacrum caput vnius è Comitibus S. Vrsulæ octo dierum cæremonia publicæ venerationi propositum est. Respirabat Chuschensis Ciuitas à pestilenti morbo, & in publica salubritate tranquillus Religioni cursus erat; aspirante maximè Societatis ministerijs Episcopi fauore; cuius beneficentia cum Limam vsque redundaret quadringentis milliaribus dissitam; pronum arbitratu est quam se large in propria Ecclesia diffunderet. Donauit inter cætera Templo nostri Collegij ornatum aræ maximæ speciosissimum, perpetuo argento, signis atque emblematis pulcherrimè distincto. Opus vel pretio materiæ, vel artis elegantia visendum; cui par nouus Orbis non haberet. Idem pro suo ingenti salutis animarum studio, cum intelligeret quanta plebis sibi creditæ pernicie, lingua popularis à Sacerdotibus ignoraretur, egit vt vnus è nostris, ludo in id proprio aperto, eam certa methodo quotidie doceret; palam professus neminem se initiaturum sacris, qui non in ea schola profectum probasset. Multæ in Gentes varias è Chuschensi Collegio excursiones fiunt, vbique salutares. Vnius ad specimen meminero, duorum Sacerdotum Societatis cum Catechistis sæcularibus quatuor, cæcis hominibus, sed lingua patria disertis; & qui doctrinam Christianam apprimè callerent. Aimares populi sunt fidem amplexi Christianam. Habent in montibus sedes, & locis abruptis, studio delectas ne iniurijs deprædantium forent obuij. Qui situs eos minus opportunos culturæ faciebat. Ergo nulli fere inter eos Sacerdotes, rarus sacrorum vsus. Maximè grassante Lue cuius superius meminimus, quæ nec plura, nec maiora corporibus miseræ gentis, quam animis damna intulit; astu dæmonis simplicitati rudium ouicularum, captato momento absentiæ Pastorum, insidiati. Obseruantes Barbari, quod suo loco indicatum est, Pestem Hispanis parcere, in solos Indos sæuire, in eam Præstigiatorum paucorum admonitu, opinionem venerunt: duos multum inter se diuersos, atque adeo contrarios esse Hispanorum, & Indorum Deos, quorum quisque suis cæremonijs colendus sit. Hinc quia Hispani suum ritu patrio venerarentur, propitio illo vti: sese quia sui cultum à maioribus traditum reliquissent, pœnas neglecti officij pendere. Peruasit momento leuem gentem væsana persuasio, instigantibus veneficis, qui suum sibi quæstum ex priori superstitione vberem dudum perijsse moleste ferebant. Concionabundi pagos obibant, ad oblationes, ad sacrificia intermissa redeundum proclamantes: alias gentem vniuersam sine vllis reliquijs extinctum iri. Addebant è phanaticis quidam: obuiam sibi factum Deum Terræ Ingam clarè denunciasse: sese auctorem pestis, instrumentum eam iustæ vltionis adhibere, ob defectionem à se populi, nec prius quieturum quam resipiscerent. Alius iurabat, visam sibi clarè Pestem ipsam humana facie, ac forma, & auditam cum palam ediceret: nisi dona offerrentur, finem grassandi non facturam. Cum omnia crederentur, & esset mentiendi pretium, non defuit qui se pestem esse ferens, certis locis ostentaret, ornatu fabulæ consentaneo, sicque accurrentibus stultis manum daret osculandam, dumtaxat postquam eam impleuissent muneribus, quibus delinitam, sibi parciturum opinabantur. Inter hæc fractæ Cruces, combustæ imagines, comminutæ, ac sparsæ coronæ è globulis Dei Matri sacræ, cuncta Christi sacrorum vestigia deleta; concursumque ad montem, vbi Deos patrios antea coluerant, cum omni apparatu, atque instrumento sacrificiorum, quæ infanda nefariè perpetrata sunt. Nam bonam vetulam illo æstu popularis insaniæ haud sese abripi sinentem, concitante furentes in eam sacrificulo, trucidarunt. Eo ferme statu rerum perueniunt ad Aimares ij, quos dixi Sacerdotes nostri duo. Quorum vel primus aspectus pudore

245 Chuschensis Episcopi fauor, & liberalitas.

246 Aimarum defectio à fide.

247 Eius occasio.

248 Impostorum fraudes.

249 Anus à Bacchantibus occisa.

dore quodam scelerum conscios perfudit. Prima verba mollia fuere. Miserabantur errorem aliena dementatorum fraude. increpabant subinde leuitatem; mox atrociora facinora damnabant acerbius, intermixtis minis, spe tamen subostensa veniæ, si redire ad officium serio vellent. In eamdem sententiam circummissi per circulos Cæci disserebant. Profuit insigniter ad demendam insanis amentiam Publica Impostorum Palinodia. Comprehensi enim accursu Hispanorum ex his quidam, sese illa quæ dixerant mentitos, spe ac cupiditate quæstus faciendi, confessi palam sunt. Hinc iam passim omnes in potestate fuere. Primo mane, pulsatis per compita tintinnabulis, conuocabatur populus ad templum. Patrum alter ad concionem dicebat. Sub eam, virorum alter, alius mulierum confessiones audiebat; Cæcis interim Christianam doctrinam, ad separatos pro ipsorum numero cœtus omnis ætatis, declarantibus. A prandio id ipsum iterabatur ad noctem vsque, qua aduentante clausula diurno labori per concionem alteram, & publicas post eam preces imponebatur. Ter singulis hebdomadis flagellatio pœnitentium in Ecclesia fiebat. Sic emendatum illud incommodum est prouentu pietatis vberiori, vt ijs, qui sic resurgerent pene lapsum profuisse, dici posset.

250 Aimares sacerdotum opera ad pœnitentiã inducti.

Potozij Pestis de qua diximus adhuc sæuiens, nostris Europæi ortus beneficio ab eius contagione tutis, amplum industriæ campum aperuit, in quem illi latissimè totis laxatis habenis caritatis excurrerunt. Exibant fere omnes primo mane, nec nisi sub vesperam repetebant domum, non continuis modo fracti laboribus, sed diei quoque totius inedia exhausti. De fructu inde relato ex vnius ipsorum, P. Roberti Arnonij, ad P. Generalem literis licebit æstimare. Is ait ista occasione auditas à se vno confessiones hominum circiter quinque millium, quarum facile quingentæ ex vltima totius vitæ memoria repetitæ fuerant. Sed cum in vrbem afferretur miseram passim per agros in pagis, ac villis edi plebis inopis stragem; eò auxiliarium accurrendi P. Robertus cum socio veniam à Rectore impetrauit. Præ se agebant iumentum onustum medicamentis, & cibis, aut potiunculis dulcibus ad ægrorum solatium accomodatis. Ad Leucas sexaginta processerunt: multam non solum in obuijs tectis, sed in vijs, quoque ac syluis, vbi ægra passim corpora iacebant, occasionem benemerendi reperierunt. Curâ corporum, à qua fere inchoabant, aditum, & autoritatem sibi parabant efficacius tractandæ procurationis animorum. Breui re vulgata concurrebant ad eos è vicinis pagis; suos certatim ægros inuisi flagitantes. omnibus quoad licebat mos gerebatur; continuato sine vllo fere laxamento labore. Et Deus ipse studia populorum visus accendere. Languebat in Pago illorum tractuum vir primarius, qui visam sibi noctu retulit Mulierem maiestatis augustæ, bono animo esse iubentem: venturum enim illuc Sacerdotem linguæ peritum, cui si conscientiam aperiret suam, haud multo post conualesceret. Hoc ille visum suis vulgauit, & pro viri claritate res in famam abijt. miraque ibi erat expectatio promissi Sacerdotis, quando Arnonius comparuit: exceptus primò statim concursu plebis tanto, vt optimum duxerit concionem illicò habere, non solum attentione summa, sed mixta admiratione auditam, quod externum hominem tam expeditè, ac disertè suam ipsorum linguam exercere sentirent. Hinc continuo deducitur Pater ad ægrum iam ex ijs, quæ de facundo eius vsu linguæ popularis, sermonibus multorum è concione præcurrentium acceperat, fere certum: esse illum omnino, de quo visu nocturno fuisset admonitus. Ergo apud illum peccata deponit, & quidquid pœnæ nomine iniunctum est, prolixe recepit exoluturum. Mox fieri sibi melius expertus, paulo post vires etiam & pristinam habitudinem recepit. Celebre in alio Mapali reperit aliud somnium mulieri quadragenariæ sextum iam annum ex lento morbo decumbenti oblatum. Narrabat Matri, & Viro

251 Potozini Collegij caritas tempore pestis.

252 Peregrinatio Roberti Arnonij ad ægros iuuãdos.

253 Eius aduentus præsagis somnijs prædictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

visos ipsi adstare viros duos, qui monerent, nunquam emersuram ex isto languore, nisi Christiana fieret. Ijs sese respondisse: Christianam à pueritia se esse: Id vero ipsos pernegasse. Quomodo enim, aiebant, Christiana es, quæ renata baptismo non sis? Constitit postea, nescio quo errore, aut negligentia factum, vt illa mulier expers sacri lauacri adoleseeret. Hac commodùm vice rerum venit eo noster, & ægram re cognita, ipsâ multum, Parentibusque rogantibus, sacris aquis tinxit. mirum dictu! statim atque abluta est, sana surrexit. Incidit paulo post idem Pater in Apostatam veneficum, qui ab annis iam triginta Christianorum Sacramentorum vsum abiecerat, perstabatque obfirmatus in scelere, quamquam periculoso ex morbo decumbens. Dei tamen gratia Sacerdotis sermones adiuuante, cor durum emollitum tandem est: & post confessionem ab vltima memoria, cum vero doloris sensu, repetitam, æger alijs quoque Eucharistiæ ac sacræ vnctionis munitus mysterijs, cum salutis spe decessit. Purgata quoque Dei beneficio pestilentia, impetus animorum ad bonum perstitit, cum foris, tum in Vrbe; Vbi concionum maximi concursus, & pares fructus extiterunt: inter cætera, restitutionibus quinum senumque millium aureorum, vi summâ Dei verbi extortis incubanti congestis prædis auaritiæ. In Collegijs Arequipensi, Platensi, quod & Chuchiacense dicitur, Denique Quitensi, & sedibus Panamæ, ac Sancti Iacobi, res eodem ferme tenore fluebant ad operariorum Euangelicorum votum. Iuliensis oppidi frequentis, amplas quatuor in Parœcias tributi, cura omnis rerum ad animæ salutem attinentium demandata nostris est, ad idipsum ibi degentibus. Ea illi procuratione defunguntur in hunc modum. Vnicuique Parœciæ iuuandæ duo Sacerdotes attributi sunt. Omnes communem domicilium ad templum oppidi maximum habent, quo vndique sub vesperam conuenerunt. Summo mane in suam quique Curiam bini procedunt, vbi sacrificijs celebrandis, ministrandis Sacramentis, docendis Pueris, & rudibus, concionibus habendis, ad hæc visitandis, & consolandis infirmis, eleemosynisque distribuendis, descripto in certas horas ordine, diem expendunt, summo profectu, nec minore lætitia docilis plebis. Hæc domi gesta, nunc de expeditionibus dicendum. Notarunt nostri certa loca excursionibus ad gentes opis egentes opportuna; puta vrbem Sancti Iacobi, & oppidum Sanctæ Crucis. Ibi velut in præsidio procinctos ad iter vbi occasio vocauerit, Sacerdotes collocant: qui quidem inter se, vt curâ intentiori cultura exerceretur, populos sortiebantur, in quibus propriè quisque postea elaboraret. Pater Velaschius Cianes instituendos sibi sumpserat. P. Samaniegus Itatinos. Alij alios curabant; sed si de ijs quos nominaui quædam retulero, informabit facile prudens lector specimen rerum ab alijs gestarum, quæ tædio similitudinis omittuntur. In gente Cianum ampliſſima, & supra captum cæterorum huius tractus populorum ingeniosa, nec non ciuilitate nonnullâ tinctâ, extirpandas Velaschius habuit antiquas superstitiones, speciosis, & populo gratis illigatas, astu Diaboli, ritibus, quò difficilius euellerentur. Fruges tamen, Deo iuuante, vberes ex isto agro messuit conuersione, ac baptismo plurimorum. Samaniego in Itatinorum Gente simpliciori facilior prouincia fuit. Paucas, aut nullas admodum cæremonias habebant, quas ægrè relinquerent. Docendos se præbebant, nec tardi ad credendum propositis erant. Ergo numerosa, breui tempore baptizatis plurimis, ex his est Ecclesia conflata. In quam conseruandam promouendamque non minus quam in parandâ, sibi contendendum, ac sudandum Samaniegus intelligens, assidue instabat quotidianis institutionibus, vt magis, magisque & dogmata semel percepta confirmaret, & vitæ officia, morumque disciplinam ex Euangelica lege fingeret. Hæc agentem cura incessit de Sacramento Pœnitentiæ, cui in vsum iam Baptizatorum inducendo duplex incommodum obsta-

254 Conuersio venefici Apostatæ.

255 Concionum fructus.

obstabat; alterum dictu leuius ex lingua Gentis, alterum cuulsu difficilius; quippe quod in natura intima, atque indole nationis vniuersæ radicaretur. Prius erat quod Itatina, vti & aliquot finitimarum Gentium linguæ, vocabulis carebant, quæ summas quinario maiores exprimerent. Ergo vbi cum manus alterius digitis res numerandas adæquauerant, quidquid abundaret, vbio, vocabant. Quod ipsis nomen quamcunque multitudinem sonat quinario maiorem, nullo summarum discrimine quantumuis distantium. Id quod in expressionem necessariam numeri peccatorum per confessiones sacramentales, molestissimam non Sacerdoti magis, quam ipsi pœnitenti creabat anxietatem. Cui remedium vt fieret, amplianda vocabulis recens institutis lingua, vel signis supplendum, quod vocibus deerat, fuit. Sed ludus hæc erant, præut aliud sese obiectabat longe insuperabilius obstaculum, teneræ cuiusdam in fatendo admissa verecundiæ istius Gentis; sic natæ, sicque assuetæ, vt mille potius mendacijs se involueret, quam ad pudendum de se quidpiam enunciandum induceretur. Aduersus hoc malum Samaniegus accuratam concionem habuit, qua prius latè cunctis ad audiendum arcanum momenti maximi vndique euocatis, die celebri copiosè disseruit de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, de secreti religione, ac sigillo ei mysterio diuinitus appositio: de pernicie dissimulationis in isto foro, è quo litis victoria, & criminis absolutio non alia ratione, quam eius plana, sinceraque declaratione contingeret. Sic otiose informatis, atque à pernicioso silentio grauissimè deterritis edixit, vt conscientia quisque excussa, culpas arcanò profituri, ad se in id ipsum publicè in Templo vacaturum accederent. Sic fieri ceptum à bonis Neophytis, mosque vtilis in vsum inductus, vt iam per se quoties opus haberent, aut alioqui diei sacræ religio vocaret, vltro ad pœnitentiæ tribunal accederent, bonaque fide insuescerent conscientiæ pandendæ. Sed vt olim in Ecclesia nascente diuinæ sapientiæ visum est disciplinam sancire graui exemplo, dum in oculis primorum Fidelium Petri Apostolorum Principis verbo, ac nutu, Ananiam & Sapphiram fraudare religionem voti, & mentiri Spiritui Sancto ausos subita morte mulctauit; ita nunc peraccomodatè ad captum, atque ad imbecillitatem rudis Barbariei heri, & nudius tertius ad initia mysteriorum Christianæ Religionis admitti ceptæ, apparuit, diuino vtique consilio, ostentum in hisce terris ingens, quod ex luce publica vnius frequentis pagi, vbi sensibus magnæ multitudinis exceptum præsentibus est, vulgante fama in alias quoque istarum tractuum Gentes perlatum, Christianos vbique populos salutari terrore compleuit, ne illudere sacrilego silentio sacro Pœnitentiæ tribunali auderent: Gentilesque ipsos quadam vtili nostrarum rerum admiratione perfudit. Scio euolasse iam olim è transmarinis hisce oris ad continentem nostram, & notitia per Europam celebri vulgatum hoc factum, stylo expressum scriptorum magni nominis, imo vt audio, nonnusquam scenis tragicis in argumentum terrifici Dramatis electum, quo diligentiorem iniungi mihi operam interpretor rei ab aliud agentibus pro sui claritate longè adscitæ, à me hoc loco proprio exactè, perspicuèque referendæ. Erat in obsequio Matronæ inter Itatinos copiosæ ac nobilis, Puella non ibi nata, sed olim calamitate belli ex aliqua finitimarum gentium illuc in seruitutem tracta, annorum hoc tempore sexdecim, naturæ vtique non probæ; quippe animo subdola, visu, ac vultu procax, effusa iocis, arguta dicterijs, cachinnis petulans, incessu præceps, gestu inuerecunda. Tamen in hac leuitate, Heræ, mulieris castæ, ac seueræ, cæteraque domûs honestæ disciplinâ vtcumque continebatur. Ergo cum Samaniegus Sacerdos, vt dixi, noster, Christi legem isthic hoc anno promulgaret, hæc quoque vna cum sua Domina, & vniuersa illa familia credidit, ac

256 Integritas confessionis miro exemplo sancita.

257 Martini Delrio Christophori Vegæ &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacris aquis lota Catherinæ nomen in baptismo accepit. Deinde post illam, cuius paulo ante memini Samaniegi ad Neophytos de Pœnitentiæ Sacramento concionem, Herâ secum eam in Templum ducente, sæpius peccata post baptismum admissa Sacerdoti in aurem fassa est: sed vulgaria, & minimè pudenda dumtaxat; nam cum pudoris prodiga lasciuis clanculum adolescentibus sese indulgeret, diligentissimè cauebat ne vllum horum flagitiorum in sua confessione indicium extaret. Solita quinetiam illudere procaciter atque ad fidas familiarium conseruarum aures, vbi à Sacerdotis audientia rediret, talia insusurrare. O hominem simplicem, qui se admittendum in arcanorum meorum intima sperarit! Frustra ille me crebris interrogatiunculis scrutans vellicauit. alias quærat censeo tam fatuas, quæ se illi penitus committant. Ego tacendorum, & dicendorum discrimen scio. Ita illa viuere perseuerauit ad menses aliquot, quoad Kalendis sextilibus in morbum, eumque grauem, ac periculosum incidit. quo animaduerso eius Hera, grauis mulier, & religionem ex vero colens, eam hortata est, vt se ad confessionem pararet, accersitumque Sacerdotem ad ægram adduxit. Fecit illa tunc quoque vt solebat, & capitalia celans, leuia perfunctoriè narrauit, neque tantum semel, sed durante inlongum morbo, nonies infelix isto sacrilegio se polluit. Etiam mox subinde quas prius retuli Sacerdotis illusi procaces traductiones iterans ad Conseruas: quarum vna Religiosior rem aperiendam Dominæ putauit. Percussit, vt par erat, pium Matronæ animum scelus, & periculum Ancillæ; ad quam statim adiens, vbi multa quæ de pernicie flagitiosi in Sacramentali confessione silentij à Sacerdote audiuerat, commemorasset, amanter, ac materne percontabatur, ecquid haberet in conscientia, quod prodere puderet: committere sibi ne dubitaret, nihilo eam minus, quidquid tandem id esset amaturæ. Aderant vna quædam è mulieribus familiæ, quibus Catherinæ nequitia non erat penitus ignota. Igitur bono animo ægram iuuandi, quæ nouerant coram Hera protulerunt. neque ipsa languens negauit, at addidit, se nunquam ista Sacerdoti narraturam. Inter quæ, vel Deo sacrilegium vlciscente, vel diabolo sibi addictam, vt solet, cruciante; vel denique æstu animi redundante in laborem corporis, ægra furijs velut quibusdam agitari cepit, & spiritu intercluso violentissimis iactationibus sese per stratum voluere. Durauit aliquantulum horrenda visu contorsio; à qua tandem ad vsum sensuum & quietem aliquam puella rediens, Dominæ sua dedecora narrauit; à quibus Sacerdoti prodendis deterreri se aiebat à quodam sibi ad læuam adstante toruæ frontis spectro: incitari contra ad ea confessario fatenda, à Muliere splendida, quæ à dextris adesset, plane simili Tabulæ in Templo expositæ Sanctam Magdalenam referenti. Hîc enimvero bona Matrona in hortationes vehementius incumbere, interimque seruulo, Patrem curriculo vt accerseret, mandare. Adfuit breui vocatus Sacerdos, cui Matrona in ægræ cubiculum ingredienti; Catherina, inquit: Pater valde operâ tuâ indiget. nunquam est enim integrè confessa. Mox, vt ei pudorem noxium demeret, quæ ex ægrota compererat, Patri coram ipsa, quasi eius nomine exposuit. hæc & hæc inquiens, hactenus Catherina in Confessione reticuit, sed nunc ea nobis fassa, etiam tibi, quando ita necesse est nota vult. Ad quæ infelix, obstinatione se inuoluens sua, manifestè renuit: & varana lingua, quam Patri ignotam sciebat: atqui ait, Dominam intuens, ista tibi eo animo credidi, vt huic communicares, quem de his maximè celatum volo. Omnia hic deinceps conari omnes, minis blanditias adiungere, intentare cruciatus inferorum, ignis æternitatem, ostentare Paradisi delicias; expendere facilitatem necessariæ ad tormenta vitandæ, delicias promerendas, confessionis; præsertim cuius pudor omnis euanuisset arcano iam in Sacerdotis conscientiam emisso. Denique nihil non agere vt ruentem in præcipitio

258 Catherina Sacramento Pœnitentiæ illudit.

259 Obstinatio eius in sacrilego silentio

pitio sisterent. Sed tundebant incudem. Præfracta muliercula per dies aliquot eluit omnia, non solum pertinaciter, sed etiam petulanter, & impiè, non raro subsannans, & scurrilibus facetijs, iam Sacerdotem, iam solicitudinem illorum, qui salutarem sibi confessionem suadere conarentur irridens. Interdum obscœna dicta cum rubore audientium impudentissime proferens. Semel etiam cum ei Christi Crucifixi ad venerationem offerretur effigies, contemptim reijciens; ac nescire se istum quis esset, nec eum curare, blasphemans. Neç suas non interim partes seruare pereuntem cupiens Deus, agebat. Pungebatur rebellis animus arcanis stimulis excitantis gratiæ; quibus concussa in has se interdum relaxabat voces. Me miseram! cur pereo? cur scelera non confiteor? Ad quas cum familiares accurrerent, & ecquid vocari Sacerdotem vellet? percontarentur, illa in nugas solitas, & dicta impia reuoluebatur. Nocte quaquam conubia sopitos Domi cunctos clamor Catherinæ acutissimus excitauit. Vociferabatur eiulatu horrendo. Heu me quantum crucior, quam horribiles pœnas luo temeratæ confessionis! Accurrit Domina, Domesticique omnes. Mortuæ similem reperiunt. Post eam vocem diriguerat toto corpore. nullum in tactu, in pulsu vitæ indicium. Expirasse crediderunt. Post horas septem inopinatissimè apertis oculis, cepit vlulare nescio quid inconditum. Adest Hera, & blande, Catherina, inquit, iam tandem sapere incipe. Deus adhuc te expectat. Annuere visæ infelici Sacerdos sistitur. Frustra vt semper. Nullum ægra remissæ contumaciæ signum dabat. Interim mortis propinquæ indicia extabant. Sacrum cereum raptim mulieres accendunt, ægram vt id sumat, & Iesum inuocet hortantur. Illa toruum intuens: tollite istum Iesum, nihil mihi cum illo est. Simulque toto corpore se auertens in remotissimum lecticuli angulum, ibi sessim assurgens confabulari cum quodam videbatur. Sed alia ancilla eodem in conclaui languens, terribiles se formas circa Catherinam videre clamabat. In his posito capite sontem animam meretricula peruicax efflauit. Fœdissimum visu cadauer odorem repente tam tetrum inhalauit, vt non expectata luce (nam nox erat) ejiciendum in subdiuale atrium fuerit. Eodem quo expirauit momento, mansuetus equus in domus eiusdem præsepi ligatus, furere cepit horrendum in modum morsu, ac calcibus, ruptisque retinaculis erumpere. Canes statim è vicinia ruere amentes insanissimis latratibus. Adolescens Dominæ frater manu non aspectabili in bracchio apprehensus, sicque somno excussus è lecto in pauimentum graui casu deiectus est. Ancilla vehementi calcis ictu, cum neminem videret, in humero se percussam gemuit, tumorque ac liuor ad dies multos in parte læsa visi, haud ex vano questam probarunt. Cum corpus ad sepulturam componeretur, erexit se in sedentis modum, & terrore consternatas abegit Præficas. In famulæ caput, ingredientis conclaue vbi erat illa mortua, vas ex alto deiectum est. Diditur momento fama per Pagum. accurritur in funestas ædes studio mira visendi. In oculis curiosæ multitudinis ingens fit lapidatio, tumultuosissimo fragore ingruentium supernè fractorum laterum, & coctilium tegularum. cum tamen nec toto illo in oppido, nec in vicinia vsus vllus, aut copia eiusmodi fictilium esset: imbricibusque è ligno dolatis, squammatimque consertis tecta domuum pluuias arcerent; vt ex longo interuallo delatam vi arcana materiam istam appareret. His consternata terroribus familia ad aliquod solatium congregabatur, mulieres maximè, quarum nulla vagari per ædes sola sustinebat. Circumstabant Heram fœminæ circiter duodecim, cum vna ex ijs ancilla, quæ Catherinæ vitia Dominæ aperuerat, semel iterum, ac tertio per pedem tracta, raptataque est, nemine manum, quæ traheret vidente. Nonis octobribus cum in cellam vestiariam iret Ancilla, vt vestem promeret, Catherinam videt vas quoddam è terra tollentem.

260 Impia eius moribundæ vox.

261 Mortuæ manes domum inquietant.

Ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exclamat, fugit. ingens strepitus auditur. accurrunt multæ simul. vas illud vi summa parieti impactum in frusta dissilijsse conspiciunt. Dominâ eodem post ingressâ, dimidius later magno impetu in murum illisus est. Postridie mulieres optimum ratæ vi stygiæ vestiarium infestanti religionem sacræ imaginis opponere, eunt multæ simul, & Christi de cruce pendentis effigiem Chartæ impressam agglutinant postibus. Statim cunctis inspectantibus reuulsa imago, & in tria fusta consciſa est. Iam nulla quies sub tectis erat. Ergo Domina mensam sterni sub diuo in hortulo præcepit. Huic cum assideretur, magna pars lateris in lancem, vnde vescebantur supernè decidit. Simulque quadrimus puer, iactatis cum eiulatu ad matrem bracchijs, Mater exclamauit, subueni, strangulor à Catherina, non illam vides apprimentem mihi fauces. Sed cum Theca reliquiaria, quam ad hoc ipsum noster Sacerdos dederat, vt stygijs hisce furijs opponeretur, pueri collo esset admota, tartarea illa vis abscessit. Hic matrona tam sæua infestatione inquietas ædes deserere cum parte familiæ magnâ decreuit. Tribus dumtaxat ætatis maturæ mulieribus ad custodiam domus relictis, ad consobrinam migrat; quæ remanserant crucibus, lipsanotheeis, aqua lustrali, præcipuè oratione, & inuocatione Sacrorum IESV, & MARIÆ nominum iussæ cum monstris pugnare, multa immania sunt passæ. Sed Deo tandem placuit ferali negotio finem imponere. Mulier vna è tribus cellam penariam ingrediens clarè audiuit notam Catherinæ vocem sese nominatim appellantis. Fugit illa statim consternatissimè ad duas socias, quæ & ipsæ distinctè audierunt eamdem vocem iterum, & tertio mulierem, quæ fugerat vocantem. Quare illam hortantur, vt Deo inuocato respondeat, & quid se velit, quærat. Se illi comites ituras. Annuente illa, sacram candelam accensam manu præferentes, in cellam vnde vox eruperat vadunt simul omnes. Erant iam in limine, cum denuo Catherina, quam prius nominauerat inclamat, iubens eam abijcere candelam, qua se vri dicebat, & sic solam accedere.

262 Nouissima apparitio damnatæ. Non obtemperauit illa quidem in dimissione cerei, sed accessit tamen intrò, & Catherinam vidit horribili specie flammis cinctam, quæ ex cunctis eius membris per globos erumpere videbantur. Corpus cætera nudum fascia quadam velut ferri candentis cingebatur, lata & varijs gyris artus amplexa vsque ad imos talos. Accedere ad se propius Catherina cum iuberet fœminam, huic dubitanti, & terrore nimio vix mentis compoti, Iuuenis veste candida, placido vultu, bonus Angelus haud dubie, se videndum obtulit; &, sta, inquit, animo, ac monstrum hoc conspue, tum quod loquetur, audi, mox alijs narratura. Sensit semina se confirmatam; & erigere os in Catherinam ausa, clare audiuit, cum diceret: se æternis incendijs addictam, quod suam impudicitiam Sacerdoti fateri noluisset. Iussam se, ac perinuitam id nunc prodere, vt sua pernicie alij sapiant. Quædam in eam sententiam cum adderet, signo ad Vespertinam Deiparæ salutationem tunc forte dato, repente conticuit, & euanuit: ex eoque momento incestare domum illam desierunt impuri damnatæ manes: nouellâ illâ Ecclesia celebri per tractus illos notitia tam insignis euentûs mirè in fide mysteriorum Christi, ac præsertim in proposito nudandæ syncerè ad peccati remedium conscientiæ, firmata.

LAVS DEO.

PROTESTATIO
AVTORIS.

LEctor aduerte in Elogijs Virorum Illustrium, quos his Historijs complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cùm vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione collata diuinitus: demum nonnullis sanctimoniæ, vel martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia, ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata; sed tanquam quæ à sola suorum auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum Sacr. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctiss. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seù augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi comprobationem; sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, secluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi. Petrus Possinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
IN QVINTAM PARTEM
HISTORIARVM
SOCIETATIS IESV.

Cuius prior numerus indicat num. Librorum; Posterior numeros ad marginem dispositos, tertius paginas.

A

Breus perturbatorum acerrimus è Soc. dimissus. lib. 9. num. 184. pag. 459. &c.
SS. Abundij, & Abundantij translatio in Templum Domus Professæ Romanæ. lib. 3. num. 1. p. 110.
Pauli Achillis vitæ summa, & pia mors. l. 6. n. 17. p. 280.
Iacobi Acostæ mors. l. 1. n. 142. p. 257.
P. Iosephi Acosta cum P. Plaza comparatio. l. 1. n. 407. p. 65.
Acosta ad Regem Philippum à P. Generali mittitur. l. 9. n. 168. p. 455. &c.
Adolescentuli egregia pietas. l. 2. n. 193. p. 92.
Francisci Adorni Elogium. l. 6. num. 18. p. 280.
In Ægypto rem Catholicam curant PP. Soc. l. 3. n. 39. p. 117. & l. 10. à n. 159. p. 528.
In Æthiopiâ obitus felices sociorum Patriarchæ Ouiedi, persecutio &c. l. 1. n. 344. p. 51. & l. 10. n. 159.
Aginni Collegium postulatur. l. 4. n. 106. p. 191.
Consalui Alami virtutes, & naufragium. l. 9. n. 153. p. 452.
Ferdinandi Alberi gubernatio sapiens, & felix. l. 7. n. 50. p. 323.
Adriani Albissени pia mors. l. 9. n. 125. p. 445.
Card. Aldobrandini legatio in Poloniam. l. 8. n. 34. p. 372. idem Societatem apud Pontificem commendat. l. 9. n. 25. p. 426.
Georgius Alenius moritur. l. 5. n. 115. p. 251.
Aletij clericorum Sodalitas instituta l. 3. n. 51. p. 119.
Balthassaris Alfonsi labores vtiles in Regno Congi. l. 3. n. 147. p. 146.
Alfonsi Dezæ mors, & virtutes. l. 9. n. 160. p. 453.
Algueriense Collegium fundatum. l. 4. n. 110. p. 192. Eius constructio. l. 9. n. 149. p. 451.
Almeida in Sinarum interiores Prouincias penetrat. l. 5. n. 163. p. 264. & inde redit. l. 6. n. 115. p. 364.
Almerinensis Stationis solutio. l. 2. n. 178. p. 94.
Georgij Aluarij pius obitus, & præclaræ virtutes. l. 4. n. 116. p. 194.
Roderici Aluarij virtutes præclaræ, & Dei, ac Deiparæ in eo dona insignia. l. 7. n. 114. p. 340. & seq.
Amacaënsis Colonię origines. l. 4. n. 190. p. 210. ibique Domus excipiendis catechumenis Sinarum, ac Sodalitium pro Sinensibus Christianis institutum. l. 4. n. 203. p. 214. & 215.
Oliuerij Amelij mors, & laudes. l. 3. n. 116. p. 134.
Ludouica de Ancezuna fundatrix Tyrocinij Auenionensis. l. 9. n. 148. p. 451.
S. Andreæ miracula. l. 2. n. 198. p. 97.
S. Angeli Custodis auxilium. l. 5. n. 213. p. 274. Eius beneficio timor mortis abstersus. l. 6. n. 138. p. 307. Vid. etiam l. 10. n. 229.
Angelopolitani Collegij fundator. l. 6. n. 140. p. 308.
In Anglia persecutio, & nostrorum labores. l. 1. n. 192. p. 31. & seq. quatuordecim neci addicti ibi n. 253. p. 39. Persecutio atrox. l. 2. n. 117. p. 84. Anglorum Seminarium Augi fundatum: ibi. n. 116. p. 84.
Anglicani Collegij Romæ, delectus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alumnorum habendus, num.119.p. 85. Quæstiones Catholicis propositæ p. 86. n.17.& prudens eorum responsum n.129.
varij in odium fidei cęsi .l.3.n.90.p.128. Multi in custodiam dati plus religionem iuuant. multi conuersi. Quidam lapsi resurgunt &c. ibi . n.93.p.129. & 5.
Angolano in Regno Patrũ labores.l.1,n. 329. p.49.vsque ad 51. belli cum Lusitanis origines . situs Regni,varij tractatus,insignis opera P.Barreyræ ad victoriam Lusitanorum &c.l.3.p.138.n.536.vsque ad p.144.
Angræ Collegium restitutum.l.4.n.131. p.200.
Angræ Sodalitas B.Mariæ maximè salutaris. l.9.n.226. p. 471.
Anicienſibus Collegiũ datũ. l.8. n.108.p.393.
Annuarum in Soc. origo, & vsus.l.1.n. 2. p.1.
Antonij Ariæ concionum fructus . l. 6. n. 21. p. 281.
Antonij Dynastæ Christiani mors. l. 1. n.393. p. 61.
Antuerpiense Collegium restitutum. l.5.n.129. Sodalitatum in eo fructus.l.6.n. 59. p. 292. p. 254.
Eidem S. Guillelmi caput datur . l.7. n.59. p.325.
Anzuquiama Ciuitas à Nobunanga extruitur . l.1. n.377.p.58.Vid. Nobunanga. miserè, diripitur. l.2. n. 215.p.99. Anzuquiamæ Collegium fundatum Nobunangæ concessione , & ope. l.1.n.380. p. 38.
Apostatæ Protectores Diuinitus plectuntur. l.4.n.67.p. 181.
Aquauiua Generalis v. Claudius .
Aquauiua Rodulphus v. Rodulphus .
Aquisgrano discediturr imprudentiâ Concionatoris nostri.l.9.n.112.p.442.
Vincentij Aragonij felix obitus.l.3.n.5.p.111.
Francisci Aranęæ præclara in morte confessio,& in tormentis constantia.l. 3.n. 201. p.150.eius vitæ summa ibi. n.219.p.154.
Arcualensis Collegij initium , & occasio. l. 8. n.114.& 116. p.394. &c.
Valentini Arigonij mors l.9.n.57.p. 431.
Regis Arimæ baptismus.l.1.n.360.&c.p.54.
Pontificis ad Armenos legatio . l. 3. n. 26. p. 115.
Petri Artiagæ bona mors.l.9.n. 195. p. 463.
Io: Aschermani mors, & virtutes. l. 8.n.78. p. 386.
Asili ius Christianis Ecclesijs in Iaponia defensum. l.1.n.395. p.61.
Assistentes creati . l. 1. n. 44. p.9. eorum vsus l.2.n.13.p. 68.
Inter Assistentes dissensio de vsu orationum & corporis afflictationũ.l.10 n.15.p. 495.
Astigitanis statio concessa.l.4.n.113. p. 193.
Auenionense Collegium designat Card.Farnesius.l.9.n.38.p. 429. Auenionensis Tyrocinij fundatrix.l.9.n.148.p.459.
Augerius v. Edmundus .
Augense Collegium fundatur.l.1.n.186.p.30.& Seminarium Anglorum. l. 2.n. 116. p.84.
Augustæ pia opera tempore comitiorum.apertæ scholæ &c. l.3.n.100. p.82.
Augustanum Collegium, à seditiosis periclitans, vano illorum metu seruatur. l. 4. n.91.p. 188.
Auliciſmi pernicies . l.1.n.171.p.28.
Auscensis Collegij origo.l. 9.n. 144. p.450.
Ausekij fructus insignis.l.5.n.117.p.251.

B

Badensis Marchio varijs officijs à nostris adiutus. l.5. n. 121. p. 253. conuertitur ad fidem : è suâ ditione hæreticos pellit. eius constantia, & mors ab Hæreticis veneno procurata.l. 10.n. 110. p. 518.
Badensis Collegij designatio irrita. l. 8. n. 94. p. 390.
Io: Balmesij mors felix.l.8.n.110. p. 394.
Balthassaris Barreyræ vtilis opera in Euangelij ministerio.l.2.n.184.p.94. &c. mirabilis victoria Lusitanorum . l. 3. num.159. p.141. & seq.
P.Balthassar Pinna v. Pinna.
Baptismi celebres . l.7.n.138.p.345.
Baptizati in Brasilia mille trecenti. l. 1. n. 400. p. 63.
Baptismo curatur æger depositus .l.6. n. 114. p. 304.
Barcinone pestis, & caritas nostrorum . l. 9. n.150. p. 452.
Collegij Barcinensis initia. l.3.n.48.p.119.
Riccardi Barreti laudes.l.3.n.152.p.89.
Barreyra . v. Balthassar .
Alfonsi Barzanæ zelus laudatus. l. 1. n. 409. p. 65. Apostolici labores . l. 9. n. 359. p.491.
Guilielmi Bauariæ Ducis fauor insignis in Soc. l.9.n.21.p. 424.
In Belgio meliori conditione Societas esse incipit. l.4.n.97.p. 189.
P. Bellarmini disputatio in defensionem obedientiæ. l.7.n.13. p.366. Eius liber notatus , & cito restitutus in integrum . l.10. n.33. p. 499.
Iacobi Benedicti mors.l.5.n.156. p. 261.
Benedictione fœcunditas aquis reddita . l. 4. n.83. p. 186.
Beneuenti Collegium petitum , positâque statio ingenti fructu. l.4. n. 29. p. 169.
Francisci Berni mors pretiosa , & funus celebre.l.4.n.111.p.192.
Petrus Berna crudelissimè trucidatur . l. 3. n.199. p. 150.
Eius vitæ summa . n. 214. p. 153.
Bilbilitani Collegij initia. l.4.n.117.p. 193.
Blanci Archiep. Compostellani vita , & mors pia. l.1.n.305.p.46.
Henrici Blissenij, mors. l.6.n:45.p.288.
P. Bobadilla eligitur Iudex in causa P. Manarei , & quid in hoc acciderit. l. 1. n. 17. p.4. &c. eius obitus , ac virtutes . l. 10. n.53.p. 505.
Bolognetti Nuncij Apostolici epistola . l. 3. n. 59.p.122.
Bomi Rex ad Christum conuersus.l. 1. n. 389. p. 60.
Franciſci Bonhomij Nuntij Apostolici virtutes, & mors sancta.l.7.n. 60. p.325.
Bonzij conuersio mira.l.2.n. 222.p. 102.
Franciscus Bordæus res bene gerit Petrocorij . l.2.n.161. p.91.
Iuliani Bouclerij zelus.l.2. n. 158. p. 90. sedenæ labores & aquis sextijs . l. 3. n. 120. p.136.
In Brasiliâ feliciter à Patribus laboratum. l. 4. n.237.p. 223. Noua superstitio veræ religionis imitatione formata, & nostrorum labores in eâ tollenda. l. 5.n. 181.p.269. &c. & n. 194. p.271. fructus Ministeriorum Societatis l.8.n.229. p. 416.
Guillelmi Brokesbei vita , & mors laudabilis. l.2.n.153.p.89.
Brianti fortitudo in gestanda publicè Cruce. l.1.n. 246. p. 38. Eius in Soc. admissio , torméta post emissa Soc. vota sine dolore tolerata , cæterę eius laudes vsque ad n. 281.p.42.
Brugis Collegium restitutum.l.4.n.100. p.190.
Bruntruti PP. felices labores,Episcopi laudes, epistola ad Prouin. & sedes Societati data. l.10.n.101.p. 516.
Bruxellensis Collegij initium. l.7.n.61.p.325.
Bullæ Cruciatæ vsus recusatur à Soc. l. 5.n. 146. p.257.&c. v. Cruciata.
Regis Bungi egregia religio , & eius filij metus Catholicam capessendi, Patris felicitas,& filij miseria.l.1.n.363.p.55.
Bungi Rex Franciscus,Regnum cedit filio, huius noxia imprudentia &c. l. 6. n. 120.p. 305 &c. in eo rerum conuersio.lib.7. n. 142. p. 345.
Francisci pius obitus & virtutes ibi . n. 160. p. 350. &c.
Filij Apostasia,& paucorum aliorum,sed plurimorum perseuerantia &c. l.9.n.300. p. 483.
Burgensis Domus Professa in Collegium mutata. l.3.n.127.p.137.
Burdigalæ Societas vexatur, vnde Regis literis excluditur . Burdigalensium in Soc. caritas,quæ à Pontifice laudatur.l. 9. n. 132. p. 446.
Busaquiense Collegium dimissum.l.4. n. 110. p.192.
Petri Busæi mors,& vitæ laudabilis summa. l.7.n. 49. p. 323.

C

Calatana settense Collegium receptum . l.8.n.22.p.369,& l.9.n.54.p.431.
Calissiensis Collegij initia. l.4. n. 77. p. 183. & l.6.n.25. p.282.
Caluinistæ Societatem è Gallia ejci student. l.4.n. 108. p. 191. vnius istorum insignis conuersio.l. 5.n.98.p.247.
Cambacundonus v. Faxiba .
Cameneci Collegium procuratur. l. 10. n. 94. p. 515.
Campani obedientia & modestia l.1. n. 142. p. 25.
Prouincialis ardua,& prudens administratio in Transyluania,&c.l.4.n.64.p.180.& seq. Eius in Poloniam reditus è Transyluania. l.6.n.19.p.281.
Eius operâ insignis pacificatio facta.l.10. n.87. p. 514.
Campiani insignes labores præclaræ virtutes,& felix obitus in Anglia.l. 1. n. 212. p. 33. vsque ad num.284.
Canisius Friburgi fidem Catholicam tuetur . l.1.n.169.p.28.
Capecius moritur.l.6.n.39.p.286.
Capitulorum incommoda.l.9.n.5.p.420.&c.
Philippi Caponagi mors.l.8.n.25.p. 370.
Capralis ad Sinas iter.l.4.n. 234. p. 223.
Card.Caraffa Societati fauet.l.9.n.26. p. 426. Eius cunctatio Pontifici suspecta.l.10.n.20. p. 497.
Robertæ Caraffæ Matalunæ Ducis cũ Societate reconciliatio, & in eam Neapoli beneficia . l. 3. n.46. p.119. &c.
Michaelis Cardanei vtiles in missionibus labores,& mors piè obita.l.9.n.102.p.440.
Carmaniolæ Sodalitas perseuerantiæ instituta. l.1.n. 90.p.17.
Antonij Carnicerij felix obitus.l.2.n.173.p.93.
S. Carolus Borromæus autoritate Apostolicâ visitat Rhætos ; & quatuor nostrorum PP.vt ibi essent curionum loco impetrat à P. Generali,eius sancta mors. l.4.n.53. p.177.vsque 179.
Castimoniæ egregium exemplũ . l.1.n.205.p.8.
Castimonia Io:Bapt.Pilastrelli.l.6.n.11.p.279.
Casti Iuuenis constantia. l.10.n.137.p.542.
Francisci Castrij obitus , & virtutes . l. 9. n. 196.p. 463.
Cæsaris Casullę Viglianæ felices labores . l. 1. n. 91.p. 17.
Catechumenorum Domus Olysippone . l. 4. n.132. p. 200.
Catherinæ ducis Sluęensis conuersio. l.2. n.90. p. 81.
Catholicis in carcere detentis ab Anglis quæstiones propositæ.l.2.n.127. p.86.& prudens eorum responsum , n. 129. trium mors.130. &c.
Ad Chichimecas Missio æquè ardua , ac fructuosa.l.5.n.212.p.275.
Chiti residentia fundata. l. 6. n. 154. p. 309. terræmotus ibi vehemens , & in eo PP. officia.l.7.n.247.p.362.
Christianæ fidei rudimenta in compitis tradi cepta

Universidad de Deusto
Biblioteca

cepta. l.1. n. 143. p. 25.
Christophorus Transyluaniæ Princeps piè moritur. l.1.n.151. p. 26.
Chusquianensis Collegij origines.l.1.n.413.p.66
Claudij Aquaniuæ successio, & longæuitas Societati vtiles. l.1.n.3. p.1. creatur Generalis. l. 1. n. 26. p. 5. Quid responderet eius iuuentutem admirantibus. l. 1. n.29. p. 6. Eius electio Diuinis suffragijs confirmata, Pontificis, & ceterorum iudicijs approbata. lib.1. num.27. p.6. & seq.
Claudij epistolæ ad Superiores summa.l.1. n.55.p.11.accingit se ad visitationem Societatis.l.2.n.2.p.67.ea delata, demum omissa quas ob causas ibi,& seq. Claudius adit Sixtum V. recens creatum Pontificem max.l.5.n.15.p.220.benignus Pontificis ad eum sermo l.5.n.27. p.232. Eius epistola de fraternâ caritate.l.6.n.2.p.276. hortatur Socios ad cultum B. V. ibi. n.3. p.277.biênio probationis,à studijs literarum vacari statuit ibi.n.4.eius ad Pontificem oratio de turbis Hispanicis.l.6. n.91. p.299 Quid egerit apud Sixtum Pont.pro seruando instituto. l.9. n.4. p.420. Eius erga Pontificem reuerentia, ibid. n. 27. curat vt Societas ex aduersis proficiat, num. 28. decretum edit de hora considerationis à Superioribus quotidie impendendâ in rebus sui officij. l.9.n.29. p.427. Eius Epistola de vsu orationis & Pœnitentiarum in Soc. l.10. n. 17. Alia eiusdem Epistibid.n.18. p.496.
Collegij Claudiopolitani in Transyluaniâ fundatio. l.1.n.144.p. 25. comitijs Claudiopoli Generalibus Patres proponunt theses, indignantur Hæretici &c. ibi. augetur Collegium à Stephano Rege. n. 156. p.27. Seminarium inchoatum. l.3. n.72. p. 124.idem perfectum. l.4.n. 69. p. 181. Ex eo vtilitas. l.5. n.97.p.247. extinctum. l.9.n.99.p.439.
Christophorus Clemensonus rẽ bene Nemausi gerit.l.2.n.121.p.136.
Eius, labores, pericula,constantia.n.159. p.90.&c.
Coadiutoris Iacobi de Yeuenes religiosa vita, & pius obitus. l. 1. n. 320. vsque ad 322. p. 48.
Coansæ amnis natura. l.1. n. 332. p.49.
Cocini res feliciter gesta. l.2. n. 196.p.92.
P. Cocquij mors. l.7.n. 105. p. 338.
Cocumsu humanissimè Patres excipit. l. 4. n.221.p. 219.
P.Coëllij V. Prouincialis in Iaponiâ labores, & acta cum Imperatore Cambacundono. l.5.n.165.p.264. Eius mors & de eo iudicia l.10.n.188.p.573.
Collegia nec multa, nec exigua admittenda. l. 4. n. 79. p. 184. &c.
Coloniæ Coll. Soc. datum. l. 1. n. 172. p. 29. domus cum Templo Societati parata.l.2. n. 105. p. 83.periculum ex Apostasiâ Gebardi Truchsis, & electio in eius locum Ernesti Bauari.l.3.n.83.consectatio Templi Societatis n.85. p.127. & seq. Collegium auctum ex liberalitate Antistitis Ernesti, l.7.n.55. p.324.
Cardinalis Columnæ benevolum officium pro Soc.apud Pontificem.l.9.n.17. p.423.
Coma à puero pio exemplo resecata. l. 10. n.223.p.539.
Comense Societ.Templum corpore S. Amantij ditatum. l.10.n. 84.p.514.
Commissarius quare negatus.l.7.n.89. p.336. & cur Societati non conueniat.l.8.n.146. p. 402.
Commotouij res feliciter gesta. l. 9. n. 100. p.439, &c.
Commotouiensis Collegij ædificatio. l. 10. n.97. p. 516.
De concionatoribus graue iudicium P. Ramirij.l.6.n.108.p.303.iisdem quam necessaria prudentia. l.9.n.112.p. 442. & l. 10. n.24. p. 497.
Confessarios Principum vetat Manareus extra Domos nostras diuersari. l.2.n.99. p.82.
Collegiũ Cõfluentinum apertũ. l.2.n.107.p.83.
Congregationes B.V. Vide Sodalitia.
Congregatio generalis V. l.1. n. 5. p.6. in eâ turbæ,earumque origo ibi.n.6.& seq.Congregationis initium.l. 1. n. 12. p. 3.in eâ grauissimæ difficultates.l.1.n.22.p.5. eius clausula.l.1. n.45.p.9.
Circa Congregationem Generalem rationes, quæ suaderent, & quæ obstarent cum de eâ cogendâ ageretur.l.10.n.56.p.506.&c.
Congregatio Procuratorum prima sub Claudio.l.4.n 18.p.166.
Conimbricensis Collegij periculum. l.3.n.135. p. 138. Eius causa feliciter acta apud Philippum Regem.l.9.n.198.p.464.
Andreæ Consaluij mors. l.2. n.182.p. 94.
Io: Consaluij mors, & virtutes. l. 5. n. 152. p.258. &c.
Erga Consanguineos amor, quam insigniter superatus à P. Deza. l.9. n.164.p. 454. & à P. Henricio.n.213.p. 467.
Constantinopolim quinque è Societ. missi. l.3. n. 23. p.114.
Ibi Patrum labores. l.5 n.39.p. 235.
Hæc statio dissoluitur.l.6.n.13. p. 279.
Constitutionis nouę pro Soc. editio. l.4. n. 1. p. 161.
Constitutiones Soc. graui censurâ notantur à Theologis à Sixto delectis.l.10.n.21.p.497.
Petri Angeli Consulis mors.l.8.n.28. p. 370.
Card. Contarelli efficacissimus sermo ad Sum. Pont.pro Coll.Rom.l.1.n. 50.p. 10.
Continentia mira gentilis hominis. l.9.n. 365. p. 490. Americanorum continentia insignis.l.10.n.135.p.541.
Controuersia de tribus contractibus &c. l. 1. n.165. p. 28.
Contubernia Scholasticorum pauperum vtiliter instituta. l.4.n.87. p. 187.
Conuersio Catharinæ Ducis Slucensis.l.2.n.90. p.91.
Conuersio Reguli, aliorumque in Regno Angolæ. l. 1.n.340 p. 50.
Conuersio Doctoris illustris.p.83.n. 103.
Conuersio mirabilis, cuiusdam Principis in Peruuiâ.l.3. n.242.p.108.
Conuersio mira cuiusdam symphoniaci. l. 1. n.160. p. 27.
Conuersio mira Anûs veneficæ, & hæreticæ. l.3.n.79.p.126.nouem hominum millium. l.8. n.189.p.409.
Conuersiones insignes multorum in Mocumbâ. l.2.n.189.p.96.
Conuersiones aliæ insignes. l.5. n. 98. & seq. p. 248.
Conuersi nongenti Bazaini. l.2.n.195.p.92.
Cophtorũ aliquot conuersiones.l.5.n.39.p.117.
Coramitarum Christianorum constantia. l. 2. n. 191.p.96.
P.Leonardi Corcelij pius obitus.l.4.n.94.p.188
Cortraci expetitur Societas.l.2. n.87.p.127. Impetratur. l.6.n 57.p. 291.
Cosentiæ Collegium petitum.l.4.n. 29. p. 169. inchoatum cum pluribus Sodalitatibus. l.9.n.52.p.430.apertum. l.10.n.68.p.511.
Francisci Costeri vtiles labores. l. 1. n. 123. p. 445.
Cottamo vita insidiosè oblata ab Hæreticis, generosa eius verba, pia mors, cilicium ei repertum. l.2.n.134.p.87. &c.
P.Couillonij mors. & laudes. l.1.n.56.p.11.
Cracouiæ certa sedes Societati tributa. l. 3. n. 60.p.122. &c. domus probationis initium.l.5.n.76. p. 242.
Cremensis Missio fructuosa.l.6.n.49. p. 289.
Cretensis Missionis initium.l.8.n. 24.p. 370.
Cruces in Iaponia repertæ in lignis &c. l. 9. n.325. p. 486.
Imaginis Crucifixi insigne miraculum. l. 2. n. 242.p.108.
Cruciatæ vsus recusatur à nostris, quantâ difficultate &c. l. 5.n. 146. p. 257. Præfecti Cruciatæ operâ nostrorum vti volunt conditionibus molestis.l.9.n.56.p.431.
Crumsouiense Collegium receptum. l.5.n.111. p.250.eius initium. l.8.n.76. p. 386.
In Cuculinum pagum perueniũt nostri vbi pro fide occiduntur.l 3.n.190.p.148.&c.
Claudius Cuissotus peste affectis ministrans moritur.l.4.n.103.p. 190.
Curionum loco positi nostri Patres, in Rhetis, eorum labores ibi, ac persecutiones. l.4. n.54.p.177.vsque ad 179.
Cuschi infamata Societas. l.9.n.345.p.489.&c.

D

DArij Vcondoni Patris gaudium in filij exilio pro Christo.l.7.n.224. p.359.
Defunctorum animabus iuuandis Sodalitium conditum. l. 4. n. 132. p. 200.
Derpatensis Collegij, ac Seminarij ortus. l. 5. n.93.p. 246.
Duorum Societatis desertorum infelices fines. l.5.n.105.p. 249.
Desertoris alterius infelix exitus.l.6.n.24. p.282.egressi è Soc. Ioânis Andini infelix mors. l.6.n.98. p. 321.alterius pœna. l.6. n.141. p. 308.
Dictum egregium Card. Comensis.p.72.n.35. & n.40 l. 2.
Disputatio famosa Bonziorum, indictâ mulctâ, vt capite luant victi. l.1.n.374. &c. p.57.
Diuionensis Collegij initia. l. 1. n. 181. p. 28. ei subuentum.l.8.n.109. p.394.
Dobenius è Scotia Hæreticorum scelere pulsus.l.2.n. 146. p. 88.
Doctrina Christiana cum pompa à pueris recitata.l.4.n.105.p.191.
Doctrinæ Christianæ summa Sinico Idiomate conscripta. l. 4. n. 231. p. 222. ac peruuiano.n.238. p.224. quo fructu apud Sinas.l.9.n.138. p.473.
Dolæ Collegium inchoatum.l.3.n.122.p.136.
Domus Professa Burgensis in Collegium mutata. l. 3. n.127.p. 137.
Domûs Professæ Panormitanæ initia.l.9.n.52. p. 120.
P.Drenoczius Parochi vicem supplet.l.2.n.76. p. 77.
Duaci Sodalitia tria instituta.l.6.n.60. p.292.
Ibi Controuersiæ cum Academicis.l.7. n.62. p. 325.

E

EBredunense Collegium receptum. l. 3. n. 119. p. 136.
Edmundi Augerij labores. l.1.n.180.p.30. Sodalitatem pœnitentium instituit, quæ à Pontifice probatur l. 3. n. 103. p. 132. & seq. immeritò suspectus Romam aduocatur.l.6. n. 74. p. 296. &c. persuadet Regi, vt se abire sinat. lib. 7. num. 64. p.326. &c.
Regis partes tuetur:inde grauia patitur,& euocatur in Italiam.l.9.n.128.p.446.
Eduardi Trogmortoni mors.l.2.n. 42.p.73.
Electio P. Claudij Aquaniuæ Diuinis suffragijs confirmatur, Pontificis,& reliquorum iudicijs approbatur.l. 1.n. 27.p.6.& seq.
Eleonora Austriaca Dux Mantuæ V.Mantua.
P.Io: Baptistæ Eliani peregrinatio ad loca sancta,aliasq; partes, labores vtiles, pericula, conuersiones, disputationes &c. l.2.p.74. n. 53. & seq. à Turcis comprehenditur l.4.n.49.p.175.Eius mors.l.9.n.31.p.428.
Elphistonij ortus,admissio in Soc. patientia in morbo,aliæque virtutes.l.4.n. 22. p. 167. & seq.
P. Io. Emmanuelis acta, & mors.l.6.n.107. p. 304.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Emanuelis Aluarij, virtutes, mors &c. l. 3. n. 174. p. 93.
Energumeni à noſtris curati. l. 1. n. 188. p. 30.
Energumenæ mirabilis curatio Viennæ. l. 3. n. 78. p. 125.
Alterius lutheranæ, conuerſio, & liberatio. l. 5. n. 122. p. 252.
Epidaurenſis Miſſio. l. 1. n. 93. p. 18.
Benedicti Erbeſti res præclarè geſtæ. l. 2. n. 97. p. 82.
Erfordienſis Collegij initium. l. 5. n. 116. p. 251.
Erfordia vtiliter culta. l. 8. n. 93. p. 390.
Erfordienſes Turbæ. l. 9. n. 109. p. 441.
Principis Erneſti in Soc. fauor. l. 1. n. 180. p. 29.
Erneſti Antiſtitis Colonienſis in illud Collegium liberalitas. l. 7. n. 55. p. 324.
Epiſtolarum commoda ad gubernandum. l. 2. n. 10. p. 68.
Epiſtola P. Claudij de renouatione Spiritus. l. 2. n. 20. p. 114.
Exemplum terribile confeſſionis neglectæ. l. 10. n. 256. p. 547. &c.

F

Marius Fabritius cõcionator Rauennæ. l. 5. n. 71 p. 241. Eius mors. l. 8. n. 26. p. 370.
Fabula in proprum Societatis vulgata. l. 6. n. 26. p. 282.
Falanci, Sinis dicti Luſitani, quam ob cauſam, l. 4. n. 197. p. 212.
Fame ſerpentibus veſci coguntur Patres. l. 1. n. 402. p. 63.
Card. Alexandri Farneſij funus, eius in Societatem beneficia, & Societatis in eum gratus animus. Templum Iesv Romæ condit &c. l. 9. n. 34. p. 428.
Faxiba Iaponiæ Monarchiã inuadit. l. 3. n. 240. p. 158.
Religioni Catholicæ fauet, Ozacã Ciuitatem ædificat &c. l. 4. n. 158. p. 204. &c. beneuolentiſſimè excipit Patres noſtros, Religionem impẽsè laudat &c. l. 5. n. 164. p. 294. demum perſecutionem mouet. l. 7. n. 188. p. 353. &c.
Emanuelis Fernandij virtutes, & mors. l. 5. n. 160. &c. p. 263.
Caroli Ferronij conſtantia in munere docendi & pia mors. l. 3. n. 118. p. 135.
Fiungæ Regina cum filio baptizata. l. 1. n. 390. p. 61.
Ad Fidem mira vocatio Ethnici. l. 8. n. 233. p. 417.
Florentini Templum Collegij perfectum. l. 2. n. 46. p. 73.
Roderici Florii excellens virtus, & pia mors. l. 4. n. 115. p. 193.
P. Fonſeca Cœnobium Conuerſarum Olyſippone inſtituit. l. 7. n. 132. p. 344. eius grauis oratio pro Soc. ad Regem Hiſpaniæ. l. 8. n. 144. p. 401.
Io: à Fonte bona mors. l. 9. n. 197. p. 464.
Petri Fontij carceratio n. 408. p. 65. & liberatio n. 411.
Fordi pro Chriſto mors, & caritas in proximos. l. 2. n. 131. p. 86.
P. Emericus Forslerus ad Pontificem delatus innocens dignoſcitur. l. 5. n. 28. p. 233.
Chriſtianus Franchen reſipiſcit. l. 5. n. 99. p. 248.
Franciſcus Rex Bungi V. Bungum.
Antonius Franciſcus pro fide mactatus. l. 3. n. 200. p. 150. Eius vitæ breuis narratio. n. 217. p. 154.
Friburgenſis Coll. inſtitutio. l. 1. n. 167. p. 28.
P. Friaſij conciones vtiles. l. 4. n. 114. p. 193.
In Friſia miſerrimus Religionis ſtatus. l. 9. n. 115. p. 443.
Fuldæ Seminarium à Pontifice fundatum. l. 4. n. 96. p. 188.
Fundator Collegij Romani nolebat nominari Gregorius Pont. l. 1. n. 53. p. 10.
In Funſtelfeldiam Miſſio. l. 8. n. 79. p. 387.
Theodorus Furſtembergius Paderbornenſe Collegium fundat. l. 5. n. 118. p. 252.

G

Gaditani Collegij fundator. l. 1. n. 302. p. 45.
Balthaſaris Gagi pia mors. l. 3. n. 229. p. 156.
P. Gallecus 24. annis grammaticam docet, & lætiſſimè moritur. l. 6. n. 111. p. 304.
In Gallæcia Collegium inchoatum. l. 8. n. 230. p. 416.
In Galliã noua Prouinciarum diuiſio. l. 2. p. 90. n. 154.
Galliæ miſerabilis ſtatus. l. 6. n. 64. p. 293. &c. in eam Viſitator mittitur P. Magius. l. 7. n. 7. p. 312. pax, & diſciplina domeſtica floret. l. 8. n. 105. p. 393. multa Collegia petita ibi. n. 108. Societas in turbis Regni incerta conſilij. l. 9. n. 127. p. 446.
E Galliã Societatem eijci Caluiniſtæ procurant. l. 4. n. 108. p. 191.
Gandauenſis Collegij initium. l. 5. n. 127. p. 254.
Gandienſe Collegium ſacris reliquijs auctum. l. 8. n. 118. p. 395.
Gedani Statio conceſſa l. 4. n. 78. p. 183.
Et miſſio habita. l. 5. n. 79. p. 243.
Generalis Soc. V. Claudius.
Reijcitur querela, quod ſit externus. l. 8. n. 145. p. 402.
Neceſſitas, vt eam plena ſub Pontifice poteſtate gubernet. l. 9. n. 9. p. 420.
Genuę Templi Societati tributũ. l. 2. n. 47. p. 74.
Templi ædificatio & Catechiſmi celebritas. l. 10. n. 81. p. 513. &c.
S. Georgij patrocinium in Chriſtianos. l. 1. n. 403. p. 64.
Collegij Germanici leges, & diſciplinam Lauretanus conſtituit. l. 7. n. 11. p. 314.

Gerun-

Gerundæ Patrũ labores. l. 5. n. 143. &c. p. 257.
Gilberti Angli nobilitas, dotes, virtutes pretioſa mors. l. 3. n. 6. p. 111.
Alfonſi Gilij laudes. l. 2. n. 177. p. 94.
Gneſnenſis Archiepiſcopi ſtudium in Societatem. l. 3. n. 63. p. 122.
Zelus animarum, & caritas eiuſdem. l. 4. n. 76. p. 183.
Godranij teſtamentum. l. 1. n. 183. p. 29.
Goæ mille baptizati, initiumque factum Domũs Profeſſæ. l. 1. n. 348. &c. p. 52.
Alij quingẽti adulti baptizati. l. 2. n. 190. p. 96
Baptiſmi ſolemnes capitum ducentorum, alijque plures. Domus Profeſſa à Coll. ſeparata, &c. l. 4. n. 148. p. 203.
Io. Gomezij vtiles labores in Peruuiã. l. 2. n. 241. p. 108.
Gomij ſtudium mortificandi ſui, aliæque virtutes. l. 1. n. 310. vſque ad 319. p. 47.
Gotti Regni afflicta Eccleſia. l. 1. n. 392. p. 61.
Græcij Academia inſtituta. l. 5. n. 112. & Soc. tradita. l. 6. n. 44. p. 288.
Græcienſe Collegium ab Hæreticis oppugnatum. l. 10. n. 98. p. 516.
Grammaticam docet 24. annis Alfonſus Gallecus. l. 6. n. 111. p. 304.
Granatæ Scholæ apertæ. l. 3. n. 133. p. 138.
Gregorij Pontificis ad Patres Congregationis verba. l. 1. n. 13. p. 3. Eius ſenſus de Claudij electione. l. 1. n. 28. p. 6. liberat Manareum ab omni ſuſpicione ibi n. 37. & ſeq. p. 8. eius prompta liberalitas ad Collegij Rom. difficultates ſubleuandas. l. 1. n. 46. p. 9. & ſeq. recuſat eius dici Fundator n. 53. & p. 69. n. 20.
Romæ Collegium Maronitarum condit l. 2. n. 66. p. 76. Seminarium ab eo Vilnæ fundatum ibi. n. 78. p. 78. eius ad Armenos legatio, ad Patriarcham Cophtorum literæ, & in redimendis captiuis liberalitas. l. 3. n. 42. p. 117. moritur, eius virtutes, ac merita erga Eccleſiam, ac Societatem. l. 5. n. 12. p. 228.
Gregorij XIV. creatio & amor in Societatem. l. 10. n. 65. p. 510. Seminaria confirmat. 16. n. 57.
Gregorij de Valentiã diſputationes Lauingenæ. l. 9. n. 106. p. 441.
Grodnenſe Collegium admiſſum inſtante Stephano Rege. l. 4. n. 82. p. 185.
Groëningæ agitur de condendo Collegio. l. 9. n. 116. p. 443.
Guaxacenſis ſedes fundata. l. 5. n. 202. p. 273.
Thomas Guerrerius Collegium Minæi fundat. l. 9. n. 55. p. 431.
Guiſius Dux Henricus Coll. Augenſe fundat. l. 1. n. 186. p. 30.

H

Hæreticorum querelæ à Rege Poloniæ neglectæ. l. 2. p. 81. n. 94.
Hæreticorum obſtinatio mirabiliter victa. l. 8. n. 80. p. 387. Hæreticæ declamationis in Ieſuitas ridiculus euentus. l. 8. n. 91. p. 389.
Cum Hæreticis feliciter decertatum, & eorum in hiſce concertationibus futilia effugia. l. 10. n. 104. p. 518. &c.
Guillelmi Harti pro Religione cæſi virtutes, & labores. l. 3. n. 92. p. 129.
Henrici III. Regis Galliæ in Soc. fauor. l. 2. n. 162. p. 91.
queritur de tribus è noſtris. l. 6. n. 65. p. 293. &c. & de vocato à P. Generali Augerio non vult quosdam viſitatores &c. l. 6. n. 76. p. 296. & benignè excipit viſitatorem Magium, eius querelæ, ac vota præfecturas in Galliã non niſi Gallis committi &c. l. 7. n. 66. p. 326. apud eum Magij, & Pigenatij gratia. l. 8. n. 103. p. 392. eius mors. l. 9. n. 141. p. 449.
Henrici Card. Regis Luſit. corpus incorruptum repertum. l. 2. n. 179. p. 94.
Leonis Henricij ortus, virtutes, & obitus. l. 9. n. 205. p. 465.
Benedicti Herbeſti vtiles labores. l. 8. n. 39. p. 373.
In Herbipolitanã Diœceſi pagi duodeuiginti ab Hæreſi purgati. l. 5. n. 114. p. 251.
Herbipolenſis Collegij difficultates. l. 2. n. 108. p. 83. eius ædificatio. l. 9. n. 107. p. 441.
P. Conſalui de herbis virtutes. l. 7. n. 107. p. 338.
Michaëlis Hernandi acta præclara in Miſſione Caſtrenſi. l. 4. n. 101. p. 190.
Heyuodus cauſa diſſenſionum inter Catholicos in Anglia. l. 3. n. 98. p. 130.
Hieronymi Natalis præſenſio de Claudij electione. l. 1. n. 26. p. 8.
Hildeſium Collegium expetit. l. 8. n. 92. p. 389.
Hiſpalenſis Domũs Profeſſæ initium. l. 7. n. 130. p. 344.
Hiſpaniæ Rex Complutenſe Collegium inuiſit. l. 5. num. 145. p. 257. benignè reſpondet in turbis Hiſpanicis. l. 7. n. 102. p. 338. rurſus ei ſupplicatur. l. 8. n. 134. p. 399. benignum eius reſponſum. l. 9. n. 176. p. 458. & liberalitas. l. 9. n. 193. p. 462.
Hiſpanicæ res domeſticæ turbatæ. l. 6. n. 85. p. 298.
Eas tractandi difficultates. lib. 7. num. 73. pag. 328. & ſeq. quam ſtrenuè ſe geſſerint Hiſpani Patres pro Societ. aduerſus perturbatores. l. 8. n. 122. p. 396. ex his turbis detrimẽta Societatis. l. 9. n. 173. p. 457.
Guillelmus Holtus captus in Anglia, inde in Scotiam dimiſſus. l. 3. n. 102. p. 131.
Martini Huuiaſdouij mors. l. 9. n. 89. p. 437.

I

Iacobi Scotiæ Regis placida indoles. l. 1. n. 290. p. 44.

Bar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bartholomæi Iacobi virtutes, & mors pia. l.9.n.342.p.489.
Iacobitarum pertinacia in cultu Dioscori.l. 3. n. 35. p. 116.
Iannelli obitus.l. 5.n.140.p.257.
In Iaponiâ Patrum opera. l.5. n.359.p. 54.
Cursus felix Euangelicę prædicationis. l. 2. n. 221. p. 102.
Patrum Domestica disciplina. l. 2. n. 224. p. 103.
Discrepantes sententiæ de modo tractandi Iaponios.l.2. n. 227.p. 105.
Destinatur legatio Romam à Regibus Iaponiæ Christianis. l.2.n.230.p.105.
Legati Macao soluunt, & Goam perueniunt. l.3.n.231.p. 156.
Iaponiæ res, florensque ibi religionis status. l.3, n.243. p. 158.
Legati Olysipponem appellunt.quomodo ibi fuerint excepti.l.4.n.135.p. 200. quomodo Madriti à Rege Philippo. l. 4. n. 142. p. 202.
Legati in Italiam,ac demum Romam perueniunt, quàm magnificè, ac benignè ibi fuerint excepti,& quomodo per Italiam habiti cum discederent.l. 5. n. 1. p. 225. & seq.
In Bungensi Regno, & Amanguciano quam plurimi baptizati.l.5.n.176.p.278.
In Iaponiâ terræmotus grauissimus,aliàque mala.l.6.n.116.p.304. & 5.
Christianæ mulieris facinus heroicum. l.6. n.129 p. 306.
Iaponiorum legatorum reditus in Indiam. l.7.n.135.p. 345.Et in Iaponiam. l.10. n. 202. p.535.
Iaponicarum rerũ mutatio, ac persecutionis initium, cuius causæ ad longum afferuntur. l.7.n.188.p.353.& seq.
Datus Iaponiæ Episcopus.l.8 n.184 p. 408.
In eâ persecutionis incrementa, conuersiones,& præcipuè Reginæ Tangi.l.8.n.209. p.413.
Persecutionis augendæ præsagiũ.l.9.n. 321. p. 485.
Idola demoliens Princeps Diuina beneficia promeretur. l.1.n.343.p.51.
IESV Templum Romæ, quando inchoatum, ac perfectum.l.9.n.41.p.429.
Hoc SS.nomine Diabolus fugatus.l.6.n.131. p.306.
Illud Societati Pontifex ereptum omninò vult, rationes, responsa, quomodo retentum, & magis assertum. l.10.n.34.p.499.
Io: Ignatij virtutes l.7.n.108.p.339.
Illyrici Collegij turbæ compositæ. l. 5. n. 36. p. 235.
Incendium Reliquijs restinctum.l.1.n.87.p. 17.
De indifferentia Valderauani epistola. l. 5. n. 155. p.260.
Ingolstadiense Collegium auctum. l.4. n. 88. p. 187.
Templum consecratum.l.9.n.103.p. 440.
S.Io:Baptista opem fert Lusitanis periclitantibus. l. 1.n.337.p.50.
Iobæleum à Sixto Pont. Soc. concessum. l. 6. n. 1.p 276.
Ionsoni mors pro Christo.l.2.n.132.p.86.
Ioramus in Iaponia fortiter necem pro Christo subit. l.9.n 307.p.484.
Ipris ceptum Collegium.l.4.n.100.p.190.
Plurimùm frequentatur.l.5.n.128.p. 254.
Iuliæ Dux Soc.conciliatus.l.5.n. 120,p.252.
Augustini Iustiniani felix obitus. l.10. n. 70. p. 511.
Philippi Iustiniani,è Soc. Tyrocinio dimissi miræ infirmitates, & simulationes. l. 10. n.4. p.494. & seq.

K

KAlendarij emendatio in Soc.inuidiæ, in varijs Germaniæ prouincijs tumultuum, & Augustæ ridiculi euentûs causa. l.4. n. 89.p.187.

L

LAdi vtilis opera in Siciliâ. l. 5. nu. 96. p. 247.
P. à Lætaualle summa vitæ.l.10.n.71.p.511.
Laicorum factio in Angliaynde orta.l.2.n.150. p.89.
Landgalli Apostasia.l.3.n.97.p.130.
P. Lanoij mors, & laudes.l.1.n.56.p. 11.
Lapidani mors.l.2.n.112.p.84.
P. Laterna concionator Regis Poloniæ. l. 6. n. 20.p. 281.
Latrei mors pia.l.4.n.102.p. 190.
Lauffenum Oppidum Patrum operâ Ecclesiæ restitutum.l.8.n.81. p.387.
Laurentij à S.Ioanne præclari labores in missionibus. l.2.n.164.p.91.
P.Lauretanus moritur,ac eius vitæ summa.l. 7. n.9. p.312.
Legati Iapones V. Iaponia.
Legatis Orientalibus Romæ cautè credendum.l.3.n.37. p. 117.
P. Lelesij Magistri Sigismundi Principis laudes. l.4.n.66.p. 180.
Leodiense Collegium inchoatum.l. 1. n. 179. p. 29.
In eo apertæ scholæ.l.2.n.114.p. 84.
Leopoli Societas expetitur.l.4.n.33.p.183.
Ibi sedis initia.l. 5.n.78.p. 243.
Libani mons Patrum laboribus cultus.l.1.n.94. p. 18.
Obiter visitatus.l.3.n.29.p. 115.
Liber famosus in Soc.editus breui reuinctus. l.10.n.85. p. 514.
Libido, & superbia retinent Nobunangam à Christi fide suscipienda.l.2.n.207.p. 99.
P.Limburgij mors.l.3.n.86.p. 127.
Limensis Collegij verus Natalis,& fundatores. l.1, n. 412. p. 66.

Limæ terræmotus.l.6.n.144.p.308.
In Linguis perdiscendis nostrorum labor, l. 1. n. 405. p. 64.
Literæ commendatitiæ multorum Principum ad Six. Pont. pro Societate. l. 9. n. 20. p. 424.
Lichomislij vtiles labores Sacerdotis è Soc.l. 1. n.161. p. 27.
Loanda Insula tota Christo subiuncta, l. 9. n.155.p. 473.
P.Loberæ mors,& patientia insignis.l.6.n.96. p. 300.
Ludouici Lopij carceratio.l.1.n.408. p. 65.
Louanij controuersiæ cum Academicis. l. 7. n.62.p.325.
Louaniense Collegium auctum.l.6.n.62.p.293.
Lublinensis Collegij fundatores casu conueniunt,& eius fausta initia.l.2.n.88, p. 80. & n.91. p.81.
Lucernensis Templi fundatio.l.8.n.82.p.388.
Ludouici Almeidæ operarij præclari res gestæ, & mors sancta.l.3.n.248.p.159.
B. Ludouicus Gonzaga Soc. ingreditur. l. 5. n.45. p.236.
Ludouica Luna fundatrix Collegij Calatanesse-tensis.l.9. n.54.p.431.
P.Lusius præuisam mortem piè obit.l.6.n. 54. p. 290.
Lusitanorum pietas in bello.l.1. n.338. p. 50.
Lusitani Societatibus æthiopum opes firmant. l.2 n.183.p.94.
Lutheranismus à Patriarcha Constantinopolitano damnatus, & reuincti doctores Lutherani. l.3.n.80.p. 126.
Lutheranæ Energumenæ, conuersio, & liberatio. l.5.n.122. p.252. Lutheranismus Monasterium introductus mutatur in anabaptismum.l.8.n.84.p.388.
Luxemburgi expetita Soc.l.3.n. 87.p. 127.
Luxemburgo Socij euocati.l.6.n. 63.p.93.

M

MAceratensi Collegio reliquiæ donatæ. l:8.n. 21.p.369.
Maësykij res Catholica feliciter curata.l,8.n.99 p. 391.
Magius Visitator in Galliam mittitur. l. 7. n.7. p. 312.
Peruenit Lutetiã,agit cum Rege,eius ratio gubernandi maximè laudatur. l. 7. n. 63. p. 326.
Maldonati oratio ante electionem Generalis. l.1.n. 25. p. 5.
Eiusdem somnium præsagum, obitus, & vitæ summa. l.3.n.3. p. 110.
Maledici pœna insignis l.2 n. 92.p.81.
Mamertini Collegij calamitas ab igne. l. 5. n.65.p. 240.
Manareus Vic. Generalis ambitus accusatur. l.1.n.8.p.2.& seq. sententia in eum fertur ibi.n.19. eius sapiens consilium ad res pacandas.num. 23.p.5. confirmatur Vic. Gen.ibi.iudicium in eum latum à Pontifice rescinditur n.37. & seq.
Manareus reconciliat Societati Guillelmum Bauariæ Ducem.l.1.n.170. p. 28. idem fit Visitator in Germania.l.2.n.98.p. 82.
P.Mancinelli visum insigne.l.1.n.34.p. 7.
Idem Constantinopoli Catholicos excolit. l.4.n.37.p.171.
Constantinopoli proficiscitur in Poloniam. l.5.n.40. p.235.
Manilæ nouum Templum extruitur.l.8. n. 232. p. 416.
Manresæ missio.l.2.n.163. p.91.
Manricij vita innocens.& mors felix.l.4.n. 19. p. 166.
Manricius Episcopus Visitator Soc. electus.l.8. n.132. p.398.cur à Pontifice reiectus ibi. l.8. n.138. p. 400.
Mantuæ Dux Eleonora Soc.impensè amat, & ibi Collegium fundat. Dux eius coniux Societati reconciliatur.l.4.n. 31.p. 169.
Marani mira vocatio, subita mors. l. 9. n. 48. p. 430.
Marcenius Prouincialis citatur à sacris Quæsitoribus.l. 6. n.87. p.298. datur in custodiam ibi n, 88.liberatur.l.8.n.111.p.394.
Marchesij pius obitus.l.4.n.123.p. 196.
Martini Vndonis studiũ in Soc.l.9.n.94.p.438.
Menesij in Tyrocinio cõstantia.l.4.n.134.p.200
B. MARIA. V. B. Virgo
Mariani laudabile factum.l.3.n.43.p. 118.
Maronitæ V. Libani Mons.
Maronitarum Collegium Romæ Pontifex condit.l.2.n.66.p. 76. & Societati commendat.l.5.n.34. p. 234.
Erga illud Sixti liberalitas.n. 35.
P.Martinij præclara opera.l.3.n.133.p.344.
Martyrologij dispositio in litanias à P. Lauretano inuenta.l.7.n.15.p.315.
P.Mascareniæ vitæ summa.l.3.n.224.p.155.
P.Masselli mors.l.6.n.14.p. 279.
Hieronymi Mastrilli obitus insigniter felix. l. 6.n.15.p. 279.
P. Caroli Mastrilli generosum facinus ad sedandas turbas Neapoli.l.5.n.58.p. 238.
Claudius Matthæus negotijs Sæcularibus implicitus.l.5.n.131, p. 255.
Negatur ei reditus in Galliam, eius obedientia. l.6.n.70.p.295.
Mauriacense Collegium dispersum.l. 6. n. 82. p. 297.
Mechoacani Regis, & Regni conuersio. l.5. n.207. p. 274.
Menginus causa turbarum Domesticarum in Bauaria.l.1.n.163.& 170.p.28.
P.Mercati mors.l.3.n.53 p.120.
P.Merenda rem bene gerit in Istria.l. 10.n.76. p. 512.
Mexicani labores nostrorum.l.2.n.236. p. 107. item l. 4.n.239.p. 224. item l.5. n.198.p.272.item l.6.n.135.p.307. Mexicanę gentis descriptio. l.10.n.212.p.537.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Michaelis Principis Amacusæ mors pia. l. 2. n. 204. p. 98.
Io: Milani mors memoranda. l. 9. n. 46. p. 430.
Minæense Collegium receptum. l. 8. n. 22. p. 369. apertum. l. 9. n. 55. p. 431.
Mirandæ comitis officium ad fundationem Collegij Salernitani. l. 9. n. 51. p. 430.
P. Mironis mors, & vitæ summa. l. 10. n. 52. p. 505.
Misericordiæ opera quam efficacia ad Gentiles conciliandos. l. 10. n. 200. p. 535.
Missiones vtiles per Hispaniam. l. 2. n. 163. p. 91. in Pyrenæis quatuor Patrum missio perutilis. l. 3. n. 124. p. 136. aliæ alibi. l. 4. n. 34. p. 170. item. l. 5. n. 43. & l. 6. n. 53. vide etiam. l. 10. n. 77. p. 512.
Missionis Castrensis incommoda, & fructus. l. 2. n. 115. p. 84. item l. 8. n. 100. p. 312. eiusdem magni successus in exercitu Ducis Sabaudiæ. l. 9. n. 59. p. 531.
Mocumbæ reguli ad Christum conuersio. l. 2. n. 187. p. 95.
E Mogore Societatis operarij reuocantur. l. 2. n. 212. p. 89.
Mogorum Imperatoris, dotes, potentia difficultates conuersionis. l. 3. n. 178. p. 145.
Moguntinorum Archiepiscoporum in Soc. fauor. l. 2. n. 109. p. 83.
Moldauia, qua occasione à PP. Societatis adita. l. 8. n. 70. p. 384.
Principis eius humanitas, Regionis descriptio ibi. fructus ex eius cultura relati. l. 9. n. 98. p. 439.
Molshemiense Collegium ad tempus relictum. l. 7. n. 56. p. 324.
Monasteriense Collegium ceptum. l. 8. n. 83. & 87. p. 388.
Monialium duarum in Religione constantia. l. 7. n. 41. p. 321.
Montensis Collegij initium. l. 6. n. 55. p. 291.
Montis regalis Collegium conditum à Card. Farnesio. l. 9. n. 19. p. 429.
Montis Sancti Collegium ædificatur. l. 5. n. 44. p. 236.
Sebastianus Morales creatus Episcopus Iaponiæ in naui moritur. l. 8. n. 184. p. 408.
Mortagnæ obitus. l. 3. n. 88. p. 127.
Mortes in Anglia pro fide cæsorum quantum profuerint. l. 2. n. 123. p. 85.
Mors felix Antonij Carnicerij. l. 2. n. 173. p. 93. mors bona aliquot sociorum. l. 3. n. 128. p. 137. mortes felices quorundam ex peste. l. 4. n. 103. p. 190. mortui in obsequio peste laborantium. l. 5. n. 139. p. 256.
Moschouitica legatio per P. Possevinum. l. 1. n. 119. p. 20. eius acta in Moschouia. Moschorum mores &c. ibi. Moschi Ducis ad Pontificem legatio. l. 2. n. 75. p. 77.
Mulieris Christianæ facinus heroicum in Iaponia. l. 6. n. 129. p. 306.
Mussiponti altercatio de nomine Vrbis. l. 3. n. 114. p. 135. Rectoratus Academiæ Collegio retentus. ibi.
Mutertis Rex Christianæ legi fauet. l. 2. n. 197. p. 97.

N

NAamæ Iacobitarum Patriarchæ aduentus Romam. l. 3. n. 25. p. 115.
Nangazachij vrbis origines. l. 10. n. 198. q. 534. eius frequentia ibi. vt è Dominio Principum Omuræ transierit in ius Cambacundoni ibi, rixa ibi funesta inter Lusitanos, & Iaponios. l. 1. n. 394. p. 61. pœnitentia reorum, & reconciliatio ibi n. 396. p. 62.
Nanhoa cœnobium celebre in Sinis. l. 9. n. 284. p. 480. nostris oblatum ad habitandum, & cur recusatum ibidem.
P. Nauarolæ constans industria. l. 7. n. 48. p. 323.
Neapolitani Collegij dotatio. l. 3. n. 44. p. 118.
Neapolitanum Domus Professæ Templum ex ædibus Salernitani Principis concinnatum. l. 4. n. 21. p. 196.
Neapolitana seditio pacata generoso ausu vnius è nostris. l. 5. n. 58. p. 238.
Neapolitani Sodalitij prima institutio. l. 7. n. 1. p. 312.
Nestoriani confusi l. 1. n. 356. p. 537.
Nicolai de Notarijs pia mors. l. 6. n. 12. p. 279.
Nieswiesiensis Collegij primordia. l. 2. n. 87. p. 80. & l. 4. n. 79. & seq. p. 184.
Nobunangæ in Christianos fauor. l. 5. n. 370. p. 55. idem famosam Bonziorum disputationem indicit successu victis funesto ibi n. 374. p. p. 57 fiiiorum eius in Christi fidem propensio ibi n. 376. eius potentia n. 377. magnificentia in extructione Vrbis Anzuquiamæ n. 378. eius libido, & superbia obstant ne Christi fidem suscipiat. l. 2. n. 207. p. 99. tragica eius cædes in pœnam impietatis l. 2. n. 214. p. 101.
Nouitiatus biennio cur vacandum à literarum studijs. l. 6. n. 4. p. 277.
Numerus Sociorum, & Prouinciarum initio Generalatus P. Claudij. l. 1. n. 4. p. 1.

O

OBedientiæ actus insignis. l. 3. n. 50. p. 119. Obedientiâ corpus Societatis vegetatur. l. 9. n. 8. p. 420. Obedientia cæca accusata apud Pontificem, & optimè defensa. l. 8. n. 8 p. 365. & seq. obedientia P. Dezæ. l. 9. n. 165. p. 454.
Octauius Dux, Placentiæ Collegium fundat. l. 1. n. 83. p. 16.
Oeniponti Scholæ ceterique Patrum labores cum successu. l. 7. n. 51. p. 324.
Olicæ Duci Hierosolymam peregrinanti duo è Soc. comites dati. l. 3. n. 28. p. 115.
Olysippone Domus Catechumenorum erecta. l. 4. n. 133. p. 200. diuerberatio publica instituta. l. 5. n. 157. p. 261. ibi. Cœnobium con-

Conuersarum à Fonseca institutum. l. 7. n. 132. p. 344. Templum ibi Domus Professæ reliquijs locupletatum. l. 8. n. 181. p. 408.
Omuræ Principis oratio morientis ad filios; pius obitus. ingentia in Ecclesiam merita. l. 7. n. 151. p. 346.
Organtini autoritas apud Nobunangam, & sermo efficax de veritate Christianæ religionis. l. 1. n. 373. p. 57.
Oropesanum Collegium solutum, & postea restitutum. l. 2. n. 167. p. 92.
Otelli pia mors. l. 1. n. 61. p. 12. virtutes. n. 77. p. 15. & seq.
Ozaca noua Ciuitas ædificatur in Iaponia. l. 4. n. 160. p. 205.

P

PAciense Collegium receptum. l. 1. n. 414. p. 66.
P. Paciechi vtiles labores in Salsettis. l. 3. n. 185. p. 47. pro fide occiditur ibi, eius vitæ summa vsque ad n. 213.
Pacificatio insignis operâ Campani facta. l. 10. n. 87. p. 514.
Paderbornæ Ludimagister è Soc. l. 2. n. 113. p. 84. ibidem Collegium fundatum, & apertæ scholæ. l. 5. n. 117. & 119. p. 252.
Paini mors pro fide obita. l. 2. n. 126. p. 88.
Paiuæ virtutes, & felix obitus. l. 5. n. 193. p. 271.
Card. Paleotti iudicium de vocatione religiosâ longâ epistolâ expressum. l. 3. n. 57. & seq. p. 121.
Card. Pallotta curat Collegium ædificari Cosentiæ. l. 9. n. 52. p. 430.
Ben. Palmij aduersus Manareum æmulatio. l. 1. n. 7. p. 2.
Francisci Palmij, pia mors. l. 5. n. 70. p. 241.
Panormitanæ Domus Professæ initia. l. 3. n. 52. p. 120.
Panormum Cranium vnius è Sanctis innocentibus defertur. l. 5. n. 68. p. 241.
Panormitanum Collegium ædificari ceptum. l. 6. n. 16. p. 290.
P. Parentuccelli mors. l. 9. n. 57. p. 431.
Parisiense Collegium auctum. l. 8. n. 106. p. 393.
Pasij profectio ad Sinas. l. 4. n. 205. p. 215.
Patientia insignis P. Loberæ. l. 6. n. 96. p. 300.
Patriarchæ Melchitarum, Hierosolymitanus, & Cophtorum de Religione conuenti non sine fructu. l. 4 n. 41. p. 72.
Patriarcha Iacobitarum V. Naama.
Pauperes à P. Peralta peculiariter curati. l. 8. n. 167. p. 406.
Paupertatis studium in P. Henricio. l. 9. n. 212. p. 467.
Pecuniæ recusatio causa cur P. Riccius non expellatur è Sinensi Regno. l. 9. n. 273. p. 478.
P. Peltani mors. l. 4. n. 92. p. 188.
P. Peraltæ insignes virtutes, & pia mors. l. 8. n. 169. p. 406.
Perchini Apostasia. l. 3. n. 97. p. 136.
Iac. Perea peste afflictis ministrans moritur. l. 2. n. 168. p. 92.
Peregrinationes PP. difficillimæ in Brasilia. l. 1. n. 401. p. 63.
Franc. Pereriæ pia mors ex bona vita. l. 7. n. 109. p. 339.
Francisci Perez fama Sanctitatis, & felix obitus. l. 3. n. 230. p. 156.
Periurij memorabilis vltio. l. 1. n. 357. p. 53.
Persecutio in Anglia. l. 1. n. 192. p. 31. & seq. v. Anglia.
Persecutio in Iaponia v. Iaponia.
Personij vtilis opera in Anglia. l. 1. n. 199. p. 31. item n. 264. p. 32. ad eum capiendum intentæ curæ. l. 1. n. 208. p. 33. idem à Campiano valde laudatur n. 288. eius in Galliam transitus, pericula, & inde administratio, vsque ad n. 297. eiusdem prudentia in sedandis turbis. l. 3. n. 100. p. 131. eiusdem ad Regem Philippum à P. Generali missi, pro Soc. efficax sermo. l. 9. n. 168. p. 455.
Peruuia laboriosè exculta. l. 2. n. 241. p. 108. Peruuiano Idiomate Doctrinæ Christianæ summa edita. l. 4. n. 238. p. 224. Peruuiam lue horrendâ deuastatam Patres fortiter, & laboriosè iuuant. l. 9. n. 334. p. 487.
Pestilentiæ tempore quid egerint nostri. l. 1. n. 189. p. 30. & seq. pestis in Galliâ, & per eam caritas nostrorum. l. 3. n. 117. p. 135. in periculis pestilentiæ efficax S. Sebastiani tutela ibi n. 132. peste afflictis Patres ministrant in Brasilia. l. 1. n. 399. p. 63. v. Vilna, & Barcino.
Petri Neotyti Apostasia. l. 3. n. 73. p. 124.
Petri Peraxili piæ vitæ similis mors. l. 4. n. 95. p. 188.
Petri à Puteo pius obitus. l. 3. n. 128. p. 137.
Petrocoriensis Collegij initia. l. 9. n. 14. p. 450.
Philippi Regis amor in Soc. l. 1. n. 326. p. 48. V. Hispania.
Philippinæ Insulæ quando detectæ. vnde sic dictæ. l. 2. n. 238. p. 107. in eas deducuntur Patres Societatis ab Episcopo Dominicano ibi n. 239. & seq.
Philenij mors, & laudes. l. 3. n. 86. p. 127.
P. Pigenatius Visitator missus in Galliam non admittitur à Rege. l. 6. n. 79. p. 297. ei reditus Parisios impetratus. l. 7. n. 70. p. 327.
Io: Bapt. Pilastrelli castimonia. l. 6. num. 11. p. 279.
P. Pinnani serus ad Soc. accessus, & vita inculpata. l. 8. n. 187. p. 408.
P. Pinna Prouincialis in nouam Hispaniam viginti operarios ducit. l. 1. n. 410. p. 65.
In Ora Piscariæ Christianorum feruor. l. 2. n. 200. p. 28.
Io. Pistorius conuersus. l. 8. n. 95. p. 390. eius cum Hæretico Ministro felix certamen. l. 10. n. 104. p. 517.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Placentiæ Collegium conditum.l.1.n.83.p.16.
P.Plazæ cum P.Acosta comparatio. l.1.n.407. p. 65.
Pœnitentia publica aleatoris.l.1. n. 382. p. 59.
pœnitentis latronis felix obitus.l. 3.n.91. p. 128. pœnitentia insignis Sacerdotis primarij.l.8.n.225.p.416.de vsu pœnitentiarum in Soc. epistola P. Claudij Gener. l.10. n.15.p.496.
Polocienſe Collegium ab Hæreticis oppugnatum ab Hæretico defensum. l. 6. n. 35. p. 319. à Poloniæ Rege protectum. l. 8. n. 38. p. 373.
In Polonia quid fieri ſoleat per Interregnum. l.7.n.32. p.319.
Pompeiopoli Collegium apertum. l. 4. n. 131. p. 200.
Pontificis nomen Dux Moſchus veneratur.l. 1. n.127. p. 23. Pontificis poſtulata à Duce Moſcho ibi. n. 132.
Porrius à P. Generali ad Philippum Regem miſſus.l.7.n.101.p.337.
Portilli felix obitus.l.9.n.338.p.488.
Poſſeuinus à Pontifice in Moſchouiam legatus. l.1.n.92. p. 18. quæ legationis eius cauſæ, iter eius per Germaniam, & Poloniam ibi 108. & ſeq. v. Moſchouia. Poſſeuinus pacem inter Moſchum,& Regem Poloniæ tractat,& conficit.l.2.n.67.p. 76. Poſſeuini labores, & pericula in itinere ad Moſchum Ducem.l. 2. n. 69. p.77. eiusdem res præclarè geſtæ pro Religione. l. 5. n. 73.p.242.vanæ de eo ſuſpiciones ibi.in Lithuaniam mittitur ibi.n.80. vtiliſſima eius opera Rigę. l.5.n.92.p. 246.
Protaſij Regis Arimæ pietas.l.3.n.246.p. 159.
Prouincialis cõiuentia,quam noxia in Hiſpanicis turbis.l.7.n.93.p.334.
Circa Prouinciales conuentus monita P.Claudij.l. 10.n.2. p.493.
Prunienſe Monaſterium reformatur.l.5. n.124. p. 253.
Puerorum duorum ſelix pro Chriſto mors.l.3. n.203.p.251.
Claudius Pules in exercitio obedientiæ nefariè occiſus.l.9.n.60.p.432.

Q

QVamcheu Vrbs primum dat Soc. hoſpitium in Sinis. l. 4 n.194. p. 211.
Card. Quiroga Collegium Talabricæ fundat. l.2.n.165. p.91.
Vaſci de Quiroga Epiſcopi pia memoria. l.5. n.204. p. 273.

R

RAdiuillus Dux Nieſuiſienſe Collegium fundat. l. 4. n. 80. p. 185. auget. l. 9. n. 84. p. 436.
Io: Ramirij virtutes inſignes, & mors felix.l.6. n. 99. p. 301.
Ratisbonenſis Collegij initium l.6.n.50.p.289. abſolutio.l.9.n.105.p.440.
Recinetenſi Collegio Reliquiæ donatæ. l. 8. n. 21. p. 369.
Regius adoleſcens Sartoris artificium Chriſti causâ exercet. l.6.n.139.p.307.
Rex Galliæ Henricus III. in Soc: commotus,eidem reconciliatus. l. 3. n. 103. p. 132. V. Henricus.
Rex Hiſpaniæ V. Philippus.
Rex Poloniæ V. Stephanus. & Sigiſmundus.
Rhemenſe Collegium Anglicanum beneficijs proſequitur Pont.l. 2.n.43.p.73.
Rhotomagenſe Collegium receptum.l.3.n.119. p. 136.
P.Ricaſuli mors,& laudes.l.1.n.56.p.11.
Matth. Ricciusin Sinas deſtinatus.l.4. n. 206. p. 215.dirâ calumnia liberatur ibi.n.229. quam intrepidè, ac prudenter ſe geſſerit cum è Sinis pelleretur Societas.l.9.n.245. p.475.
P. Richeomus Viceprouincialis. l. 6. n. 84. p. 298.
Rigæ miſerrimus religionis Status.l. 2. n. 80. p.78. Quid actum à Rege pro eâ reſtauranda ibi.n.82.quæ ibi ab Hæreticis paſſa Societas ſit. ibi n.86. p.80. aliæ ibidem grauiſſimæ turbæ.l.5.n.81.p.243. & l. 6. n.28.p.283.inde pellitur Soc. l. 7. n. 40. p. 320 Decretæ Societatis reſtitutioni obſtant Hæretici.l.9.n.63.p.432.
Riozogus bellum mouet aduerſus Protaſium Arimæ Regem, & vincitur. l. 3. n. 244. p. 159.
Hieronymus Ripalda datur in vincula iuſſu Quæſitorum. l.7.n.81.p. 331. dimittitur. l.8.n.112.p. 394.
Rixa funeſta Nangazachij.l.1.n.294.p.61.
Roberti Rochforti præclara acta.l.8.n.183. p. 408.
P. Chriſt. Rodericij labores, & virtutes. l. 1. n.62. p. 12.
Franc.Rodericij virtutes.l.2.n.169.p.92.
Io: Rodericij elogium.l.7.n.111.p. 340.
Rodulphus Aquauiua Mogorum Imperatori carus.l.2.n.203.p.98.eiusdem ibi Apoſtolici labores.l.3.n. 177. p. 145. reditus in Indiam. mors pro Chriſto. l.3. n. 195. p.149.vitæ ſumma ibi.n.211.p. 153.
Rogerius primus in Sinenſe Regnum penetrat.vbi præclarè ſe gerit.l.4 n.193.p.211. in interiores Prouincias pergit.l.5.n. 163. p.264. eius inde reditus.l.6.n.115.p. 304.
Romani Collegij difficultates à Gregorio Pont. ſubleuatæ.l.1.n.46.p.9 Collegium ceptum ædificari ibi. n.19.p.69. viſit illud Gregorius.l.4.n.16.p.165. in eo docendi ſplendida initia. ibi. Sodalitium in eo Annunciatæ v. Sodalitium.
P.Romualdi miſſio per Latium frugifera. l. 5.n.42.p.236.

Ru-

Rupellæ liber famoſus in Soc.editus.l.4.n.107. p. 191.
Ruſtici prædicatio efficax in Amangucciano Regno.l.5.n.178. p.268.

S

P. SAlmeron Aſſiſtens Congregationis eligitur. l.1. n. 15. p. 4. eius mors, & elogium.l.5.n.47.p.236.
Ant. Sancij laudabilis vira, & pia mors.l.2. n.172. p. 93.
Sacchini laudes in præfatione.
Sandoualij vitæ religioſæ ſumma. l. 6. n. 110. p. 304.
Iac. Salazarius Hieroſolymam à Rege Philippo miſſus.l.8.n.121.p. 396.
Salernitani Principis ædes Neapoli in templum Domus profeſſæ mutatæ.l.4.n.21. p. 166.
Salernitanum Collegium conditum. l.9.n.51. p.430. plures inſtitutæ in eo Sodalitates. l.10.n. 68. p. 511.
P. Salſedi vtiles labores, & felix obitus. l. 1. n.307. p. 46.
In Salſettis progreſſus religionis: conuerſiones miræ.l.1.n.351.& ſeq.p.52. Societ.ibi labores, ſociorumque pro fide cædes. l. 3. n. 184. p. 46. mille quingenti baptizati. l.4.n.155.p.204.
Salutienſis miſſionis fructus.l.2.n.49.p. 74.
Samerius Leodium miſſus.l. 6. n. 72. p. 295. eiusdem ad Scotiæ Reginam acceſſus. l.3. n. 123. p. 136.
In Samogitiam miſſio vtiliſſima. l. 7. n. 38. p. 320.
Iac. Sancij vocatio ad Soc. mira, virtutes inſignes, & ſancta mors. l. 8. n. 156. p. 404.
Saonenſis Epiſcopus Soc. experens cur non admiſſus.l.7.n.28. p. 318.
Bened. Sârdij mors.l. 6.n.14.p. 279.
Sartoris Bataui annua Tyrannis. l. 8. n. 85. p. 388.
P. Saxus in Ægyptum miſſus. l.3.n.27. p.115. poſt magnos labores à Turcis capitur. l.4.n.49.p. 175.
Vrb. Schipperi virtutes, & mors. l. 6.n.37. p. 287.
Sciauquini primus baptiſmus publicus. l. 4. n.236. p. 223.Patres vexati à Prorege. l. 9.n.237. p. 474. Sciauquinenſium in eos benevolentia. ibi.
Scotiæ Regina optat Religionis promotores in aulâ filij.l.5.n.289.p.43. eiusdem ſolicitudo de inſtitutione filij.l.2.n.141.p.88. in Scotia ſpes Religionis: conſilia circa eam: ibidem.
S.Sebaſtiani efficax tutela in periculis peſtilentiæ l.3.n.132.p. 138.
Secularium rerum tractatio quam aliena à Soc.l.5.n.132. p.255.
Philippi Segæ Nuntij Apoſtolici iudicium de Collegijs Societatis. l.6.n.46. p. 288.
Ant.Segalę mors.l.9.n.57.p.431.
Segouiæ Seminarium trium linguarum. l. 1. n. 303.p. 45.
Seminaria à Sixto V. confirmata. l. 5. n. 26. p.232. eadem viſitari mandat Pontifex ibi.n.30. à Seminarij Romani procuratione Societas liberari petit, ſed non impetrat. ibi. Seminaria Septentrionalia. Prouincialibus ſubiecta.l.5.n. 37. p. 235. Seminarium Pontificium Claudiopoli. v. Claudiopoli.
Senſuum cuſtodia inſignis. l. 8. n. 170. p. 406. & in præfatione n. 11.
Sergius eligitur Patriarcha Maronitarum inuitus. eius virtutes. l.1.n.101. p.19.
Sheruini laudes ab Hæreticis etiam celebratæ, & inſignes virtutes.l.1.n.292.vſque ad n. 281. p.38.vſque ad 43.
Sherti pro Chriſto cæſi vltima verba. lib. 2. n. 132. p. 86.
Sigiſmundi Principis Sueciæ in Poloniæ Regem electi conſtantia in fide. l. 7. n. 36. p. 320. eius in Soc.amor.l.8.n.36.p.373.
Sigiſmundi Principis Tranſyluaniæ egregia ſpes.l.4.n.66.p.180.in profeſſione Catholicâ conſtantia.l.5.n.109.p. 249. eiusdem initia præclara.l.7.n.46.p. 322. quid egerit in Tranſyluaniæ turbis, & quomodo ſubſcripſerit Exilio Patrum. l. 8. n. 46. p. 375.& ſeq.
Sinici Imperij Religionis,regiminis,ac morum deſcriptio.in ipſum diu fruſtra à Soc.ingreſſustentatus. qui primi aderint, quid egerint,quid paſſi fuerint &c.l. 4.n. 168. p.206.& ſeq. Sinica lingua ſumma Doctrinæ Chriſtianæ à noſtris edita. l. 4. n.231.p. 222.quo fructu.l.9.n.238.p.473.
Sixtus V.creatur Summus Pontifex. eius verba ad P.Generalem,& Aſſiſtentes.l.5. n. 14. p.229.de eius alienato à nobis animo vani rumores ibi n.25. eius cura paterna, & liberalitas in Iaponios legatos.l.5.n.17. p. 229. inſtituit viſitationem Seminariorum ibi.n.30. eius liberalitas erga Collegium Maronitarum ibi n.35. Iobelæum Soc. concedit.l.5.n.1.p. 286.eius fauor in turbis Hiſpanicis.l.7.n.76.p.330.& n.100. p.336. eius diplomata de Spurijs &c.l.8. n. 1.p.364.immutatur eius animus erga Soc.notat quædam in eius inſtituto. l. 9. n.3.& ſeq.p.420. abhorret tamen à creatione Superiorum per capitula ibi. n. 18. literæ Principum ad eum pro Soc. n. 20. inter eas ſuſpicatur ſuppoſititiam epiſtolam Ducis Bauariæ n. 23. Sed conſtitit eam manu Ducis ſcriptam ibi.p.426.quid ijs reſponderit.ibi.eius in Soc. exacerbatus animus.l.10.n. 3. p. 493. Seuera eius dicta n.23. p. 497. Iesv nomen ereptum Soc.omninò vult,quibus de cauſis.Decretum de eo antiquando non editum. l. 10. n.34.p.499. eius mors.l.10.n.47.p. 504.

So-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Societatis turbæ domesticæ in Bauaria* l. 1. n. 164. p. 29. Societatis Collegia à multis Ciuitatibus petita, & cur sæpe negata. l. 4. n. 73. p. 182 & seq. oppugnationes eius variæ. l. 4. n. 126. p. 197. & alibi sæpe. Societatis desertorum infelices fines v. Desertor. de Soc. Collegijs iudicium Nuncij Apostolici. l. 6. n. 46. p. 288. Soc. Turbæ in Hispania v. Hispanicæ res. Soc. timor. & mœror ex immutato Sixti animo. l. 9. n. 1. p. 418. v. Sixtus V. in Soc. capitulorum incommoda. l. 9. n. 5. p. 420. erga Soc. ingens P. Henricij amor. l. 9. n. 214. p. 467.
Sodalitium Annunciatæ Collegij Romani primarium declaratum, cui alia aggregarentur. cur id factum, & Sodalitiorum B. Virginis vtilitas. l. 4. n. 14. p. 164. & seq. Sodalitium animabus defunctorum iuuandis institutum. l. 4. n. 132. p. 200. Sodalitia propagata ingenti fructu etiam in non Scholasticos. l. 7. n. 1. p. 312. & l. 9. n. 226 p. 471. Sodalitas Clericorum Aletij instituta. l. 3. n. 51. p. 120. Sodalitatum fructus in America, & pueri admitti cupientis egregium factum. l. 10. n. 223. p. 539.
Mich. Sosæ laudes. l. 2. n. 177. p. 94.
Specianus Nuncius Pontificius efficacissimè agit rem Soc. apud Regem Catholicum. l. 8. n. 154. p. 403.
Spiræ periclitatur Soc. sed à Clero defenditur l. 9. n. 114. p. 442. Senatus damnat oppugnatores Kalendarij correcti. l. 4. n. 90. p. 187.
Stapletonus è Soc. Tyrocinio necessitate valetudinis egressus Soc. semper amat, & colit. l. 6. n. 61. p. 293.
Cosmi Stellæ obitus. l. 8. n. 28. p. 370.
Stephani Regis Poloniæ amor in Soc. l. 1. n. 107. p. 19. iudicium de legatione Moschouitica ibi n. 108. Soc. tuetur in Transyluania, & auget Collegium Claudiopolitanum ibi. n. 156. p. 27. eius zelus pro Rel. Catholica. l. 2 n. 79. p. 78. plura Collegia Soc. offert, quarum multa necessariò recusantur. l. 4. n. 8. p. 184. Grodnense Collegium admissum ipso instante ibi n. 82. studium eius ingens in Soc. l. 5. n. 72. p. 241. & l. 6. n. 39. p. 286. piè moritur. l. 6. n. 40. p. 287. Collegia Transyluaniæ testamento commendat ibi n. 41.
Franc. Stradæ pius obitus. l. 4. n. 124. p. 297.
Striglij mors felix. l. 9. n. 104. p. 440.
De Studiorum ratione liber magnâ cura componitur. l. 4. n. 2. p. 161. recognoscendus mittitur in Prouincias. l. 6. n. 9. p. 278.
Sueciæ Reginæ Catharinæ pia mors. Hæresis in eo Regno. Sigismundi Principis periculum. l. 3. n. 74. p. 124. ex Suecia Patres expelluntur. l. 5. n. 107. p. 249.
Superiorum creatio quam necessariò Generali reseruata. l. 9. n. 40. p. 421. Superioribus indicta quotidie hora considerationis circa res sui officij. l. 9. n. 29. p. 428.
Supplicatio nostrorum Madriti pro successu Classis in Anglos missæ. l. 8. n. 120. p. 396.
Hieronymi Suriani cum Io. Maldonato pactum mors, & obedientia insignis. l. 3. n. 49. p. 119.
Suspicionum pernicies. l. 1. n. 11. p. 3.

T

Talabricæ Collegium fundatum. l. 2. n. 165. p. 91.
Taurinense Soc. Templum reliquijs auctum. l. 4. n. 63. p. 180.
Tellius fundator Collegij Arenalensis. l. 8. n. 115. p. 395.
Teporzotlanensis Domus Probationis. l. 6. n. 144. p. 307.
Tiburtinum Templum ædificari ceptum. l. 2. n. 45. p. 73. perfectū, & S. Symphorosæ dicatum l. 7. n. 20. p. 316. id fundauit Card. Contarellus suggerente P. Ximenes ibi. n. 22. in id translatæ Reliquiæ magnâ pompa. ibi n. 23.
Toletanum Collegium inchoatum. l. 3. n. 126. p. 137.
Matt. Thomanij obitus, & virtutes. l. 9. n. 90. p. 437.
Tornacum nostri regressi. l. 7. n. 178. p. 28.
Traiectensis Templi fundatio. l. 9. n. 124. p. 445.
Transyluaniam adeunt quatuordecim è nostris. l. 4. n. 64. p. 180. ex eâ electi Ariani. l. 5. n. 95. p. 247. in ea peste extinguuntur viginti septem Patres, graui præsertim Regis Stephani dolore. l. 6. n. 34. p. 286. ad Socios Transyluanos de exilio periclitantes mandata P. Generalis. l. 7. n. 42. p. 321 per eam vtiles missiones. l. 8. n. 40. p. 373. Societatis oppugnationes in Comitijs, & exilium ibidem Soc. decretum. l. 8. n. 40. p. 373. egressus è Transyluania nostrorum ibi & in sequentibus fusè. Cōsilia varia de Societ. in Transyluaniam restituenda. Pontificis in idem commendatio. l. 9. n 93. p. 438. bona Societ. expulsæ conseruantur. l. 10. n. 96. p. 516.
Trauancoris Ecclesiæ status. l. 2. n 199. p. 97.
Iac. Philip. Trasemanni conuictoris Sem. Rom. felix obitus. l. 1. n. 57. p. 12.
Trenirensis Antistitis pius obitus, & in Soc. amor. l. 1. n. 175. p. 29.
Laur. Tristani laudes. l. 6. n. 10. p. 279.
Tucumani Regni descriptio, & in illud PP. Missiones. l. 6. n. 155. p. 310. & l. 9. n. 357. p. 490.
Tudelenses petunt Collegium. l. 6. n. 95. p. 300.
Turriani par eruditioni religio. l. 4. n. 20. p. 166.
Christ. Turrij virtutes. l. 7. n. 110 p. 339.
Ferd. Turrij summa vitæ. l. 9. n. 156. p. 453.
Tyronis constantia. l. 4. n. 134. p. 200.

Va-

V

Valencenensis residentia. l. 2. n. 114. p. 84. ibidem Collegij initium. l. 6. n. 56. p. 291.
Valderauani pia mors, & vitæ summa. lib. 5. n. 153. p. 259.
P. Valignani felix labor in conuersione Regis Arimæ, & in concilianda pace inter Reges. l. 1. n. 360. p. 55. honores ei habiti à Nobunanga, eiusque filijs ibi. n. 383. cum Legatis Iaponibus soluit in Indiam. l. 3. n. 231. p. 256. creatur Indiæ Prouincialis n. 236. operarios in Sinas destinat. l. 4. n. 192. p. 210. in Iaponiam redit Legatus Proregis Indiæ l. 8. n. 198. p. 411. Nangazachium peruenit. l. 10. n. 190. p. 533.
Vallisoletanum Anglorum Seminarium conditum. l. 9. n. 192. p. 462.
P. VValpolus ab Hæreticis capitur, quos ipse suis virtutibus capit, à Catholicis redimitur, & ad eum literæ P. Generalis. l. 9. n. 118. p. 443.
Martini de Vannos religiosa exempla, & pia mors. l 2. n. 170. p. 92.
Varadinenses Collegium expetunt. l. 4. n. 73.
Varsaniæ Hæretici Societ. oppugnant. l. 9. n. 62. p. 432.
Dionysius Vasquius autor res nouas moliendi. l. 7. n. 83. p. 331. & seq. pœnitens moritur. l. 9. n. 167. p. 455.
Heronymi Vbaldini felix obitus. l. 10. n. 70. p. 511.
Iusti Vcondoni præclara opera pro Religione in Iaponia. l. 4. n. 162. p. 205. eius generositas in perferendo exilio. l. 7. n. 217. p. 358. v. Iaponia.
Iacobi Velæ summa vitæ. l. 8. n. 155. p. 404.
Gerar. Vellen vtiles labores. l. 6. n. 52. p. 290.
Veneficijs illigati sponsi precibus, & eleemosynis soluti. l. 3. n. 45. p. 118. Venefici supplicium, & alterius insignis conuersio. l. 5. n. 189. & n. 192 p. 270.
Venetijs conecssa, & eleemosynis promota Domus ampliatio. l. 2. n. 48. p. 74. Templū Domus professæ cōsecratum. l. 9. n. 58. p. 431.
Vercellensis Collegij fundatio. l. 1. n. 85. p. 16. Vercellense Collegium mutat situm. l. 8. n. 423. p. 369.
Veronensis Card. iudicium de Vocatione religiosâ. l. 3. n. 57. p. 120.
Iosephi Victoriæ mors. l. 3. n. 239 p. 158.
Victorienses Collegium à Societ. oblatum recusant. l. 4. n. 127. p. 198.
Philippi Vidmanstadij mors, & virtutes. l. 8. n. 30. p. 371.
Viegæ liberalitas in prosequendis viatico Patribus ad Sinas euntibus. l. 4. n. 220. p. 218. Villaregiensis Collegij fundator. lib. 1. n. 302. p. 45.
Vilnæ Seminarium à Pont. Gregorio fundatum. l. 2. n. 78. p. 78. in peste, ac fame Ciuitatis Patrum labores. l 9. n. 85. p. 436.
Iulianus Vincentius Burdigalæ turbas ciet. l. 6. n. 93. p. 297. è Compostellana peregrinatione Romam iniussu venit, & epistolam S. Ignatij de obedientia palam accusat. l. 8. n. 8. p. 365. P. Santanderum astutè circumuentum in carcerem conijci curat. n. 9. & 11. ipse conijcitur in carcerem, & ibi moritur. n. 17. & seq p. 368.
Vini vsus publicè abdicatus in Pago ad Christi religionem conuerso. l. 8. n. 192. p. 410.
B. Virgo morienti adolescenti apparet. l. 1. n. 57. p. 12. mira victoria à Lusitanis eius ope reportata. l. 3. n. 162. p. 142. & seq. pœnitens miles ab ea mirabiliter adiutus. l. 3. n. 238. p. 158. Virginis Matris tabella puerum IESVM vlnis gestantis admirationi est Sinis. l. 4. n. 225. p. 221. insigniter eius auxilium experitur celitùs punitus miles. l. 5. n. 159 p. 262. ad B. Virginis cultum Claudius Generalis Socios hortatur. l. 6. n. 3. p. 277. B. Virgo in dubio consulta à P. Io. Ramirio benignè ei respondet. l. 6. n. 104. p. 302. eius imago miraculis insignis mirabiliter seruatur. l. 7. n. 57. p. 324.
Visitatio Generalis à Prouincijs postulata cur dilata, & omissa. l. 2. n. 1. p. 67. & seq. visitātur Seminaria iussu Pontificis. quod in eorum laudem cedit. l. 5. n. 30. p. 233. Visitationes per externos factæ Religionibus noxiæ. l. 8. n. 130. p. 398. & à Concilio Tridentino reprobatæ ibi. n. 149. p. 403. Visitatoribus data monita à P. Generali. l. 7. n. 5. p. 364. & l. 9. n. 178. p. 458.
Vltionis omissæ memorabile exemplum. l. 1. n. 353. p. 53.
Vocationes in Soc. insignes. l. 3. n. 18. p. 113. & alibi, de Vocatione Religiosa iudicia Cardinalium Veronensis, & Paleotti. l. 3. n. 57. p. 120. Vocatio insignis P. Henricij. l. 9. n. 207. p. 466. Vocationis Diuinæ neglectæ pœna. l. 2. n. 93. p. 81.
Volgæ amnis descriptio. l. 1. n. 120. p. 21.
Vratislauiensis missionis occasio, & fructus. l. 1. n. 157. p 27.
Vzuquij conuersiones insignes. l. 1. n. 387. p. 60.

X

XAucea Vrbs Sinarum stationem Soc. accipit. l. 9. n. 280. p. 479. & n. 294.
S. Franciscus Xauerius cur adeò cuperet Sinas conuertere. l. 4. n. 185. p. 209.
P. Iac. Ximenes prudentia, & modestias quę ei gratiam parant. l. 7. n. 20. & seq. p. 316.

Y

IAc. de Yeuenes religiosa in Soc. vita, præclarę virtutes, & mors pia. l. 1. n. 320. p. 47. & seq.
Yu Regionis in Iaponia celebris ad Christi fidem conuersio. l. 1. n. 388. p. 60.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca